Benzoni

Digitized by Google


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
19 — M
21

S. Mariae Montium Ordin. Operar.

EXPOSITIO PSALMI LXXXVI.

CVM TRIBVS DISPVTATIONIBVS DE IVRISDICTIONE ECCLESIASTICA, ET TEMPORALI.

ACCESSIT ETIAM BREVIS EXPLICATIO SALVTATIONIS ANGELICAE.

CVM INSIGNI TABVLA ENCOMIORVM BEATAE VIRGINIS,
& Indicibus locorum Sacræ ſcripturæ, ac rerum notabilium.

AVCTORE
RVTILIO BENZONIO ROMANO
EPISCOPO LAVRETANO, ET RECANATENSI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Coll: Neoph:

MACERATAE.
APVD PETRVM SALVIONVM. M DCXII.

S. GIUSEPPE ALLA LONGARA
Digitized by Google



SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PAVLO QVINTO PONTIFICI OPT. MAX.

RVTILIVS BENZONIVS ROMANVS

Episcopus Lauretanus, & Recanatensis. Felicitatem.

T hic quoque meus qualiscunque labor in eruendis arcanis, multiplicibusque mysterijs, ac sacris sententijs Psalmi octogesimi sexti enucleandis, tuo fuit augustissimo sacratissimoque nomini consecrandus, tuisque sub felicibus auspicijs, Beatissime Pater, edendus in lucem. Postulabat hoc ex me innata mihi non modo ergà sanctam Apostolicam sedem; verùm etiam erga Sanctitatem tuam, cuius patrocinio iam pridem me ipsum, meaque omnia spontè commisi, obseruantia singularis, ac mirifica quædam propensio. Sed in primis idipsum suadere, ac veluti iure suo exigere videbatur ipsamet operis huius conscriptio, quippe quæ in eo tota versatur, vt psalmum ipsum octogesimum sextum, cuius initium est: Fundamenta eius in montibus sanctis; explanet. Nimirum, vt Tibi vni, qui firmissimum es, & altissimum totius Ecclesię catholicę fundamentum, in sanctis montibus vtriusque potestatis ab ipso Deo vniuersorum Domino constitutum, omninò debeatur opus, in quo ipsius Ecclesiæ fundamenta in sanctis montibus collocata omnibus conspicienda proponuntur. Et licèt omnia, quæ in hoc volumine à me congesta sunt, ad Beatissimæ Virginis MARIAE gloriam, & honorem potissimum dirigantur, eiusque proindè præsidio munita, publicam

2 iudi-

iudiciorum aleam tutò, ac feliciter subire possent; cohonestanda tamen, ac roboranda fuerunt etiam sacratissimo nomine tuo, qui eiusdem Beatissimæ Virginis filij Christi Iesu supremas in terris vices geris: Cuius videlicet partes sunt, de sacris scripturis iudicare, & quæ ex illis in Deiparæ laudem, & Ecclesiæ commodum afferuntur, probare, atque ab aduersarijs omnibus sarta tecta seruare. Accipe igitur, Beatissime Pater, hoc etiam à me tibi oblatum læta fronte munusculum, assiduis vigilijs, ac diuturnis laboribus conflatum: quod si Sanctitati tuæ gratum aliqua saltem ex parte fuerit, non dubito quin ceteris etiam omnibus gratum futurum sit, atque iucundum. Deus autem optimus maximus ad Ecclesiæ suæ sanctæ gloriam, & commune bonum Te diutissimè saluum, atque incolumem esse iubeat. Laureti Kalendis Nouembris, Anno Domini M. DCXII.

D· SEBASTIANI FABRINI RECINETENSIS

Monachi Siluestrini, Sac. Theol. Doct. In laudem Auctoris, & operis.

EPIGRAMMA.

MAGNA sub obscuris celans arcana figuris,
Celsaque complectens carmine sensa breui;
Numinis afflatu sanctæ descripserat Vrbis
Fundamenta Dei præscius alta Pater:
Montibus in sanctis quæ iam constructa, videri
Excelso poterant nobiliora Polo.
Nimirum summo multum dilecta Tonanti,
Vatibus ac multum concelebrata pijs.
Milliaque extabant Patrum monumenta priorum,
Quæ sensus poterant explicuisse sacros;
Omnia nam lucem tenebris duxere fugatis,
Et claram dederunt mentibus esse diem.
Sed iam BENZONIO cedant, totumque per orbem
Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

ALIVD EIVSDEM.

DVLCIA Dauidis dum carmina personat ore
BENZONIVS Vatis pectore fusa pio,
Abdita sub breuibus reserans mysteria verbis,
Humanis numquam credita pectoribus:
Et Matrem Domini cœlo, terraque potentem
Nititur innumeris condecorare modis:
Aeternum extremas transmittit nomen in oras,
Ipsius & volitat fama per ora virum,
Et simul æthereos scandens sublimis ad axes
Inter cælicolas, Aligerosque volat.
Illi pro meritis rutilantia serta reponi
Postulat, & summis præmia digna locis.
Virgo hic Pastori tanto sua munera seruans,
Candida molliculis lilia mista rosis:
Sic ait: innumeros postquam traduxerit annos,
Magno BENZONIO pulchra corona detur.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD B. VIRGINEM.

EATISSIMAE, ac gloriosissimæ genitrici Dei Mariæ omnium creaturarum Reginæ, ac Dominæ pensum seruitutis crebriùs ex debito nostri officij Pastoralis in eius alma Lauretana Aede persoluentes, post nostras in Canticum Magnificat lucubrationes in lucem editas, hanc explicationem Psalmi 86. cuius initium est: Fundamenta eius in montibus sanctis, ad eiusdem Virginis gloriam perficere conati sumus, ac perfectam (Deo fauente) typisq; excusam ad publicam Ecclesiæ vtilitatem in præsentia exhibemus. Sanè Fundamentum aliud nemo potest ponere in Ecclesia præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus, 1. ad Cor. 3. Ipse enim est lapis probatus, angularis, preciosus, in fundamento fundatus; hoc est, prima, ac præcipua petra in fundamentis euangelici montis Sion posita, supra cuius stabilitatem, diuinitatem nempè humanitati coniunctam, eiusque merita, sanguinem, & passionem omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & ipsa Deipara, cæterique sancti coædificati sunt in habitaculum Dei in Spiritu sancto. Diuersa tamen ratione; hæc enim à diuina sapientia in propriam domum ædificata, septem columnis, donis scilicet Spiritus sancti, eleganter excisis ornata, primò, ac proximè in eius filij meritis fundata fuit; illi verò per Mariam, eiusque intercessione media sunt habitaculum Spiritus sancti effecti: Hæc ipsum Deum in suo vtero ad carnem induendam suscepit; hi eius dona, atque virtutes: Hæc in Matrem; illi in seruos vocati: Hæc totum Christum, Deum, & hominem corporaliter, & substantialiter in sua virginali aula gestauit; hi stigmata dumtaxat Iesu Christi, Crucisuè mortificationem iugiter in suo corpore portarunt. Quocirca rectè post Christum, non quidem ecclesiastici ordinis, vel Hierarchiæ, quod soli Petro conuenit, sed totius ecclesiastici ędificij fundamentum, basis, ac primus lapis ratione tùm diuinæ maternitatis, tùm insignium virtutum, & prærogatiuarum est appellanda. Si enim filius, etiam vt homo, est fundamentum Ecclesiæ, numquid non & Mater? dicente Salomone, Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quicquàm faceret à principio, Prouer. 8. Quę verba licèt ad literam de sapientia increata, & incarnata intelligenda sint, de eadem tamen sapientia incarnata intelligi non possunt sine Maria Matre, quæ est prima electorũ, & prædestinatorum post Christum, prima sanctificatorum, prima iustificatorum; de qua etiam in eodem sensu allegorico dicitur Eccles. 24. Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam, quoad ordinem scilicet rerum tàm supernaturalium, quàm naturalium creatarum. Verùm si ad virtutes, si ad gratias atq; dona supernaturalia Deiparæ concessa sermonem couertamus, quis negabit, illã fundamentum

tum

tum virtutum, basim omnium gratiarum, originem, atq; fontem omnium bonorum, quæ fidelibus suis largitur Christus, iure opti mo esse? Est fundamentum fidei ratione soliditatis, quæ numquam in ea defecit, alijs ab ea virtute aliquo modo deficiẽtibus. Est radix spei, cùm sit mater pulchræ dilectionis, & sanctæ spei. Est charitatis basis, quę Deum ita fortiter dilexit, vt illum in mundo peregrinantem ad peccatorum salutem, & non habentem locum in diuersorio, in domum suam benignè susceperit. Est insuper quoad scientiam Apostolorum magistra, necnon virtutum cunctarum, & omnium perfectionum, etiam supernaturalium simul collectarum splendidissimum speculum, & exemplar absolutissimum. Numquid intellectus Deiparæ mons non est, cùm ad Dei magnitudinem speculandam semper intentus esset? Numquid voluntas eius, ac cæterę animæ, & corporis facultates ad instar montis eminentissimi non existunt, cùm eius conuersatio nunquam in cęlo non esset? Porrò cogitationes Virginis quid aliud præseferunt, nisi palmæ altitudinem? dicente de ipsa Salomone, Quasi palma exaltata sum in Cades. Perpetua enim Virginis cogitatio in ea eminentissima re versabatur, vt mysterium incarnationis diuini Verbi in se peractum admiraretur: Qua ratione summoperè sponsus eius cęsariem commendabat his verbis, Capilli tui sicut greges caprarum, quę ascenderunt de monte Galaad, Cant. 4. & 6. Erant enim Galaaditicæ capræ ferè aut nigræ, aut subrufæ; qui color potissimum laudari solet in crinibus, estq; ad explicandam capillorum sponsæ virtutem, & elegantiam aptissimus. Quòd verò non quarumlibet caprarum gregibus, sed solùm tonsarum comparantur, id fit, vt crinium æqualitas explicetur; omnes enim Virginis cogitationes, vel minimæ in profundissimo, & occultissimo Sacramento incarnationis intentę erant. Quid? quòd hæc vna sola Virginis cogitatio etiam ante Angeli salutationem adeò nigra, & fortis fuit, (nigredo enim capillorum fortitudinem arguit) vt sponsus, Verbum nempè diuinum, vulneratum se confiteatur vel vno Virginis crine, atque eo quasi fortissimo vinculo ita ligatum, & illaqueatum, vt quasi captiuus in eius vterum descenderit: Vulnerasti, inquit, cor meum, soror mea, sponsa; vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Inter cæteras verò altissimas cogitationes Deiparæ illa præexcellens fuit, qua in suo cubiculo incarnationis mysterium iàm adesse sentiebat, dùm illud Isaiæ reuolueret; Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Quod vbi Gabriel Angelus ei nuntiauit, ac proinde ipsa, Verbum in se carnem suscepisse cognouit; nil aliud concupiuit, nisi vt cubiculum, in quo Verbum caro factum est, è manibus infidelium ereptum, ad has Piceni partes (Deo iubente) per sanctos Angelos fœlicissimè transferretur, vt quæ Romanam Vrbem sua corporali præsentia non cohonestarat, saltem suæ domus aspectu, ac facie erga eam conuersa, atque directa decoraret. Neque enim Virgo literis Romanos, vt Florentinos, & Massilienses est consolata; sed sui cubiculi vicina præsentia. Romanos enim Ci-

ues

ues Christus per fidem apprehendit, qua ducat eos in domum matris suæ, & in cubiculum Genitricis suæ; vt ibi eos doceat apprehendere disciplinam, & osculari filium, ipsi, eiusque Vicario Romano Pontifici obediendo, ne pereant de via iusta, & fides eorum annuntietur in vniuerso mundo. Ad Romanorum enim fidem spectat, loca sancta, in primis verò sacram Aedem Lauretanam inuisere, atque defendere; quòd si hac in re deficerent, magnoperè essent redarguendi, cum eorum negligentia in sacrosancta Domo Lauretana visitanda magnum in spiritualibus damnum cæteris nationibus afferret. Decet enim Romanos potentes esse non solùm viribus, 1. Machab. 8. sed etiam pietate, fide, ac religione; ac proinde in sacrosanctæ huius Aedis veneratione nullis vniuersi orbis nationibus cedere. Eleganter autem caput Virginis Carmelo comparatur, Cant. 7. Caput tuum, vt Carmelus; est enim Carmelus mons in Iudæa altissimus, & pulcherrimus, multisque herbis odoriferis refertus, atque vestitus; sic Deipara, sicut sublimitate, & pulchritudine reliquos omnes sanctos longè superat, ita etiam abundantia omnium florum, odorumque suauitate, hoc est, omnium virtutum, & gratiarum fragrantia. Erat deindè Carmelus mons propter altitudinem, & viriditatem contemplationi aptissimus; quamobrem Helias sæpissimè eo contemplandi gratia se recepit, 3. Reg. 18. At si quis Mariam contempletur, tàm multis Dei donis, & eximijs prærogatiuis refertam, non ne in altissimum contemplationis montem ascendet, in quo in summam diuinæ bonitatis, sapientiæ, potentiæque admirationem rapietur? Hebræi legunt, Caput tuum super te, sicut Carmelus; vt indicetur, caput sponsæ non fuisse super humeros depressum, sed supra humeros eminens: quod licèt multum faciat ad pulchritudinem, ostendit tamen præcipuè Virginis cogitationes, non humeris ipsis cohærentes, idest, operibus legis respondentes, sed semper ad opera prærogationis aspirasse, & eminentissimam, atq; altissimam incarnationis diuinæ operationem recoluisse, iterum atq; iterum dicendo, Fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. Est igitur Deipara altitudinis eminentia, fragrantia, & copia virtutum, Mons Dei, Mons pinguis, Mons coagulatus, Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, Psal. 67. & instar Montis Sion, quem dilexit Dominus, Psalm. 77. Quòd si fundamenta Deiparæ in his eminentissimis montibus collocata fuere, quid de partibus reliquis, eius videlicet structura, & ædificio dicendum erit? Certè illi rectè tribui potest id, quod dicitur Cant. 5. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas, licèt hæc verba de sponso dicantur à sponsa. Melius autem, & ad literam, quod scribitur Eccles. 26. Columnæ aureæ super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris: Fundamenta æterna supra petram solidam, & mandata Dei in corde mulieris sanctæ; hoc est, Deiparæ, quæ conseruabat omnia verba Filij, Angeli, Elisabeth, Zachariæ, Simeonis, Prophetarum, & Patriarcharum, conferens in corde suo. Cum igitur optimo iure omnes Psalmi

mi octogesimi sexti partes Deiparæ conueniant; fundata enim fuit, vt diximus, in montibus sanctis, dilexit eam Deus super omnia tabernacula Iacob; gloriosissima item de ea in Scripturis, Traditionibus, Concilijs, Patribus, Summorumque Pontificum decretis, ac historijs narrata sunt; omnium deinde fidelium, & infidelium, vtpote ad salutem eorum prospiciens, tanquam Sion, mater nuncupatur; omnium denique lætantium, hoc est, Christianorum habitatio, spes, dulcedo, ac vita in ea sita est; meritò eiusdem Psalmi explicationem suscepimus. Te tamen auspice, te duce, ac moderatrice, ò Beata Virgo, quæ aperis os mutorum, & linguas infantium disertas *facis,* in qua est omnis viæ, & veritatis gratia. Qui enim edunt te, *meditando*, & contemplando, adhuc esurient; & qui bibunt te, tuos dulces *fructus* desiderando, adhuc sitient; qui audiunt te instruentem, atque docentem, non confundentur; & qui operantur in te, hoc est, secundùm te, non peccabunt; qui elucidant te, scriptionibus, concionibus, lingua, calamo, animique virtutibus, ac sanctis operationibus, & exemplis te imitando, vitam æternam habebunt. Sed iam prædicti Psalmi explicationem aggrediamur.

INDEX

INDEX CAPITVM, ET QVÆSTIONVM TOTIVS OPERIS.

Expo-

DISPVTATIONES TRES.

De iurisdictione Ecclesiastica, & Temporali.

DISPVTATIO PRIMA.

De origine,ac principio Iurisdictionis Spiritualis, & Temporalis.

DISPVTATIO SECVNDA.

De discrimine Spiritualis, & Temporalis iurisdictionis.

2 DISPV-

DISPVTATIO TERTIA

De vsu iurisdictionis Spiritualis, & Temporalis.

EXPLICATIO SALVTATIONIS ANGELICÆ.

Κεχαριτομένη

FINIS.

INDEX INSIGNIORVM

SACRAE SCRIPTVRAE LOCORVM,

quæ in hoc opere fusiùs explicantur.

perno-

EX PROVERBIIS.

EX CANTICO CANTICORVM.

EX ECCLESIASTICO.

EX PROPHETIS.

cie

EX EVANGELISTIS.

EX EPISTOLA PAVLI AD ROMANOS.



RVTILII BENZONII ROMANI EPISCOPI LAVRETANI, ET RECANATENSIS.

EXPOSITIO PSALMI LXXXVI.

PROOEMIVM.

FVNDAMENTA EIVS IN MONTIBVS SANCTIS.



QVEMADMODVM qui altissimam aliquam ædem, editissimamq; turrim conspiciunt, statim ad profundissima eius fundamenta celebranda animum, linguamq; conuertunt. Sic nos, dum præexcelsæ semper Virginis Mariæ, quæ Dei Domus, & Tabernaculum, diuinaq; Basilica passim à Patribus dicitur, structuram contemplamur; ad eius bases, seu fundamenta, primauè principia cognoscenda animum, sermonemque dirigere operæ precium esse duximus, Dauidem Prophetam imitantes, qui Ecclesiæ, ac ipsius Deiparæ vaticinia proferens, ab ipsis fundamentis sumpsit exordium, dum ait: *Fundamenta eius in Montibus Sanctis.* Habet Deipara in sua spiritali structura, immò etiam corporali, non solum altitudinem, latitudinem, & longitudinem, sed etiam profunditatem, ex quibus quatuor vniuersum eius opificium, & ædificatio in Christo coagmentatur, & crescit. Altitudo quippè eius ex Paradisi eminentia petenda est, iuxtà illud Eccl. 24. *Ego ex ore altissimi prodiui.* Et infra: *Ego quasi fluuius dorix, & sicut aquæductus exiui de Paradiso.* Et alia ibidem, quæ B. Virgini optime applicantur. Latitudo ex brachijs Christi in Cruce patientis, eamq; amplexantis, quòd vniuersam Ecclesiam ei in Ioanne commendauerit. Longitudo verò ex eius amplissima charitate, & perpetua intercessione, qua omnes hominum, etiam Infidelium, status adiuuat ad pœnitentiam, conuersionem,

Deipara est domus, & Basilica Dei.

Eius structura quomodo quatuor dimensiones habeat.

Eccles. 24.

ssionem,& vitæ spiritualis profectum. At profunditas in infima eius humilitate cunctos Ecclesiæ montes, idest Sanctos, superate ponẽda est. In ea virtute suas profundissimas radices Deipara habuit: hæc ex altissimis, ac supernis Cęli mõtibus progrediens, illam gloriosam,& beatissimam reddidit. Nec.n.profunditas fundamentorum Deiparæ ex depressis vallibus, vel ex infimis abyssi cauernis, quæ terrenas cogitationes, carnalesq; affectus gignunt,& euaporant, colligenda est: sed ex mõtibus eleuatis, ac sanctis, nimirum diuinis virtutibus, & præcipuè ex humilitate, quæ tamquã altissimus & eminentissimus mons cæteris præeminet; ita vt hæc humilitatis virtus appositè mons in vertice mõtium appelletur. Est.n.regia virtus, quæ Reges, ac Reginas; immò ipsummet Verbũ incarnatũ decorat, cohonestat, atq; extollit. Rectè igitur Regius Vates exclamat: *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Quid? quòd, cũ oẽs gratiæ, donaq; tàm naturalia, quàm supernaturalia Deiparæ non cõmunibus, ac ordinarijs diuinæ largitatis beneficijs, ac legibus collata sint, sed eximijs,& specialibus diuinę bonitatis priuilegijs, quæ ad instar sublimiũ montiũ, cęteris gratijs, quæ alijs sanctis cõmunicãtur, præcellunt; rectè ac congruè de Virgine pronũciari põt: *Fundamẽta eius in montibus sanctis?* Quid est.n.priuilegium, nisi lex quædã priuata in fauorem singularis personæ concepta, cõmunẽ legem,& vniuersale ius prætergrediẽs, & excedens? Multæ quidẽ gratiæ, ac beneficia cæteris sanctis, et Spiritibus beatis à Deo propter summã eius bonitatẽ, atq; clementiam cõcessa fuere; at vni Deiparę ex titulo diuinæ maternitatis, tamquam ex propria lege, specialiq; priuilegio, excellentiori etiã multo maiora irrogata sunt. Quemadmodum enim priuilegium est quid diuersum,& maius ipsa gratia, seu beneficio; sic quoq; persona priuilegiaria, cui nempè priuilegium conceditur, multò maior, & excellentior cęteris iure optimo cẽsenda est. Nos itaq; hæc verba, *Fundamenta eius in montibus sanctis,* reliquosq; Psalmi 86. versus percurrentes, literalem eorum sensum primo loco exhibebimus, ac deinde ea, quæ cõgruè,& aptè de B. Virgine explicari poterunt, breuiter, atque alacriter Deo duce proponemus.

Priuilegium quid.

CAPVT PRIMVM.

Argumentum, Titulus Psalmi, eiusque partes, & Auctor declarantur.

FILIIS CHORE, PSALMVS CANTICI.

Quomodo differant Psalmus, Canticum, Cãticum Psalmi, & Psal. Cãtici.

EXPOSVIMVS copiosè, quænam sit differentia inter Canticum, Canticum Psalmi, & Psalmum Cantici, in cap. 6. lib. 1. Commentariorum nostrorum super Magnificat. Nunc ad intelligentiam huius tituli breuiter adnotandum est, Canticum apud veteres illud appellatũ fuisse, quod ore tantum sine instrumento musico proferebatur. Ita S. Hier. in Comment. in Psal. 86. Psalmus, inquit, ex Psalterio dicitur, Canticum ex voce profertur, Canticum verò Psalmi nuncupabatur, quod ore simul,& instrumẽto, itaut instrumentum inchoaret, & vox humana sequeretur; & è contra Psalmus Cantici, quãdo vox humana incipiebat, & instrumentum succinebat: lege Diuum Hilarium, & S. Ioannem Chrysostomum in Prologo Psalmorum. Vtrumque igitur, excepto Cantico, ore, & instrumentis coniunctim post inchoationem veteres concinebant. Canticum verò in eo quoq; differt à Psalmo, quòd illud metro magis soluto, communiq; cantu,& quasi plano constaret; iste verò, nempè Psalmus, mo-

S. Hieron.

dos

dos planè musicos haberet, immò etiam numeros, & metrum artificiosius, & magis lyricum, & ad Psalterium, Cytharam, Lyram, aliaque harmonica instrumenta caneretur; Præterea Canticum quandam præseferebat animi interioris alacritatem, atque externam lætitiam, quæ signum gaudij interni erat. Vnde illud Psalm. 27. *Et ex voluntate mea confitebor ei.* Hebraicè legitur. Ex voluntario meo Cantico, hoc est, spontè, & hilariter, veluti canendo Canticum, celebrabo eum. Dei verò laudes, atque victorias, non solum viri, sed etiam mulieres publicè, ac palàm personabant, vt videre est Exod. 15. & Esdræ 1. cap. 2. vbi præter sacros Cantores filios Asaph 128. Ancillę cantatrices ducentę leguntur, licèt mulieres in veteri testamento non Psalmos, sed Cantica, & etiam hymnos composuisse legamus.

Exod. 15. Esdr. 1. c. 2.

VERVM hic Psalmus 86. filijs Chore dirigitur. Erant autem filij Chore illi tres, qui tempore Moysis, vt legitur Exodi 6. pietatis laude floruerunt, non posteri sub Dauide, leuitico musicorum munere fungentes; vt notauit Genebrardus in Psalm. 45. Atque hi filij Chore sub Moyse viuentes quadringentis annis ante Dauidem in deserto vaticinati sunt, vt refert idem Genebrardus in Psalm. 83. Nec nouum est, Psalmos, sicut etiam epistolas, ad mortuos dirigere; sic enim Clemens primus epistolam ad Iacobum Fratrem Domini iam mortuum, iubente Petro, scripsit; cuius rei plures rationes egregiè tradit Franciscus Turrianus lib. 2. pro Epistolis Pontificum cap. 23. Transfiguratio enim, seu repręsentatio, & imitatio personę frequentissime reperitur vsitata in scripturis sanctis, & in magnis, & antiquis auctoribus. Neque enim Epistola illa apocrypha, vel falsa censenda est, cum grauissimi, & antiquissimi Pontifices Romani illius auctoritate, ac testimonio vsi fuerint, vt Anacletus in prima, & tertia sua epistola, Euaristus, Alex. epist. 1. Marcellus epist. 2. Igitur sicut fas est absque vllo vitio in epistolis, quę more Dialogi, seu Dialogicè scribuntur, personam iam defuncti viri alloqui, & cum ea agere, ac si viueret; sic etiam optimo iure Prophetę diuino afflati spiritu, cum personis iam prętcritis, seu vita functis loquuntur transfiguratiuè, ac si in viuis essent: quemadmodùm etiam interdum viuentes se mortuos faciunt, tamquam inter illos, dum viuunt, se constituentes; ita Paulus ad Thessalon. 4. vbi seipsum tunc viuentem, in aduentu Domini ad iudicium cum mortuis annumerat, vt Orig. lib. 5. contra Cellsum, & Magnetes lib. 4. Apologiarum contrà Theosthenem Euangeliorum calumniatorem notarunt. Quapropter optimè Propheta filijs Chore hunc Psalmum dirigit, licèt iam defuncti essent, agens cum illis, tamquam cum Christi imitatoribus, vt Raym. eo in loco obseruauit, vel cum filijs resurrectionis, & redemptis in Caluario monte cum S. Hieron. Chore enim interpretatur Caluariç locus, & semper aliquid lętum in eo Psalmo, cui hęc inscriptio prępomitur, tractari significat, vt scribit idem Hieronymus in Psalm. 84. In Psalterio verò ex Hebręo conuerso legit idem Hier. filiorum Chore, non quòd illi fuerint huius psalmi authores; omnes enim Psalmi à Dauide fuerunt compositi, vt rectè Euthymius in prol. affirmat; sed quòd illis dicatus, & directus fuerit, ad eosq; oculos mentis conuertens, Dauid illum cecinerit; idem enim est filijs Chore, & ad filios Chore.

Filii Chore qui nam, & quo tẽpore fuerint.

Psalmi, & Epistolæ ad mortuos, etiam diriguntur.

Chore quid significet.

AVTHOR vsque ad hæc sæcula dictus Incognitus, nunc autem manifestatus, & appellatus Frater Michael Arguari Ord. Carmelitarum in hunc Psal. eandem Hieronymi sequens expositionem, ait. Appropriatur hic Psalmus filijs Chore, hoc est Christi. Et iterum in expositione Psalmi 83. scribit. Chore enim caluus interpretatur, & significat Christum in loco Caluariæ crucifixum, significatum per Helisæum caluum, à pueris irrisum, dicentibus, calue ascende, ascende calue; quando scilicèt pueri, non quidem ætate, sed sensi-

bus insipientes quidem sacerdotes clamabant dicentes, Crucifige eum, Crucifige eum: sic ille.

HVGO Cardinalis super Psalm. 87. illud vnum morale addit, quòd imitatores Passionis Christi ideo filij Chore appellantur, quòd debeant esse quasi Chorus, per lætam imitationem passionis confirmantes se præceptori Christo, qui primus incepit pati voluntariè, & cum lætitia; hymno enim dicto mox ad passionis certamen descendebat Matthæi 26. Simile quid reperitur apud Salomonem in c. 6. Cantici Canticorum, dum assimilauit Ecclesiam Choris Castrorum, semper enim militando, sicut etiam patiendo pro Christo lætari debent fideles, gaudentes pro nomine Iesu contumelias pati. Nec leui obseruatione illud dignum est, quod scripsit B. Hieronym. in suis Comment. Psalmos nempè, quorum titulus est, Filijs Chore; esse profundioris intelligentiæ, ac altioris sensus, & sublimiora mysteria comprehendere, quam cæteros, quoniam ij singuli loquuntur, vel de Christi passione, vel de dignitate, & fęlicitate Ecclesiæ per Christi passionem acquisita. Est autem Titulus clauis psalmi, vt loquitur S. Hieron. in proœmio Psalm. aperiens, atque significans sensum, & intellectum Psalmi, & præsertim indicans personas, de quibus fit in eo sermo.

B. Hieron.

Quid Titulus Psalmi.

ABSQVE dubio autem author huius Psalmi fuit Dauid, vt apertè testatur S. Hier. in epist. ad Dardanum, & antiquus Author quicunque ille fuerit in serm. de assumpt. qui habetur in 9. tom. operum eiusdem Hieronymi.

SVMMA autem, seu argumentum, & scopus Psalmi est, originem, dignitatem, & fœlicitatem Ecclesiæ Christi supra synagogam vaticinando enarrare. Et licèt Psalmus breuis sit, mysteriorum tamen fœcunditate, & sententiarum grauitate ferè cunctos Psalmos, vt Hier. affirmat, antecedit; est enim psalmus iste, vt inquit Glosa, breuis in verbis, sed magnus pondere sententiarum, cum compendiosis verbis agat de fundamentis Ecclesiæ, de eius institutore, progressu, amplitudine, & fine. Cecinit autem, atque composuit hunc psalmum Dauid eodem in loco, in quo ei Deus mysteria Ecclesiæ summa charitate reuelauit, nempè in monte Sion, in quo Christus vltimam cœnam celebrauit, & Eucharistiæ sacramentum instituit, ac finem legi veteri imposuit, & vbi prima fidelium Congregatio duodecim Apostolorum, cæterorumque discipulorum vna cum Maria matre Iesu immediatè post Christi Ascensionem, ad recipiẽdum Spiritum sanctum die Pentecostes super illos descendentem, Christo iubente, coacta est. Hæc enim omnia mysteria Dauid in contemplatione, ad quam à Deo in domo sua in monte sancto Sion eleuatus fuit, cognouit, atq; in hoc psalmo prophetauit.

Vbi Psalmum hũc Dauid cecinerit.

DIVIDITVR autem hic Psalmus in septem partes, iuxta septem reuelationes, quas Dauid de gloriosa Ciuitate Dei, hoc est, sanctissima Christi Ecclesia accepit; singuli enim versus distinctas continent reuelationes. In primo namque continetur reuelatio earum rerum, in quibus fundata est Ecclesia Christi, nempè in montibus sanctis. In secundo Dauid agens de desponsatione Ecclesiæ, qua sibi eam Deus per coniunctionem humanæ naturæ in filij supposito copulare decreuerat, declarat quantopere eam Deus super Synagogã dilexerit. In tertio amplitudinem eiusdem Ecclesiæ canit, pronuntians illam ex plenitudine Gentilis Populi amplissimam fore. In quarto admirabile mysterium diuinæ incarnationis in ea implendũ esse. In quinto prædicat, hanc Ecclesiam debere esse Matrem Dei, non solũ spiritualiter, sed etiã corporaliter, cũ in ea, & ex ea Verbum carnem assumpserit, de Maria temporaliter nascens; & ab eodem Deo fundandam, qui est author sacramentorum gratiæ, & gloriæ. In sexto, quòd veritas Euangelica, & lex noua Christi in eo promulganda, & manifestanda erat.

Diuisio huius Psalmi.

erat. In septimo; & vltimo, quòd huius Ciuitatis finis proximus, & immediatus est summa, & æterna fœlicitas, & perfecta beatitudo, quam Synagoga, (hoc est Patres veteris testamenti) proximè, & immediatè non attigit, nec consequuta est, nisi post Christum.

CERTANT interpretes, an hic Psalmus solum de Ecclesia militante, an etiam de triumphante intelligendus sit. Raynerius, & Titelmannus existimant, de vtraque congruè intelligi posse. Augustinus de triumphante præcipuè exponit. Verùm cum Euthymio, Bonauentura, & alijs dicimus, Dauid directè, ac præcipuè de gratia, & fauoribus cœlestibus nouæ Hierusalem, & præcipuè militantis, quæ non solum iam Iudæorum, sed & gentium mater est, agere, vt ex contextu clarè colligitur; narrantur enim in eo initia, progressus, & finis nouæ ciuitatis à Christo in primo suo aduentu in mundo ædificatæ, hoc est, Ecclesiæ Christianę, & Euangelicę; & hic est verus, & germanus sensus literalis huius Psalmi. Quamuis enim terrenę ciuitati Hierusalem conueniat initium Psalmi, *Fundamenta, &c.* reliqua tamen, quę in eo ponũtur, soli Ecclesię Christi competunt. Quę autem laudes de Ecclesia dicuntur, primo loco, ac eminentiori modo Deiparę conuenire, & accommodari debere nemo negabit. Sic etiam, quæ in Canticis Canticorum habentur, ad literam de Ecclesia, & à fortiori de Maria matre Dei, quę est nobilissimum, ac pręcipuum Ecclesię membrum, intelligenda, & exponenda sunt.

An hic Psalmus solũ de Ecclesia Christi militante intelligatur.

CAPVT SECVNDVM.

Expositio literalis primi versus: Fundamenta, &c.



NONNVLLI hebraizantium perpetuis tenebris offusi, & numquam lumen veritatis recipientes, existimarunt, Dauidem in hoc Psalmo agere, ac loqui de Ciuitate Hierusalem, & eius templo reędificandis per Regem Messiam, quem adhuc venturum sperant; atque hęc fore gloriosiora, absq; vlla comparatione, quàm fuerint tempore Salomonis; adduntq; eo tempore, quo Messias adueniet, montem Sion in altum supra tres alios montes esse eleuandum; fingunt enim, Deum tunc temporis tres montes altos, ac magnos translaturum ad montem Sion, nempè montem Sinai, montem Thabor, & montem Carmeli, & quòd super istos mons Sion eleuabitur, iuxta illud Is. 2. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montiũ, & eleuabitur super omnes colles.* Etenim huiusmodi tres montes sancti dicuntur: mons quidem Sinai, quoniam ibi Deus legem dedit, & promulgauit, mons verò Thabor, quoniam ibi ostensa est victoria ipsi Barach aduersus Populi Dei hostes; mons quoque Carmeli sanctus meritò appellatur, quoniam in ipso ignis descendit de Cœlo, & holocaustum Elię deuorauit. Ciuitas igitur Hierusalem tempore Messię in istis sanctis montibus simul congregatis denuò ędificabitur, quod Dauidem indicasse affirmant, dum ait: *Fundamenta eius in montibus sanctis.*

Sõnia Hebræorum de templo & Ciuitate Hierusalé à Messia reædificanda.

VERVM hęc vanissima sunt Hebręorum somnia, nec Dauidem, nec Isaiam intelligentium; non enim agit Isaias de eleuatione montis in vertice montium secundùm situm, & terrenam positionem, sed secundum dignitatem, & gloriam; multò enim gloriosiora fecit Christus in monte Sion, quàm alibi; ibi enim Eucharistię Sacramentum instituit, & consecrauit, ibi Spiritum San-

Insignia quędã à Christo facta in Monte Sion.

Sanctum Apostolis misit; in templo ibidem exædificato personaliter fuit præsentatus; pluries ibidem ore proprio prædicauit, eximiaque ibi miracula fecit.

RABBINI arbitrantur, hæc verba: *Fundamenta, &c.* esse argumentum eius Psalmi, itaut scopum, & institutum suum Dauid explanauerit, esse de Sion, & Moria montibus Domino consecratis cantare: atque illud, *eius*, ad ipsum Psalmum, de cuius inscriptione facta est mentio, referunt. Verùm ex his, quæ subdit Propheta, clarè colligitur, illud, *eius*, non ad inscriptionem præcedentem, quod nunquam Dauid facere consueuit, sed ad ea, quæ sequuntur, dirigi. Est enim illud, *eius*, relatiuum sine antecedente, vel relatiuum præpositum antecedenti, quod est linguæ Hebraicæ frequens, vt ex Kimki refert Genebrardus. Est autem apud Patres triplex horum verborum interpretatio: Nonnulli de Deo, alij de Christo, alij verò de Ecclesia huiusmodi fundamenta interpretantur. Diuus enim Hieronymus in suis Comment. Fundamenta, siue Dei, siue certè Ecclesiæ exponit. Euthymius verò Christi fundamenta intelligit, hoc est, principia fidei ab eo tradita. Arbitratur præterea Hieronymus, fidem Sanctissimæ Trinitatis, immò ipsum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse fundamenta Ciuitatis Dei. Quæ, inquit, sunt fundamenta, nisi Pater, & Filius, & Spiritus sanctus? Hæc ergo fundamenta non sunt in vallibus, sed sunt in montibus, & non in montibus quibuscumque, sed in montibus sanctis sicut loquitur Paulus: *Quasi sapiens Architectus fundamentum posui*, hoc est, Fidem Trinitatis. Denique dicit in alio loco: *Expectabant enim Ciuitatem habentem fundamenta, cuius artifex, & conditor Deus*, ad Hebr. 1. Et hac ratione optimè Iansenius exposuit, fundamenta eius Ciuitatis esse in montibus sanctis, hoc est, in Cœlis. Fundamenta Christi triplicia esse Euthymius tradit. Primo dogmata illa, quæ de Christo traduntur, hæc etenim dogmata bases quædam sunt, seu radices fidei Christianæ. Hæc igitur Christianæ fidei fundamenta facta sunt in Apostolis, quos Propheta hoc loco sanctos montes appellat. Præterea per Christi fundamenta Apostolos intelligit, qui fuerunt in montibus sanctis, hoc est, cum Christo versati in sanctis montibus Sion, Thabor, Olueti, & alijs; qui præ cæteris sacratiores, sanctioresuè Christi conuersatione effecti esse videntur. Hanc expositionem sequitur Nicolaus Tertius, vt habetur in 6. de elect. & elect. potest. cap. Fundamenta. Postremò aliqui, inquit ille, per fundamenta Christi prophetias de Christo intelligunt, tamquam Christianæ fidei principia; montes enim sancti non immeritò Prophetæ dici possunt propter Prophetiæ sublimitatem, & propter sanctificationem Sancti spiritus; itaut sensus sit, quòd principia fidei Christianæ sint in Prophetis. hæc ex Euthymio. Et hanc expositionem sequitur Titelmannus, & auctor ille dictus Incognitus, immò etiam Diuus Gregorius lib. 28. Moral. c. 9. exponens illa verba Iob cap. 38. *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ.* Vbi sic scribit. In Scriptura sacra quid aliud fundaméta, quã Prędicatores accipimus? Quos dum primos Dominus in sancta Ecclesia posuit, tota in eis sequentis fabricæ structura surrexit; vnde & Sacerdos legalis cum tabernaculum ingreditur, duodecim lapides in pectore portare iubetur, quia videlicèt semetipsum pro nobis offerens Pontifex noster Iesus, fortes in ipso Prædicatores exhibuit, duodecim lapides sub capite in prima sui corporis parte portauit. Sancti itaque Apostoli, & pro prima ostensione ornamenti lapides sunt in pectore, & pro prima soliditate ædificij in solo fundamenta. Vnde cum Psalmista sanctam Ecclesiam in sublimibus Apostolorum montibus fundari conspiceret, dixit; *Fundamenta eius in montibus Sanctis*. Hęc ille. Congrua verò ratione non solum Apostoli, verum etiam Prophetæ, & Patriarchę dicuntur Ecclesię fun-

Ad Hebr. 1.

Nic. Papa Tertius.

D. Gregor.

fundamenta; quandoquidem eadem est fides Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum: atque huic expositioni fauet Chaldaica Paraphrasis, quæ sic habet; fundamentum eius super ore Patrum, qui fuerunt a principio. Hinc illud ortum est, vt rectè Genebrardus notauit, vt proinde Hierusalem appelletur Matrix Ecclesiarum τῶν ἐκκλησιῶν ἡ μητρόπολις, vt habet Damascenus lib. 4. cap. 13. & S. Iacobus in lyturgia. Quocirca apud Paulum ad Roman. 11. & 16. Patriarchæ atq; etiam Iudæi dicuntur radix Ecclesiæ gentium, & radix portans fideles è gentibus. Vnde idem Paulus ad Ephes. 2. id palam explicans ait: *Superædificati supra Fundamenta Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.*

Apostolorũ, & Prophetarũ eadem est fides.

Damasc. S. Iacobus.

Ephes. 2.

SVNT autem Ecclesiæ fundamenta duplicia, spiritalia, & materialia; illa sunt articuli fidei, & ecclesiastica sacramenta a Christo instituta, & ab Apostolis prædicata, & a Prophetis prædicta; hæc verò sunt ipsa loca sancta, in quibus huiusmodi ecclesiastica mysteria a Christo inchoata, & exhibita fuere.

Quæ sint spiritualia, & materialia Ecclesiæ fundamenta.

IN Monte enim Caluariæ, vbi Abraham vice Isaac arietem immolauit, & vbi de Christo repromissionem accepit, fuit Christus crucifixus, ex cuius latere orta est Ecclesia, & omnia Sacramenta. Item in monte Sion Christus Sacramentum Eucharistiæ instituit, quo etiam in loco Melchisedech panem, & vinum obtulit; & Apostoli spiritum Euangelicum receperunt; & Dauid spiritum propheticum acceperat, & hunc Psalmũ condiderat. Adde, quòd Christus in monte Moria prædicauit, in quo erat templum. Initia igitur, & primordia Ecclesiæ non solum sunt in montibus sanctis, sed etiam ex montibus sanctis, iuxta illud Isa. 2. *Ex Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Et Psal. 109. *Virgam virtutis tuæ* (nempè Christi) *emittet Dominus ex Sion.*

Isai. 2. Psal. 109.

EST autem certamen inter interpretes, ad quidnam illud, *eius*, referatur. Iansenius hoc relatiuum, *eius*, affirmat apud Hebræos, & Græcos esse masculini generis; vnde infert, non posse referri ad ipsam Ciuitatem Sion, cum in omni lingua nomen Sion sit fœminini generis; putat autem referri ad Dei Populum, qui in Ciuitate moratur, & continetur, itaut sit relatio ad rem per vocem expressam significatam, quod etiam sæpè fit in scripturis, cum de Hierusalem, & Israele sermo habetur; subijciuntur enim illis relatiua masculina, quæ non tàm respondent nomini Hierusalem, quàm nomini, quo Hebræi populum significant, nempè nomini *Am*. Verum admittimus cum Genebrardo non solum in Hebræo, sed etiam Græcè illud, *eius*, masculinè enunciari; legitur enim αὐτῆς non αὐτῆς immò Ciuitatum nomina in Hebræa lingua esse masculini generis cũ eodem affirmamus; vel saltem, etiam si sint regulariter fœminini generis, vt aliqui opinantur, habere tamen terminationem ad modum masculinorum, vt Cardinalis Bellarminus adnotauit. Quocirca rectè ad ipsam vrbem referri posse asserimus. Quæ omnia clariora fiunt ex Psal. 47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in Ciuitate Dei nostri in monte sancto eius:* fundatur supra hoc Dei Ciuitas cum exultatione, & gaudio vniuersæ terræ; sæpè enim appellatione montis Sion ipsa Hierusalem intelligitur, vt notauit Euthymius in eundem Psalmum.

Pronomẽ, eius, ad quid referatur.

Psal. 47.

SEQVITVR, *in Montibus Sanctis.* Benè notauit S. Hier. in scripturis esse nonnullos montes non sanctos, sed tenebrosos, atque corruptos. Sic Isa. 13. dicitur. *Super montem tenebrosum leuate signum*; Et Ierem. 13. *Date Domino Deo vestro gloriã, antequã offendant pedes vestri ad montes tenebrosos* Zach. 4. *Quis es tu mons corrupte?* Vtiq; Hebræorũ lex, atq; doctrina, in monte quidẽ, sed tenebroso, atq; obscuro fundata erat. At lex Euangelica, & gratiæ doctrina in prælucenti, ac fulgentissimo fidei, diuinæq; reuelationis monte fundata est. Quemadmodum

Montes alij sancti, alij tenebrosi ex S. Hieron. Isai. 13. Ierem. 13. Zach. 4.

enim

enim montes prius, quàm valles radios solis recipiunt; sic Prophetæ, & Apostoli ante alios illustrationes fidei receperunt. Quare optimè de illis dicitur. *Vos estis lux mundi.*

Fundamẽta Spiritualis fabricæ in summo loco ponuntur. S. August.

QVOD si obijcias, fundamenta in imo poni; qua igitur ratione in montibus esse dicuntur? Respondet S. Augustinus fundamentum quidem corporeæ fabricæ in imo poni; at fundamentum spiritalis fabricæ in summo collocari. Origo, inquit, fundamenti huius summitatem tenet; & quemadmodum fundamentum corporeæ fabricæ in imo est, sic fundamentum spiritualis fabricæ in summo est. Si ad terram ædificaremur, in imo nobis ponendum erat fundamentum; quia cœlestis fabrica est, ad cœlos præcessit fundamentum nostrum.

Ecclesiæ fundamẽta quadrata. S. August.

AT si petas, in qua forma fundamenta Ecclesiæ constructa fuerint: respondendum est, cum eodem S. Augustino, horum fundamentorum fabricam, seu figuram esse quadratam ad instar Arcæ Noë. Audi illum. Ipse ergo angularis lapis, montesq; Apostoli, Prophetæ magni portantes fabricam Ciuitatis, faciunt viuum quoddam ædificium. Hoc ædificium modo clamat de cordibus vestris, hoc agit artificiosa manus Dei, etiam per linguam nostram, vt ad illius ædificij fabricam conquadremini; non enim frustra, etiam de lignis quadratis ædificata est Arca Noe, quæ nihilominus figuram gestabat Ecclesiæ. Quid est enim quadrari? Attendite similitudinem. Quadrati lapidis similis debet esse Christianus in omni tentatione sua. Christianus non cadit, & si impellitur; & si qua vertitur non cadit; nam quadratum lapidem quacumq; verteris, stat. Cadere visi sunt Martyres, cum percuterentur; sed quid dixit quædam vox Cantici? Cum ceciderit iustus, non conturbabitur, quoniam Dominus confirmat manus eius: sic ergo conquadramini ad omnes tentationes parati, quicquid impulerit, non vos euertat, stantem te inueniat omnis casus. Hæc ille. Quadratum verò Ecclesiæ in doctrina quatuor Euangelistarum consistere, omnis scriptura clamat.

Christus caput simul, & fundamentum Ecclesiæ.

VERVM iterum rogabis, quomodo Christus dicatur fundamentum Ecclesiæ, cum sit eius caput? Rectè quidem; cum enim fundamentum Ecclesiæ in summo sit, optima ratione, qui eius caput existit, appellari quoq; potest fundamentum, vtrumq; enim in summo, & in sublimi existit, & situatur. Sic etiam Petrus, Petra fundamentalis, & Cephas dicitur à Christo Matth. 16. cum sit quoq; Ecclesiæ caput; Cephas enim syriacum nomen est, non qualemcumq; lapidem significans, sed magnum, & prægandem lapidem, qualis in fundamento ponitur. Et licèt syriacè significet rupem, seu saxum, vt docet S.Hier. in cap. 2. epist. ad Gal. Græcè tamen Cephas significat caput, vt notauit Optatus lib. 2. contra Parmenianum, quod luculenter mysterium huiusmodi declarat.

S. Gieron.

Quòd enim in domo est fundamentum, in corpore est caput; & quemadmodum fundamentum non dependet à domo, sed contra domus à fundamento: atque etiam caput non dependet à corpore, sed à capite corpus; ita Petri authoritas non ab Ecclesia, sed hæc ab illo pendet, sicut etiam à Christo, qui est summus, & primarius lapis, fundamentum, & caput totius Christianæ Reip. ad Eph. 2. & Zachariæ 4.

Petri auctoritas nō ab Ecclesia, sed hæc ab illo dependet.

CA-

CAPVT TERTIVM.

In quo conueniant, & discrepent Fundamenta Terræ, & Ecclesiæ.

QVÆRET aliquis rursus, in quo nam conueniant, vel discrepent fundamenta terræ, & fundamenta Ecclesiæ, & quæ proportio, & analogia sit inter illa; habet enim, & terra sua fundamenta, dicente Salomone Prouerb. 8. *Aderam, quando appendebat fundamenta terræ:* Porrò inter Ecclesiæ, & terræ fundaměta illud primò est commune, quòd vtraq; in principio, hoc est in Verbo, & filio Dei, firmata, & constituta sunt. Sic Gen. 1. dicitur. *In principio*, hoc est, in filio, *creauit Deus Cœlum, & terram:* ita Aug. lib. de Gen. ad literam imperfecto, & de Ciuit. Dei lib. 11. cap. 32. Beda Comment. in Genes. Rupertus in Genes. lib. 1. cap. 3. Origenes super Genes. homil. 1. Tertull. lib. aduersus Hermogenem, Hieron. lib. quæst. Hebraic. in Genes. Ambros. lib. 1. Hexameron cap. 4. Iunilius pariter in Hexameron, Cyrillus lib. 1. in Genes. Odo Cameracensis in exposit. sacri Canonis, Anast. Synaita Hexameron lib. 1.

Prouerb. 8. Fundamenta terræ & Ecclesiæ in Verbo. Gen. 1. S. August. Beda. Ruper. Orig. Tertull. Hieron. Ambros. Iunil. Cyrill. Odo Cam. Anast.

HAC ratione Paulus ad Rom. 11. dicit. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*; quæ verba intelligunt de ipso solo filio, Basilius lib. de Spiritu Sancto, & Ambros. lib. 4. de fid. cap. 6. & lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 10. Licèt idem Basilius, sicut etiam Theodoretus, illud, *in ipso*, legant, *in ipsum*; quæ lectio non est amplectenda, cum versio communis habeat, *in ipso*, & ita inter Græcos Origenes, & inter Latinos quamplurimi Patres legunt, Ambros. lib. 4. de Fide cap. 6. lib. 2. Spiritu Sancto cap. 10. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum num. 53. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 6. & Gregorius lib. 26. Moral. cap. 16. & Homil. 16. in Ezechiel. Et hæc lectio, *in ipso*, egregiè exprimit proprietates Filij, cuius est non solū esse principium omniū rerū, iuxta illud Ioan. 8. *Principium, qui & loquor vobis*; nec solum esse artem, ac sapientiam Patris, per quam facta sunt omnia, Ioan. 1. & prima Corinth. 8. sed etiam quòd in ipso tanquam in stabili fundamento, omnia fixa permaneant, eiusque virtute creaturæ cunctæ conseruentur, durent, & operentur: Quòd egregiè Paulus ad Hebr. 1. expressit, dicens, *Portansq; omnia verbo virtutis suæ*. Arriani verba Pauli de Patre intelligebant, vt excluderent filium, quem creaturam esse affirmabant; at certè, vt diximus, vel de filio intelligenda sunt, vel de tota Trinitate, cum Athanasio lib. 4. de diuinit. Origene, Hilario, & Gregorio locis iam citatis. Omnium verò creaturarum primum fundamentum est esse, quod à solo Deo emanat; est enim esse, cum sit actus vniuersalissimus, & perfectissimus, proprius effectus solius Dei, vt docet S. Thomas lib. 3. contra gent. cap. 66. Vnde rectè Dauid. Psal. 101. cecinit: *Initio tu Domine terram fundasti*, hoc est, vt Euthymius exponit, stabilisti, fecisti. Sicut autem pulchritudo, distinctio, & ornatus cœli, & terræ à diuina mente, ac sapientia profecta est; sic etiam eorum fundatio, atque creatio, vt dixit Dauid Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*; seu, vt legit Euthymius, firmamentum, & potentia eorum; quod de omni re creata intelligendum est; cum de vnaquaque re dixerit Deus, *fiat, & factum est.* Quocirca Prouerb. 3. opportunè dixit Salomon: *Dominus Sapientia fundauit terram, stabiliuit*

Ad Rom. 11. Ioan. 8. Hebr. 1. Athan. Esse, primum est omniū creaturarum fundamentum. S. Tho. Psal. 32. Prouerb. 3.

cœlos prudentia. Vbi ex Ianſenio notandum eſt, fundationem terræ, eius immobilitatem, & firmitatem perpetuam ſignificare; itaut in ea immobili, & inconcuſſa, tamquam in fundamento totius inferioris opificij, omnia animalia viuerent, cunctaque elementa circa eam, tamquam circa centrum, voluerentur. Quod profectò mirabile eſt, & ſummæ ſapientiæ opus eoque maius, quòd fundamentum hoc nullo nitatur ſuſtentaculo, ſola Dei manu ipſum ſuſtinente, & firmante. At verò Deus miro ordine cœlos ſtabiliuit; non quidem ſic, vt inſtar terræ immobiliter perſiſterent; ſed contra, vt in continuo motu perenni quadam virtute ſemper conſiſterent, & perſeuerarent, nullam loci, vel alterationis mutationem patientes. Hoc diuinum mundanæ machinæ fulcimentum indicauit Moyſes illis verbis: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Spiritus, inquam, non quidem ventus, qui nec in exordio mundi erat opportunus, vel neceſſarius, cum in rerum creatione nihil acturus eſſet; ſed ſpiritus intelligibilis, & ſanctus, hoc eſt, diuina mēs, vel Deus ipſe, vt omnis Theologorum ſchola interpretatur, quod etiam Poeta cecinit Aeneid. 6.

Fundamentum terrę quodnam ſit.

Quiſnam fuerit ſpiritus Domini ſuper aquas.

Spiritus intus alit; totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Virgil.

Et iterum clariùs in 4. Georg.

Deum namque ire per omnes
Terraſque tractuſque maris, cœlumque profundum.

HIC inquam ſpiritus, qui à non nullis, Platonicis nempè, anima mundi appellatur, omnia creata viuificat, fouet, alit, atque ſuſtentat. Ipſe eſt rerum creatarum verus ſator, omniumque animator, & altor; omnium formarum repertor, & conſeruator, itaut verè rerum principia tria à Moyſe enumerata ſint in primo cap. Geneſ. duo viſibilia, nempè cœlum, & terra; tertium verò inuiſibile, ſpiritus ſcilicet diuinus, ſeu æterna Dei ſapientia, vt Eugubinus notauit in eundem locum Geneſ.

HIC ſpiritus apud Anaxagoram νοῦς ſeu mens, ſeu intellectus appellatur. De hac ſapientia creante, cōſeruante, ſic Salomon ſcripſit cap. 7. Sapient. *Sapientia eſt ſpiritus intelligens, ſanctus, vnigenitus, multiplex, ſine mole mobilis, penetrabilis, inſici non potens, clarus, innocuus, bonarū rerū amator, acutus, ſolutus, beneficus, humanus, ſtabilis, tutus, ſecurus, omnipotens, omnibus proſpiciens, per omnes ſpiritus intelligibiles, puros, tenuiſſimoſq; penetrans; omnienim motu velocior eſt ſapientia;* in Biblia Vaticana Sixti Quinti ſic habetur; Omnium enim artifex docuit me ſapientia; eſt enim in illa ſpiritus intelligentiæ, ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuauis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus, intelligibilis, mundus, ſubtilis, omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia; attingit autem vbiq; propter ſuam munditiam.

Sap. 7.

IN Diuino quoque Verbo Eccleſia fundata, & ſtabilita eſt, ſed incarnato, & homine per vnionem hypoſtaticam facto, ad Epheſ. 2. *Superædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templū ſanctum in Domino, in quo, & vos coædificamini in habitaculū Dei in Spiritu Sancto;* & 1. ad Corinth. 3. *Fundamentū aliud nemo pōt ponere præter id, quod poſitū eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus;* & ibidē: *Vt ſapiens Architectus fundamentū poſui*, hoc eſt Chriſti confeſſionem, & doctrinam: ita ſcribit Eucherius Commentar. in Geneſ. libro primo. Creatura cœli, & terræ, quomodo hiſtorialiter ab exordio principij condita ſit, legimus.

Fundamentum Eccleſiæ Verbū incarnatum. Ad Epheſ.

1. Cor. 3.

sed qualiter in Ecclesia spiritualiter à Doctoribus accipiatur, intelligamus. In principio Deus fecit cœlum, & terram. Principium Christus est, sicut ipse ait in Euangelio. Ego Principium, qui & loquor vobis. In hoc igitur principio fecit Deus Cęlum, & terrã. Quæ verba repetuntur à Beda lib. de sex dierũ creatione in recapitulatione, & ab Hugone Carensi in postillis. Adde, in celi, & terræ creatione diuinitatem, & humanitatem in Christo indicatam, & adumbratã fuisse, vt docet Anast. Synaita, in Cõment. Hexameron lib. 1. his verbis. Vt aũt tibi ostenderet magis, quam omnia esse necessariam Verbi incarnationẽ, & propter eam facta esse omnia, sine qua vana sunt, & inania, peccato effecta inutilia, & ad nihilum redeuntia; statim ab initio scripturæ, & ab ipsis procemijs illã tibi tradidit dicens. In principio fecit Deus cęlum, & terrã, seu fecit in principio temporali, seu ei placuit, vt fieret cœlum, tamquam Deus, & terra propter Iesum hominem. Quando aũt ei placuit hæc creatio? quando cœpit producere sensilia, non aũt ea, quæ cadunt sub intelligentia; sciebat. n. fore, vt hæc illa paterentur, & malè afficerentur, & corrumperentur à peccato Adæ, & sua benignitate, & clementia præuenit mali, quod erat passurus, incursionẽ, ante affectionẽ, & vitium parans remedium. Propterea ẽt dicitur vitulus saginatus apud S. Lucam: vitulus tamquam caro, velut qui Crucis iugum erat tracturus; saginatus autem, vt qui iam olim, & ab ipso initio esset definitus, & prædestinatus, vt nostrã subiret naturam. Quando ergo cœlum constituit, & terram, & quæ sunt cum eis, tunc ẽt contexuit mysterium Incarnationis. Hæc ille. In Christo igitur coniunxit Deus diuinitatem, & humanitatem, vt illum cõstitueret ratione vtriusq; naturæ in Verbo vnitæ fundamentum, & caput totius Ecclesiæ, vt docet S. Paulus ad Colos. 1. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est Principium, &c.* Qua etiam ratione ibidem dicitur, *Primogenitus omnis creaturæ*, non quòd illas socias, vel sorores habeat, sed quòd omnis creaturæ sit principium, & fundamentũ. Vnde subdit Paulus: *Quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Atq; hæc de prima proprietate, in qua hæc duo fundamenta conueniunt.

Anast. Sinaita.

Ad Colos. 1. Christus quomodo primogenitus oĩs creaturæ.

SECVNDA proprietas terræ est, quòd sit fundata super stabilitatem suam Psal. 103. *Qui firmauit terram super stabilitatẽ suam, non inclinabitur in sæculũ sæculi.* Vt. n. aiunt multi Philosophi, huiusmodi stabilitas in eo sita est, quòd terra ratione suæ grauitatis librata in centro consistit. Vnde Euthymius in citati psalmi locum dicit. Sed quamnam intelligit terræ stabilitatem? Dic, quòd diuina dispositio pro stabilitate ei effecta est; super se ipsam. n. eam stabiliuit Deus. Sic ille. Ecclesia verò in centro, hoc est in Christo, tamquam in firmissima petra fundata ab eo immobilitatem, stabilitatemq; sortitur; quare non mouebitur in sæculum sæculi, nec portæ inferi præualebunt aduersus eam.

Psal. 103. In quo sita sit terræ stabilitas.

Ecclesiæ stabilitas in Christo.

TERRÆ quoq; aliud fundamentũ adscribit Psal. 23. ibi *Quia ipse super maria fundauit eã, & super flumina præparauit eam*, & Psal. 135. dicitur; *Qui firmauit terrã super aquas*; super quæ loca lege Basilium, & Euthymiũ, atq; ẽt Chrysostomum, qui scribit, super aquas firmatam terram perhiberi, quia ex aquis educta, illis censetur insidere; sed cum ab eis irrigatur, florescit, virescit, fructusq; reddit, ac profert suauissimos. Super aquas pariter fundatam, firmatamq; Ecclesiam affirmare possumus, nimirum, super Spiritus Sancti gratiam, de qua Propheta Ezech. 32. ait; *Effundam super vos aquam mundam*.

Quomodo terra dicatur fundata sup aquas & etiã Ecclesia. Psal. 23. & 135.

Ezech. 32.

ADDE, quod nõ solum cœlum suas dicitur habere columnas Iob 26. hoc est, suam firmitatem, robur, & stabilitatem, id enim nomine columnæ cum Philippo, & Niceta in suis Paraphrasibus, super Iob intelligendum est; sed etiam terra suas habet columnas Iob 9. *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concu-*

Columnę terræ & Ecclesiæ. Iob 9.

concutiuntur, nimirum, suam stabilitatem, & consistentiam, vt doctè idem Hieronymus, & Philippus interpretantur. Quare S. Hier. egregiè dixit, columnas hoc loco pro stabilitate terræ intelligimus, quã Deus super semetipsam immobilissima mole fundauit. Vnde Symmachus locum illũ Psal. 103. *Qui fundasti terram super stabilitatẽ suam*; legit, super sedẽ eius. Et S. Hier. in Psalt. ex Hebræo, super basem suã; & Theodoretus explicat; hoc nihil aliud esse, quam permanentiam quandam terræ, vt non moueatur; habet. n. terra ex Basilij Hexameron, pro fundamento voluntatẽ, & imperium Dei, quod vno verbo Hierem. c. 51. dixit, *Qui fecit terram in fortitudine sua*. At verò neq; id deest Christi Ecclesiæ, quæ columnas suas, & bases habere dicitur, hoc est, permanentẽ stabilitatem in Christo; imò ipsa Ecclesia ob cœlestẽ in Deo firmam stabilitatẽ, columna, & firmamẽtum veritatis dicitur à Paulo 1. Timoth. 3. Ita quoq; Angeli ob permanẽtem in natura Angelica stabilitatem, nomine columnarum in scripturis appellantur: imò de futura immobilitate hominũ loquens filius Dei Apoc. 3. ait. *Qui vicerit, faciam illũ columnam in tẽplo Dei mei*. At verò quemadmodum Isaiæ 40. dicitur, Deum sedere super gyrum terræ, non solum ea ratione, quòd terræ, & terrigenis præsideat; sed quòd efficiat, vt ipsa terra sedeat, idest, vt permaneat immota, & firmissima subsideat; ita quoq; super gyrum, seu circuitum Ecclesiæ Deus sedet, non solum illam protegendo, ac regendo, sed efficiendo, vt fideles sedeant in regno suo; Ecclesia, inquam militante, ac ẽt triumphante, vt Dominus ipse sit Deus in Cœlo sursum, & in terra deorsum.

S. Hieron.

Ierem. 51.

Angeli dicuntur columnæ.

Deus quomodo super terram & Ecclesiam sedere dicatur.

DVBIVM autem illud in hoc capite excitandum est: An Christus, qui est caput, & fundamentum Ecclesiæ, vt dictum est, pars mundi dici possit. Caietanus vltrò id concedit: nobis verò cum distinctione in hac re, si cautè loquendum sit, procedendum esse videtur. Humanitas enim, seu anima, & caro Christi præcisè, vt entia, sunt quid creatum, & consequenter pars vniuersi, materialiter loquendo; Christus tamen, etiam vt homo Dominus, non pars mundi censendus, & appellandus est, cùm hæc vox Christus pro supposito Diuino humanam naturam sustentante accepta, importet totum quid virtute, ac potestate perfectum super omnes creaturas existens, à quo omne ens creatum dependet, & gubernatur.

An Christus pars mundi dici possit.

HAC ratione dicitur Christus à Paulo ad Colos. 1. *Primogenitus omnis creaturæ*, vt paulò ante indicauimus, non quidẽ ꝙ sit primaria creatura, quasi cognatas, pares, vel socias habẽs alias creaturas, vt falsò Arrius docebat; sed quòd sit princeps, & principium omnium creaturarũ. Quare subiungit statim Apostolus; *Quoniam in ipso condita sunt vniuersa*. Dicitur item Primogenitus creaturarum, quoniam cunctarum rerum creaturarum est robur, & firmitas. Primogenitus .n. idem est, ac fortitudo seu robur; sicut enim primogeniti sunt primi in natiuitate, sic etiam corporis firmitate, & robore à iunioribus parentibus accepto. Est igitur Christus Primogenitus omnis creaturæ, quoniam illarum cũctarum est principium, stabilitas, & fundamentum.

Quomodo Christus dicatur primogenitus creaturæ ad Coloss. 1.

ROGABIT quispiã, qua ratione Dauid Psal. 71. dixerit. *Et erit firmamentum in terra in summis montium*. Numquid ad fundamenta Ecclesiæ mentem direxit? certè ad firmamentum panis respexit, hoc est, ad sanctissimam Eucharistiam, etenim cum hæc sit firmus, & solidus cibus, nomen frumenti, quo vita hominis continetur, & sustentatur, meritò consecuta est. Vnde Leuit. 26. *Baculus panis*, quia fulcit, sustentat, & firmat cor hominis, Eucharistia appellatur. Et Isai. 3. Fulcimentum, & robur panis. Dicitur autem in summis montium existere, vel per hyperbolem, vt Genebrardus notat, ac si diceretur, ex paucis granis etiam in cacuminibus montium, quæ solent alioquin esse infrugifera, maxima proueniet seges, quæ & superet libani altissimos cedros altitudine,

Cur Eucharistia Ecclesiæ firmamentum dicatur.

Leuit. 26.

Isai. 3.

vel

vel tàm procera sit, vt agitante vento, talem aristis sonitum edat, qualem arbores Libani; seu, vt Rabbi Salomon notat, quòd tempore Messiæ Eucharisticæ hostiæ, & panes delicatissimi, ac diuini vbique offerendi erant in capitibus sacerdotum, qui montes ob eminentiam sacerdotalis characteris dicuntur.

EVTHYMIVS horum verborum Psalmi proximè adducti aliam expositionem tradit, ad nostrum institutum maximè facientem. Christus, inquit, erit firmamentum in terra, hoc est, *ijs*, qui sunt in terra, firmans nimirum eos, & stabiliens, qui antea quasi nutantes circumferebantur à Dæmone; & quod ait in summis montium, posuit pro, vsq; ad summa montium, quod propter sanctos Eremitas dictum est, & alios Dei milites, qui illic habitaturi erant, veluti eos quoque esset stabiliturus. Vnde Dauid Psal. 70. de ea re loquens ait. *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt saluum me facias, quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.* Vbi Genebrardus per firmamentum rupes propriè intelligit, & refugium fortitudinem interpretatur. Psal. 70.

HEBRAICE legitur in principio Psal. 86. *Fundamentū eius in montibus sanctis.* Hier. in suo Psalterio ex hebræo vertit, Fundamenta eius in mōtibus sanctuarij. Huiusmodi montes apud Hebræos præcipui in sanctitate duo fuerunt, mons Sion, & Moria, cum fuerint Domino dicati, & consecrati. Adde quòd Sion biceps fuit, itaut vnum ipsius iugum esset mons Moria propriè, in quo erat templum; alterum Sionis nomen retineret, in quo domus regia, Arx, & Ciuitas Dauid, qui & longo montium tractu ei esset coniunctus, qui dicebatur Sinai, quod iter est sexdecim dierum. Apud Christianos verò plures extiterunt montes sanctià Christo miraculis, & diuinis actionibus consecrati, vt Thabor, Oliuarum, & præcipuè Caluariæ mons, in quibus mysteria religionis christianæ primùm à Christo edita fuere.

Montes apud hebræos sancti tate insignes: & apud Christianos.

SED circa verba huius primi versus, legendi præterea sunt hi Patres, Greg. in Iob lib. 28. c. 8. idem in 5. Psal. pœnitent. Aug. tom. 4. lib. q. super Exod. q. 12. Surius in vitis Sāctorum die 27. Ianuarij. Bernard. in Cant. serm. 53. & 73. Hier. in *Isaiam* c. 22. c. 44. & c. 65. Genebrardus in Psal. 113. vers. 2.

CAPVT QVARTVM.

Quas præcipuas acceptiones habeat in scripturis nomen Fundamentum.

AD vberiorem huius versiculi declarationem nonnulla ex Aria Montano in lib. de arcano serm. afferenda sunt, quæ maximam lucem afferunt, & eruditionem his, quæ a nobis hoc loco disseruntur. Hic in cap. 90. eiusdē libri notat nomen fundamenti in scripturis quatuor præcipuè significare. Primò firmitudinem, seu robur, id enim, quod in ædificando primum ponitur, ea ratione fundamentum appellatur, quòd ædificij totius robur, & firmitudo sit, atque id ipsum in omni negocio nomen fundamenti significat, vt illud Prouerb. 10. *Iustus autem; quasi fundamentum sempiternum;* & illud Psal. 136. *Exinanite, exinanite, vsque ad fundamentum in ea:* omnem Vrbis firmitudinem penitùs cōuelli significat, & Psal. 17. *Fundamenta montium conturbata sunt,* & ibidē; *Reuelata sunt fundamenta orbis terrarum.* Secundò significat consiliū; hinc namq; transfertur ad significandam actionem rectè institutam, & consilio optimo initam, vt Luc. 6. *Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altū, & posuit fundamentū suum super*

Quatuor fundamenti acceptiones in scrip.

Prou. 10. Psal. 136. & 17.

Luc. 6.

2. Thim. 2. pra petram; & 2. ad Timoth. 2. *Sed firmũ fundamentũ Dei stat, habẽs signaculũ hoc.* Tertiò pro Principibus, & magistris, ac summis in Rep. viris vsurpatur nomen

Ierem. 50. Mich. 6. fundaméti, vt Iere. 50. *Vbiq; dedit manũ, ceciderũt fundaméta eius;* & Michææ 6. *& fortia fundamenta terræ,* vt Rupertus ibi benè explicat. Quartò Christus, cui omnis veritas, omnisq; salutis humanæ virtus innititur, fundamentũ appellatur,

1. Cor. 3. vt 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positũ est, quod est Christus Iesus;* & est fundamentum Ecclesiæ primarium, ac principale. Sumitur aũt in hoc loco Psalmi fundaméntum in prima significatione; quo ẽt sensu in

Psal. 8. Psal. 8. legitur. *Ex ore infantiũ,* seu paruulorũ; *& lactentiũ fundasti fortitudinem;* Sic enim in Hebræo habetur, idest stabilem esse declarasti gloriam fortitudinis tuæ, & eam confirmasti contra inimicos tuos. Latinè legitur, *perfecisti laudẽ,* hoc est, firmasti, stabilem demonstrasti, perfectè laudabilẽ fecisti potentiã tuam, dum ex ore infantium gloriam tuam exprimis; vt enim benè notat Genebrardus eodem loco, Dei fortitudo non fundatur, neq, stabilitur propriè ab aliquo, sed per infantes, infirmos, & imbecilles, idiotas, & simplices, hoc est, ipsos Apostolos, vt benè S. Augustinus exponit, quos constat fuisse rudes, & illiteratos, eam fundasse dicitur; cum per illorum testimonia, scripturas, & prædicationes illam commendabilem, & laudabilem effecit. Radix quoq; cuiuscunque rei imum, & firmissimum fundamentum, initiumq; significat vnde, & radices montium dicun-

Exod. 24. Ezech. 26. tur, vt Exod. 24. *Et ædificauit altare ad radices montiũ.* Et Ezech. 26. *Accessistis ad radices montis,* & similia: lege eundem Montanum eodem lib. c. 72.

Synagoga in infimis Ecclesia in summis mõtium fundata. INTER EA verò intercedit differentia inter Synagogã, & Ecclesiã, quòd illam verè, ac propriè ad radices montium, quæ infimum locum, vallibusq; terræ proximum obtinent; at Ecclesiam super verticem montium fundatum esse, tamquam super omnes colles exaltatam, vt ad eam omnes gentes confluerent, docuit Michæas c. 4. suæ prophetiæ ibi. *Et erit in nouissimo dierum mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles, &c.* quem locum de Ecclesia Patres intelligunt; sicut & illud Isaiæ 2. vbi eadem ferè verba repetuntur. Qua-

S. Chrysost. propter optimè S. Chrysostomus Homil. 4. in Isaiam dixit, Ecclesiam radices in cœlo fixas potius habere, quam in terra, & super Psal. 9. explicãs illa verba Pauli ad Hebr. 12. *Accessistis ad montem Sion, & Ecclesiam primogenitorum,* ait; Et meritò mons est Ecclesia, quòd sit firma, & stabilis, nec possit conquassari. Quemadmodum enim mons non potest labefactari, ita nec Dei Ecclesia. Egregiè quoq; eminentiam Ecclesiæ super alias dignitates explicans in Homil. 5. super verba Isaiæ. *Vidi Dominum, &c.* ait. Siquidem Sacerdotiũ principatus est, ipso etiam regno venerabilius, ac maius. Ne mihi narres purpuram, neq; diademata, neq; vestes aureas; vmbræ sunt isthæc omnia, vernisq; flosculis leuiora. Omnis enim, inquit, gloria flos graminis, etsi ipsam gloriam regalem dixeris. Nẽ iniquã, mihi narres ista, sed si vis videre discrimen, quantum absit Rex à Sacerdote, expende modum potestatis vtriq; traditæ, videbis Sacerdotẽ multò sublimius Rege sedentem. Quamquam .n. nobis admirandus videtur thronus regius ob gemmas affixas, & aurum, quo obcinctus est, tamen terrũ terrenarum administrationẽ sortitus est, nec vltrà potestatem hanc præterea quicquã habet auctoritatis. Verùm Sacerdotis thronus in cœlis collocatus est, & de cœlestibus negocijs

Prou. 16. Psal. 138. & 17. pronunciandi habet auctoritatẽ. Quis hæc dicit? Ipse Cœlorum Rex. Quæcumq; ligaueritis super terram, erunt ligata, & in Cœlis, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta, & in Cœlis. Quid cum hoc honore conferri possit? A terra iudicandi principalem auctoritatem sumit Cœlum, nam Iudex sedet in terra, dominus sequitur seruũ, & quicquid hic in inferioribus iudicarit, hoc ille in supernis comprobat. Hactenus ille. Ex cuius verbis colligere oportet, non solum supra Reges vniuersæ terræ; sed etiam super ipsam Synagogam, quæ numquam ha-

buit

buit potestatē dimittendi peccata, nec nō soluēdi ea in terris, vt soluta essent, & in Cœlis, Ecclesiam eminere. Fortitudinem verò Ecclesiastici montis perbellè idem Chrysost. scripsit in 2. cap. Isaiæ hunc in modum. Vocat autem nomine montis Ecclesiam simul, & inexpugnabilem dogmatū eius traditionem, quemadmodum enim montibus, licèt quis obuallet, & obijciat militum millia decem, & hi quidem intorqueant arcus, isti cuibrent hastas, & iaculentur, illi genus omne molitionis admoueant, & bellica machinamenta; illa vt sint omnia, nihil noxæ, aut detrimenti inuehent soliditati montium, illinc potius secedere cogentur, consumpta inaniter sua fortitudine. Sanè id ipsum contigit ad vnum omnibus, qui oppugnarunt Ecclesiam: hæc quidem inconcussa perstitit; illi verò è diuerso deperdita propria virtute indecoris infamiæ notam incurrerunt: dum eam feriunt, euanescunt; dum iaculantur in eam, imbelles redduntur; dum cędunt flagris, ab his vincuntur, qui malè affecti sunt. Et Cyrillus in eundem locum hæc verba habet. Legitur quidem Sion illa terrena Iudæorum in monte sita, & ædificata; intelligi tamen potest hic non crassè, aut sensibiliter, at spiritualiter Ecclesia, quæ etiam monti comparatur. Etenim verè est excelsa, & illustris, & omnibus vbique notissima. Aliter etiam excelsa est, quoniam terreni nihil sapit, ac supra res terrenas est, & gloriam Dei, quatenus licet, animi oculis intuetur, & sublimibus admodum de Deo opinionibus gloriatur. Græcorum enim cohortes lectissimæ, etiam si sapientiæ nomine valde supercilium tollerent; creaturam tamen quasi deificant, mundique elementis venerationem attribuunt. Terrenam siquidem habent mentem, & speculamenta humi repentia, & cor obtenebratum, cum se dicerent esse sapientes, infatuati sunt, sicut scriptum est. At Sion intelligibilis, Ecclesia scilicet, supra omnem creaturam, & aspectabilem, & inaspectabilem euolat, & ad ipsam adeo vniuersitatis naturam pertingit (luce enim diuina plena est) illamque agnoscit opificem, artificemq; vniuersorum, illi, atque adeò soli potentiam in omnia tribuit, eaque ipsa gloria tanta Deum, ac Christum optimum maximum Regem coronat. Hinc igitur mons intelligibilis, & domus Dei iure dici possit. Est & illustris, vt potè quæ supra colles eleuata, de qua meritò illud dici poterit, quòd illustris exempli causa Seruatoris voce dictum est. Non potest Ciuitas abscondi supra montē posita. Hactenus ille. Quod etiam Origenes lib. 5. contra Celsum loquens de Ecclesia affirmat; Hanc, inquit, contemplemur, quomodò ædificata sit in summis montibus, omnibus Propheticis sermonibus, qui eius fundamenta sunt. Extollitur autem hæc domus super omnes colles, qui videntur aliquid eximium in sapientia, & veritate polliceri apud homines: & alia in hanc sententiam. Dicitur autem in vtroque loco Isaiæ, & Michææ, *mons preparatus*, hoc est, vt in Hebræo legitur, firmatus, & stabilitus. Etenim Ecclesia non concidet, vt Synagoga, cum ex Christi pollicitatione, aduersus eam nec portę inferi, hoc est, non solum humanæ, & terrenæ, sed etiam Diabolicæ potestates nequeant præualere. Matth. 16. Sic Regnum Dauid firmatum nimis dicitur 3. Reg. 2. & Oseæ 6. *Quasi diluculum præparatus est egressus eius*, Psal. 23. *Et supra flumina præparauit eam*, & Prouerb. 8. *Quando præparabat cœlos aderam*, Psal. 9. *Parata sedes tua ex tunc à sæculo tu es*. Quibus in locis dictio hebræa, quæ præparare interpretatur, significat rem, non vtcumq; paratam, sed ita structam, vt firmissima sit, quę à nemine impediri, vel dimoueri, ac diuelli possit. Quocirca Dauid Psal. 50. petebat à Domino, vt Deus spiritum rectum, hoc est, spiritum stabilem, seu firmiter stabilitum in bono, itaut a rectitudine dimoueri non possit, vt Hieron. vertit, renouaret in visceribus suis.

S. Cyrill.

Origen.

Oseæ 6. Psal. 23. Prou. 8. Psal. 9.

bus insipientes quidem sacerdotes clamabant dicentes, Crucifige eum, Crucifige eum: sic ille.

HVGO Cardinalis super Psalm.87. illud vnum morale addit, quòd imitatores Passionis Christi ideo filij Chore appellantur, quòd debeant esse quasi Chorus, per lætam imitationem passionis confirmantes se præceptori Christo, qui primus incepit pati voluntariè, & cum lætitia; hymno enim dicto mox ad passionis certamen descendebat Matthæi 26. Simile quid reperitur apud Salomonem in c. 6. Cantici Canticorum, dum assimilauit Ecclesiam Choris Castrorum, semper enim militando, sicut etiam patiendo pro Christo lætari debent fideles, gaudentes pro nomine Iesu contumelias pati. Nec leui obseruatione illud dignum est, quod scripsit B. Hieronym. in suis Cōment. Psalmos nempè, quorum titulus est, Filijs Chore; esse profundioris intelligentiæ, ac altioris sensus, & sublimiora mysteria comprehendere, quam cæteros, quoniam ij singuli loquuntur, vel de Christi passione, vel de dignitate, & fœlicitate Ecclesiæ per Christi passionem acquisita. Est autem Titulus clauis psalmi, vt loquitur S.Hieron. in proœmio Psalm. aperiens, atque significans sensum, & intellectum Psalmi, & præsertim indicans personas, de quibus fit in eo sermo.

B.Hieron.

Quid Titulus Psalmi.

ABSQVE dubio autem author huius Psalmi fuit Dauid, vt apertè testatur S.Hier. in epist. ad Dardanum, & antiquus Author quicunque ille fuerit in serm. de assumpt. qui habetur in 9. tom. operum eiusdem Hieronymi.

SVMMA autem, seu argumentum, & scopus Psalmi est, originem, dignitatem, & fœlicitatem Ecclesiæ Christi supra synagogam vaticinando enarrare. Et licèt Psalmus breuis sit, mysteriorum tamen fœcunditate, & sententiarum grauitate ferè cunctos Psalmos, vt Hier. affirmat, antecedit; est enim psalmus iste, vt inquit Glossa, breuis in verbis, sed magnus pondere sententiarum, cum compendiosis verbis agat de fundamentis Ecclesiæ, de eius institutore, progressu, amplitudine, & fine. Cecinit autem, atque composuit hunc psalmum Dauid eodem in loco, in quo ei Deus mysteria Ecclesiæ summa charitate reuelauit, nempè in monte Sion, in quo Christus vltimam cœnam celebrauit, & Eucharistiæ sacramentum instituit, ac finem legi veteri imposuit, & vbi prima fidelium Congregatio duodecim Apostolorum, cæterorumque discipulorum vna cum Maria matre Iesu immediatè post Christi Ascensionem, ad recipiēdum Spiritum sanctum die Pentecostes super illos descendentem, Christo iubente, coacta est. Hæc enim omnia mysteria Dauid in contemplatione, ad quam à Deo in domo sua in monte sancto Sion eleuatus fuit, cognouit, atque in hoc psalmo prophetauit.

Vbi Psalmum hūc Dauid cecinerit.

DIVIDITVR autem hic Psalmus in septem partes, iuxta septem reuelationes, quas Dauid de gloriosa Ciuitate Dei, hoc est, sanctissima Christi Ecclesia accepit; singuli enim versus distinctas continent reuelationes. In primo namque continetur reuelatio earum rerum, in quibus fundata est Ecclesia Christi, nempè in montibus sanctis. In secundo Dauid agens de desponsatione Ecclesiæ, qua sibi eam Deus per coniunctionem humanæ naturæ in filij supposito copulare decreuerat, declarat quantopere eam Deus super Synagogā dilexerit. In tertio amplitudinem eiusdem Ecclesiæ canit, pronuntians illam ex plenitudine Gentilis Populi amplissimam fore. In quarto admirabile mysterium diuinæ incarnationis in ea implendū esse. In quinto prædicat, hanc Ecclesiam debere esse Matrem Dei, non solū spiritualiter, sed etiā corporaliter, cū in ea, & ex ea Verbum carnem assumpserit; de Maria temporaliter nascens; & ab eodem Deo fundandam, qui est author sacramentorum gratiæ, & gloriæ. In sexto, quòd veritas Euangelica, & lex noua Christi in eo promulganda, & manifestanda

Diuisio huius Psalmi.

erat.

erat. In septimo; & vltimo, quòd huius Ciuitatis finis proximus, & immediatus est summa, & æterna fœlicitas, & perfecta beatitudo, quam Synagoga, (hoc est Patres veteris testamenti) proximè, & immediatè non attigit, nec consequuta est, nisi post Christum.

An hic Psalmus totũ de Ecclesia Christi militante intelligatur.

CERTANT interpretes, an hic Psalmus solum de Ecclesia militante, an etiam de triumphante intelligendus sit. Raynerius, & Titelmannus existimant, de vtraque congruè intelligi posse. Augustinus de triumphante præcipuè exponit. Verùm cum Euthymio, Bonauentura, & alijs dicimus, Dauid directè, ac præcipuè de gratia, & fauoribus cœlestibus nouæ Hierusalem, & præcipuè militantis, quæ non solum iam Iudæorum, sed & gentium mater est, agere, vt ex contextu clarè colligitur; narrantur enim in eo initia, progressus, & finis nouæ ciuitatis à Christo in primo suo aduentu in mundo ædificatæ, hoc est, Ecclesiæ Christianę, & Euangelicę; & hic est verus, & germanus sensus literalis huius Psalmi. Quamuis enim terrenę ciuitati Hierusalem conueniat initium Psalmi, *Fundamenta, &c.* reliqua tamen, quę in eo ponũtur, soli Ecclesię Christi competunt. Quę autem laudes de Ecclesia dicuntur, primo loco, ac eminentiori modo Deiparę conuenire, & accommodari debere nemo negabit. Sic etiam, quæ in Canticis Canticorum habentur, ad literam de Ecclesia, & à fortiori de Maria matre Dei, quę est nobilissimum, ac pręcipuum Ecclesię membrum, intelligenda, & exponenda sunt.

CAPVT SECVNDVM.

Expositio literalis primi versus: Fundamenta, &c.

Sõnia Hebræorum de templo & Ciuitate Hierusalẽ à Messia reædificanda.



ONNVLLI hebraizantium perpetuis tenebris offusi, & numquàm lumen veritatis recipientes, existimarunt, Dauidem in hoc Psalmo agere, ac loqui de Ciuitate Hierusalem, & eius templo reędificandis per Regem Messiam, quem adhuc venturum sperant; atque hęc fore gloriosiora, absq; vlla comparatione, quàm fuerint tempore Salomonis; adduntq; eo tempore, quo Messias adueniet, montem Sion in altum supra tres alios montes esse eleuandum; fingunt enim, Deum tunc temporis tres montes altos, ac magnos translaturum ad montem Sion, nempè montem Sinai, montem Thabor, & montem Carmeli, & quòd super istos mons Sion eleuabitur, iuxta illud Is. 2. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montiũ, & eleuabitur super omnes colles.* Etenim huiusmodi tres montes sancti dicuntur: mons quidem Sinai, quoniam ibi Deus legem dedit, & promulgauit, mons verò Thabor, quoniam ibi ostensa est victoria ipsi Barach aduersus Populi Dei hostes; mons quoque Carmeli sanctus meritò appellatur, quoniam in ipso ignis descendit de Cœlo, & holocaustum Elię deuorauit. Ciuitas igitur Hierusalem tempore Messię in istis sanctis montibus simul congregatis denuò ędificabitur, quod Dauidem indicasse affirmant, dum ait: *Fundamenta eius in montibus sanctis.*

Insignia quędã à Christo facta in Monte Sion.

VERVM hęc vanissima sunt Hebręorum somnia, nec Dauidem, nec Isaiam intelligentium; non enim agit Isaias de eleuatione montis in vertice montium secundùm situm, & terrenam positionem, sed secundum dignitatem, & gloriam; multò enim gloriosiora fecit Christus in monte Sion, quàm alibi; ibi enim Eucharistię Sacramentum instituit, & consecrauit, ibi Spiritum San-

Sanctum Apostolis misit; in templo ibidem exædificato personaliter fuit præsentatus; pluries ibidem ore proprio prædicauit, eximiaque ibi miracula fecit.

RABBINI arbitrantur, hæc verba: *Fundamenta, &c.* esse argumentum eius Psalmi, itaut scopum, & institutum suum Dauid explanauerit, esse de Sion, & Moria montibus Domino consecratis cantare: atque illud, *eius*, ad ipsum Psalmum, de cuius inscriptione facta est mentio, referunt. Verùm ex his, quæ subdit Propheta, clarè colligitur, illud, *eius*, non ad inscriptionem præcedentem, quod nunquam Dauid facere consueuit, sed ad ea, quæ sequuntur, dirigi. Est enim illud, *eius*, relatiuum sine antecedente, vel relatiuum præpositum antecedenti, quod est linguæ Hebraicæ frequens, vt ex Kimki refert Genebrardus. Est autem apud Patres triplex horum verborum interpretatio: Nonnulli de Deo, alij de Christo, alij verò de Ecclesia huiusmodi fundamenta interpretantur. Diuus enim Hieronymus in suis Comment. Fundamenta, siue Dei, siue certè Ecclesiæ exponit. Euthymius verò Christi fundamenta intelligit, hoc est, principia fidei ab eo tradita. Arbitratur præterea Hieronymus, fidem Sanctissimæ Trinitatis, immò ipsum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse fundamenta Ciuitatis Dei. Quæ, inquit, sunt fundamenta, nisi Pater, & Filius, & Spiritus sanctus? Hæc ergo fundamenta non sunt in vallibus, sed sunt in montibus, & non in montibus quibuscumque, sed in montibus sanctis sicut loquitur Paulus: *Quasi sapiens Architectus fundamentum posui*, hoc est, Fidem Trinitatis. Denique dicit in alio loco: *Expectabant enim Ciuitatem habentem fundamenta, cuius artifex, & conditor Deus*, ad Hebr. 1. Et hac ratione optimè Iansenius exposuit, fundamenta eius Ciuitatis esse in montibus sanctis, hoc est, in Cœlis. Fundamenta Christi triplicia esse Euthymius tradit. Primo dogmata illa, quæ de Christo traduntur, hæc etenim dogmata bases quædam sunt, seu radices fidei Christianæ. Hæc igitur Christianæ fidei fundamenta facta sunt in Apostolis, quos Propheta hoc loco sanctos montes appellat. Præterea per Christi fundamenta Apostolos intelligit, qui fuerunt in montibus sanctis, hoc est, cum Christo versati in sanctis montibus Sion, Thabor, Oliueti, & alijs, qui præ cæteris sacratiores, sanctioresuè Christi conuersatione effecti esse videntur. Hanc expositionem sequitur Nicolaus Tertius, vt habetur in 6. de elect. & elect. potest. cap. Fundamenta. Postremò aliqui, inquit ille, per fundamenta Christi prophetias de Christo intelligunt, tamquam Christianæ fidei principia; montes enim sancti non immeritò Prophetæ dici possunt propter Prophetiæ sublimitatem, & propter sanctificationem Sancti spiritus; itaut sensus sit, quòd principia fidei Christianæ sint in Prophetis. hæc ex Euthymio. Et hanc expositionem sequitur Titelmannus, & auctor ille dictus Incognitus, immò etiam Diuus Gregorius lib. 28. Moral. c. 9. exponens illa verba Iob cap. 38. *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ*. Vbi sic scribit. In Scriptura sacra quid aliud fundamēta, quā Prædicatores accipimus? Quos dum primos Dominus in sancta Ecclesia posuit, tota in eis sequentis fabricæ structura surrexit; vnde & Sacerdos legalis cum tabernaculum ingreditur, duodecim lapides in pectore portare iubetur, quia videlicèt semetipsum pro nobis offerens Pontifex noster Iesus, fortes in ipso Prædicatores exhibuit, duodecim lapides sub capite in prima sui corporis parte portauit. Sancti itaque Apostoli, & pro prima ostensione ornamenti lapides sunt in pectore, & pro prima soliditate ædificij in solo fundamenta. Vnde cum Psalmista sanctam Ecclesiam in sublimibus Apostolorum montibus fundari conspiceret, dixit; *Fundamenta eius in montibus Sanctis*. Hęc ille. Congrua verò ratione non solum Apostoli, verum etiam Prophetæ, & Patriarchę dicuntur Ecclesię fun-

Ad Hebr. 1.

Nic. Papa Tertius.

D. Gregor.

fundamenta; quandoquidem eadem est fides Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum: atque huic expositioni fauet Chaldaica Paraphrasis, quæ sic habet; fundamentum eius super ore Patrum, qui fuerunt a principio. Hinc illud ortum est, vt rectè Genebrardus notauit, vt proinde Hierusalem appelletur Matrix Ecclesiarum τῶν ἐκκλησιῶν ἡ μητρόπολις, vt habet Damascenus lib. 4. cap. 13. & S. Iacobus in lyturgia. Quocirca apud Paulum ad Roman. 11. & 16. Patriarchæ atq; etiam Iudæi dicuntur radix Ecclesiæ gentium, & radix portans fideles è gentibus. Vnde idem Paulus ad Ephes. 2. id palam explicans ait: *Superædificati supra Fundamenta Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.*

Apostolorū, & Prophetarū eadem est fides.

Damasc.
S. Iacobus.

Ephes. 2.

SVNT autem Ecclesiæ fundamenta duplicia, spiritalia, & materialia: illa sunt articuli fidei, & ecclesiastica sacramenta à Christo instituta, & ab Apostolis prædicata, & à Prophetis prædicta; hæc verò sunt ipsa loca sancta, in quibus huiusmodi ecclesiastica mysteria à Christo inchoata, & exhibita fuere.

Quæ sint spiritualia, & materialia Ecclesiæ fundamenta.

IN Monte enim Caluariæ, vbi Abraham vice Isaac arietem immolauit, & vbi de Christo repromissionem accepit, fuit Christus crucifixus, ex cuius latere orta est Ecclesia, & omnia Sacramenta. Item in monte Sion Christus Sacramentum Eucharistiæ instituit, quo etiam in loco Melchisedech panem, & vinum obtulit; & Apostoli spiritum Euangelicum receperunt; & Dauid spiritum propheticum acceperat, & hunc Psalmū condiderat. Adde, quòd Christus in monte Moria prædicauit, in quo erat templum. Initia igitur, & primordia Ecclesiæ non solum sunt in montibus sanctis, sed etiam ex montibus sanctis, iuxta illud Isa. 2. *Ex Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Et Psal. 109. *Virgam virtutis tuæ* (nempè Christi) *emittet Dominus ex Sion.*

Isai. 2.
Psal. 109.

EST autem certamen inter interpretes, ad quidnam illud, *eius*, referatur. Iansenius hoc relatiuum, *eius*, affirmat apud Hebræos, & Græcos esse masculini generis; vnde infert, non posse referri ad ipsam Ciuitatem Sion, cum in omni lingua nomen Sion sit fœminini generis; putat autem referri ad Dei Populum, qui in Ciuitate moratur, & continetur, itaut sit relatio ad rem per vocem expressam significatam, quod etiam sæpè fit in scripturis, cum de Hierusalem, & Israele sermo habetur; subijciuntur enim illis relatiua masculina, quæ non tàm respondent nomini Hierusalem, quàm nomini, quo Hebræi populum significant, nempè nomini *Am*. Verum admittimus cum Genebrardo non solum in Hebræo, sed etiam Græcè illud, *eius*, masculinè enunciari; legitur enim αὐτῆ non αὐτῆς immò Ciuitatum nomina in Hebræa lingua esse masculini generis cū eodem affirmamus; vel saltem, etiam si sint regulariter fœminini generis, vt aliqui opinantur, habere tamen terminationem ad modum masculinorum, vt Cardinalis Bellarminus adnotauit. Quocirca rectè ad ipsam vrbem referri posse asserimus. Quæ omnia clariora fiunt ex Psal. 47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in Ciuitate Dei nostri in monte sancto eius:* fundatur supra hoc Dei Ciuitas cum exultatione, & gaudio vniuersæ terræ; sepè enim appellatione montis Sion ipsa Hierusalem intelligitur, vt notauit Euthymius in eundem Psalmum.

Pronomē, eius, ad quid referatur.

Psal. 47.

SEQVITVR, *in Montibus Sanctis.* Benè notauit S. Hier. in scripturis esse nonnullos montes non sanctos, sed tenebrosos, atque corruptos. Sic Isa. 13. dicitur. *Super montem tenebrosum leuate signum.* Et Ierem. 13. *Date Domino Deo vestro gloriā, antequā offendant pedes vestri ad montes tenebrosos* Zach. 4. *Quis es tu mons corrupte?* Vtiq; Hebræorū lex, atq; doctrina, in monte quidē, sed tenebroso, atq; obscuro fundata erat. At lex Euangelica, & gratiæ doctrina in prælucenti, ac fulgentissimo fidei, diuinæq; reuelationis monte fundata est. Quemadmodum

Montes alij sancti, alij tenebrosi ex S. Hieron.
Isai. 13.
Ierem. 13.
Zach. 4.

enim

enim montes prius, quàm valles radios solis recipiunt; sic Prophetæ, & Apostoli ante alios illustrationes fidei receperunt. Quare optimè de illis dicitur. *Vos estis lux mundi.*

Fundamẽta Spiritualis fabricę in summo loco ponuntur. S. August.

QVOD si obijcias, fundamenta in imo poni; qua igitur ratione in montibus esse dicuntur? Respondet S. Augustinus fundamentum quidem corporeæ fabricæ in imo poni, at fundamentum spiritalis fabricæ in summo collocari. Origo, inquit, fundamenti huius summitatem tenet; & quemadmodum fundamentum corporeæ fabricæ in imo est, sic fundamentum spiritualis fabricæ in summo est. Si adterram ædificaremur, in imo nobis ponendum erat fundamentum; quia cœlestis fabrica est, ad cœlos præcessit fundamentum nostrum.

Ecclesiæ fundamẽta quadrata. S. August.

AT si petas, in qua forma fundamenta Ecclesiæ constructa fuerint: respondendum est, cum eodem S. Augustino, horum fundamentorum fabricam, seu figuram esse quadratam ad instar Arcæ Noë. Audi illum. Ipse ergo angularis lapis, montesq; Apostoli, Prophetæ magni portantes fabricam Ciuitatis, faciunt viuum quoddam ædificium. Hoc ædificium modo clamat de cordibus vestris, hoc agit artificiosa manus Dei, etiam per linguam nostram, vt ad illius ædificij fabricam conquadremini; non enim frustra, etiam de lignis quadratis ædificata est Arca Noe, quæ nihilominus figuram gestabat Ecclesiæ. Quid est enim quadrari? Attendite similitudinem. Quadrati lapidis similis debet esse Christianus in omni tentatione sua; Christianus non cadit, & si impellitur; & si qua vertitur non cadit; nam quadratum lapidem quacunq; verteris, stat. Cadere visi sunt Martyres, cum percuterentur; sed quid dixit quædam vox Cantici? Cum ceciderit iustus, non conturbabitur, quoniam Dominus confirmat manus eius: sic ergo conquadramini ad omnes tentationes parati, quicquid impulerit, non vos euertat, stantem te inueniat omnis casus. Hæc ille. Quadratum verò Ecclesiæ in doctrina quatuor Euangelistarum consistere, omnis scriptura clamat.

Christus caput simul, & fundamentum Ecclesiæ.

VERVM iterum rogabis, quomodo Christus dicatur fundamentum Ecclesiæ, cum sit eius caput? Rectè quidem, cum enim fundamentum Ecclesiæ in summo sit, optima ratione, qui eius caput existit, appellari quoq; potest fundamentum, vtrumq; enim in summo, & in sublimi existit, & situatur. Sic etiam Petrus, Petra fundamentalis, & Cephas dicitur à Christo Matth. 16. cum sit quoq; Ecclesiæ caput; Cephas enim syriacum nomen est, non qualemcumq; lapidem significans, sed magnum, & prægandem lapidem, qualis in fundamento ponitur. Et licèt syriacè significet rupem, seu saxum, vt docet S. Hier. in cap. 2. epist. ad Gal. Græcè tamen Cephas significat caput, vt notauit Optatus lib. 2. contra Parmenianum, quod luculenter mysterium huiusmodi declarat. Quòd enim in domo est fundamentum, in corpore est caput; & quemadmodum fundamentum non dependet à domo, sed contra domus à fundamento: atque etiam caput non dependet à corpore, sed à capite corpus; ita Petri authoritas non ab Ecclesia, sed hæc ab illo pendet, sicut etiam à Christo, qui est summus, & primarius lapis, fundamentum, & caput totius Christianę Reip. ad Eph. 2. & Zachariæ 4.

S. Gieron.

Petri auctoritas nõ ab Ecclesia, sed hæc ab illo dependet.

CA-

CAPVT TERTIVM.

In quo conueniant, & discrepent Fundamenta Terræ, & Ecclesiæ.



QVÆRET aliquis rursus, in quo nam conueniant, vel discrepent fundamenta terræ, & fundamenta Ecclesiæ, & quæ proportio, & analogia sit inter illa; habet enim, & terra sua fundamenta, dicente Salomone Prouerb. 8. *Aderam, quando appendebat fundamenta terræ:* Porrò inter Ecclesiæ, & terræ fundaméta illud primò est commune, quòd vtraq; in principio, hoc est in Verbo, & filio Dei, firmata, & constituta sunt. Sic Gen. 1. dicitur. *In principio*, hoc est, in filio, *creauit Deus Cælum, & terram:* ita Aug. lib. de Gen. ad literam imperfecto, & de Ciuit. Dei lib. 11. cap. 32. Beda Comment. in Genes. Rupertus in Genes. lib. 1. cap. 3. Origenes super Genes. homil. 1. Tertull. lib. aduersus Hermogenem, Hieron. lib. quæst. Hebraic. in Genes. Ambros. lib. 1. Hexameron cap. 4. Iunilius pariter in Hexameron, Cyrillus lib. 1. in Genes. Odo Cametacensis in exposit. sacri Canonis, Anast. Synaita Hexameron lib. 1. Prouerb. 8. Fundamenta terræ & Ecclesiæ in Verbo. Gen. 1. S. August. Beda. Ruper. Orig. Tertull. Hieron. Ambros. Iunil. Cyrill. Odo Cam. Anast.

HAC ratione Paulus ad Rom. 11. dicit. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia;* quæ verba intelligunt de ipso solo filio, Basilius lib. de Spiritu Sancto, & Ambros. lib. 4. de fid. cap. 6. & lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 10. Licèt idem Basilius, sicut etiam Theodoretus, illud, *in ipso*, legant, *in ipsum*; quæ lectio, non est amplectenda, cum versio communis habeat, *in ipso*, & ita inter Græcos Origenes, & inter Latinos quamplurimi Patres legunt; Ambros. lib. 4. de Fide cap. 6. lib. 2. Spiritu Sancto cap. 10. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum num. 53. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 6. & Gregorius lib. 26. Moral. cap. 16. & Homil. 16. in Ezechiel. Et hæc lectio, *in ipso*, egregiè exprimit proprietates Filij, cuius est non solū esse principium omniū rerū, iuxta illud Ioan. 8. *Principium, qui & loquor vobis;* nec solum esse artem, ac sapientiam Patris, per quam facta sunt omnia, Ioan. 1. & prima Corinth. 8. sed etiam quòd in ipso tanquam in stabili fundamento, omnia fixa permaneant, eiusque virtute creaturæ cunctæ conseruentur, durent, & operentur. Quod egregiè Paulus ad Hebr. 1. expressit, dicens, *Portansq; omnia verbo virtutis suæ*. Arriani verba Pauli de Patre intelligebant, vt excluderent filium, quem creaturam esse affirmabant; at certè, vt diximus, vel de filio intelligenda sunt, vel de tota Trinitate, cum Athanasio lib. 4. de diuinit. Origene, Hilario, & Gregorio locis iam citatis. Omnium verò creaturarum primum fundamentum est esse, quod à solo Deo emanat; est enim esse, cum sit actus vniuersalissimus, & perfectissimus, proprius effectus solius Dei, vt docet S. Thomas lib. 3. contra gent. cap. 66. Vnde rectè Dauid. Psl. 101. cecinit: *Initio tu Domine terram fundasti*, hoc est, vt Euthymius exponit, stabilisti, fecisti. Sicut autem pulchritudo, distinctio, & ornatus cœli, & terræ à diuina mente, ac sapientia profecta est; sic etiam eorum fundatio, atque creatio, vt dixit Dauid Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*; seu, vt legit Euthymius, firmamentum, & potentia eorum; quod de omni re creata intelligendum est; cum de vnaquaque re dixerit Deus, *fiat, & factum est*. Quocirca Prouerb. 3. opportunè dixit Salomon: *Dominus Sapientia fundauit terram, stabiliuit* Ad Rom. 11. Ioan. 8. Hebr. 1. Athan. Esse, primum est omniū creaturarum fundamentum. S. Tho. Psal. 32. Prouerb. 3.

cœlos prudentia. Vbi ex Ianſenio notandum eſt, fundationem terræ, eius immobilitatem, & firmitatem perpetuam ſignificare; itaut in ea immobili, & inconcuſſa, tamquam in fundamento totius inferioris opificij, omnia animalia viuerent, cunctaque elementa circa eam, tamquam circa centrum, voluerentur. Quod profectò mirabile eſt, & ſummæ ſapientiæ opus eoque maius, quòd fundamentum hoc nullo nitatur ſuſtentaculo, ſola Dei manu ipſum ſuſtinente, & firmante. At verò Deus miro ordine cœlos ſtabiliuit; non quidem ſic, vt inſtar terræ immobiliter perſiſterent; ſed contra, vt in continuo motu perenni quadam virtute ſemper conſiſterent, & perſeuerarent, nullam loci, vel alterationis mutationem patientes. Hoc diuinum mundanæ machinæ fulcimentum indicauit Moyſes illis verbis: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Spiritus, inquam, non quidem ventus, qui nec in exordio mundi erat opportunus, vel neceſſarius, cum in rerum creatione nihil acturus eſſet; ſed ſpiritus intelligibilis, & ſanctus, hoc eſt, diuina mẽs, vel Deus ipſe, vt omnis Theologorum ſchola interpretatur, quod etiam Poeta cecinit Aeneid. 6.

Fundamentum terræ quodnam ſit.

Quiſnam fuerit ſpiritus Domini ſuper aquas.

Virgil.

Spiritus intus alit; totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Et iterum clariùs in 4. Georg.

Deum namque ire per omnes
Terraſque tractuſque maris, cœlumque profundum.

HIC inquam ſpiritus, qui à non nullis, Platonicis nempè, anima mundi appellatur, omnia creata viuificat, fouet, alit, atque ſuſtentat. Ipſe eſt rerum creatarum verus ſator, omniumque animator, & altor; omnium formarum repertor, & conſeruator, itaut verè rerum principia tria à Moyſe enumerata ſint in primo cap. Geneſ. duo viſibilia, nempè cœlum, & terra; tertium verò inuiſibile, ſpiritus ſcilicet diuinus, ſeu æterna Dei ſapientia, vt Eugubinus notauit in eundem locum Geneſ.

HIC ſpiritus apud Anaxagoram νοῦς ſeu mens, ſeu intellectus appellatur. De hac ſapientia creante, cõſeruante, ſic Salomon ſcripſit cap. 7. Sapient. *Sapientia eſt ſpiritus intelligens, ſanctus, vnigenitus, multiplex, ſine mole mobilis, penetrabilis, infici non potens, clarus, innocuus, bonarũ rerũ amator, acutus, ſolutus, beneficus, humanus, ſtabilis, tutus, ſecurus, omnipotens, omnibus proſpiciens, per omnes ſpiritus intelligibiles, puros, tenuiſſimoſq; penetrans; omni enim motu velocior eſt ſapientia;* in Biblia Vaticana Sixti Quinti ſic habetur; Omnium enim artifex docuit me ſapientia; eſt enim in illa ſpiritus intelligentiæ, ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuauis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus, intelligibilis, mundus, ſubtilis, omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia; attingit autem vbiq; propter ſuam munditiam.

Sap. 7.

IN Diuino quoque Verbo Eccleſia fundata, & ſtabilita eſt, ſed incarnato, & homine per vnionem hypoſtaticam facto; ad Epheſ. 2. *Superædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templũ ſanctum in Domino, in quo, & vos coædificamini in habitaculũ Dei in Spiritu Sancto;* & 1. ad Corinth. 3. *Fundamentũ aliud nemo põt ponere præter id, quod poſitũ eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus;* & ibidẽ: *Vt ſapiens Architectus fundamentũ poſui*, hoc eſt Chriſti confeſſionem, & doctrinam: ita ſcribit Eucherius Commentar. in Geneſ. libro primo. Creatura cœli, & terræ, quomodo hiſtorialiter ab exordio principij condita ſit, legimus.

Fundamentum Eccleſiæ Verbũ incarnatum. Ad Epheſ.

1. Cor. 3.

sed qualiter in Ecclesia spiritualiter à Doctoribus accipiatur, intelligamus. In principio Deus fecit cœlum, & terram. Principium Christus est, sicut ipse ait in Euangelio. Ego Principium, qui & loquor vobis. In hoc igitur principio fecit Deus Cęlum, & terrã. Quæ verba repetuntur à Beda lib. de sex dierũ creatione in recapitulatione, & ab Hugone Carensi in postillis. Adde, in cęli, & terræ creatione diuinitatem, & humanitatem in Christo indicatam, & adumbratã fuisse, vt docet Anast. Synaita, in Cõment. Hexameron lib. 1. his verbis. Vt aũt tibi ostenderet magis, quam omnia esse necessariam Verbi incarnationẽ, & propter eam facta esse omnia, sine qua vana sunt, & inania, peccato effecta inutilia, & ad nihilum redeuntia; statim ab initio scripturæ, & ab ipsis procemijs illã tibi tradidit dicens. In principio fecit Deus cęlum, & terrã, seu fecit in principio temporali, seu ei placuit, vt fieret cœlum, tamquam Deus, & terra propter Iesum hominem. Quando aũt ei placuit hæc creatio? quando cœpit producere sensilia, non aũt ea, quæ cadunt sub intelligentia; sciebat. n. fore, vt hæc illa paterentur, & malè afficerentur, & corrumperentur à peccato Adæ, & sua benignitate, & clementia præuenit mali, quod erat passurus, incursionẽ, ante affectionẽ, & vitium parans remedium. Propterea ẽt dicitur vitulus saginatus apud S. Lucam: vitulus tamquam caro, velut qui Crucis iugum erat tracturus; saginatus autem, vt qui iam olim, & ab ipso initio esset definitus, & prædestinatus, vt nostrã subiret naturam. Quando ergo cœlum constituit, & terram, & quæ sunt cum eis, tunc ẽt contexuit mysterium Incarnationis. Hæc ille. In Christo igitur coniunxit Deus diuinitatem, & humanitatem, vt illum cõstitueret ratione vtriusq; naturæ in Verbo vnitæ fundamentum, & caput totius Ecclesiæ, vt docet S. Paulus ad Coloss. 1. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est Principium, &c.* Qua etiam ratione ibidem dicitur, *Primogenitus omnis creaturæ*, non quòd illas socias, vel sorores habeat, sed quòd omnis creaturæ sit principium, & fundamentũ. Vnde subdit Paulus: *Quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Atq; hæc de prima proprietate, in qua hæc duo fundamenta conueniunt.

Anast. Sinaita.

Ad Coloss. 1. Christus quomodo primogenitus oĩs creaturæ.

SECVNDA proprietas terræ est, quòd sit fundata super stabilitatem suam Psal. 103. *Qui firmauit terram super stabilitatẽ suam, non inclinabitur in sæculũ sæculi.* Vt. n. aiunt multi Philosophi, huiusmodi stabilitas in eo sita est, quòd terra ratione suæ grauitatis librata in centro consistit. Vnde Euthymius in citati psalmi locum dicit. Sed quamnam intelligit terræ stabilitatem? Dic, quòd diuina dispositio pro stabilitate ei effecta est; super se ipsam. n. eam stabiliuit Deus. Sic ille. Ecclesia verò in centro, hoc est in Christo, tamquam in firmissima petra fundata ab eo immobilitatem, stabilitatemq; sortitur; quare non mouebitur in sæculum sæculi, nec portæ inferi præualebunt aduersus eam.

Psal. 103. In quo sita sit terræ stabilitas.

Ecclesiæ stabilitas in Christo.

TERRÆ quoq; aliud fundamentũ adscribit Psal. 23. ibi *Quia ipse super maria fundauit eã, & super flumina præparauit eam*, & Psal. 135. dicitur; *Qui firmauit terrã super aquas*; super quæ loca lege Basilium, & Euthymiũ, atq; ẽt Chrysostomum, qui scribit, super aquas firmatam terram perhiberi, quia ex aquis educta, illis censetur insidere; sed cum ab eis irrigatur, florescit, virescit, fructusq; reddit, ac profert suauissimos. Super aquas pariter fundatam, firmatamq; Ecclesiam affirmare possumus, nimirum, super Spiritus Sancti gratiam, de qua Propheta Ezech. 36. ait; *Effundam super vos aquam mundam*.

Quomodo terra dicatur fundata sup aquas & etiã Ecclesia. Psal. 23. & 135.

Ezech. 36.

ADDE, quod nõ solum cœlum suas dicitur habere columnas Iob 26. hoc est, suam firmitatem, robur, & stabilitatem, id enim nomine columnæ cum Philippo, & Niceta in suis Paraphrasibus, super Iob intelligendum est; sed etiam terra suas habet columnas Iob 9. *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concu-*

Columnę terræ & Ecclesiæ. Iob 9.

S. Hieron.

concutiuntur, nimirum, suam stabilitatem, & consistentiam, vt doctè idem Hieronymus, & Philippus interpretantur. Quare S. Hier. egregiè dixit, columnas hoc loco pro stabilitate terræ intelligimus, quã Deus super semetipsam immobilissima mole fundauit. Vnde Symmachus locum illũ Psal. 103. *Qui fundasti terram super stabilitatẽ suam*; legit, super sedẽ eius. Et S. Hier. in Psalt. ex Hebræo, super basem suã; & Theodoretus explicat; hoc nihil aliud esse, quam permanentiam quandam terræ, vt non moueatur; habet. n. terra ex Basilij Hexameron, pro fundamento voluntatẽ, & imperium Dei, quod vno verbo Hierem. c. 51. dixit, *Qui fecit terram in fortitudine sua*. At verò neq; id deest Christi Ecclesiæ, quæ columnas suas, & bases habere dicitur, hoc est, permanentẽ stabilitatem in Christo; imò ipsa Ecclesia ob cœlestẽ in Deo firmam stabilitatẽ, columna, & firmamẽtum veritatis dicitur à Paulo 1. Timoth. 3. Ita quoq; Angeli ob permanẽtem in natura Angelica stabilitatem, nomine columnarum in scripturis appellantur: imò de futura immobilitate hominũ loquens filius Dei Apoc. 3. ait. *Qui vicerit, faciam illũ columnam in tẽplo Dei mei*. At verò quemadmodum Isaiæ 40. dicitur, Deum sedere super gyrum terræ, non solum ea ratione, quòd terræ, & terrigenis præsideat; sed quòd efficiat, vt ipsa terra sedeat, idest, vt permaneat immota, & firmissima subsideat; ita quoq; super gyrum, seu circuitum Ecclesiæ Deus sedet, non solum illam protegendo, ac regendo, sed efficiendo, vt fideles sedeant in regno suo; Ecclesia, inquam militante, ac ẽt triumphante, vt Dominus ipse sit Deus in Cœlo sursum, & in terra deorsum.

Ierem. 51.

Angeli dicuntur columnæ.

Deus quomodo super terram & Ecclesiam sedere dicatur.

An Christus pars mundi dici possit.

DVBIVM autem illud in hoc capite excitandum est: An Christus, qui est caput, & fundamentum Ecclesiæ, vt dictum est, pars mundi dici possit. Caietanus vltrò id concedit: nobis verò cum distinctione in hac re, si cautè loquendum sit, procedendum esse videtur. Humanitas enim, seu anima, & caro Christi præcisè, vt entia, sunt quid creatum, & consequenter pars vniuersi, materialiter loquendo; Christus tamen, etiam vt homo Dominus, non pars mundi censendus, & appellandus est, cùm hæc vox Christus pro supposito Diuino humanam naturam sustentante accepta, importet totum quid virtute, ac potestate perfectum super omnes creaturas existens, à quo omne ens creatum dependet, & gubernatur.

Quomodo Christus dicatur primogenitus creaturæ ad Coloss. 1.

HAC ratione dicitur Christus à Paulo ad Coloss. 1. *Primogenitus omnis creaturæ*, vt paulò ante indicauimus, non quidẽ ꝙ sit primaria creatura, quasi cognatas, pares, vel socias habẽs alias creaturas, vt falsò Arrius docebat; sed quòd sit princeps, & principium omnium creaturarũ. Quare subiungit statim Apostolus; *Quoniam in ipso condita sunt vniuersa*. Dicitur item Primogenitus creaturarum, quoniam cunctarum rerum creaturarum est robur, & firmitas. Primogenitus .n. idem est, ac fortitudo seu robur; sicut enim primogeniti sunt primi in natiuitate, sic etiam corporis firmitate, & robore à iunioribus parentibus accepto. Est igitur Christus Primogenitus omnis creaturæ, quoniam illarum cũctarum est principium, stabilitas, & fundamentum.

Cur Eucharistia Ecclesiæ firmamentum dicatur.

ROGABIT quispiã, qua ratione Dauid Psal. 71. dixerit. *Et erit firmamentum in terra in summis montium*. Numquid ad fundamenta Ecclesiæ mentem direxit? certè ad firmamentum panis respexit, hoc est, ad sanctissimam Eucharistiam, etenim cum hæc sit firmus, & solidus cibus, nomen frumenti, quo vita hominis continetur, & sustentatur, meritò consecuta est. Vnde Leuit. 26. *Baculus panis*, quia fulcit, sustentat, & firmat cor hominis, Eucharistia appellatur. Et Isai. 3. Fulcimentum, & robur panis. Dicitur autem in summis montium existere, vel per hyperbolem, vt Genebrardus notat, ac si diceretur, ex paucis granis etiam in cacuminibus montium, quæ solent alioquin esse infrugifera, maxima proueniet seges, quæ & superet libani altissimos cedros altitudine,

Leuit. 26.

Isai. 3.

vel

vel tàm procera ſit, vt agitante vento, talem ariſtis ſonitum edat, qualem arbores Libani; ſeu, vt Rabbi Salomon notat, quòd tempore Meſſiæ Euchariſticæ hoſtiæ, & panes delicatiſſimi, ac diuini vbique offerendi erant in capitibus ſacerdorum, qui montes ob eminentiam ſacerdotalis characteris dicuntur.

EVTHYMIVS horum verborum Pſalmi proximè adducti aliam expoſitionem tradit, ad noſtrum inſtitutum maximè facientem. Chriſtus, inquit, erit firmamentum in terra, hoc eſt, ijs, qui ſunt in terra, firmans nimirum eos, & ſtabiliens, qui antea quaſi nutantes circumferebantur à Dæmone; & quod ait in ſummis montium, poſuit pro, vſq; ad ſumma montium, quod propter ſanctos Eremitas dictum eſt, & alios Dei milites, qui illic habitaturi erant, veluti eos quoque eſſet ſtabiliturus. Vnde Dauid Pſal. 70. de ea re loquens ait. *Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt ſaluum me facias, quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.* Vbi Genebrardus per firmamentum rupes propriè intelligit, & refugium fortitudinem interpretatur. Pſal. 70.

HEBRAICE legitur in principio Pſal. 86. *Fundamentũ eius in montibus ſanctis*. Hier. in ſuo Pſalterio ex hebræo vertit; Fundamenta eius in mõtibus ſanctuarij. Huiuſmodi montes apud Hebræos præcipui in ſanctitate duo fuerunt, mons Sion, & Moria, cum fuerint Domino dicati, & conſecrati. Adde quòd Sion biceps fuit, itaut vnum ipſius iugum eſſet mons Moria propriè, in quo erat templum; alterum Sionis nomen retineret, in quo domus regia, Arx, & Ciuitas Dauid, qui & longo montium tractu ei eſſet coniunctus, qui dicebatur Sinai, quod iter eſt ſexdecim dierum. Apud Chriſtianos verò plures extiterunt montes ſancti à Chriſto miraculis, & diuinis actionibus conſecrati, vt Thabor, Oliuarum, & præcipuè Caluariæ mons, in quibus myſteria religionis chriſtianæ primùm à Chriſto edita fuere. Montes apud hebræos ſancti tate inſignes: & apud Chriſtianos.

SED circa verba huius primi verſus, legendi præterea ſunt hi Patres, Greg. in Iob lib. 28. c. 8. idem in 5. Pſal. pœnitent. Aug. tom. 4. lib. q. ſuper Exod. q. 12. Surius in vitis Sãctorum die 27. Ianuarij. Bernard. in Cant. ſerm. 53. & 73. Hier. in Iſaiam c. 22. c. 44. & c. 65. Genebrardus in Pſal. 113. verſ. 2.

CAPVT QVARTVM.

Quas præcipuas acceptiones habeat in ſcripturis nomen Fundamentum.

AD vberiorem huius verſiculi declarationem nonnulla ex Aria Montano in lib. de arcano ſerm. afferenda ſunt, quæ maximam lucem afferunt, & eruditionem his, quæ a nobis hoc loco diſſeruntur. Hic in cap. 90. eiuſdẽ libri notat nomen fundamenti in ſcripturis quatuor præcipuè ſignificare. Primò firmitudinem, ſeu robur, id enim, quod in ædificando primum ponitur, ea ratione fundamentum appellatur, quòd ædificij totius robur, & firmitudo ſit, atque id ipſum in omni negocio nomen fundamenti ſignificat, vt illud Prouerb. 10. *Iuſtus autem; quaſi fundamentum ſempiternum*; & illud Pſal. 136. *Exinanite, exinanite, vſque ad fundamentum in ea*: omnem Vrbis firmitudinem penitùs cõuelli ſignificat, & Pſal. 17. *Fundamenta montium conturbata ſunt*, & ibidẽ; *Reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum*. Secundò ſignificat conſiliũ; hinc namq; transfertur ad ſignificandam actionem rectè inſtitutam, & conſilio optimo initam, vt Luc. 6. *Similis eſt homini ædificanti domum, qui fodit in altũ, & poſuit fundamentũ ſuum ſu-* Quatuor fundamenti acceptiones in ſcrip. Prou. 10. Pſal. 136. & 17. Luc. 6.

buit potestatẽ dimittendi peccata, nec nõ soluẽdi ea in terris, vt soluta essent, & in Cœlis, Ecclesiam eminere. Fortitudinem verò Ecclesiastici montis perbellè idem Chrysost. scripsit in 2. cap. Isaiæ hunc in modum. Vocat autem nomine montis Ecclesiam simul, & inexpugnabilem dogmatũ eius traditionem, quemadmodum enim montibus, licèt quis obuallet, & obijciat militum millia decem, & hi quidem intorqueant arcus, isti euibrent hastas, & iaculentur, illi genus omne molitionis admoueant, & bellica machinamenta; illa vt sint omnia, nihil noxæ, aut detrimenti inuehent soliditati montium, illinc potius secedere cogentur, consumpta inaniter sua fortitudine. Sanè id ipsum contigit ad vnum omnibus, qui oppugnarunt Ecclesiam: hæc quidem inconcussa perstitit; illi verò è diuerso deperdita propria virtute indecoris infamiæ notam incurrerunt: dum eam feriunt, euanescunt; dum iaculantur in eam, imbelles redduntur; dum cędunt flagris, ab his vincuntur, qui malè affecti sunt. Et Cyrillus in eundem locum hæc verba habet. Legitur quidem Sion illa terrena Iudæorum in monte sita, & ædificata; intelligi tamen potest hic non crassè, aut sensibiliter, at spiritualiter Ecclesia, quæ etiam monti comparatur. Etenim verè est excelsa, & illustris, & omnibus vbique notissima. Aliter etiam excelsa est, quoniam terreni nihil sapit, ac supra res terrenas est, & gloriam Dei, quatenus licet, animi oculis intuetur, & sublimibus admodum de Deo opinionibus gloriatur. Græcorum enim cohortes lectissimæ, etiam si sapientiæ nomine valde supercilium tollerent; creaturam tamen quasi deificant, mundique elementis venerationem attribuunt. Terrenam siquidem habent mentem, & speculamenta humi repentia, & cor obtenebratum, cum se dicerent esse sapientes, infatuati sunt, sicut scriptum est. At Sion intelligibilis, Ecclesia scilicet, supra omnem creaturam, & aspectabilem, & inaspectabilem euolat, & ad ipsam adeo vniuersitatis naturam pertingit (luce enim diuina plena est) illamque agnoscit opificem, artificemq; vniuersorum, illi, atque adeò soli potentiam in omnia tribuit, eaque ipsa gloria tanta Deum, ac Christum optimum maximum Regem coronat. Hinc igitur mons intelligibilis, & domus Dei iure dici possit. Est & illustris, vt potè quæ supra colles eleuata, de qua meritò illud dici poterit, quòd illustris exempli causa Seruatoris voce dictum est. Non potest Ciuitas abscondi supra montẽ posita. Hactenus ille. Quod etiam Origenes lib. 5. contra Celsum loquens de Ecclesia affirmat; Hanc, inquit, contemplemur, quomodò ædificata sit in summis montibus, omnibus Propheticis sermonibus, qui eius fundamenta sunt. Extollitur autem hæc domus super omnes colles, qui videntur aliquid eximium in sapientia, & veritate polliceri apud homines: & alia in hanc sententiam. Dicitur autem in vtroque loco Isaiæ, & Michææ, *mons preparatus*, hoc est, vt in Hebræo legitur, firmatus, & stabilitus. Etenim Ecclesia non concidet, vt Synagoga, cum ex Christi pollicitatione, aduersus eam nec portę inferi, hoc est, non solum humanæ, & terrenæ, sed etiam Diabolicæ potestates nequeant præualere. Matth. 16. Sic Regnum Dauid firmatum nimis dicitur 3. Reg. 2. & Oseæ 6. *Quasi diluculum præparatus est egressus eius*, Psal. 23. *Et supra flumina præparauit eam*, & Prouerb. 8. *Quando præparabat cœlos aderam*, Psal. 9. *Parata sedes tua ex tunc à sæculo tu es*. Quibus in locis dictio hebræa, quæ præparare interpretatur, significat rem, non vtcumq; paratam, sed ita structam, vt firmissima sit, quę à nemine impediri, vel dimoueri, ac diuelli possit. Quocirca Dauid Psal. 50. petebat à Domino, vt Deus spiritum rectum, hoc est, spiritum stabilem, seu firmiter stabilitum in bono, ita vt a rectitudine dimoueri non possit, vt Hieron. vertit, renouaret in visceribus suis.

S. Cyrill.

Origen.

Oseæ 6. Psal. 23. Prou. 8. Psal. 9.

TERTIO ad significandam vtilitatis communicationẽ, quã lex Euangelica omnibus allatura erat; monti enim impositam Ciuitatem conspicuam,& illustrem,multisq; expositam,& eius vtilitatis communionem significare perspicuum est, vt, *Vos estis lux mundi, non potest Ciuitas abscondi super montem posita.* Matt. 5. *Et, Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Matt. 26. *Et, Non erubesco Euangelium, virtus.n. Dei est in salutẽ omni credenti, Iudæo primũ,& Græco,* ad Rom. 1.

Ex montibus magna vtilitas, & communicatio
Matt. 25. & 26.
Ad Rom. 1.

QVARTO ad significandam securitatem,& certam spem salutis, quã lex Euangelica affert ijs, qui eam dignè in Ecclesia Catholica amplectuntur, & colunt, montes enim ad habitandum securitatis causa petuntur,atq; naturæ firmitudine, & ascensus difficultate tutiores efficiunt vrbes, vt; *Et noli respicere post te, nec stes in omni circum regione sed in monte saluum te fac.* Gen. 19. *Qui habitat in adiutorio altissimi* Psal. 90. *Altissimum posuisti refugium tuum,* ibidem.

Montes loca tuta.
Gen. 19.
Psal. 90.

QVINTO ad demonstrandum, Ecclesiæ habitatores, vt exercitatiores, itaquoque bello aptiores aduersus carnem, mundum,& potestates terrenas esse debere. *Sic, Esau habitauit in Monte Seir, ipse est Edom,* Genes. 39. fuit hic Pater Idumæorum,qui ad bellandum semper parati erant.

In mõtibus bellatores apud. es fiunt.
Gen. 36
Montes loca refugij.

SEXTO ad ostendendum, Ecclesiam esse firmum præsidium eorum omnium, qui periculis,& persecutionibus aguntur; belli enim metu, & periculi, vel depellendi, vel sustinendi spe, montana loca à quibusdam occupari solent; vt. *A voce equitis, & mittentis sagittas fugit omnis ciuitas, ingressi sunt ardua, & ascenderunt rupes.* Ierem. 4. *Et, Israelitæ Madianitarum metu fecerunt sibi speluncas, & antra in montibus, & munitissima ad repugnandum loca,* Iudic. 6. *Et in domino confido, transmigra in montem, sicut Passer.* Psal. 10.

Ierem. 4.
Iud. 6.
Psal. 10.

SEPTIMO, ad denotandũ confinia viarum Ecclesiæ, quibus fideles ad Cælum pergunt, iuxtà illud Psal. 15. *Notas mihi fecisti vias vitæ,* & illud Psal. 24. *Vias tuas Domine demonstra mihi.* Solent.n. in scripturis frequẽtissimè certis nominibus montiũ, itinerum, agrorũ,& terminorũ definitiones describi, vt, *Facta est habitatio eorũ à Messa pergentibus vsq; ad Sephar montẽ orientalẽ* Gen. 10. *Et, cũ castra mouissẽt de Cades, venerut in mõtẽ Hor, qui est in finibus terræ Edom.* Nu. 20. *Et, sufficit vobis, quòd in hoc monte mansistis, reuertimini, & venite ad montẽ Amorrhæorum.* Deuter. 1. Vnde Psalmista ait, *Leuaui oculos meos in montem, vnde veniet auxilium mihi.* Psal. 20.

Montes confinia Ecclesiæ.
Gen. 10.
Num. 20.
Deut. 1.

OCTAVO ad ostendendam fœlicitatem,& prosperitatem Ecclesiæ per Christum perfectam, vt; *In die illa stillabunt montes dulcedinem,* Ioel. 3. & Amos 9. vbi lege Hieronymum.

Mõntes felicitatem denunciãt.
Ioel. 3.
Amos 9.

NONO ad indicandã Ecclesiæ Christianæ fęcunditatẽ, hoc est spiritualium bonorũ copiam, virtutes, nec non dona, fructusq; spiritus, & sacramẽtorũ flumina, quæ ex montibus, in quibus fundata est, perenniter emanãt, montes.n. vt sunt ditissima terrarũ loca, sic multis rebus, tum gignẽdis, tũ conseruandis opportuni, & natura sua fęcundissimi. Quare Hebraicè dicuntur, *Harim,* q. lapidibus, mineralibus, aquis,& alijs quamplurimis succorũ,& virtutum generibus grauidi sint. Conferunt itẽ multum montes ad salubritatẽ aeris, ad fertilitatem soli, ad maturitatẽ fructuum, ad coercendos, frangendosq; maris impetus, ad furorẽ ventorum refrænandũ, ad generationẽ fontiũ,& fluminum, quæ ferè originẽ habẽt è montibus. Quapropter Dauid cecinit in Psal. 103. *Qui emittis fontes in conuallibus: inter medium montium pertransibunt aquæ.* Multæ item arbores, multaq; animantia non alibi, quàm in montibus generari, pasci, & versari solent.

Montes fœcundissimi.
Psal. 103.

DECIMO, ad congregandas gentes, vniuersosq; mundi populos, Ecclesia in montibus sua iactat fundamenta; interdum enim cogendi,& conuocandi populi causa in montibus clamatur, vt, *Loquimini, & canite tuba in terra, clamate fortiter, & dicite, Congregamini, &c.* Ierem. 4.

Montes ad clamorem emittẽdum apti.
Ierem. 4.

Montes ad distinguendū accommodati.

VNDECIMO, ad distinguendum populum fidelem ab infideli; valent enim montes, præter ea, quæ superius dicta sunt, ad disterminandas prouincias, & nationes. Sunt enim quidam montes regnorū, gentiumq; quasi limites, & termini, quorum arduus, & difficilis transitus obstat, ne aliæ gentes alias bello appetere, & vexare aggrediantur; quem in vsum videntur Pyrenæi montes inter Galliam, & Hispaniā à Deo interpositi. Ita quoq; rectè dicitur Ecclesia in montibus fundata, vt intelligatur, fideles in ea ab infidelibus, Ethnicis, Hebræis, Hæreticis in cultu; fide, religione, moribus distinctos, & separatos esse. *Quæ enim*, vt inquit Paulus, *conuentio est lucis ad tenebras, & fidelis cum infideli?*

2. Cor. 6.

Quatuor insignia in Montibus.

DVODECIMO, Sicut in montibus quatuor præcipuè obseruari, & commendari possunt. Primum longitudo, seu amplitudo montium, sicut Pyrenæorum in Hispania, Tauri in Asia, Alpium in Italia, & Riphæorum montium, quos mundi catenam, & cingulum nonnulli appellauerunt. Deinde eorum altitudo, quorundam enim adeò in sublime elati sunt vertices, vt propè Cœlum contingere videantur, vt Pelias, Casius in Asia, Atlas, Olympus in Thessalia, Athos in Macedonia, de quibus Plinius lib. 2. cap. 74. & lib. 5. cap. 22. Solinus cap. 14. Homerus, & alij. Item antiquitas; solent enim in scripturis montes, & colles etiam æterni, non tantùm antiquissimi appellari; & in lib. Prouerb. cap. 8. diuina sapientia eò probat suam antiquitatem, quòd prior fuerit montibus, & collibus; *Nec dū montes graui mole constiterant, ante omnes colles ego parturiebar.* Ad extremum res insignes, ac memorabiles in montibus gestæ eos in omne æuum decorarunt, ac nobilitarunt. Multi .n. montes ob huiusmodi res memorabiles, tam apud prophanas, quàm apud sacras historias legimus; quas nunc recensere operę pretium non est. Sic Ecclesia ob eius amplitudinem, eximiam celsitudinem, antiquitatem, & quòd multarum rerum in ea gestarum, diuinorumq; mysteriorum clarissima monumenta contineat, rectè, ac congruè in montibus sanctis fundata dicitur: neque enim in vno solo monte coarctata, & coangustata est fides, & cultus Christianorum, vt Iudæorum, seu Samaritanorum, Ioannis 4. sed vbiq; terrarum adoratio sanctissimæ Trinitatis, & perfectus cultus Christianus Deo trino, & vni à Christianis exhibetur. *Venit hora*, inquit Dominus, *& nunc est, quando neq; in monte hoc, neq; in Hierosolymis adorabitis Patrem, sed veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.*

Prou. 8.

Ioan. 4.

Venustas, & elegantia à Montibus quanta.

DECIMOTERTIO, Montes si non adessent, & Orbi plurimum decoris, & humano generi non modicum fuisset commodi ademptum. Quis enim venustatem proficiscentem à montibus, quamuis siluosis, & commoditatem non vehementer admiretur? Montes rupibus suis excelsis coercent mare, ne prosiliat in terram, & eius efferatam rabiem retundunt. Montes saluberrimum habent Cœlum, aeremq; defæcatum ad tuenda corpora nostra, recreandaq; è morbis aptissimum. Montes amenissimos continent secessus, saltus opacos, frondifera nemora, ad vitam quietiorem ducendam. Montes sua maxima varietate nos delectant: in his enim præclari prospectus, dum in his modo collis surgit, modo vallis hiat, modo pendet rupes, modo vmbriferum conspicitur nemus. Montes siluas proficuas alunt, quæ nobis omne genus ligni humanis vsibus necessarij præbent. Montes feras, animaliaq; nutriunt, tum mansueta in hominis opem, tum fera ad venatum, ex quo & victitant mortales, & exercentur, & vires corporum firmant, & incredibilem capiunt iucunditatem. Montes gignunt nobis fontes, & flumina, cum in eorum cauernis latissimis; specubus frigidus aer cogatur, & distillet, & defluat per fontes, sine quibus maximis incommodis vita nostra vexaretur, & vniuersa Orbis facies aquis per flumina delabentibus non irrigaretur. Sic quoque si potestas iurisdictionis in Republica, & præsertim Ecclesiastica, non adesset, omnia confusa,

fusa, indecora, & perturbata essent; nil iucundum, nil pulchrum, nihil solidum, & constans in Ecclesia reperiretur.

Prouidẽtia Dei peculiaris in montibus.

DECIMOQVARTO, in montibus maximè Dei prouidentia resplendet, vt egregiè demonstrat Steuchus lib. 7. de perenni philosophia; sic etiam in Iurisdictionis Ecclesiasticæ origine, ac vsu: sed de his hactenus, & fusius suo loco.

CAPVT SEXTVM.

Applicatur Deiparæ primus Psalmi versus; Fundamenta, &c.

ONNVLLI grauissimi, ac doctissimi expositores sapienter, & congruè accommodant Beatæ Virgini hunc psalmum, quem præ manibus habemus. Sic Hugo Cardinalis, Albertus Magnus, Auctor dictus Incognitus, nec non alij, ante quos Beatus Augustinus super præfatũ Psalmum id quoq; videtur innuisse. Quocirca optima ratione Ecclesia in officijs de B. Virgine hunc psalmum vsurpat, nequaquam verò in officijs cæterarum Virginum. Quem morem nos sequentes idem libentissimè in hoc opere præcipuè agere decreuimus. Et licèt officium paruum B. Virginis cœperit recitari in Ecclesia Anno 1096. sub Vrbano Secundo ex Concilio Claramontano contra Saracenos, & Turcas; nihilominus Breuiarij Romani institutio, in quo multæ festiuitates de B. Virgine celebrantur; in quibus in secundo nocturno tertio loco psalmus hic recitatur, cœpit anno 370. sub Damaso, Hieron. & Ambrosio. Ita Sigebertus in Chronicis, & Rodulphus Tungrens. & Genebrard. in Præfat. Psalmorum. Obligatio verò recitandi Horas Canonicas à Pelagio Secũdo sub anno 590. & D. Greg. eius successore, qui versiculum, *Deus in adiutorium meum, &c.* prout à S. Benedicto didicerat, præmisit, orta est.

Quando incepit recitari in Ecclesia officiũ B. Virginis.

FVNDAMENTA, &c. Si B. Virginis fundamenta, hoc est tàm carnalia, quàm spiritualia principia, radices, & primordia inspiciamus, vtriq; illa in montibus sanctis innixa, & fixa reperiemus. Carnalia sunt ea, ex quibus Deipara carnem, sanguinisque prosapiam obtinuit, originem ducens ex Regibus, ex Tribu Iuda, ex stirpe Dauid, ex Prophetis denique, & Patriarchis. Ita Hugo Cardinalis, Albertus Magnus, & Bustus in par. 9. sui Marialis serm. 4. Reges enim, Prophetæ, & Patriarchæ, tamquam personæ eminentissimæ, rectè montibus comparantur, & vt progenitores Mariæ in eius Genealogia Matth. 1. enarrantur. Quare egregiè Honorius lib. de laud. Virg. hæc scripsit: Ex benedicto Patriarcharum semine, & præclaro Prophetarum germine, atque sacra sacerdotali stirpe, generosa quoque & regali progenie, hæc inclita virtutis Dei Virga insignis Virgo Maria processit; quæ omni genere generositatis iure debuit præfulgere, quoniam ipsum totius generositatis principalissimum, singularissimumque fontem, ac florem meruit germinare. Adde, quòd ex spectatissimis parentibus, Ioachim, & Anna tamquam ex editissimis montibus, Maria processit.

Nobilitas Mariæ secũdum carnem.

VERVM altissima Mariæ fundamenta, seu initia spiritualia proferamus. Fuit illa antè omnes puras creaturas ab æterno in diuina mente præelecta, & præordinata, vt esset temporalis mater filij Dei. Fuit ante omnes alias rerum Idæas præintellecta, & præconcepta. Fuit in summitate montium innocentiæ, & puritatis; in monte iustitiæ originalis, & in monte diuinæ gratiæ præseruantis

Spiritualis Mariæ nobilitas.

ris fundata, hoc est electa, & à Deo in illis constanter firmata, adeò, vt nunquam ab hoste maligno, vel leuiter concussa, vel ab illis dimota fuerit, iuxta illud Prouerb. 12. *Radix iustorum non commouebitur.* Et iterum, *Domus iustorum permanebit*, & rursus. *Radix iustorum proficiet.* Quę sententiæ eminentiori modo in Deipara relucent, cum iustitia, & sanctitate cæteros antecellat.

Prouerb. 12.

DE Christo dicitur Apoc. 5. *Radix Dauid*, & 22. *Ego sum radix, & genus Dauid.* Quæ duo Christo côueniunt ratione matris, à qua accepit carnem, ratione cuius radix, & genus Dauid dicitur, vt Arethas, & Ansbertus asserunt, licèt Rupertus, & Pannonius ad eius diuinitatem referant. Notat D. Hieron. super illa verba Isaiæ, cap. 11. *Egreditur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*; Beatam Virginem, quam ibi per virgam intelligit, & Christum, quem florem interpretatur, dici de radice Iesse ascendere, cum neque virgæ, neque flores ex arborū radice soleãt immediatè ascēdere, vt ostēderetur, multò post tēpora Babylonicæ captiuitatis, nullo de stirpe Dauidis antiqui Regni gloriam possidente, quasi de trunco Mariam, & de Maria Christum fuisse exortum. Virga igitur, hoc est, Maria de radice, seu fundamentis Iesse exire dicitur, vt ex ea Christus, tamquam flos ascēdat. Ex flore vero, vt inquit Tertull. lib. de carne Christi cap. 21. omnes fructus oriuntur. Est item Deipara medulla sublimis cedri, cuius tener surculus à Deo plantatus fuit super montem excelsum, & eminentē, vt prophetauit Ezechiel cap. 17. *Sumam ego de medulla cedri sublimis, & ponam de vertice ramorum eius, tenerum distinguam, & plãtabo super montem excelsum, & eminentem, in monte sublimi Israel plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in Cedrum magnam, & habitabunt sub ea omnes volucres, & vniuersum volatile sub vmbra frondium eius nidificabit.* Et licèt hęc Prophetia de Christo intelligatur, vt Theodoretus in suis Commēt. benè notauit; vnde Septuaginta verterunt: In monte sublimi Israel, hoc est, in monte Caluariæ suspendam illam; nihil tamen repugnat, quin Virgini secundùm aliquem verum sensum accommodari possit.

Apoc. 5. & 22.

Locus Isa. 11. explicatur.

Ezechiel. 17.

PRÆTEREA habuit Deipara pro fundamento ipsum Deum, quatenus est omnipotens. Vnde Cantic. 8. dicitur. *Innixa super dilectum suum*, Innixa ergo fuit super montem, de quo Psalm. 124. dicitur. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, &c.* Innixa fuit super fortissimam turrim, de qua Prouerb. 18. dicitur. *Turris fortissima nomen Domini.* Fuit pręterea illa domus, quę cadere non potuit, quia fundata erat super firmam petram, vt dicitur Matth. 6. Quare Lucę 1. id innuens, Virgo cecinit. *Fecit mihi magna, qui potens est:* quia fundamentum maternitatis diuinę est Dei omnipotentia, teste Gabriele; *non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Omnipotentia Dei, fundamentum Deiparæ. Cant. 8. Psal. 124. Prou. 18.

AMPLIVS, Fundamenta Deiparę in montibus sanctis collocata fuere, hoc est in attributis trium diuinarum personarum, per montes enim sanctos altitudo Trinitatis optimè, ac necessario intelligitur. Quod Gabriel in suo Dialogo cū Deipara aperuit, tres diuinas personas indicans, dū dixit; *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi, &c. Et quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei.*

FVNDATA enim fuit Deipara super altitudinem potentię Patris, qui eam in bono confirmauit; super altitudinem sapientię filij, qui eam omni sapiētia illustrauit; super altitudinem dilectionis Spiritus sancti, qui eam in gratia perpetuò stabiliuit. Homo enim de facili cadit, tùm quia habet corpus luteum, tùm quia habet fundamentum terrenum, de quibus dicitur Iob 4. *Qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum.* In quibus verbis non solum humanæ ignobilitatis, & sordium symbolum indicatur; sed etiam mortaliū ignobile, & sordidum corpus significatur; quod à Paulo 2. ad Corinth. 5. *Terrestris*

Diuina attributa etiã sunt Deiparæ fundamēta.

Iob 4. 2. ad Cor. 5.

domus nostra huius habitationis, quæ dissoluitur appellatur. Homo enim terrestrē, seu luteam domum inhabitat, nempe corpus; & terrenum habet fundamentum, cum illius firmitas nihil aliud sit, quam leuissimus, & tenuissimus puluis, ex quo nihil diuturnum, aut firmum compaginari potest. Quocirca pedes statuæ Nabuchodonosor non immeritò lutei describuntur, vt significetur, totius humanæ vitę molis, splendoris, & gloriæ fundamentum imbecillum esse. Dicitur quoque homo terrenum habere fundamentum, quoniam spem suam super mūdum collocat, vt Matth. 7. habetur. *Aedificauit domum suam super arenam.* Vnde Sapient. 15. homo cor cinereum habere dicitur. *Cinis est enim,* inquit, *cor eius, & terra superuacua spes illius,* hoc est, vt ex græca lectione Iansenius notat, vilior, quàm terra: Vnde subditur. *Et luto vilior vita illius.* Non sic autem fuit B. Virginis ædificatio, tum quia corpus eius, quamuis luteum esset, quoad naturæ cōditionem, in fornace tamen diuini amoris ita concrematum, & consolidatum fuit, vt numquam cadere posset, cum in eo nihil de carnalitate remanserit. Vapor enim diuini solis carnes eius exussit. Ecclesiast. 38. Et ad purum scoria illius excocta fuit. Isai. 1. Vnde in ser. de Assumpt. apud Hieronymum legitur. Puto, quòd quicquid cordis est, quicquid mentis humanæ, si totum adhibeas non sufficeret, vt cogitare valeas, quando Virgo Beata indesinenter cremabatur ardore pij amoris. Tū etiam, quoniam habuit animum cœlestem, qui totus erat in Dei amorem conuersus. Vnde Hieron. loco citato ait. Totam eam repleuerat Spiritus sancti gratia, & totam eam incēderat diuinus amor, itaut nihil in ea esset, quod mundanus violaret affectus, sed ardor cōtinuus, & sobrietas superfusi amoris. Quòd si de iusto Prouerb. 10. dicitur. *Iustus autem quasi fundamentum sempiternum*; non enim iustus transeunti procellæ, vt impius comparatur, sed sempiterno, stabili, ac firmo fundamento: a fortiori Deipara, quę supra firmā petrā solidata fuit, in seculū seruabitur, & quasi sempiternum fundamentum erit. Matth. 7. Sap. 15. Eccl. 38.

IDIOTA in libro de laudibus Virginis cap. 4. eleganter scribit, Mariam esse templum Dei absolutissimum, cuiusq; fundamenta his verbis explanat. Ideò dicitur, sapientia ædificauit sibi domum, idest, te Virginem Mariam, vt in te habitaret per humanæ naturæ assumptionem. Et non solum sibi ipsi soli te fecit, sed te Angelis dedit in instaurationem, hominibus, & nostræ naturæ in reparationem, inferiori creaturæ in liberationem, sibi in matrem, dæmonibus in hostem, detentis in limbo in ereptionem. Nam in principio cum ceciderunt Angeli, natura erat corrupta, Deus offensus, & Diabolus victor. Sed per te, ò superbenedicta Virgo Maria, innocentia reparatur, vita Angelica reducitur, Deus homini pacificatur, & vnitur, Diabolus vincitur, & conteritur, quia de te scribitur. Ipsa conteret caput tuum. Sapientia igitur te ædificauit in domum, siquidem amissæ erant animæ, quæ ob nihil aliud factæ erant, nisi vt esset in eis habitatio sapientiæ, & hoc si permansissent sanctæ. Sed quia corruptæ erant omnes, & peccato vacillauerant, ideò te gloriosissimam Virginem Mariam ædificauit in domum solidam, & fortem, quę nullo modo vacillare posset, ideo excidit columnas septem, ad te fortiter, & sublimiter sustentandam. Septem columnę, quibus semper firma stetisti, sunt septem dona Spiritus Sancti, quę requieuerunt in te, & nunquam te deseruerunt, per quę stetisti firmiter, & perseueranter in omni gratia, & virtute.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Fortitudo Virginis ex nomine fundamenti ostenditur: & quomodo sit mulier fortis.

Ex Prou. 31. per modũ paraphrasis fortitudo Virginis colligitur

VNDAMENTA igitur Deiparæ in montibus sanctis collocata fortitudinem eius ostendunt, neque enim mulier mollis, & infirma fuit, sed robusta, constans, & fortis, vt Salomon Prouerb. 31. dixit. *Mulierem fortem quis inueniet?* Verè mulier fortis, de qua dictum est Genes. 8. *Ipsa conteret caput tuum.* Verè mulier fortis, quoniam eorum omniũ, qui in Christo regenerantur, parens, & mater est. Verè mulier fortis, quoniam non solum fortitudine corporis, sed etiam cordis prædita fuit. Verè mulier fortis, quæ nec timida, nec animi deiecti, nec parum animósa ad res gerendas, sed strenua, sedula, & planè virilis animi, & in ferendo, & in agendo fuit. Verè mulier fortis, cum Dei, qui fortis est, perpetuam colens Virginitatem, mater fuerit. Verè mulier fortis, cum in ea cor filij sui, qui antonomasticè vir dicitur, nihil de eius continentia metuens, abundè confidat. Verè mulier fortis, quoniam per eius diligẽtiam, ac laborem, & cœleste studium alienis, & externis spolijs dum viueret in terris, cum plena gratia fuerit, non indiguit. Verè mulier fortis, quæ omnibus diebus vitæ suæ Christo non mala, sed bona reddidit, idq; sine alicuius mali permistione. Verè mulier fortis, quæ domesticis, Ecclesiæ, nempe filijs, securitatem, ac salutem procurauit, & conseruauit. Verè mulier fortis, quæ non expectauit, vt ei lana, vel linum offerretur, & ad operãdum cogeretur, sed ipsamet illa quęsiuit, vt sua industria Christi Ecclesia locuples efficeretur. Verè mulier fortis, quæ panem præciosum, & à longè petitum, nempè à Cœlo in Ecclesiam contulit. Verè mulier fortis, quę de nocte surgens prędam, hoc est cibum, non per otium, vel ex dolo alicuius acceptum; sed indefessio suę fortitudinis labore domesticis, hoc est, catholicis, & fidelibus Ecclesię filij sui protulit. Verè mulier fortis, quę cibaria ancillis suis, hoc est animabus eam imitantibus dedit. Verè mulier fortis, quę sępe mundi agrum considerans, ad instar accuratę matronę varias eius regiones sua intercessione, & meritis Christo acquisiuit, & emit. Verè mulier fortis, quę non solum cibum, sed etiam potum, & vinum germinans Virgines mundo attulit, nempè Christum. Verè mulier fortis, quę domesticis, ac rusticis operibus in cõuertendis gentibus incumbens, non est fracta animo, sed viriliter accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Verè mulier fortis, quę etiam in nocte peccatorum dormientibus salutem procurat. Verè mulier fortis, quę non solum suorum domesticorum, sed etiam exterorum, & infidelium sollicitè curam gerit, mittens operarios, qui docendo illis succurrant, & veritatis, ac salutis viam aperiant. Verè mulier fortis, quę ita protegit domesticos suos, vt contra frigora niuis, hoc est, persecutiones, & algores tentationum, illos benè muniat. Verè mulier fortis, quę Regiam supellectilem, & sumptuosa ornamenta virtutum sibi, cæterisque Ecclesię fidelibus suis meritis comparauit. Verè mulier fortis, quę cingulum, carnem scilicet, & humanitatem tradidit Chananęo, hoc est, peregrinanti Christo. Verè mulier fortis, cuius indumentum decor, & fortitudo est. Verè mulier fortis, quę, licèt multæ filiæ congregauerint sibi diuitias, supergressa est vniuersas. Verè mulier fortis, quæ à filio suo laudatur, & ab omnibus beatissima prædicatur. Verùm, vt Ierem. cap. 31. verbis ytar, si mensurari potuerint cœli sursum, & inuestigari funda-

menta

menta terræ deorsum, numquid Deiparæ fundamenta inuestigari poterunt? *Numquid*, vt inquit Isaias cap. 40. *non intellexistis fundamenta terræ?* Fundamenta Deiparæ sunt, æterna præelectio ad diuinam maternitatem, plenitudo gratiæ ab instanti suæ Conceptionis, perpetua Dei protectio, oracula Prophetarum, Patriarcharum figuræ, ac denique noui, ac veteris testamenti scripturæ. Quis hæc plenè, ac perfectè intelligere, metiri, ac inuestigare poterit? *Generationem eius*, filij nempè, ac deinde etiam matris, *quis enarrabit?* Est cacumen illius tangens cœlum. Genes. 28. Est mulier sole circumamicta Apoc. 12. tantæque celsitudinis, vt stellas tangat, & illas pro diademate in capite gestet. Ibidem. Est mulier, cuius bona in Domino sunt stabilita. Ecclesi. 31. Quòd si Deus cœlos extendit, & terram stabiliuit. Isa. 44. quomodo non firmauit, ac stabiliuit Mariam, quæ terra, & cœlo amplior, & dignior est? Laudemus Deum in firmamento virtutis eius, hoc est, in Maria, quæ omnium virtutum firmamentum est, atque solidissimum fundamentum: in qua Deus quasi vltimos terminos infinitæ suæ potentiæ, immensæ suæ sapientiæ, & eximiæ suæ bonitatis ita posuit, firmauit, expressit, & stabiliuit, vt pura creatura intellectualis melior, ac sanctior Maria, nec futura sit, nec facta fuerit. Encomia Virginis.

CAPVT OCTAVVM.

Quomodo Deipara sit Ecclesiæ firmamentum.

IN operibus sex dierum, cum primùm hæc machina mundialis condita fuit, primum locum obtinuit lux, secundum firmamentum; illa tenebras à se ipsa, diem à nocte distinxit, ac segregauit; hoc aquas ab aquis; sic in Ecclesiæ ædificatione Christus, qui est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; primam habet sedem; secundam Maria, tamquam firmamentum, ad hoc in Ecclesia posita, vt aquas superiores ab inferioribus diuideret, hoc est, vitam cœlestem, ac spiritualem à terrena, quę varijs prauis affectibus referta est, vt aqua inferior turbida, atq; cœnosa. Sic Origenes Homil. 1. in Genes. has aquas exponit his verbis. Studeat ergò vnusquisq; nostrû diuisor aquę effici eius, quę est supra, & quę est subtus, quò scilicet spiritualis aquę intellectum, & participium capiens eius, quæ est supra firmamentum, flumina de ventre suo educat aquę viuę salientis in vitam ęternam, segregatus sine dubio, & separatus ab ea aqua, quę subtus est, idest aqua abyssi, in qua tenebrę esse dicuntur, in qua Princeps huius mundi, & aduersarius draco, & Angeli eius habitant, sicut superius indicatum est. Illius ergò aquę supernę participio, quę supra Cęlos esse dicitur, vnusquisque fidelium cœlestis efficitur, idest, cum sensum suum habet in arduis, & excelsis, nihil de terra, sed totum de cœlestibus cogitans, quę sursum sunt quęrens, vbi Christus est in dextera Dei Patris. Hęc ille. Christus lux, & Maria firmamentum. Origen.

EST quoque Deipara firmamentum Ecclesię, quòd discernat, ac diuidat beatos à damnatis, iustos à peccatoribus: sic Anastasius Synaita lib. 2. Comment. Hexameron aquarum diuisionem exponit his verbis. Intelliges autem duarum aquarum diuisionem, iustos, qui separantur à peccatoribus; illos quidem, qui rapiuntur in nubibus supra fundamentum, hos verò, qui infra transmittuntur ad inferos. Immò etiam Iudęos à Gentilibus, vt idem Anastasius eodem loco innuit, his verbis. Nonnulli autem hoc etiam referunt ad duos populos, nempè & ad nos quidem stantes, qui firmi sumus, ac stabiles supra Petri fundamentum, Anast. Syna.

& illius fidei immobilem constantiam: & ad Iudæos, qui ceciderunt, & subiecti sunt inferiori firmamento. Quod etiam asserit S. Aug. Diuisio, inquit, aquarum, Iudæorum populorum, & Christianorum, sicut Apocalysis: Aquas, quas vidisti, populi sunt, & nationes. Cum aquas dicit super cœlos impositas, Christianum populum nuntiat. Ac deniq; testamentum nouum à veteri, doctrinamq; sanctã, & catholicam ab hæresibus, & falsis dogmatibus. lege S. Aug. in Præf. in Psalm. 47. & S. Hier. ibidem; necnon Bedam in Genesim, vbi sic scribit. Aliter per firmentum Ecclesia in medio aquarum, idest, inter duas leges intelligitur; vel inter sanctam doctrinam, & hæresim, quæ aquas ab aquis diuidit, idest, nouum à veteri, vel sanctam doctrinam ab hæresi. Diuisitq; vsque sub firmamento, idest, vetus, & hæreses sub Ecclesia sunt. Nouum autem, & sancta doctrina super Ecclesiam sunt. Vocauitq; firmamentum cœlum, idest, Ecclesiam à celsitudine. hæc ille. Quæ autem de Ecclesia dicuntur, principaliter Deiparæ competere nemo negabit. Non me latet, eundem Anastasium lib. 1. in Hexameron per firmamentum, carnem Christi interpretari in medio aquarum, hoc est, in vtero virginali, factam, atq; concretam; quam allegoriam, cum in Deiparæ quoq; laudem vergat, lector iucundè accipiat. Quid, inquit, necesse erat, dic quæso facere secundùm hoc velum, Cœlum inquam, quod dicitur firmamentum? Sufficiebat. n. primum Cœlum ad situm Solis, & Lunæ, & stellarum ad illuminandã terrã. Si autem hoc omninò necesse est fieri, cur non secundũ quoq; Cœlum, sicut primũ fuit indigena, sed tamquam ex aliqua externa regione ipsum extulit ex terra, & ex eius guttis? Superioris ergò Cœli natura incomprehensibilis mihi videtur habere typum, ac figuram diuinitatis inaspectabilis, & incomprehensibilis. Firmamentum autem, quod ab imo ascendit, habet figuram Christi humanitatis, seu carnis. Aqua autem, quæ cum eo ab imo ascendit, & intercepta fuit in medio primi, & quod propriè est Cœli, & huius firmamenti, quod ascendit ab imo, describit imaginem impollutæ eius animæ, quæ est media inter diuinitatẽ, & carnis crassitudinẽ, vt potè quòd sint duo hi Cœli, ex quibus alterũ quidem est aspectabile, alterum verò nõ cadit sub aspectum. Eius, quod dictum est, testis est Greg. in rebus diuinis præclarus, dicens, Domini animam esse intermediam inter diuinitatem, & carnis crassitudinem. Anima. n. & aqua dicuntur signa vitæ in diuina scriptura. Hæc ille. Superius autem firmamentum hoc in medio aquarum, nimirum vteri virginei, compactum fuisse, his lepidè demonstrat. Non fit autem extra aquam hoc firmamentum, sed in medio aquæ omnium gentium ex ea concretum. Quoniam fecit Deus salutem in medio terræ, vt potè qui habitauerit in medio terreni vteri Virginis, & salutem mundi fecerit, compacto firmamento sancti sui corporis in medio incorruptæ matricis fontis vitæ puellæ Dei matris, & posito sub aqua firmamenti, sub sole inquam eius diuinitatis. Amplius, Christi caro quomodo Cœlum nuncupari potuerit, sapienter, prolixeque sic enarrat. Vide enim, quòd Cœlum quidem superius, & quòd non cadit sub aspectum, natura ab initio vocatum est Cœlum. Firmamentum autem materiale, quod ab imo ascendit, non natura ab initio factum est Cœlum, sed post vnionem, quam habuit cum Cœlo natura inaspectabili, tunc quoque ipsum Cœlum est appellatum. Sed quoniam sanctum quoque Christi corpus deificatione, & vnione dicitur Deus, non autem natura, necesse est ob typicas, sed non naturales, quæ dictæ sunt rerum traditiones, id dicere firmamentum, quod factum est ex aquis. Erat abyssus tenebrarum sedes homo. Quæ autem per Christum exaltata est supra Dei lucis sedes, considet etiam cum eo indiuiduè. De his in Christo vnitis Cœlis, seu naturis dictum est illud. Cœli enarrant gloriam Dei, hoc est, naturæ Christi prædicant, & gloriam ipsius Dei vnigeniti; qui ex ipsis, & in ipsis consideratur, & paternam eam quidem, vt Deum declarantes,

rantes,

ranter; & vt hominem, qui est simul in ipso Deus. Manuum autem eius facturam, cum oporteret eum tangentem per se operari, in miraculis annunciat firmamentum, hoc est, qui in eo cernitur homo. Per eum enim operabatur miracula diuinitatis, quem à terra sustulerunt, dicentem. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me, firmamentum à corruptione ad incorruptionem. Vnde Cœlum quidem carnis eius, quod videtur ex humore terræ, nempè ex sanguine terrestris Virginis sibi editum firmauit, seu compegit ad incorruptionem, quoniam est Dei caro. Non enim corrupta est, aut interijt, etiam si ea, quæ sunt naturæ, secuta est etiam in cruce. Nam & si Dei caro, erat tamen etiam nostra. Hactenus ille, & eleganter. Cōgruum autem est nobis, hoc in loco per firmamentum allegoricè Beatam Virginem intelligere, hæc enim opera Dei mirabiliter annunciat, quod est officium firmamenti; hæc posita, & collocata est, tamquam firmamentum in medio aquarum, quæ sunt supra Cœlos, & quæ infrà, idest in medio sanctorum, qui sunt in via, & qui sunt in Patria, ipsa enim tamquam media communicauit cum vtriusque, eorumque perfectiones immobiliter consecuta fuit; nam cum superioribus, qui sunt in Patria, habuit omnimodam virtutum perfectionem, & in summo gradu; cum inferioribus verò, qui sunt in hoc mundo, habuit merendi conditionem; cum superioribus exultationem, *exultauit* enim *spiritus eius in Deo salutari suo*; cum inferioribus verò perpetuam sui nominis celebritatem, *Beatam me dicent*, inquit, *omnes generationes*. Quocirca à Patribus, Patriarchis, atque Prophetis prædicta; immò à sanctis mulieribus veteris testamenti egregiè præsignata, & adumbrata fuit, nec non à supernis Angelicis Spiritibus culta, adorata, & celebrata. Tu siquidem, dixit ille, ò Beata Virgo, es noua Eua, viuentium spiritu parens, Sara non anus, sed Virgo Deum enixa; Rebecca gemellos habens in vtero, nimirum Christum, duas naturas, diuinam, & humanam complectentem. Rachel simul, & Lia venusta quidem contemplatione, & fœcunda actione; Iudith Dæmonis caput conterens; Esther virgam virtutis Dei ad se inclinans; *Maria animo exultans*; Bethsabee summo Regi acceptissima. Tu Paradisus elegans: hortus spinis pudoris conclusus; fons gratijs signatus; virga Iesse reflorens, quia virgo fœcunda, columba nitida pacis ramusculum Christum ferens, tabernaculum sanctificatum ab altissimo; terra benedicta, & locupletata cunctis gratijs; rubus ardens incombustus; mater, & Virgo; mons pinguis donis, vellus Gedeonis irroratum supernis solatijs; porta clausa, quæ soli Deo referatur; nubes lucida, & rutilans puritate, & charitate: & propitiatorium, vnde effluunt cunctæ miserationes; aula Regia, in qua spatiantur Angeli; thalamus exornatus dignitate; lectulus floridus virtutibus; lilium inter spinas, quoniam sola candida inter fœdatas peccatrices; vrna aurea gratiarum; oliua frugifera inenarrabilium meritorum. Et quid amplius? Aurora consurgens, dum nasceris; Luna, dum vitam transigis; Sol, dum assumeris in Cœlum; acies ordinata, dum cuncta proteris Dæmonum molimina; Quid denique? firmamentum, & posteà Cœlum; firmamentum, cum sine primæua iniquitatum labe concepta, in gratia solidata prodijsti; postea Cœlum effecta, cum Deum concepisti; Cœlum, inquam, quia quem Cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Amplissimam siquidem, spectatissimam, atque ineffabilem eam diuinitatem, quam Cœli Cœlorum capere non poterant, tu conclusisti, quoniam Christum Deum, & hominem vtero sanctissimo, atque purissimo gestasti; Cœlum, nam ad eam suscipiendam, laudibusque celebrandam diuinitatem, Angelorum immensas acies circa te coegisti, suauissimas personantes melodias cœlestes. Cœlum, in quo beata Christi anima gloria iam potita deguit, licèt & viatrix. Tu igitur, quæ post Christum Ecclesiæ es funda-

Cur B. Virgo dicatur firmamentum.

mentum, super quod tamquam super latissimam, atque inconcussam basim illa hæret; catholicæ fidei donum in nobis conserua. Tu, quæ es firmamentum astris fulgidum, stellisque ornatum, omnes Ecclesiæ ordines in sancta religione, christianaque disciplina confirma, vt ab omnibus tibi gradibus, Christoque filio tuo fideliter seruiatur. Tu, quæ es Cœlum Cœli, & sedes Dei, rorem nobis cœlestem copiosissimum demitte, & cœlestis influxus dona nobis mortalibus elargire.

CAPVT NONVM.

Iterum applicantur Ecclesiæ hæc verba: Fundamenta eius, &c.

Sex Ecclesię tituli ex hoc Psalmo.



ECCLESIA in hoc Psalmo, vt notat Beatus Bonauentura, sex nominibus appellatur. Dicitur enim fundamentum, Mons, Sion, sancta, porta, Ciuitas. Fundamentum à stabilitate, sancta à virtute, mons ab altitudine, porta propter securitatem, Sion propter speculationem, Ciuitas propter collectionem. Dicitur fundamẽtum inchoatione, mons in perfectione viæ, sancta in operum accretione, & supererogatione. Hæc autẽ tria nomina conueniunt Ecclesiæ, quantum ad partes, quæ triumphant in Cœlis: quæ ẽt dicitur porta in aditu Regni, sicut in fruitione Dei Ciuitas, pro bono multiplici; Dicitur porta in obitu mortis, sicut in speculatione diuinitatis. Ciuitas pro multitudine vnionis, siue pro vnione multitudinis. Prima tria nomina designant tres status Ecclesiæ, scilicet ante legem, sub lege, sub gratia. Hactenus ex Bonauentura.

Ciuitas aliqua ex quatuor celebris redditur.

QVATVOR autem sunt conditiones, quæ Vrbem aliquam celeberrimã reddunt. Prima est, quòd vel naturali situ, vel industria, atq; arte munita, & fortis sit, quod initio psalmi indicat Dauid in supradictis verbis; *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Secunda, vt multos populos, amplitudinemq; personarum contineat, quod ibi innuitur, *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerũt illic; memor ero Rahab, & Babylonis scientium me.* Tertia quòd in ea nõ solum curia regalis, sed etiam Rex personaliter resideat; *Homo,* inquit, *natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* Adde, quòd ad hoc, vt re vera in fama, & celebritate Ciuitas aliqua alijs superemineat, illud ẽt requiritur, vt alij Principes in ea domicilium habeant, ac morã trahant. Vnde subdit Dauid: *Et principum: horum, qui fuerunt in ea.* Quarta, quòd Populi in ea habitantes, tùm ob pacẽ, tùm propter copiã rerum; tùm ẽt ob quietem, ac tranquillitatem lætanter, lepidè, & festiuè in dies viuant. Quare concludit Dauid: *Sicut lætantium omniũ habitatio est in te:* Hæ quatuor conditiones prædicandã illam vrbem, quæ illarum est particeps, omninò efficiunt. Et cũ prædictæ singulæ qualitates in Christi Ecclesia cumulatissimè reperiantur, iure optimo illa Ciuitas nuncupatur à Propheta. Est .n. in Christi Ecclesia maxima fortitudo, cum fundata sit super solidum saxum, vt inquit Ambr. Christum nempè, eiusq; Vicarios Matth. 16. Vnde Isa. 28. dicitur. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularẽ, preciosum, in fundamento fundatum.* Complectitur præterea omnium gentium fortitudinem ex Isa. 60. *Fortitudo gentium venerit tibi.* Hac enim ratione Ecclesia dicitur, murum adamantinũ habere, omnino scilicèt insuperabilem; immò etiã Christus dicitur Adamas in manu Patris cõstitutus, & ab eo iactus in vniuersum orbem.

Isa. 28. & 60.

orbem, seu Ecclesiam, & inter Populos, vt eius potentia aduersus hostes, & persecutores declaretur. Sic legitur iuxta translationem Septuag. Amos 7. *Ecce vir stabat super murum adamantinum, & in manu eius adamas, & dixit Dominus ad me. Quid tu vides Amos? & dixi, adamantem. Ecce ego iniiciam, ait Dominus, adamantem in medium Populi mei Israel*, & Isa. 54. dicitur Ecclesia fundata in sapphyris; hoc est, supra diuinam virtutem. Est enim sapphyrus durissima gemma, vt S. Hier. docet. Habetq; praeterea Iaspidem, qui aduersus timorem vim habet, pro suis propugnaculis: *ecce*, inquit, *ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphyris, & ponam Iaspidem propugnacula tua*. Quare rectè Ecclesia supra Christi dorsum firmissimum dicitur fabricata. Ps. 128. quo in loco Remigius dicit; Supra dorsum Christi, hoc est, super flagella, & passionem eius peccatores aedem aedificasse; flagellando enim Christi humeros, & verberibus, atq; plagis illos fodiendo, & onerando, Ecclesiae fundamenta iacta fuere. Huc accedat, quod ait Riccard. de S. Victore; sicut magna candelabra tribus ferè pedibus sustinentur, ita Ecclesia in Sacrosanctae Triadis fide per Charitatem operante fundata, erectaq; consistit. Fuit autem Ecclesia fundata in die Parasceues, quādo ante Sabbatum in Caluario Monte crucifixus fuit Christus, vt notauit Hugo Cardinalis in expositione Psalmi 92. cuius inscriptio ea est: Laus Cātici ipsi Dauid in die ante Sabbatum, quando fundata est terra. Et licèt Euthymius cū Iansenio existimet, hanc Psalmi inscriptionem addititiam esse, nec apud Hebraeos, nec apud Septuaginta Interpretes reperiri; tamen in eo Psalmo de initio Regni Christi agi, apud omnes compertissimum est. Christi autem Regnum ex passione, quam pertulit ante sabbatum, ortum habuit, vt Ps. 95. Dauid cecinit; *Dicite in gentibus, quia dominus regnauit à ligno*, vt legit Iustinus in Dialogo aduersus Tryphonem, Tertullianus lib. 3. aduersus Marcionem, & lib. aduersus Iudaeos, in eo capite, quo Patriarchae ostendunt figuram Crucis, S. Ambr. in c. 15. primae Epistolae ad Corinth. si tamen eius sint huiusmodi Commentarij, S. Augustinus in exposit. eiusdem psalmi, Arnobius, & Cassiodorus ibidem, S. Cyprianus de montibus Sinai, & Sion aduersus Iudaeos cap. 1. & S. Leo, qui citatur in scholijs Graecis, positis in editione Septuaginta, nuper auctoritate Sixti Quinti correcta; & Fortunatus in hymno, quo Ecclesia vtitur in passione: quam lectionem testatur Iustinus loco citato, Hebraeos abrasisse, & sustulisse à Septuaginta virorū interpretatione, licèt illam nec Hieronymus, nec Theod. nec Euthymius, nec Codices Hebraici, nec vulgata habeant. Fundamenta igitur Ecclesiae in Caluario monte iacta fuere. At verò Ecclesiae Christi fundatio magnum in orbe terrarum miraculum fuit, & à Deo mirabiliter effecta; si enim spectentur illi, per quos fundata est, nempè Apostoli, vtique eius fundatio miraculosa omninò apparebit: illi. n. fuerunt numero pauci, genere humiles, absq; vllo, vel humanae sapientiae, vel opum, mundanaeq; sapientiae praesidio. Quare rectè à Paulo Apostoli gloria Christi appellantur 2. ad Corint. 3. *Siue*, inquit, *fratres Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi*: vbi gloria nominādi casus est, habetur .n. Graecè δόξα Χριστοῦ. Dicūtur verò gloria Christi, quoniā Ecclesiae per eos fundatio diuinam Christi gloriam, potentiam, atque splendorem declarauit. Ratio huius fortitudinis, ac firmitatis Ecclesia dicitur castrorum acies ordinata, Cantic. 6. sicut enim acies ritè constructa, terribilis, ac potentissima apparet, immò etiam cum quodam mentis stupore admirabilis, & quoad aspectum pulcherrima. Hac enim ratione coniunxit sapiens illud. *Pulchra, vt Luna, & electa vt Sol*, cum eo, *terribilis, vt castrorum acies ordinata*. Sic etiam Ecclesia ex varijs sacramentis ornata, non solum potentissima, & terribilis apparet, sed etiā pulcherrima. Quod etiam indicatur Cantic. 2. in illis verbis. *Ordinauit in me charitatem*, quoniam in fundatione Ecclesiae militare vexillum, nempe Crucis,

Isa. 54.

Ecclesia fundata fuit in Parasceue.

Ecclesiae fundatio magnū miraculum.

Cantic. 2.

per quod milites in acie Christiana instruuntur, & ordinantur, erectum fuit; hoc enim sonat vox hebræa, *Dugal.* idest, militariter, & propriè significat vexillũ erigere, & exercitum benè instructum ad militandũ designare. Vnde hebræi legunt. Posuit in me vexillum amoris. Quocirca in persona Ecclesiæ Cantic. 8. appositè dicitur. *Ego murus,* nimirum inexpugnabilis, *& vbera mea sicut turris,* nẽpè munitissima. Vbera. n. quo magis premuntur, eò magis vim suam, & fœcunditatem ostendunt. In huius rei figuram habetur 3. Reg. 5. Regẽ Salomonẽ præcepisse, vt in fundamentis templi lapides quadrati simul, & preciosi iacerentur. *Præcepit Rex vt tollerent lapides grandes, lapides præciosos in fundamentum templi, & quadrarent eos.* Quò nimirum templi fabrica firma, & immota consisteret. Atq; ex his colligitur differentia inter Synagogam, & Ecclesiam. Illa. n. in scripturis tabernaculo, quod de facili figitur, & aufertur, in quo fiducia ponenda non est, cũ non valde diuturnum sit, sed temporale. Hæc verò, hoc est Ecclesia, domui super petrã, immò super mõtes fundatæ, vt eius firmitas denotetur, comparatur; vel certè tabernaculo, quod nequaquam transferri potest, vel auferri; claui. n. eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur. Vndè in illa omnis fiducia meritò collocanda est. Adde quòd tabernacula se mouentia, & temporalia non ciuibus, & indigenis, quibus domus certæ, & fixæ sunt, sed hospitibus, militibus, ac peregrinis, quibus nulla est certa, & firma statio, parata sunt, vt Hebræorum ibi habitantium conditio denotetur: at Ecclesiæ domus, Sãctorum ciuibus, & domesticis, & amicis Dei, vt dixit Paulus ad Philipp. 2. Verè apud Isa. 54. de ea dicitur. *Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida.*

Synagoga tabernaculo, Ecclesia templo assimilatur.

CAPVT DECIMVM.

Aedificium Ecclesiæ ex duobus parietibus constare.

Duo Ecclesiæ Christi parietes.

EST hoc capite aduertendum, Ecclesiam repræsentari in scripturis sub nomine ædificij, ex duobus parietibus constãtis. Est. n. fundata super lapidem angularem, duos parietes connectentem; etenim hic est vsus, seu officium lapidis angularis, nempe duos parietes cõiungere. Christus verò ambos Populos connectens Hebræum, & Græcum, seu Gentilem; fecit vtraque vnum, ad Ephes. 2. Duplex est autem vsus lapidis angularis in scripturis. Primus est sterni in fundamento, Isa. 28. *Mitte in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, præciosum, in fundamento fundatum.* Quæ fundamenti repetitio potissimã, & infimã fundamenti partẽ significat: atque huic sic substrato in fundamento hortatur Petrus in sua 1. epist. c. 2. vt tãquã lapides viui superædificemur. Quod & fecit Paulus ad Eph. 2. in verbis citatis. Et huic vsui inseruit quicumq; ingẽs lapis aptus fundamento, & ad sustinendum ædificiũ opportunus. Et quãuis angulos non habeat, vocatur tamẽ ratione fundationis lapis angularis. Sic Christus lapidẽ angularẽ se nominãs, ad durissimũ quoddã saxũ in fundamẽto montis Sion allusit, vt arbitratur Christianus Adrichom. in sua Hierosolyma n. 154. & Nehem. 3. sub nomine firmissimi anguli quodlibet fundamentale saxũ intelligitur. Atq; huiusmodi fundamentalis lapis angularis duplici modo cõsiderari potest, vel quatenus in quauis fundamenti parte substernitur, & sic etiam quadratus lapis, ad regulam tamen angularẽ excisus, & politus, lapis angularis appellari poterit, vt dictum est. Sic habẽtur duodecim fundamenta Apocalyp. 21. hoc est duodecim lapides fundamentales, optima figura politi, inuicem strictissimè,

Isa. 28.

simè, & in vnico fundamento coalescentes: Vel quatenus ad angulum ædificij constitutus, illam partem ornat, munit, atque confirmat, vocaturq; huiusmodi lapis in scripturis, lapis primarius Zachar. 4. Lapis summus ad Ephes. 2. 1. Petr. 2. Lapis preciosus, honorificatus, electus, & constitutus in caput anguli. Quę omnia significant Christum, vel quia in summo Ecclesiæ fastigio positus est, vel quia primus, ac infimus lapis fundamentalis Ecclesiæ sit. Vnde in scripturis mos emanauit, vt per translationem Principes, & optimates appellentur anguli.

SORTITVR quoq; lapis angularis alterum munus, seu vsum, vbicumque sit, maximè verò in fundamento, nempè nectendi, & coniungendi inuicem duos parietes. Vnde dicitur esse nexus, pax, concordia, & fortitudo illorum. Sic Christus dicitur quoque lapis angularis ad Ephes. 2. Vbicumque enim nexus duorum parietum, hoc est populorum reperitur, ibi Christus officio lapidis angularis fungitur. Lege Chrysostomum, cęterosque Patres, qui præfatum locum Pauli interpretantur. Lege præterea Hieron. super Psalm. 117. vbi explicans illud, *In caput anguli*, ait. In caput connectens duos parietes, vnum de circumcisione, alium de præputio in vno nouo homine, hoc est, in semetipso. Vbi etiam eleganter Basilius ait. Non enim quiuis lapis angulo est accommodus, sed probatissimus, qui vtroque latere parietem connectat. Cyrillus item super locum Isaiæ cap. 28. ait. Angularem, vt qui per fidem vnam duos populos coniungit, semper enim in angulis ædificiorum duo concurrunt muri, & contigui in vnum coagmentātur. Hieron. ibidem scribit, ideo bis dici lapidem, lapidem, quia duos populos copulauit. Alij quoq; Patres circa hanc rem citari possent, quos apud Pinedam in cap. 38. Iob legas.

EST præterea animaduertendum, lapidem angularem in hac secunda functione acceptum, nimirum, prout prominet, & in frontispicij loco prospiciendum se exhibet, posse collocari etiam in sublimi, & suprema parte totius ędificij. Itaq; Christus, prout est lapis angularis Ecclesiæ, duplici munere fungitur, in quantum enim est lapis fundamentum, eius structuram sustinet; in quantum verò in supremo loco ædificij est, illam continet, atque coniungit. Sic Chrysostomus perbelle in citatum locum Pauli. Sūmus, inquit, angularis lapis, & parietes continet, & fundamenta, nunc supernè totum corpus continet; nunc infernè structuram sustinet. Gregor. Nissenus de perfecta Christiani forma doctè scribit, ideo Christum dicit caput anguli, quòd non solum sit principium, sed etiam finis spiritualis ędificij. Descendit quidem de Cœlo Ciuitas Sancta Hierusalem spiritualis, sed ordine inuerso, & quasi inuersa progreditur; ita vt fundamenta illius sūma sint, & celsissima, immò in montibus deitatis, & humanitatis Christi constituta, ac proindè idem est lapis angularis in fundamento fundatus, & idem summus, atque supremus. B. Thomas exponens illa verba Iob 28. *Aut quis demisit lapidem angularem eius?* ait, hunc lapidem angularem esse terrę centrum, in quo omnes lineę ductę à circumferentia vniuntur. Hęc est enim quoque alia proprietas lapidis angularis; in angulo enim lineæ sese intersecant, simulque coniunguntur; sic Christus in Ecclesia se habet; est enim fundamentum, lapis angularis, & centrum eius ob rationes iam dictas. Perpulchrè S. Zeno Veronensis Episcopus in sermone super Psalm. 126. prout habetur tomo 2. Bibliothecæ Sanctorū Patrum, explicans illa verba. *Nisi Dominus ædificauerit domum*, &c. fundamenta, & constructionem, portas, ac conuersationē domus, & Ciuitatis dei describit. Et licèt Ecclesia concepta fuerit in Adamo, & nata, seu in lucem quasi edita in Abel, & infans fuerit vsque ad Abraham, quasi pannis, naturalibus legibus obuoluta, nec à se ipsa loqui posset, nec voces formare, quòd de Deo balbutire tantùm vix sciret, nec progredi, nisi vecta, hoc est, diuina fulta assistentia, cum Deus quasi perpetuis obsequijs ipsam enutriuerit; cœpit tamen

Christus dupliciter officio lapidis angularis perfungitur.

S. Chrysost.

S. Greg. Niss.

B. Thomas. Iob 28.

S. Zeno.

Conceptio, ortus, & progressus Ecclesiæ.

men pueritiæ ætatem ſumere,& adoleſcere in Abrahā;Circumciſionem, legēq; tamquam pedagogum accipiens,nec non præceptis cum legalibus, tū cæremonialibus erudita;& ſic tamquam paruula pueritiæ annos vſq; ad Chriſti tēpora egit,non habens vbera;ſuſcepit verò lac, dum veluti ſponſa Chriſto coniuncta fuit, plurimoſq; edidit filios,cū ſacramenta gratia exundantia habuerit, & vt ſponſa in Chriſti latere viuificata,quaſi Eua ex dormientis Adę coſta educta, inde ei copulata,effecta eſt mater cunctorum viuentium , numeroſa prole inſignita.Fuit deinde iuuenis in Apoſtolis,Martyribus, priſciſq;Patribus, vſque ad Syluestri tēpora . Deinde in virilitate conſtitit Eccleſia, cum celeriter per totū orbem dilatata imperio eximio,orbe Chriſto per lignum Crucis ſubacto,exaltata eſt. Iam ſeneſcit Eccleſia,hæreſibus,alijſq; falſis doctrinis vexata,ſed miſericordiam conſecuta eſt ſenio iam confecta,& miſericordiā vberem,cum ad indicas plagas effuſa,vſq; ad nouum , nec ſæculis priſcis agnitum orbē eſt propagata;& tandem decrepitatis ærūnas , calamitateſq; experietur in vltima ſæculi tēpeſtate,quando tempore Antichriſti iniquitas abundabit, & refrigeſcet Charitas multorum: Licèt,inquam,in eo ipſo principio,& tēpore,quo propagatum eſt,& cōditum genus humanum,Deus Eccleſiam creauerit, eaq; in terreſtri paradiſo initia ſortita ſit;nihilominus rectè dicitur in Caluario monte orta,nata, & producta,cum in procera iam ætate,ſicut Eua florida in iuuentute educta ſit,

Cur Eccleſia orta dicatur in Mōte Caluariç.

quantū ad meritum,& ſacramenta ex Chriſti latere,ſicut illa ex Adæ coſta. Adde,quòd ad inſtar Euæ ſimul & nata,& Chriſto deſponſata fuit ; etenim ea in ætate,qua Eua formata eſt,ſimulq; Adę coniuncta,iuuenili nempe ; ipſa quoq; Eccleſia reparata,iuſtificata,& mirificis donis,tamquam monilibus,& ornamētis decorata,Chriſtiq; ſponſa effecta fuit;quāuis funeſto euentu inter lætas nuptias mortem ſponſum ſubire ſpectarit.

S. Auguſt.

De qua re egregiè S. Aug.lib.2.de Symbolo ad Catechumenos ca.6.in principio, & in Dialogo de altercatione Eccleſiæ,& Synagogæ ; & nos lib.1.de fuga diſp.2.q.3. Matrimonium igitur, ac deſponſatio Eccleſiæ in monte Caluariæ perfecta , & conſumata fuit .

Structura Eccleſiæ per ſeptem ſacramenta.

Huius autem Eccleſiæ, quatenus Chriſti ſponſa eſt, conſtructio,& ſtructura ſeptem diuinis operationibus per ſeptem ſacramenta efficacis completur , atque perficitur , vt mundi materialis creatio, mundi ſpiritualis,qui eſt Eccleſia Io.3. ædificationi ſapientiſſimè,ac ſuauiſſimè reſpondeat. Primo enim loco fidei lumine,quod in baptiſmo conceditur, illuſtrata fuit. Secundo loco,dum fortitudo fidei fidelibus in Confirmationis Sacramento tribuitur, firmamentum in ea collocatur : dumque Pœnitentiæ ſacramēto illuuies peccatorum remittitur, quid aliud efficitur,quam congregatio aquarum in locū vnum? vt illę ſeorſum à terra, hoc eſt, ab Eccleſia ſegregētur,ſicque ab ea ſublatis peccatis,herbæ virentes, & facientēs ſemen,& ligna fructifera facientia fructus in genere ſuo,hoc eſt, ſanctæ operationes producantur. In ordinis verò Sacramento luminaria , & ſtellæ in Eccleſia gignuntur.Dum verò piſces , & aues quinto die prodiere, mirificè matrimonij ſacramenti in Eccleſia fructum,effectumque demonſtrant. Quòd ſi ſexta die factus eſt homo,tamquam omnium diuinorum operum præſtantiſſimum ; ſic in Eccleſia poſtremo loco Euchariſtię ſacramentum, tamquam omnium excellentiſſimum , & excelſiſſimum conſtitutum fuit . Extrema verò vnctio fideles ad quietem, quaſi ſeptimo die perducit . Quies enim diei ſeptimi requiem illam ęternam diuina luce perfuſam,teſte S. Auguſtino,præfigurabat,& ſignificabat , cuius ingreſſum ſanctiſſimum extremæ vnctionis Sacramentum admodum facilem reddit. Atque ita plantata fuit Eccleſia in monte hæreditatis Dei,tamquam firmiſſimum habitaculū,quod ipſe Dominus eſt operatus ; tamquam ſanctuarium Dei,quod firmauerunt manus eius Exod.15. Hæc per Allegoriam dicta ſint ; quod docendi genus non eſt contemnendum,cum a S. Paulo

lo

lo apertissimè originem trahat, vt videre est ad Gal. 4. & ad Hebræos sæpissimè, & præcipuè cap. 9.

CAPVT VNDECIMVM.

Quòd diuersa ratione Christus, Petrus, & Apostoli dicantur Ecclesiæ Fundamentum.

CALVINVS, cęteriq; hostes Romani Pontificis, vt Petro de more insidientur, affirmant, omnes Apostolos æquè esse fundaméta Ecclesiæ, neq; in hoc aliquod priuilegium peculiare, ac proprium habuisse Petrum. Probant ex doctrina S. Aug. ita exponentis hunc Psal. 86. *Fundamenta eius in môtibus sanctis*, idest in Apostolis, & Prophetis. Quare Apoc. 21. dicitur; *Et murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in eis duodecim nomina duodecim Apostolorum agni.* Et Ephes. 2. *Superædificati supra fundamentū Apostolorum, & Prophetarum.* Quibus verbis alludens B. Hier. lib. in Iouin. c. 1. Sed ex dictis, inquit, super Petrū fundatur Ecclesia, licèt id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat. & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur. Hæretici S. Petri primatum oppugnant. Apoc. 21. Ephes. 2.

VERVM constans est doctrina Catholicorum, Christum esse primariū & maximum fundamentum Ecclesiæ 1. ad Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, nisi id, quod positū est, quod est Christus Iesus*, Isai. 28. *Ecce ponā in fundamētis Sion lapidē, lapidem probatū, angularem, preciosum in fundamento fundatum*; Quæ verba ad literā de Christo intelligenda esse, docet Paulus ad Rom. 9. & Petrus in priori sua Canonica c. 2. & Isai. 28. Dicitur autem Christus lapis fundatus in fundamento, seu in fundamine, vt Septuaginta legunt, hoc est, in sua diuinitate, quæ omnia sustentat; vel positus à Deo etiam vt homo est, seu ratione humanitatis vnitæ Verbo, pro primo Ecclesiæ fundamento per se stante, & à quocumq; alio homine, Angelo, & quauis alia creatura independente. Et hoc Hæretici negare non possunt, est enim Christus fundamentum fundamentorum, vt optimè dicit S. Augustinus in Psal. 86. Christus primarium Ecclesiæ fundamentum. 1. Cor. 3. Isai. 28. Ad Rom. 9. 1. Petr. 2. Isai. 8.

DEINDE asserunt Catholici, secundum, vel secundarium fundamentum Ecclesiæ esse Petrum. Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hāc Petrā ædificabo Ecclesiam meam*; Vbi per fundamenti, ac ædificij metaphoram Ecclesiæ principatus promittitur Petro; quod enim est in ædificio fundamentum, id est in corpore caput, in Ciuitate Rector, Rex in Regno, Paterfamilias in domo. Per petram autem hoc loco intelligi Petrum, & Romanum Pontificem Petri successorem, super quem fundatur Ecclesia, docet Concilium Chalcedonēse, cui interfuerunt 630. Patres, Act. 3. appellans Petrum petram, & crepidinem Ecclesiæ Catholicæ. Docet consensus Ecclesiæ vniuersalis, quæ per mille, & ducentos annos verba illa S. Ambrosij in Hymno posita canit. *Hoc, ipsa petra Ecclesia canente, culpā diluit*; quod etiam S. Augustinus lib. 1. Retract. c. 21. apertè innuit. Docent communiter Patres, tam Græcæ, quam Latinæ Ecclesiæ. Petrus post Christū, Ecclesiæ fundamentum secundarium. Matt. 16. Côc. Chalced.

TERTVLLIANVS lib. de præscript. Latuit, inquit, aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ petram dictum? Ex Patribus ostenditur Petrū esse fundamentum Ecclesiæ.

ORIGENES Hom. 5. in Exod. Vide, inquit, magno illi Ecclesiæ fundamēto, & petræ solidissimæ, super quā Christus fundauit Ecclesiā, quid dicatur à Domino, Modicę fidei quare dubitasti? Lege eundē in Mat. de Canone noui testamēti.

ATHANASIVS in Epist. ad Fęlicem, quam scripsit nomine suo, & Synodi

Synodi Alexandrinæ: Tu es, inquit, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, idest, Episcopi, sunt confirmatæ, &c. Facit igitur Athanasius Petrum Ecclesiæ fundamentũ, quo nituntur Episcopi, super quos, vt columnas, totum ædificium collocatur.

HILARIVS in c. 16. Matt. O in nuncupatione noui nominis fœlix Ecclesiæ fundamẽtũ, dignaq; ædificatione illius petra, quæ inferorũ leges dissolueret.

GREGORIVS Nazianzenus in oratione de moderatione seruanda in disputationibus; Petrus, inquit, petra vocatur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habet.

EPIPHANIVS in Anchorato. Dominus, inquit, constituit Petrum primum Apostolorum, petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est.

AMBROSIVS Serm. 47. Deniq;, inquit, pro soliditate deuotionis Ecclesiarum petra dicitur; sicut ait Dominus: Tu es Petrus, &c. Petra enim dicitur, eò quòd primus in actionibus fidei fundamenta posuerit, & saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemq; contineat.

HIERONYMVS in c. 16. Matt. Secundũ metaphorã petræ rectè dicitur ei, ędificabo Ecclesiã meam super te. Et in epist. ad Damasũ de nomine hypostasis, de sede Petri loquens: super hanc petrã, inquit, ædificatam Ecclesiã suo, &c.

CHRYSOSTOMVS Hom. 55. in Matt. sic scribit. Dominus ait, Tu es Petrus; & ego super te ædificabo Ecclesiam meam. Et Hom. 4. in in cap. 6. Isaiæ. Quid autem, inquit, Petrus basis Ecclesiæ: ille vehemens amator Christi; ille sermone indoctus, & Rhetorum victor; ille imperitus, qui tamen Philosophis obturauit os; ille, qui græcanicam sapientiam non aliter, quàm aranearum telam dissoluit; ille, qui sagenam misit in mare, & piscatus est orbem?

CYRILLVS lib. 2. c. 2. in Ioan. Nec Simon fore iam nomẽ illi, sed Petrus, prædicit: vocabulo ipso cõmodè significans, quòd in eo, tamquam in petra; lapideq; firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.

THEOPHYLACTVS in c. 22. Luc. Post me, inquit, Ecclesiæ Petra es, & fundamentum.

EVTHYMIVS in c. 16. Matth. Te ponam, inquit, fundamentum credentium, ædificabo super te Ecclesiam meam.

AVGVSTINVS in Psal. contra partem Donati. Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ. Vbi nota, Augustinum non tam Petrum, quàm eius sedẽ vocare petrã, super quam fundatur Ecclesia, & contra quam non præualent portæ inferorũ, quia Petrus est petra, non vt particularis homo, sed vt Pontifex. Idẽ Aug. Serm. 15. de Sanctis: Petrum itaq; fundamentũ Ecclesiæ Dominus nominauit, & ideo dignè fundamẽtũ hoc Ecclesia colit, supra quod ecclesiastici ædificij altitudo cõsurgit.

MAXIMVS Serm. 1. de Sanctis Petro, & Paulo: Per Christum Petrus factus est Petra, dicente ei Domino: Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.

PAVLINVS epist. 4. ad Seuerum: Petra est Christus, sed etiam discipulo suo hujus vocabuli gratiam non negauit, cui ait: super hanc petram, &c.

LEO serm. 2. de anniuersario Assumptionis suæ ad Pontificatum die: Manet ergo dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perseuerãs suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit; sic enim præ cæteris est ordinatus, vt dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum regni Cœlorum ianitor constituitur, qualis ipsi cum Christo esset societas per ipsa appellationum mysteria nosceremus. Vide Pighium lib. 3. de Ecclesiast. Hierarch. vbi alios Patres adducit.

Ex Christi verbis Petri primatus probatur.

EVIDENTER quoq; id deducitur ex ipso textu Euangelij, cum enim Christus dixit; *Et super hanc petrã ædificabo Ecclesiã meam*; vtiq; Petrum, quem

proximè

proximè nominauerat, & de quo sermonem faciebat, intellexit. Pronomen enim illud, *hanc*, designat aliquam petram, de qua paulo ante Dominus sit locutus, nempè cũ dixit, *Tu es Petrus*, seu *Cephas*, hoc est, saxum, vt interpretatur S. Ioann. c. 1. illis verbis, *Tu es Simon filius Ionæ, tu vocaberis Cephas; quod interpretatur Petrus*. Græcè nempè, Latinè verò lapis. Hęc. n. duo loca scripturæ ad nomen nouum Simoni superadditum sibi inuicem respondent. Et quidẽ Hilarius c. 9. in Matt. existimat, nomen Petri tunc illi impositum esse, cum Christus dixit illi; *Tu es Petrus*, Matth. 16. Quamuis S. August. lib. 2. de consensu Euangelistarum c. 17. & 53. & lib. 4. cap. 3. censeat, in illis verbis Ioan. 1. tale nomen illi impositum fuisse. Et quoniam Dominus syriacis vocabulis tunc vtebatur, dixit Simoni, *Tu es Cepha, & super hoc Cepha ædificabo Ecclesiam meã*, est. n. Cepha vox syriaca; vel latine, *Tu es petra; & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Quocirca concludendum est, illud, *hanc*, non posse referri nisi ad Petrum, qui hoc loco vocatus est petra; sicut si latinè quis diceret, Tu es saxum, & super hoc saxum ædificabo, &c. nemo intelligeret aliud significari per saxum, & per hoc saxum. Græcus verò interpres nomen syriacum in Gręcum vertens maluit dicere σὺ ἦ Πετρος quàm σὺ ἦ πετρα quoniam intellexit viro magis conuenire nomen masculinum Πετρος quàm fœmininum πετρα; licèt vtraq; vox saxum apud illos significet. Latinus verò interpres græcum codicem sequutus, rectè vertit, *Tu es Petrus*, cum non ex syriaco verterit, sed ex græco codice, in quo optimè personam, vel officium Petri indicando positum fuit Πετρος Et quamuis vtrumq; nomen græcè sit appellatiuum; cõuenienter tamen interpres Matthæi gręcus personæ Petri tribuit nomen masculinum, tamquam proprium eius nomen, & deinde magis metaphoram explicans, appellatiuè dixit ἐπὶ ταυτῆ τῆ Πετρα quod etiam saxum significat.

EX ignoratione autem linguæ hebrææ, vt ipsemet sæpè testatur, videtur S. Augustinus dubitasse, quid per petram hoc loco, cum dicitur; *Et super hanc petrã*, intelligendum esset, Petrũ ne, an Christũ: non. n. putauit Cepham significare petram, sed aliquid à petra deriuatum, quasi Petrinum, vel Petreiũ; sic. n. inquit lib. 1. Retract. c. 21. *Dixi in quodã loco de Apostolo Petro, quòd in eo, tãquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus ẽt cantatur ore multorũ in versibus Beatissimi Ambrosij, vbi de gallo gallinaceo ait. Hoc, ipsa petra Ecclesiæ canente, culpã diluit. Sed scio, me postea sæpissimè sic exposuisse, vt super hanc petrã intelligeretur, quẽ confessus est Petrus, non. n. dictum est illi: Tu es petra, sed tu es Petrus: petra aũt erat Christus. Harum aũt duarum sentẽtiarum, quæ sit probabilior, eligat lector.* Hæc ille. Quo loco apertè significat Augustinus, se non dubitaturũ, si dictum fuisset Petro, tu es petra; quo modo reuera dictum est ei à Domino in ea lingua, qua Christus vtebatur; nec. n. Dominus imposuit ei nomen græcum, Petrus; sed nomen Cephas: Ioan. 1. Quod nomen radicaliter est hebraicum, & dicitur petra hebraicè Ceph; lingua verò Iudæis tunc vulgari, nẽpè syriaca, Cepha; Græci verò addunt literam, s, & dicũt Cephas, vt Ioan. 1. habetur, & ad Galat. c. 2. Et tam Hebraicè, quàm Syriace, atq; ẽt græce saxum, seu rupem significat. Nec S. August. hanc sententiam, tamquam blasphemam reijcit, vt Caluinus, & Illyricus, & nonnulli alij Hęretici asserunt, cum illam quoq; lectori eligendam, tamquam bonã, & probabilem relinquat; licèt aliam, cum non calleret linguam hebraicam, anteponat. At nec Caluinus, & asseclæ Augustinum omnino sequuntur, quod insipientis, & imprudentis hominis est; sed eatenus eius sententiam approbant, quatenus significat, se malle per petram non intelligere Petrũ; Hoc illis arridet, & gratum est; sed in eo, quòd per petram Caluinus vult, intelligendũ esse Christum, non omnino omnes consentiunt, volentes pleriq; eorum fidem in Christum eo loci per petram accipiendã esse, vt paulo post dicemus.

Quid nomine petræ significetur explicat S. Aug.

PRÆ-

PRÆTEREA, Petri personam hoc loco per petram intelligendam esse, circumstantiæ nonnullæ verborum Christi ad Petrum omnino conuincunt. Vt illud pronomen, *& ego dico tibi*, signanter Christum cum Petro solo, qui modo eius diuinitatem, & humanitatem confessus fuerat, sermonem habere ostendit: deinde imposito illi nomine à parentibus, Simonem vocauit, immo etiam addidit nomen patris, vocans eum filium Ionæ, seu Ioannis; vt eum distingueret à Simone fratre Thadæi. Quid plura? nomen Petri, quod Mar. 3. illi imposuerat, & primo ipso die, quo Petrus ad eum venit, ei tamquam nouum promiserat Ioan. 1. adiecit, dicens; *Tu es Petrus*: Certè per hæc omnia euidenter personam Petri Christus demonstrauit, dum dixit; *Et super hanc petram*, reddens rationem nominis antea promissi, & impositi.

RVRSVS ex copula cōiunctiua, &, idem ostenditur. Dixit enim Christus, *Tu es Petrus, & super hanc petram*, scilicet, quæ tu es; alioquin cōiunctio illa, vel esset otiosa, vel falsa; si enim serio, & verè apponitur, (quod negari non potest) debet rem eandem, quæ Petrus est significare. Et quamuis latinè Petrus, & Petra aliquo modo videantur differre, tamen hebraicè, vel potius Chaldaicè, imò etiam Græcè, nequaquam differunt: sed vnum, & idem significant, nempè petrā, vt dictum est; vt enim inquit S. Petrus Chrysologus serm. 107. Petrum vocari, in alijs appellatio nominis est; in hoc scilicet Petro prærogatiua virtutis.

DEINDE ex verbis Christi, *super hanc petram*, idem ostenditur: hic .n. declaratur, illum, cui hæc verba dicuntur, futurū esse caput, & fundamentū Ecclesiæ, non quidem absolutum, & per se, quod Christo soli conuenit, sed ministeriale, & per participationē, licèt primariū, & fundamentale in suo genere, hoc autem soli Petro conuenit, cui dictum fuit Ioan. 21. *Pasce oues meas*, Vbi etiam animaduertendum est, Christum non vocasse Petrum, petram simpliciter, & absolutè, sed hanc petram, idest, vt diximus, ministerialem, & per participationem, dictam. Christus enim absolutè est petra, & fundamentum Ecclesiæ; Petrus est hæc Petra, idest, quædam petra per participationem. Vnde S. Basilius hom. de pœnitentia ait. Christus verò est immobilis petra, Petrus autem propter petrā. Idem ex Basilio, vt multa alia, repetit Ambrosius lib. 6. in Lucam c. 2. & addit serm. 47. Consortium meretur nominis, qui consortium meretur, & operis; & pro soliditate deuotionis Ecclesiarum Petra dicitur.

Ioan. 21.

SIC Leo Magnus epist. 89. Petrum in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, quod ipse erat, Christus voluit nominari. Similiter & Tertullianus lib. 4. c. 13. contra Marcionem; Christus Petrum ita vocat, quia & lapis, & petra ipsa est. Itaq; affectauit carissimo discipulorum de figuris suis peculiariter nomen communicare. Sed & iterum serm. 2. in Natali S. Petri. Leo Magnus hæc Christi verba ad Petrum sic paraphrasticè exponit: Tu petra es, qui mea virtute solidaris, vt quæ mihi sunt potestate propria, sint tibi mecum participatione cōmunia. Nec aliter Prosper, de vocatione gentium. Hæc fortissima petra ab illa principali petra communionem, & virtutis sumpsit, & nominis.

S. Leo.

S. Prosper.

POSTREMO hoc ipsum probatur ex vera ratione fundamenti, seu Petræ per metaphoram Petro applicatæ. Habet quippè fundamentum tres conditiones necessarias, & proprias, quæ omnes Petro ratione Ecclesiæ cōpetunt. Prima est, vt sit fortissimū, immobile, & tale, cui firmiter inniti possit tota ædificij moles. Secunda est, vt primum locum in ædificio obtineat; nam à fundamento incipit domus. Tertia est, quòd à nulla ædificij parte ipsum dependeat, sicuti cæteræ partes, sed ipsummet sit tota ratio sustinendi alia, quum ipsum à nulla parte sustineatur.

Tres fundamēti conditiones Petro applicatæ.

HÆC autem omnia in Petro luculentissimè apparent. Dicitur enim primùm propter fortitudinem fidei à Christo petra. Petrus Petra dicitur (ait Ambrosius

brosius

brosius serm. 47.) eò quòd tamquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemq; contineat. Sic & Euthymius in Comment. ad hunc locum, Tu es Petrus, vt qui fidei petra futurus es, & super hoc ro[b]ur ædificabo Ecclesiam meam, firmitatem namq; accipit à Christo semper ædificante. Quocirca Christus hic adiecit; *Et porta inferi non praualebunt aduersus eam*, ac deinde dictū est, & ei soli, & in cōmuni osum periculo, *Rogaui pro te, vt fides tua nō deficiat*. Luc. 22. & iterū ei soli: *Et tu conuersus confirma fratres tuos*. Id .n. quomodo præstaret, si ipse firmus non staret? Quare Aug. in Psal. contra part. Donati, ad hæc verba oculos conijciens, de Petri sede dixit. Ipsa est petra, quam superbæ non vincunt inferorum portæ. Id quoq; ingeniosè ponderans Chrysostomus, ait ho. 55. in Matth. Christum hoc loco id exponere, vt homo piscator quauis petra firmior reddatur, vniuerso orbe terrarum reluctante. — S. Ambr. Euthym. Luc. 22.

IVXTA secundam fundamenti conditionem, Petrus primus mortalium fidem, adeoq; totius fidei nostræ fundamentū, Dei filiū incarnatum, hoc loco palam professus est, posteaq; primus pastor omniū eandem fidem docuit, tum Iudæos, tum gentes. Vnde notat Ambros. serm. 47. ideo eum petrā esse dictum, q primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & S. Chrysost. in Comm. 2. ad Gala. Petrum fidei ostium reclusisse, & negocio principiū dedisse scribit. Nēpe sicut Abraham ab Esaia Propheta c. 51. petra Synagogæ vocatur. *Attendite ad petrā vnde excisi estis, attendite ad Abrahā patrem vestrū*; & à Deo vocatur pater multarū gētiū, quia primò illi reuelatū est de nasciturо ex semine eius Messia; & primus hoc credidit, vnde & hæc fides singulariter est ei reputata in iustitiā; sic omnino Petrus est petra Ecclesiæ, & pater Christianorum, quia illi primò reuelatus est Christus à Patre, ille primus hoc credidit & primus confessus est, & hæc eius fides, ac confessio reputata est ei in magnā iustitiā, magnamq; mercedem reportauit, & deniq; ille primus, in quo Abrahā lōgissimè superat, Christū, & Messiam Iudæis, & gentibus prædicauit. Meritò igitur in ædificāda Ecclesia Christi rationē fundamenti Petrus habet, quia, vt ait Hilarius lib. 6. de Trinit. ille subiacet ædificationi Ecclesiæ, ille primus credit, vt ad ædificium primus pertineat, & primus docet, vt ædificium primus incipiat. S. Ignatius in epist. ad Magnesianos, primos Christianos Antiochiæ nominatos, Petro fundatore, ait. — S. Ambr. S. Chrysost. S. Hilar. S. Ignat.

IVXTA tertiam fundamenti conditionem Petrus immediatè à Deo hanc fidem accepit, ipso patre reuelante, quod Christus loco citato profitetur, & eum hoc nomine beatum nuncupat. Itaq; in ratione credendi à nemine mortalium dependet, sed à solo Deo edoctus fuit.

NOTAT hoc singulare Petri priuilegium S. Epiphanius in Anchorat. Ioannes, inquit, quum à filio didicisset, Apocalypsim, seu reuelationem suam scripsit. Petrus verò à Patre instructus est, certitudinem fidei fundaturus, idest, stabiliendæ fidei fundamentum futurus. — S. Epiphan.

HINC etiam sequitur, Caluinum lib. 4. Institutionum cap. 6. §. 6. errasse, dum dixit, per hanc petram intelligendum esse Christum. Quamuis enim absq; vlla dubitatione Christus sit primarius lapis, & principalis petra, primumq; Ecclesiæ fundamentum, vt docet Paulus 1. ad Corint. 3. & ratio idem persuadet, si enim Petrus loco Christi est Ecclesiæ fundamentum, multò magis ipse Christus est fundamentum: nihilominus proprius sensus literalis, & immediatus huius loci est, super Petram hanc, hoc est, Petrum, Ecclesiam ædificandam, illud .n. pronomen, *hanc*, in huiusmodi locutione non debet referri ad Christum petram, sed ad Petrum, petram. Non enim referendum est ad aliquid remotum, sed proximum. Modo autem non Christo, sed Petro dictum fuerat, *Tu es Cephas*, idest, petra. Præterea illud, *hanc*, non est referendum ad eum, qui hoc loco non est nominatus petra, sed ad eum, qui hoc nomine est appellatus; in confessione autē — Error Caluini circa petrā Ecclesiæ.

Petri

Petri non est dictum filio hominis; *Tu es petra*, sed *Tu es Christus filius Dei viui*. Christus verò aperte nominauit Simonem petrã, illis verbis: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petrã, &c.* nec verba hæc sunt diuidenda, quia nullũ haberent sensum, nec connexionẽ, si partim ad Petrũ, partim ad Christũ referantur: qua.n. ratione Simon appellatur Petrus, si non est petra, & quorsum dictũ est, *& ego dico tibi*, si id quod sequitur ad Christũ refertur? Sed quam inepta sit Caluini expositio, verba ipsius Christi ostendunt; si enim ad Christum referendum esset, illud, *hanc*, non diceret Dominus; *ædificabo*, sed ædifico, vel ædificaui *Ecclesiam meã*, cum iam Apostolos, & multos discipulos in se ædificasset: dixit autem *ædificabo*, quia nondum actu constituerat Petrum fundamentum, sed post resurrectionem suam id facturus erat, vt reipsa fecit, Ioan. 21.

Aliorum hæreticorũ errores circa eandem petram.

HINC postremò sequitur, alios hæreticos, scilicet Lutherum in lib. de potestate Papæ, & Centuriatores lib. 1. Centur. 1. c. 4. errasse, dũ dicunt nõ Petrum, sed fidem, seu fidei confessionẽ esse petrã, super quam fundata est Ecclesia; iam enim si Petrus esset petra, Ecclesia ab initio, inquiunt, corruisset, cũ Petrus, nõ sine magna execratione, & scandalo Christum tertio negasset, Matt. 26. quem & Christus exprobrando vocauit Satan, nec sapientẽ, quæ Dei sunt Matt. 16. Ad quod & probandum abutuntur nonnullis locis Patrũ, vt Hilarij lib. 6. de Trinit. dicentis: Super hanc confessionis Petram Ecclesiæ ædificatio est. Et iterum: hæc fides Ecclesiæ est fundamentum, per hanc fidem infirmæ aduersus eam sunt portæ inferorũ, hæc fides regni cęlestis habet claues. Atq; & Cyrilli lib. 4. de Trinit. hunc locum exponentis: petram, inquit, opinor nihil aliud, quam inconcussam, & firmissimam Discipuli fidem vocauit: Nec non Ambrosij lib. 6. c. 6. in Lucam: Fundamentum, inquit, Ecclesiæ fides est. Postremò Chrysostomi Hom. 55. in Matth. scribentis: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, idest, fidem, atque confessionem: lege eundem Hom. 83. in Matth.

S. Hilar.

VERVM hi patres loquuntur sanè non de cuiuslibet hominis fide, seu confessione; nec de fide, & confessione absolutè, vel secundum se sine relatione ad personã Petri; sed de fide ad Petrum relata, siue quod idẽ est, de Petro profitẽte, pronunciante, & publicè proferente confessionẽ, ac fidem diuinitatis, & humanitatis Christi; & super hanc petrã, & Petri confessionem modo exposito ædificandam Ecclesiã esse Christus promisit. Illud .n. pronomẽ, *hanc*, ad petram proximè nominatam referendũ est. At non fidei, sed Simoni proximè dictum fuit. *Tu es petra*; & cum iam multi credidissent eum esse filium Dei viui, vt antiqui Prophetæ, Beata Virgo, Simeon, Zacharias, Ioannes Baptista, Apostoli, cęteriq; Discipuli; nulli tamen eorum dictũ fuit, *& super hanc petram*, sed Simoni dumtaxat confitenti, Christum esse filium Dei viui. Dicendum est igitur, non quamlibet fidem, sed Petri fidem, & Petri, non vt priuati hominis, sed vt Pastoris Ecclesiæ, esse fundamentum. Lege S. Tho. 2. 2. q. 174. art. 6. in corpore.

S. Tho.

Cur fides Petri sit fundamentum Ecclesiæ.

MERITO autem Petri fides fundamentum Ecclesiæ nuncupatur; tum, quia ob meritum eiusdem fidei, & confessionis obtinuit ille, vt esset fundamentum Ecclesiæ, vti Hieronymus, Hilarius, Chrysostomus, & alij in Matth. tradunt; tum ob indefectibilitatem, & stabilitatem fidei in Petro; cum .n. eius fides deficere non possit, & ipse omnes alios in fide confirmare, & sustentare debeat Luc. 22. iure optimo petra, & fundamentum totius ædificationis ecclesiasticæ Petrus dicitur. Nec .n. erit Petrus Ecclesię fundamentum absq; fide; nec illa fides extra subiectum aliquod Ecclesiam firmat, neq; à quouis agnita, vel prædicata Ecclesiam vniuersalem ædificat, sed illa fides, quæ à Petro, eiusq; successoribus ex Cathedra emanat, proponitur, ac prædicatur.

HIC est sensus Sanctorum Patrum, qui superius adducti sunt. Hilarius enim postquam dixerat, Petri fidem esse fundamentum Ecclesiæ, & claues Regni Cę-

lorum accepisse, de ipso Petro, subiungit: Supereminentem beatæ fidei suæ confessione locum promeruit. Et paulò post. Hinc regni Cęlorum habet claues, hinc terrena eius iudicia cœlestia sunt, &c.

VIDES igitur Hilarium apertè dicere, non fidem præcisè, & in abstracto, sed Petrum ratione suæ fidei, & beatæ confessionis meruisse supereminẽtem locum in Ecclesia, idest, vt esset caput, & fundamentum eius: quod idem clarius in c. 16. Matt. loquẽs de Petro, dixit. O in nuncupatione noui nominis fęlix Ecclesiæ fundamentum. Similiter Cyrillus apertè in eodem loco dicit, non cuiuslibet fidem, sed illam inconcussam, & firmissimam S. Petri esse fundamentum: & lib. 2. in Ioan. scribit, Petrum ipsum esse petram, super quam fundatur Ecclesia.

SIMILI quoq; ratione S. Ambrosius, postquam dixit loco citato, Petri fidem esse Ecclesiæ fundamentum, ibidem dicit: Et iam Discipulo suo huius vocabuli gratiam non negauit, vt & ipse sit Petrus, qui de petra habeat soliditatem constantiæ, fidei firmitatem.

POSTREMO Chrysostomus exponens in locis citatis, quid sit ædificari Ecclesiam super Petri confessionem, introducit Dominum sic loquentẽ. Ego super te ædificabo Ecclesiam meam.

NEC obstat, si quis obijciat, nos ædificare Ecclesiã super hominem, & esse maledictum, qui spẽ ponit in homine Ierem. 3. Non. n. Petrus per se, vt particularis, & rudis homo, est Ecclesiæ fundamentum, sed à Christo in fide fundatus, ac corroboratus; nec ipse Petrus sic fundatus per se Ecclesiã ædificat, sed Christus illam ministerio Petri perpetuò ædificat. Cum verò Christus Petro dixit; *vade post me Satan*; & quãdo Christum ille negauit, nondum erat Ecclesiæ fundamẽtum, nec dum Ecclesiæ ædificatio super illum incepta erat, vt S. Hier. notat in c. 16. Matthęi, quo loco Christus promisit Petro, quod post resurrectionem suam ei daturus erat. Tandem Petrum non errasse circa fidem, sed tantum aliquid ignorasse, cum audiuit; *Non sapis ea, quæ Dei sunt*, & à charitate excidisse, non à fide, quando Christum negauit, constanter asserendum est.

TERTIO loco Ecclesiæ fundamenta sunt, & dicuntur Apostoli ad Eph. 2. & Apoc. 21. vbi Ioannes describit in ædificatione Ecclesiæ duodecim fundamenta, & explicat per ea fundamenta Apostolos designari. Est autem obseruandum, Apostolos dici fundamenta, quoad reliquas Ecclesiæ partes aliosq; fideles, non autem respectu Apostolorum, & Pastorum ad inuicem, quorum caput Petrus erat. Rursus omnes Apostoli erant fundamenta, seu lapides fundamentales; sed non omnes petræ sunt à Christo appellati, idest, non tam solida, & valida fundamenta, ideoq; solius sedis Petri fides non defecit, nec deficiet. Luc. 22. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Quibus verbis Christus duo priuilegia Petro impetrauit: vnum, ne vnquam ille veram fidem amittere posset, quãtumuis à Diabolo tentaretur: alterum vt ipse tamquam Pontifex non posset vnquã aliquid docere contra fidem, siue vt in eius sede numquam reperiretur, qui contra veram fidem doceret: quod priuilegium absq; dubio ad eius successores manauit, cum sedi Apostolicæ Petri, seu Petro, vt Pontifici, ac Pastori vniuersalis Ecclesiæ sit concessum. Sic testantur septem veteres, ac Sancti Romani Pontifices, qui optimè cognouerunt suæ sedis auctoritatem.

Apostoli fundamẽta Ecclesiæ.

Luc. 22. Duo eximia Petri priuilegia.

LVCIVS Primus Papa, & Martyr, epist. 1. ad Epos Hispaniç, & Galliç. Ecclesia, inquit, Romana Apostolica est, & mater omniũ Ecclesiarũ, quę à tramite Apostolicę traditionis nunquã errasse probatur, nec hęreticis nouitatibus deprauata succubuit, secũdũ ipsius Dñi pollicitationẽ, dicentis, ego rogaui pro te, &c.

FELIX Primus epist. ad Benignum, de Romana Ecclesia loquens. Vt, inquit, in exordio normam fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis, Apostolorum Christi principibus, illibata manet, iuxta illud, Ego rogaui pro te, &c.

LEO Serm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum. Specialis, inquit, cura

Petri à Dño suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tamquã aliorum status certior sit futurus, si mẽs Principis victa nõ fuerit. In Petro ergo omniũ fortitudo munitur, & diuinæ gratię ita ordinatur auxiliũ, vt firmitas, quę per Christũ Petro tribuitur, per Petrũ Apostolis cæteris cõferatur. Vbi Leo vtrumq; priuilegiũ agnoscit; illud primũ cum ait: si mens Principis victa nõ fuerit. Illud secundum, cũ subiungit: firmitas, quæ per Christũ Petro tribuitur, per Petrũ Apostolis cæteris cõferatur. Non.n.confertur alijs firmitas, nisi verã fidẽ exponẽdo.

AGATHO Papa in epist. ad Constantinum Imperatorem, quæ lecta est in 6. Synodo act. 4. & postea act. 8. ab omnibus probata: Hæc est, inquit, veræ fidei regula, quam & in prosperis, & in aduersis viuaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, quę per Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus vnquam deprauata succubuit, quia dictum est Petro, Simon, Simon, ecce Satanas, &c. Ego autem rogaui pro te, &c. hic Dominus fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est agnitum.

NICOLAVS Primus in epist. ad Michaelem: Priuilegia, inquit, istius sedis perpetua sunt, diuinitus radicata, atq; plantata, impingi possunt, transferri non possunt, trahi possunt, euelli non possunt. Quæ ante imperium vestrũ fuerunt, permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntq; post vos, & quousq; Christianum nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt. Et infrà, ostendens, vnde tam liberè eiusmodi prædicaret; ait. Nam & inter cętera is, per quem nobis præcipuè ista sunt priuilegia collata, Tu aliquando conuersus, audiuit à Domino, confirma fratres tuos.

LEO Nonus in epist. ad Petrum Antiochenum: Nimirum, inquit, solus est, pro quo ne deficeret fides eius, Dominus, & Saluator asseruit se rogasse, dicens, Rogaui pro te, &c. Quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius.

INNOCENTIVS Tertius in epist. ad Episcopum Arelatensem, & habetur cap. Maiores, extra, de Baptismo, & eius effectu: Maiores, inquit, Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referendas intelligit, qui nouit pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides eius.

SIC etiam Theophylactus in Luc. huiusmodi priuilegium Petro à Christo obtentum agnoscit. Quia te habeo, inquit, principem discipulorum, confirma cæteros. Hoc enim decet te, quia post me Ecclesiæ petra es, & fundamentum: sic ille. Vbi vides, huiusmodi priuilegium illi datum fuisse, quia ipse futurus erat princeps, & caput aliorum: quocirca ad eius quoque successores transijt.

PETRVS Chrysologus in epist. ad Euthychetem, quæ habetur in primo tomo Conciliorum, ante Concilium Chalcedonense: Hortamur te, inquit, frater honorabilis, vt his, quæ à beatissimo Papa Romanæ Ciuitatis scripta sunt, obedienter attẽdas; quia S. Petrus, qui in propria sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Idem in ser. 107. scribẽs de S. Petro dicit. Ipse est ergo custos fidei, petra Ecclesiæ, ianitorq; Cœlorum. Ipse est Apostolicus piscator electus, qui ad se turbas errorum fluctibus mersas hamo sanctitatis inuitat, & doctrinæ suæ rete concludit ad fidem hominum multitudinem copiosam. Est etiam ipse beatissimus, & Apostolicus auceps, qui animas iuuenum per aera volantes calamo diuini sermonis attingit: hæc ille.

VIDES, quam pulchris similitudinibus officium Petri, & successorum circa fidẽ, tũ quoad se, tũ quoad alios describat. Est Petrus, inquit, custos fidei, piscator electus, & Apostolicus auceps animarũ; vtiq; ad locũ citatũ Lucę alludẽs.

S. Bernardus in epist. 190. ad Innocentium: Oportet, inquit, ad vestrum

referri

referri Apostolatum pericula quæque,& scandala regni Dei,ea præsertim,quæ de fide contingunt. Dignum namq; arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum; cui enim alteri sedi dictum est aliquando. Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua?

NEC vllo modo obstat,tunc Romanam Ecclesiam,seu sedem non fuisse; Christus enim verè rogauit pro Romana sede,cum pro Petro, & successoribus rogauit; Petri enim sedes Christi nutu,ac iussu Romæ stabilienda erat, vt alibi à nobis probatum est.

NEC rursus obstat verba illa; *Et tu aliquando conuersus*,quasi quis alios cōfirmare non possit,nisi prius ipse à peccato conuertatur. Illud.n. *conuersus*, nō refertur ad pœnitentiam Petri,sed ad aliorum tentationes,vt non sit sensus, Tu à peccato ad pęnitentiā conuersus confirma fratres; sed,tu,cuius fides non pōt deficere,quando videris aliquos nutantes,& hæsitantes,ad eos conuersus cōfirma illos. At cognoscitur ex phrasi hebræa idē valere, *conuersus*, ac, *iterum*, vt notat Maldonatus in eundem locum Lucæ. Est.n. hebraismus, quo repetitio significatur, vt est illud, *Deus tu conuersus viuificabis nos*, hoc est, Tu,qui nos occidisti, iterum viuificabis. Similiter dum dicitur; *tu conuersus confirma fratres tuos*, idē est, ac si diceret Dominus,sicut ego te confirmaui,tu iterū fratres tuos confirma; sic Beda interpretatur. Quòd si illud, *cōuersus*, à peccato siue negatione accipiatur, vt Theophylactus,& Euthymius exponunt; tunc dicendum est,conuerti esse donum personale,& conuenire homini,tamquam priuatæ personæ, quia supponit peccatū in eo,qui conuertitur: at confirmare fratres competit homini, vt caput est,& Princeps aliorum,& ideo transit ad successores. Quocirca rectè Gelasius agens de Sede Apostolica Romana, sic loquitur. Hoc est quod Apostolica Sedes magnoperè cauet, vt quoniam mundi radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla rima prauitatis, nulla prorsus contagione maculetur: Nam si (quod Deus auertat, & quod fieri non posse confidimus) tale aliquid proueniret, vndè cuiquam resistere auderemus errori? Egregiè sanè dicit. Quoniam si Romana sedes erraret,totus mundus erraret; cum eius pręedicatio,& confessio sit radix fidei totius mundi. Vnde etiam Theodoretus epist.ad Renatum presbyterum Romanum; Tenet, inquit,ista sedes gubernacula regendarum cunctì orbis Ecclesiarū, cum propter alia,tum quia semper hæretici fœtoris expers permansit.

ET Cyrillus apud S. Thomam in Catena huius loci: Secundùm hanc, inquit, promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, & hæretica circumuentione manet immaculata,&c. Lege quoq; S. Gregorium lib.4. epistol. 32. Mauritio scriptam, vbi ex hoc loco Lucæ,& alijs ostendit, Constantinopolitanum Episcopum vniuersalem, & Ecclesiæ caput esse non posse, quoniam multi Ecclesiæ Cōstātinopolitanæ Episcopi non solum hæretici,sed etiam hæresiarchæ, vt Nestorius,& Macedonius fuere; & rationem huius rei reddēs, subdit. Vniuersa ergo Ecclesia (quod absit) à statu suo corruit,quando is,qui appellatur vniuersalis cadit,& lib.6. epist. 37. ad Eulogium ait. Quis enim nesciat,sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur? cui veritatis voce dicitur. Tibi dabo claues Regni Cœlorum. Cui rursus dicitur. Et tu aliquando conuersus,confirma fratres tuos. Apertè hoc loco docet Gregorius,firmitatem Ecclesię ex Petri firmitate pendere,& consequenter ex ratione nominis minus posse Petrum errare,quam Ecclesiam ipsam.

HÆC pauca adducta sint ad secundum priuilegium Petri declarandum. De primo verò priuilegio,in quo Dominus non solum ei donum perseuerantiæ vsque in finem impetrauit,sed etiam quod ad fidem attinet,vt numquam omninò cadere posset, nonnulla quoq; expressa Patrum testimonia sunt adducenda.

AVGVSTINVS lib. de correptione, & gratia cap. 8. Quando rogauit inquit, vt non deficeret fides eius, rogauit, vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimam voluntatem.

CHRYSOSTOMVS hom. 83. in Matth. Non dixit, inquit, non negabis; sed vt non deficiat fides tua. Cura enim ipsius, & fauore factum est, ne omnino Petri fides euanesceret.

THEOPHYLACTVS in c. 22. Luc. Quamuis, inquit, breui tēpore concutiendus sis, habes recondita semina fidei, ēt si folia abiecerit spiritus innadētis, radix tamen viuet, & non deficiet fides tua. Hæc ille. Eleganter dicit, Petrū negando Christum folia amisisse, hoc est, verba, quæ folia significant, & confessionē fidei, quæ ore fit, abiecisse, fidem tamen, quæ corde creditur ad iustitiā, tamquam radicem, non amisisse. Et licèt hoc priuilegium primum certissimū sit, personale fuisse Petri; tamen constanter quoq; asserēdum est, etiam ad cæteros successores in eadem sede sedentes summa Dei prouidentia emanasse: nullus. n. Summus Pontifex hactenus fuit hæreticus; certè de nullo probari potest, quòd hæreticus fuerit; quòd signum infallibile est, non posse esse. Lege Driedonem lib. 4. c. 3. p. 3. de Ecclesiasticis Dogmatibus, & scripturis, Phigium quoq; loco supra citato, & Card. Bellar. lib. 4. de Romano Pontifice c. 4. & seq. qui in c. 8. egregiè confutat errores, qui falsò adscribuntur Romanis Pōtificibus, Petro, Lino, Anacleto, Telesphoro, Victori, Zephyrino, Vrbano, Pontiano, Cornelio, & Marcellino, qui non solum Pontifices, sed etiam Christi Martyres fuerunt.

CAPVT DVODECIMVM.

Ob quatuor rationes rectè omnes Apostolos fundamenta Ecclesiæ dici.

QVATVOR modis rectè explicari potest, Apostolos omnes fuisse Ecclesiæ fundamenta, absque vllo tamen Petri præiudicio.

Apostoli vbiq; fundarūt Ecclesiam.

PRIMO quia ipsi primi Ecclesias vbique per orbem fundarunt; nec enim Petrus vbique Euangelium prædicauit, sed alias regiones Petrus, alias Ioannes, alias cæteri ad Christi fidem conuerterunt, quocirca S. Paulus ad Roman. 15. *sic*, inquit, *prædicaui, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem.* Et 1. Cor. 3. *Vt sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat.* Atque hoc modo ex æquo sunt Apostoli fundamenta. Id quod significatum credimus à Ioann. Apocalyp. 21.

Ad Rom. 15. 1. Cor. 3.

Rōne doctrinæ Apostoli fundamēta Ecclesiæ.

SECVNDO dicuntur fundamenta Ecclesiæ Apostoli, atque etiam Prophetæ, ratione doctrinæ à Deo reuelatæ: fides enim Ecclesiæ nititur reuelationi, quam Apostoli, & Prophetæ à Deo habuerunt, atque in hac doctrina Ecclesia acquiescit, & hanc eandem prædicationem literis, atque etiam traditionibus ad posteros mandauerunt. Qua etiam ratione dicit S. Paulus loco citato, nos superædificatos esse super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum; nec Petrus in his duobus maior est cæteris, sed vt Hieronymus ait, in omnes ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidatur.

Error Caluini.

HIC obseruandum est, Caluinum errasse, dum lib. 1. instit. cap. 9. §. 1. malè intelligens locum S. Pauli ad Ephes. 2. dixit, fundamentum Ecclesiæ esse scripturas Apostolorum, & Prophetarum. Nam numquā Paulus dixit, scripturas Apostolorum, & Prophetarum; sed Apostolos ipsos, atque Prophetas qui non solum scripserunt, sed etiam ore docuerunt, & prædicationibus tradiderunt,

esse

esse fundamentum fidei; Ecclesia enim non nititur tantum verbo diuino scripto, sed etiam, atque etiam verbo diuino non scripto, & per se ipsos Ecclesiæ Pastores nobis tradito, atq; proposito.

TERTIO dicuntur fundamenta omnes Apostoli, ratione gubernationis; fuerunt enim omnes Rectores, & Pastores Ecclesiæ vniuersæ, non tamen eodem modo, quo Petrus; habuerunt enim illi summam, atq; amplissimam potestatem, vt Apostoli, seu Legati; Petrus autem, vt Pastor ordinarius. Præterea ita habuerunt plenitudinem potestatis, vt tamen Petrus esset caput eorum, & ab illo dependerent; non è contrà. Vnde Petrus appellatur à S. Patribus princeps noster: ità Optatus lib. 2. contra Parme. Vertex, & Coryphæus Apostolorum. Ita Chrysost. Hom. 77. in Ioannem, imò χοεύφαιωτατα. Ita Epiphanius in Ancho. Cęterorum caput. Ita Cyprianus lib. 1. epist. 3. serm. de patiẽtia, & alibi, quem secutus est etiam S. Hieron. lib. 1. contra Iouinian. quod etiam S. Paulus expresse docuit ad Gal. 2. appellans eum sæpè Cephas, hoc est caput. Atq; id est, quod promittitur Petro, Matt. 16. cũ ei soli coram alijs dicitur: *Super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam.* Id quod præter alios docet idem Hier. loco citato; explicans enim quid sit super Petrum ædificare Ecclesiam, sic ait: Licèt super oẽs Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite instituto, schismatis tolleretur occasio. A Damasceno in orat. de Transfig. *Domini*, dicitur vniuersi mundi gubernator; & iterum à Chrysostomo Hom. 87. *in Ioan.* totius orbis magister: ab Ambrosio, Rector domus Dei in Comm. in 1. *Thim.* 3. ab Aug. q. in nouum testa. q. 45. alter paterfamilias.

Apostoli fundamenta Ecclesię quatenus illius Rectores.

Encomia Petri ex SS. Patribus.

S. Hieron.

QVARTO Apostoli dicuntur fundamenta, vt ait S. Augustinus in enarrat. Psal. 86. quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram; & iterum: portantes fabricam Ciuitatis faciunt viuum quoddam ædificium, ipsi enim viuentes plantauerunt Ecclesiam, calicem Domini biberunt, & amici Dei facti sunt.

QVOD si quæras, cur etiam Apostoli dicantur portæ Apocalyp. 12. Respondendum est cum S. Augustino loco citato: Quia per ipsos intramus ad regnum Cœlorum; prædicant enim nobis, & cum per ipsos intramus, per Christum intramus: ipse est enim Ianua. Et cum dicuntur duodecim portæ Hierusalem, & vna porta Christus, & duodecim portæ Christus, quia in duodecim portis Christus. Et ideo duodenarius numerus Apostolorum Sacramentum magnum huius duodenarij significatio est numeri. Et alia in hanc sententiam.

Apostoli cur portæ dicãtur.

SI iterum quæras, an Petrus post eius obitum, & hodie sit caput Ecclesiæ. Respondendum est pluribus rationibus, S. Petrum etiam hodie verè dici, & esse caput Ecclesiæ. Primò ratione successionis; in serie enim, & catena summorum Põtificum, qui Petro successerunt, primarium ac capitalem locum obtinet, cum ipse fuerit primus Pontifex à Christo cõstitutus, cui reliqui in eadem potestate iure diuino succedunt. Secundò, ratione Sedis Apostolicæ, in qua ipse sedit, quæ est caput omnium Ecclesiarum, vt docet S. Gregorius lib. 11. epist. 42. & epist. 54. in explicatione quarti psalm. pœniten. & Augustin. in epist. 162. Romanus enim Pontifex, (vt hi Patres apertè asserunt) non solum sedem Apostolicam tenet; sed principatum Apostolicæ Sedis. S. Petrus Chrysologus in eodem sensu scribens ad Euthychetem, vt superius diximus, sic loquitur. Hortamur te, inquit, frater honorabilis, vt his, quæ à beatissimo Papa Romanę Ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas, quia B. Petrus, qui in propria sede viuit, & præsidet, præstat quęrentibus fidei veritatem. Tertiò ratione protectionis, precum, ac meritorum: ita habetur in pręfatione de Apostolis, quam vnam esse ex nouem antiquissimis testatur Pelagius Papa II. qui S. Gregorium præcessit, in epist. 4. decretali. In ea pręfatione dicitur: *Gregem tuum pastorem æterne non deseras,*

Petrus etiã nũc verè dicitur caput Ecclesiæ.

S. Greg.

S. Aug.

S. Chrysol.

deseras; sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias, vt ijsdē rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios eidem contulisti praeesse pastores: Ecclesia itē in Pontificali, seu in lib. qui dicitur Ordo Romanus, sæpè vtitur hoc modo loquendi: *Precibus, & meritis B. Mariæ semper Virginis, BB. Petri, & Pauli, &c.* & iterum: *Auctoritate Apostolorū Petri, & Pauli, &c.* Quo sensu S. Leo in serm. 1. de SS. Petro, & Paulo. Sicut, inquit, nos experti sumus, & nostri probauere maiores, credimus, atq; confidimus inter omnes labores istius vitæ ad obtinendum misericordiam Dei semper nos specialium patronorū orationibus adiuuādos, & ser. 2. de anniuersario suæ assumptionis: Petrus, inquit, nunc plenius, & potentius ea, quæ sibi commissa sunt, peragit, & omnes partes officiorum, atq; curarū in ipso, per quem est glorificatus, exequitur. Item ser. 3. de eadem festiuitate: Nunc, inquit, mandatum Domini pius pastor (Petrus) exequitur, cōfirmans nos cohortatationibus suis, & pro nobis orare non cessans, vt nulla tentatione superemur. Petrus item Chrysologus ser. 107. sic scribit. Iure igitur venerabilis Dei Sacerdos olim Apostoli nactus vocabulū, nunc adeptus & meritum, serit in populos præcepta iustitiæ, & manifesta luce reserat sacrorū voluminū mysticas quæstiones: tantumq; est in cęlestibus magisteriū disciplinis, vt qui cōuertitur, ipsi absolutionem debeat, qui non corrigitur, sibi reatū: & paulò post. Quoniā beatissimus Petrus omnia, quæ sunt diuinæ virtutis, prædicationis vos suæ doctrina instruit, pariter & exemplis edocet, deprecemur Dominum Deum nostrum, vt æuo lōgissimo doctrinæ cęlestis vos sermone lætificet. Hæc ille. Atq; id ipsum innuit S. Petrus 2. epist. can. c. 1. *Dabo aūt operā, & frequenter habere vos*, nimirum commendatos, siue in animo, *post obitū meum, vt horum memoriā faciatis*. Vt n. exponunt scholia Græca apud Oecumenium, aliqui veteres non ineptè hinc colligebant, sanctos post obitum gerere curam viuentium.

S. Leo.

S. Chrysol.

2. Petr. 1.

EST autem obiter hic obseruandum, summa ratione Pauli quoque preces, ac merita in Pontificali simul annecti, cum Petrus inuocatur; quoniam Romani Pontifices, tam Petrum, quàm Paulum prædecessorem, & parentem agnoscunt. Siquidem vterq; Apostolus Romanam Ecclesiam fundauit, & gubernauit, vt præter alios testatur Irenęus lib. 3. c. 3. & in Vrbe Roma vterq; per martyrium vitam finiuit, vt ait S. Gregorius lib. 1. Dialog. c. vlt. Paulus Apostolus Petro Apostolorum primo, in principatu apostolico frater est. Et quamuis Petrus maior sit potestate, Paulus tamen maior est sapientia, vt eleganter monet S. Maximus ser. vlt. de Sanctis Petro, & Paulo, vbi Petro clauē potentiæ, Paulo clauem sapientiæ datam esse dicit. Vnde à Mose Barcepha Episcopo Syro part. 1. commentariorum de Paradiso, dicitur Paulus Apostolorum princeps, non ratione potestatis, sed sciētiæ, sapiētiæ, & prædicationis; & à B. Gaudentio Brixiano ser. 19. ad Neophytos, Architectus fundamenti fidei; & à S. Eligio Nouiomensi Episcopo, Apostolus omnium Christianorum, & à S. Chrysostomo in 2. ad Cor. 11. scribitur, Paulum totius orbis terræ curam gessisse, quocirca sollicitudinem omnium Ecclesiarum, peculiari studio earum curam gerendo, se habuisse testatur de se ipso idem Apostolus loco citato.

Cur in precibus, & officijs ecclesiasticis sē per Petrus & Paulus simul iunguntur.

S. Pauli elogia ex SS. Patribus.

PRÆTEREA S. Victor Vticensis lib. 3. de persec. Vuandalica circa finem: Adestote, inquit, Angeli Dei, deprecamini Patriarchæ, orate SS. Prophetæ, estote Apostoli suffragatores, præcipuè tu Petre beate, quare siles pro ouibus, & agnis, à communi Domino magna tibi cautela, & sollicitudine commendatis? Tu Sancte Paule gentium magister, cognosce quid Vuandali faciunt Ariani, & filij tui gemunt lugendo captiui, vniuersiq; ingemiscite simul pro nobis Apostoli. In his verbis vides, principes Apostolorum adhuc curam habere gregis ipsis commissi, Deum pro eo intercedendo, ac interpellando.

DVPLEX autem fuit Paulo, vt Chrysostomi verbis vtar, dum in terris

agerct

ageret, cura pro orbe terrarum; nempè & quomodo necessaria non deficerent Christianis, & quomodo spiritualia eis abundarent:& nullum sic contristant esurientes pueri, vt illū omnia fidelium negocia. Quid dico, fidelium? neque enim à cura infidelium liber erat,à qua sic cruciabatur, vt oraret etiam anathema fieri pro illis; & tu, licèt supra modum inualescat fames, non vis pro quopiam mori; & tu quidem pro vxore vna sollicitus es, ille autem pro Ecclesijs, quæ per totum orbem: dicit enim, sollicitudo omnium Ecclesiarum.Sic Chrysostomus Hom.12.in cap. 6.secundæ ad Corinth. lege eundē in cap. 2. epistol. ad Galath. huiusmodi curis vehementius in Cœlis incumbit, cum maiori charitate,& amore erga Christianos ardeat,illisuè afficiatur.

S. THOMAS 2.Cor. 12.Lec.3.in principio docet, Paulum Apostolum excellentiam habuisse sex in rebus, nimirum quoad specialem electionem, secretorum Dei cognitionem, malorum perpessionem, virginalem integritatem, bonorum operationem, & maximam scientiam,qua emicuit: & ad Galat. 2.lec. 3.in principio,ait,Paulum fuisse parem Petro in executione auctoritatis, non autem in auctoritate regiminis,& in lect.1.2.ad Cor.15.scribit, Paulum excellere cæteros Apostolos;scilicet quia nullus per tot loca prædicauit, laborando manibus, & nullus tot persecutiones,& tribulationes pertulit. Hactenus ex S. Thoma. Verum si Paulus plus omnibus laborauit, & nihil minus fuit ab ijs,qui erant supra modum Apostoli,vt ipse asserit 2.ad Cor. cap. 11.& 12. quonam pacto negari poterit, summam sollicitudinem, & curam vsque hodie omnium Ecclesiarum in Cœlis habere? cum ibi non refrigescat sed ferueat vehementer Charitas: & si Christiani ei multum tamquam filij debent, quomodo illis tamquam parens etiam hodie non thesaurizabit? neque enim solum Angelos ad tuendum suum gregem, sed etiam Apostolos, & præsertim eorum principes in Cœlis agentes Dominus destinauit. Sex S. Pauli excellentiæ.

EA autem (quod postremo loco dicendum est) intercedit differentia inter Christum,& Apostolos,quòd ipse per semetipsum nullo mediatore intercedente accedit,sempiternum habens sacerdotium,ac semper viuens ad Deum ad interpellandum pro nobis, vt inquit S. Paulus ad Hebræos 7. iuxta illud Dauid. Psalm. 109. *Tu es sacerdos in æternum.* At Apostoli morte prohibente eos permanere,licèt Apostolicum, & Pontificium munus re ipsa expleuerint, animæ tamen beatæ illorum in Cœlo,& pro Ecclesia orant, & illam suffragijs,ac meritis custodiunt, protegunt, dirigunt, atque tuentur. Sic S.Augu.quæst. 149. in Exodum: Vt eo modo, inquit, admoneremur, cum merita nostra nos grauassent, ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit. Ac rursum lib.21.de Ciuitate Dei cap. 27. aliquoties repetit, nonnullos sanctorum meritis indulgentiam adipisci, atque hoc significatum esse à Domino, cum ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Luc.16.Sicut autem, inquit S.Leo serm.1.de natali Apostolorum, (cuius etiā verba supra retulimus)& nos experti sumus, & nostri probauere maiores, credimus, atq;confidimus, inter omnes labores istius vitæ ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium patronorum orationibus adiuuandos, vt quantū proprijs peccatis deprimimur,tantū Apostolicis meritis erigamur.

Discrimen inter Christum & Apostolos in orationibus pro Ecclesia.

Psalm. 109.

S. August.

Luc. 16.
S. Leo.

CA-

deseras, sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias, vt iisdē rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios eidem contulisti praeesse pastores: Ecclesia itē in Pontificali, seu in lib. qui dicitur Ordo Romanus, saepè vtitur hoc modo loquendi: *Precibus, & meritis B. Mariae semper Virginis, BB: Petri, & Pauli, &c.* & iterum: *Auctoritate Apostolorū Petri, & Pauli, &c.* Quo sensu S. Leo in serm. 1. de SS. Petro, & Paulo. Sicut, inquit, nos experti sumus, & nostri probauere maiores, credimus, atq; confidimus inter omnes labores istius vitae ad obtinendum misericordiam Dei semper nos specialium patronorū orationibus adiuuādos, & ser. 2. de anniuersario suae assumptionis: Petrus, inquit, nunc plenius, & potentius ea, quae sibi commissa sunt, peragit, & omnes partes officiorum, atq; curarū in ipso, per quem est glorificatus, exequitur. Item ser. 3. de eadem festiuitate: Nunc, inquit, mandatum Domini pius pastor (Petrus) exequitur, cōfirmans nos cohortatationibus suis, & pro nobis orare non cessans, vt nulla tentatione superemur. Petrus item Chrysologus ser. 107. sic scribit. Iure igitur venerabilis Dei Sacerdos olim Apostoli nactus vocabulū, nunc adeptus & meritum, serit in populos praecepta iustitiae, & manifesta luce reserat sacrorū voluminū mysticas quaestiones: tantumq; est in caelestibus magisteriū disciplinis, vt qui cōuertitur; ipsi absolutionem debeat, qui non corrigitur, sibi reatū: & paulò post. Quoniā beatissimus Petrus omnia, quae sunt diuinae virtutis, praedicationis vos suae doctrina instruit, pariter & exemplis edocet, deprecemur Dominum Deum nostrum, vt aeuo lōgissimo doctrinae caelestis vos sermone laetificet. Haec ille. Atq; id ipsum innuit S. Petrus 2. epist. can. c. 1. *Dabo aūt operā, & frequenter habere vos*, nimirum commendatos, siue in animo, *post obitū meum, vt horum memoriā faciatis.* Vt. n. exponunt scholia Graeca apud Oecumenium, aliqui veteres non ineptè hinc colligebant, sanctos post obitum gerere curam viuentium.

S. Leo.

S. Chrysol.

2. Petr. 1.

Cur in precibus, & officijs ecclesiasticis sēper Petrus & Paulus simul iungantur.

EST autem obiter hic obseruandum, summa ratione Pauli quoque preces, ac merita in Pontificali simul annecti, cum Petrus inuocatur; quoniam Romani Pontifices, tam Petrum, quàm Paulum praedecessorem, & parentem agnoscunt. Siquidem vterq; Apostolus Romanam Ecclesiam fundauit, & gubernauit, vt praeter alios testatur Irenęus lib. 3. c. 3. & in Vrbe Roma vterq; per martyrium vitam finiuit, vt ait S. Gregorius lib. 1. Dialog. c. vlt. Paulus Apostolus Petro Apostolorum primo, in principatu apostolico frater est. Et quamuis Petrus maior sit potestate, Paulus tamen maior est sapientia, vt eleganter monet S. Maximus ser. vlt. de Sanctis Petro, & Paulo, vbi Petro clauē potentiae, Paulo clauem sapientiae datam esse dicit. Vnde à Mose Barcepha Episcopo Syro part. 1. commentariorum de Paradiso, dicitur Paulus Apostolorum princeps, non ratione potestatis, sed sciētiae, sapiētiae, & praedicationis; & à B. Gaudentio Brixiano ser. 19. ad Neophytos, Architectus fundamenti fidei; & à S. Eligio Nouiomensi Episcopo, Apostolus omnium Christianorum, & à S. Chrysostomo in 2. ad Cor. 11. scribitur, Paulum totius orbis terrae curam gessisse, quocirca sollicitudinem omnium Ecclesiarum, peculiari studio earum curam gerendo, se habuisse testatur de se ipso idem Apostolus loco citato.

S. Pauli elogia ex SS. Patribus.

PRAETEREA S. Victor Vticensis lib. 3. de persec. Vuandalica circa finem: Adestote, inquit, Angeli Dei, deprecamini Patriarchae, orate SS. Prophetae, estote Apostoli suffragatores, praecipuè tu Petre beate, quare siles pro ouibus, & agnis, à communi Domino magna tibi cautela, & sollicitudine commendatis? Tu Sancte Paule gentium magister, cognosce quid Vuandali faciunt Ariani, & filij tui gemunt lugendo captiui, vniuersiq, ingemiscite simul pro nobis Apostoli. In his verbis vides, principes Apostolorum adhuc curam habere gregis ipsis commissi, Deum pro eo intercedendo, ac interpellando.

DVPLEX autem fuit Paulo, vt Chrysostomi verbis vtar, dum in terris ageret

ageret, cura pro orbe terrarum; nempè & quomodo necessaria non deficerent Christianis, & quomodo spiritualia eis abundarent:& nullum sic contristant esurientes pueri, vt illū omnia fidelium negocia. Quid dico, fidelium? neque enim a cura infidelium liber erat,à qua sic cruciabatur, vt oraret etiam anathema fieri pro illis; & tu, licèt supra modum inualescat fames, non vis pro quopiam mori; & tu quidem pro vxore vna sollicitus es, ille autem pro Ecclesijs, quæ per totum orbem: dicit enim, sollicitudo omnium Ecclesiarum.Sic Chrysostomus Hom.12.in cap.6.secundæ ad Corinth. lege eundē in cap.2. epistol. ad Galath. huiusmodi curis vehementius in Cœlis incumbit, cum maiori charitate,& amore erga Christianos ardeat,illisuè afficiatur.

S. THOMAS 2.Cor. 12.Lec.3.in principio docet, Paulum Apostolum excellentiam habuisse sex in rebus, nimirum quoad specialem electionem, secretorum Dei cognitionem, malorum perpessionem, virginalem integritatem, bonorum operationem, & maximam scientiam,qua emicuit: & ad Galat. 2.lec. 3.in principio,ait,Paulum fuisse parem Petro in executione auctoritatis, non autem in auctoritate regiminis,& in lect.1.2.ad Cor.15.scribit, Paulum excellere cæteros Apostolos;scilicet quia nullus per tot loca prædicauit, laborando manibus, & nullus tot persecutiones,& tribulationes pertulit. Hactenus ex S. Thoma. Verum si Paulus plus omnibus laborauit, & nihil minus fuit ab ijs,qui erant supra modum Apostoli, vt ipse asserit 2.ad Cor. cap. 11.& 12. quonam pacto negari poterit, summam sollicitudinem, & curam vsque hodie omnium Ecclesiarum in Cœlis habere? cum ibi non refrigescat sed ferueat vehementer Charitas: & si Christiani ei multum tamquam filij debent, quomodo illis tamquam parens etiam hodie non thesaurizabit? neque enim solum Angelos ad tuendum suum gregem, sed etiam Apostolos, & præsertim eorum principes in Cœlis agentes Dominus destinauit. Sex S. Pauli excellentiæ.

EA autem (quod postremo loco dicendum est) intercedit differentia inter Christum,& Apostolos,quòd ipse per semetipsum nullo mediatore intercedente accedit,sempiternum habens sacerdotium,ac semper viuens ad Deum ad interpellandum pro nobis, vt inquit S. Paulus ad Hebræos 7. iuxta illud Dauid. Psalm. 109. *Tu es sacerdos in æternum.* At Apostoli morte prohibente eos permanere,licèt Apostolicum, & Pontificium munus re ipsa expleuerint, animæ tamen beatæ illorum in Cœlo,& pro Ecclesia orant, & illam suffragijs,ac meritis custodiunt, protegunt, dirigunt, atque tuentur. Sic S.Augu.quæst. 149. in Exodum: Vt eo modo, inquit, admoneremur, cum merita nostra nos grauassent, ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit. Ac rursum lib.21.de Ciuitate Dei cap. 27. aliquoties repetit, nonnullos sanctorum meritis indulgentiam adipisci, atque hoc significatum esse à Domino, cum ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Luc.16.Sicut autem, inquit S.Leo serm.1.de natali Apostolorum, (cuius etiā verba supra retulimus)& nos experti sumus, & nostri probauere maiores, credimus, atq;confidimus, inter omnes labores istius vitæ ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium patronorum orationibus adiuuandos, vt quantū proprijs peccatis deprimimur,tantū Apostolicis meritis erigamur. Discrimen inter Christum & Apostolos in orationibus pro Ecclesia. Psalm. 109. S.August. Luc.16. S.Leo.

CA-

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Eadem verba, Fundamenta, &c. Animæ rationali, seu homini iusto moraliter adaptantur.

Vnde dicatur fundamentum.

DE ratione fundamenti est, vt docet S. Thom. 2.2. quæst. 4. art. 7. ad 4. esse primum, sustentare, & connectere: dicitur enim fundamentum à voce, fundum, quod propriè est ima pars vniuscuiusque rei, quæ aliquid liquoris in se continet, vel ad continendum facta est, vt dolij, nauis, aluei, fluminis, lacus, maris. Vnde profundum mare dicitur, quod procul habeat fundum. Hinc transfertur ad significandum id, super quo aliquid fundatur. Fundamentum autē in spiritualibus, vt docet S. Tho. 2.2. q. 161. art. 5. ad 2. & 3. par. q. 84. art. 6. ad 2. & Alex. de Ales 4. par. q. 62. memb. 2. art. 1. & Petrus de Palude in 4. distin. 14. q. 3. dicitur ad similitudinem fundamēti ædificij corporalis duplici proprietate. Prima, quia fundamentum est primum in ædificio. Secunda, quia totū ædificium sustentat. Et sic in ædificio spirituali fundamentum dicitur, vel ratione prioritatis, vel ratione conseruationis aliorum, vel etiam ratione vtriusq;. Prioritas attenditur dupliciter, vel quantum ad scienda in religione Christiana, vel quantum ad agenda in vita Christiana, & hoc vel quantum ad fugam mali, vel quantum ad persecutionem boni. Quantum ergo ad doctrinam fides est fundamentum, cum sine fide omnis doctrina vana, & inanis sit. Vnde ad Hebr. 11. dicit Apostolus; *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Et rursus, *fides est substantia rerum sperandarum*, substantia, inquam, à substādo: & quia intellectus præcedit affectum, fides est simpliciter primum fundamentum omnium aliarum virtutum, quoniam est prior eis, & eas sustentat. Dicitur quoque ea ratione fides fundamentum æternæ vitæ Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solū verum Deū, & quem misisti Iesū Christū*. Vnde rectè Aug. tract. 105. in Io. ait: Quantò magis in fide proficimus, tāto magis viuere tendimus. Nec non fundamentum, & primus gradus ad beatitudinē Matt. 16. *Beatus es Simon Bar iona, &c.* Quantum aūt ad effectum, & fugam mali, & timor, & pœnitentia dicuntur fundamentum. Timor, quia primum in toto genere remouet à malo tam commisso, quam committendo. Pœnitentia verò in actu conuersionis fundamentum est recedendi à malo. Remouet. n. peccati immunditiam, super quam erat constructa machina diabolica, vt dicit S. Bonau. dist. 22. q. penult. lib. 4. Quare ad Hebr. 6. scribitur. *Nos rursus iacientes fundamentum pœnitentiæ.* Regulariter. n. timor præcedit pœnitentiam, sicut genus speciem. Quod vero ad boni prosecutionem, Charitas est fundamentum secūdum Apost. Eph. 4. *In charitate radicati, & fundati.* Ratione aūt cōseruationis in prosperis, humilitas dicitur fundamentum, in aduersis autem fortitudo. Immò ipsa humilitas est mater, radix, altrix, fulcimentum, & vinculum bonorum omnium; ita S. Chrys. hom. 15. in Matth. & hom. 30. in Acta. & S. Basil. in constitu. monast. c. 17. Humilitas est tutissimus omnium virtutum thesaurus. Et secundum hoc diuersæ virtutes dicuntur fundamenta spiritualis ædificij secūdum diuersos ordines procedendi in varijs locis scripturæ. Lege Gabrielem in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 3. dubio 2. Simili quoque ratione Apostolus ad Hebr. 6. vt notat Glossa ibidem, vocat fundamentum sermonem inchoationis, idest, sermonem, qui fieri debet Cathecumenis, & his, qui ad Christi fidem primò vocantur: de qua re

Fides fundamētum omnis doctrinæ. Ad Hebr. 11.

Ioann. 17.

Matth. 16. Qūo timor, & pœnitētia sint fundamenta.

Ad Hebr. 6.

Charitas qua ratione sit fundamentum. Ephes. 4.

lege

lege quoque S.Bonauenturam lib.4.ſententiarum diſt.12.quæſt.penult.

Nō dicitur propriè fides fundamentum Eccleſiæ, ſed S. Petrus.

S. Aug.

HIC autem eſt animaduertendum, quòd licèt fides ſit fundamentum ædificij ſpiritualis, & abſolutè ſumpta rectè dicatur fundamentum iuſtificationis, & omnium virtutum; vt enim ait S.Aug.in ſerm.22.de verbis Apoſt.domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, & diligendo perficitur; non tamen propriè dicitur fundamentum Eccleſiæ, cum eiuſdē generis debeat eſſe fundamentum, & reliquum ædificium; eſt autem Eccleſia hominum congregatio, quaſi lapidum viuorum, vt dicitur 1.Petri 2.& ideò lapis, qui eſt fundamentum Eccleſiæ, debet eſſe aliquis homo, non aliqua virtus; de qua re legendus eſt Cardinalis Bellarm.lib.1.de Romano Pontifice cap.10.vbi Patres adducit. Quocirca concludendum eſt, fundamentum Eccleſiæ non eſſe fidem, ſed Petrum, cum illius ſit proprium, totum ædificium Eccleſię regere, & ſuſtentare. Ita Chryſ.hom. 55.in Matth.de Petro loquitur. Eccleſiæ, inquit, Paſtorem, & caput illum conſtituit. Et alludens ad ſoliditatem Petræ, addit ingenioſè, illum adamantis naturam firmitate ſuperare. Et infra. Hieremiam quidem vni genti Pater, Petrum aūt vniuerſo terrarum orbi Chriſtus præpoſuit. Lege eundem orat. 2. aduerſus Iudæos; & in hom.2.in Pſal.50. vbi ait. Audi quid Chriſtus dixerit Petro colūnæ, & fundamento fidei, qui ob robur confeſſionis vocatus eſt Petrus, dicente Domino, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c.* S.Ambr.ſer.47. Petra, inquit, dicitur Petrus, eò quòd tamquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemq; contineat. S.Greg.lib.4.epiſt.32. Cunctis, inquit, Euangelium ſcientibus liquet, quòd voce dominica ſancto, & omnium Apoſtolorum principi Petro totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt; ipſi quippe dicitur. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et Petrus Chryſol. ſer. 107. appellat Petrum immobile fundamentum ſalutis. Qua in re deceptus fuit Lutherus lib.de poteſtate Papæ, vbi dicit, hanc conſequentiam non valere; ſuper petram ædificatur Eccleſia, ergo Petrus eſt Rector Eccleſiæ; rectè enim etiam dicitur, ſuper fidē ædificatur Eccleſia, non tamen ſequitur, igitur fides eſt Rector Eccleſię. At verò decipitur, quia à diſparatis nulla fit illatio, vt cōiter Doctores docēt; aliter.n.Eccleſia dependet à fide, & aliter à Petro; à fide pendet, vt à principio iuſtificationis, & à dono quodam, ſine quo ſponſa Chriſti non eſſet; quo ſenſu dicitur expreſsè in Conc.Trid.ſeſſ.6.cap.8.fidem eſſe humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radicem omnis iuſtificationis; à Petro verò pendet Eccleſia, vt à Rectore, & Gubernatore, talis eſt enim dependentia vnius hominis ab alio. Prætterquam quòd, vt dictum eſt, impropriè dicitur, Eccleſiam ſuper fidem ædificari: qua etiam ratione cæteri Apoſtoli omnes fundamenta Eccleſiæ dicūtur, cum omnes fuerint capita, Rectores, & Paſtores Eccleſiæ vniuerſæ, ſed non eodem modo, quo Petrus: hic enim fuit Paſtor ordinarius totius Eccleſiæ, & caput omnium etiam Apoſtolorum; illi verò habuerunt à Chriſto ſummam, atque ampliſſimam poteſtatem, vt Apoſtoli, ſeu legati; ità tamen, vt à Petro dependerent, & non contra, vt egregiè S.Hieron.lib.contrà Iouin.explicans, quid ſit ſuper Petrum ædificare Eccleſiam docet: licèt, inquit, ſuper omnes Apoſtolos ex æquo Eccleſiæ fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio.

Bellarm. *S.Chryſoſt.* *S.Ambr.* *S.Greg.* *S.Pet. Chryſol.* *Qua rōne Eccleſia à fide, & à Petro pēdeat.* *Conc. Trid.* *S. Hieron.*

Fundamentum ſpirituale eſt ſurſū, non deorſum.

S.Thomas.

VERVM illud ex S.Auguſtino ſuper Pſal.29.obſeruandum eſt, quòd ſicut totum ædificium materiale tendit deorſum, quia locus fundans eſt deorſum; ſic ſpiritale ædificium tendit ſurſum, quia Chriſtus Dominus, qui fundamentum eſt ſpiritualis ædificij, eſt ſurſum. Rectè autem notat S. Thomas 2. 2. quæſt.4.art.7.ad.4.quod fides ſine charitate fundamentum eſſe non poteſt; immò nec rationem fundamenti habere poſſe: ad rationem enim fundamenti (ſunt verba S.Thomæ) non ſolum requiritur, quòd ſit primum, ſed etiam quòd

ſit

sit alijs partibus ædificij connexum. Non enim esset fundamentum, *nisi ei aliæ* partes ædificij cohærerent. Connexio autem spiritualis ædificij est per charitatem secundum illud Col. 3. *super omnia charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis*; Et ideò fides sine charitate fundamentum esse non potest; nec tamen oportet, quòd charitas sit prior fide. Hęc ille. Quæ sententia modernorum hæreticorum falsa dogmata mirificè subuertit asserentium, in sola fide totam structuram salutis perfici.

Qūo à Patrib⁹ anima hominis dicatur firmamentum.

Origen.

NON est autem hoc loco prætereundum, nonnullos Patres super illa verba Gen. 1. *Fiat firmamentum in medio aquarum, &c.* diuersas, applicãdo illa animę, seu homini, ingeniosas excogitasse allegorias, mysticasuè significationes, quæ aliquo modo ad rē nostrā faciunt. Origenes. n. hom. 1. in Genes. per firmamentum hominē exteriorem intelligit, sic scribens: Illud quidē primum Cœlū, quod spirituale diximus, mens nostra est, quæ & ipsa spiritus est, idest spiritualis homo noster, qui videt, ac perspicit Deum. Istud aūt corporale Cœlū, quod firmamentum dicitur, exterior homo noster est, qui corporaliter intuetur. Sicut ergo firmamentum Cęlum appellatū est, ex eo quòd diuidat inter eas aquas, quæ super ipsum, & eas, quæ sub ipso sunt; ita & homo, qui in corpore positus est, si diuidere potuerit, & discernere, quæ aquæ sunt superiores super firmamentum, & quę sub firmamento sunt; etiam ipse Cœlum, id est cœlestis homo appellatur, secundum Pauli Apostoli sententiam, dicentis. Nostra autem conuersatio in Cœlis est.

VERVM hæc allegoria est quidem bona, sed satis frigida, atque insulsa, nullamque venustatem habet, cum multas improprietates verborum contineat: Qua enim recta ratione homo exterior, seu corpus hominis firmamentum est appellandum, cum fragile, caducum, atque mortale sit?

Disciplina christiana est firmamentum.

MAGIS arridet nobis illa Glo. ordinariæ ex August. allusio: Secundo die inquit, factum est tamquam firmamentum disciplinæ, quod discernit inter spiritualia, & carnalia, sicut inter inferiores, & superiores aquas. Sed & alia eiusdem Augustini in serm. 134. de tempore non est spernenda, vbi per firmamentum Christum accipiens, inquit. Diuisio aquarum, Iudæorum populorū, & Christianorum, sicut Apocalypsis: Aquas quas vidisti, populi sunt, & nationes. Cum aquas dicit super Cœlos impositas, Christianum populum nuntiat. Vnde & Anastasius Synaita, vt supra diximus, Hexameron lib. 2. ait. Nōnulli autem hoc etiam referunt ad duos populos, nempè & ad nos quidem stantes, qui firmi sumus, ac stabiles supra Petri fundamentum, & illius fidei immobilem constantiā; & ad Iudæos, qui ceciderunt, & subiecti sunt inferiori firmamento. Hugo Carēsis in Postillis magis ad moralitatē vergens, de hac re sic scribit. Vel firmamentum Christus: Aquæ superiores; cœlestes delectationes. Inferiores; terrenæ, & carnales, quæ dicuntur maria, iuxta illud; Omnia flumina à mari exeunt, & in mare reuertuntur. Has diuidit firmamentum, quia Christus per amaritudinem passionis magnum chaos imposuit, vt nullus valeat ab his ad illas transire. Quidam non benè diuidunt inter has aquas, quia sub specie virtutis vitiū intus nutriunt; Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Hæc ille.

Apoc. 17.

Christi in Cruce contēplatio diuidit aquas ab aquis, & quo modo.

QVIDAM elegantissimus scriptor rem hanc deuotissimè meditando sic exarauit. Præclarissimum certè firmamentum est Christus inter voluptates, delectationesq; cœlestes, & terrenas; ne videlicet terrenæ exhalent à carne, tamquam à terra, & exurgant, atque ascendant, itaut spirituales actiones obtegãt, vel impediant. Id verò præcipuè præstabit Christus, si in Cruce appensus spectabitur, eius profectò contemplatione cohibebuntur, atq; comprimentur. Quomodo siquidem tumor ascendet superbiæ, si Christi, vt hanc culpam dilueret, lancea pectus perforatum aspicietur? Quomodo iræ exardescent, & odia, diffi-

diatq; si in Christo, vt pacē ferret, ludibrium Gentiū, Iudæorumq; effecto figentur obtutus? Quomodo sacra fames auri prævalebit, si Christus nudus, vt detestandū hoc facinus deleret, Mundo expositus conspicietur? Qūo libidinis ardores exsufflabunt, si caro Christi flagellis ad eos reprimēdos exinanita cernetur? Qūo gulæ, cōmessationis, ebrietatisq; studia animū nostrū demulcebunt, si eorū causa Christus felle, & aceto pastus considerabitur? Qūo tandē desidia, & vecordia carnis petulantiā in nobis fouebunt, si Christi carnē ad eā comprimendā, tot vulneribus dilaceratā fuisse contemplabimur? Beatus certè, qui allidit paruulos suos ad petram: Paruuli sunt vitiorum prima semina, pullulantesq; radices, quæ in vitia, habitusq; prauos succrescunt, & tamquā diri angues cor nostrū postea circumsepiunt, atq; obuoluunt, vt eorū veneno semper affici compellantur. Beatus igitur, qui allidit paruulos ad petrā, ad Christum in Cruce, pœnarūque earum, quas Christus pro vitijs his perpessus est, memor, cōterit, conscindit, cōprimitq; hæc prima carnalium, terrenarumq; voluptatum semina, & initia.

APPOSITE autem vocatur in scripturis hoc firmamentum Cœlum, sicut n. Deipara in sanctitate corroborata, & Angelus in bono confirmatus, scripturaq; ab Ecclesia approbata, immò ipsa Ecclesia in Christo solidata, congruè & firmamentū, & Cœlū dicitur; ita homo interior in gratia firmatus, seu anima, & mens iusti in Deo solidata nō solum firmamenti nomine, sed et Cœli sunt decoranda. Audi Bedā in expositione in Genes. Non incōgruè quoq; & homo noster interior Cœlum appellatur, sicut in Euāgelio. *Fiat voluntas tua sicut in Cœlo, & in terra.* Quod firmamētum appellatur propter æternitatem, quodq; debet discernere inter spiritualia, & carnalia, quasi inter aquā, & aquā. Audi quoque Stephanum Cantuariensem in Tilmanni allegorijs sic eleganter scribentem. Et vocauit Deus firmamentum Cœlum. Mens iusti, quæ per bona opera firmamētum est, rectè Cœlum dicitur, quia & sculpta est virtutum floribus, & conscientiæ gloriam cælat. Quomodo autem Deus in anima iusti consideat, pulchrè explicauit Ezechiel c. 1. illis verbis. *Et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphyri, similitudo throni, & super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper. Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis, intrinsecus eius per circuitum à lumbis eius, & desuper, & à lumbis eius vsq; deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu. Velut aspectū arcus cum fuerit in nube in die pluuiæ.* Quid est aūt, si moralē sensum sequamur, firmamētum ad similitudinem lapidis sapphyri, nisi anima iusti ad instar sapphyri, colore videlicet cęlesti, cęlesti vita, cęlestibus virtutibus coruscans? Thronus in firmamento cōsistens, ipsa mens nempè iusti habet virum in superna eius parte residentem, hoc est, Christum Deum, & hominem. Ignis verò supra vndiq; eum circumtegens in speciem electri, charitatem Dei in superna parte animæ æstuantem significat. Quis verò ignis in speciem arcus Iridis inferiorē partem circundans, nisi charitas proximi in nube rutilante, & candida collocata, nempè in intentione pura, & ardenti inserta? Iris siquidem triplici afficitur colore, rubeo, viridi, cęruleo, vt charitatem erga proximum demonstret, quam pietate, & mansuetudine refertam esse conuenit. Cœlum ergo anima, vel mens iusti est, Cœlum lucida gestans sydera, nimirum splendida exēpla; amplius & status motus habēs, videlicet rectos incessus, choreas cōcinnas, idest, virtutū catervas, diuinos circuitus, diuinas contemplationes, influxus efficaces, exempla euidentissima. Quocirca S. Augustinus lib. 2. de serm. Domini in Monte cap. 9. in illa verba. *Pater noster, qui es in Cœlis.* In sanctis, inquit, & iustis. Non enim spatio locorum cōtinetur Deus. Sunt enim Cęli excelsa mundi corpora, sed tamen corpora, quæ non possunt esse nisi in loco. Sed in Cœlis, tamquam in superioribus mundi partibus, locus Dei esse creditur, melioris meriti sunt aues,

Mēs iusti rectè firmamentū, & Cęlum dicitur.

Ezech. 1.

S. August.

quarum

quarum vita est Deo vicinior. Non autem scriptum est, propè est Dñs excelsis hominibus, aut eis, qui in montibus habitant: sed scriptũ est, Propè est Dñs obtritis corde: quod magis pertinet ad humilitatem. Sed quemadmodũ terra appellatus est peccator, cum ei dictum est, Terra es, & in terram ibis: sic Cęlum iustus è contrario dici potest. Iustis.n. dicitur, Templum Dei sãctum est, quod estis vos. Qua propter si in templo suo habitat Deus, & sancti templum eius sunt, rectè dicitur, qui in Cœlis es, qui es in sanctis. Et accõmodatissima ista similitudo est, vt spiritualiter tantum interesse videatur inter iustos, & peccatores, quãtum corporaliter inter Cœlum, & terram. Cuius rei significandæ gratia, cum ad orationes stamus, ad Orientem conuertimur, vnde Cœlum surgit: non tamquam ibi sit Dominus, & quasi cæteras mundi partes deseruerit, qui vbiq; præsens est, nõ locorum spatijs, sed maiestate potentiæ: sed vt admoneatur animus ad naturam excellentiorem se conuertere, idest, ad Dominum, cum ipsum corpus eius, quod est terrenum, ad corpus excellentius, idest, ad corpus cęleste cõuertitur. Conuenit etiam gradibus religionis, & plurimum expedit, vt omnium sensibus, & paruulorum, & magnorum benè sentiatur de Deo. Ideò qui visibilibus adhuc pulchritudinibus dediti sunt, nec possunt aliquid incorporeum cogitare, quoniã necesse est, vt Cœlum præferant terræ, tolerabilior est opinio eorum, si Deum, quẽ adhuc corporaliter cogitant, in Cœlo potius credant esse, quàm in terra: vt cum aliquando cognouerint dignitatem animæ cęlesse etiam corpus excedere, magis eum quærat in anima, quàm in corpore etiam cœlesti: Et cum cognouerint, quantum distat inter peccatorum animas, & iustorum, sicut non audebant, cum adhuc carnaliter saperent, eum in terra collocare, sed in Cœlo, sic posteà meliori fide, vel intelligentia magis eum in animis iustorum, quàm in peccatorũ requirant. Rectè ergò intelligitur, quod dictum est, Pater noster, qui es in Cœlis: in cordibus iustorum esse dictum, tanquam in templo sancto suo. Sic Augustinus.

Cur ad orientẽ cõuertimur dũ oramus.

HVGO Carensis in postillis rursus similia profert, sic scribens. Firmamentum, anima rationalis; aquæ superiores, sancta desideria, & mundi cogitationes, de quibus, Benedicite aquæ omnes, quæ super Cœlos sunt, Domino. Et si continuerit aquas, omnia siccabuntur; si emiserit eas, subuertent terram. Inferiores sunt terrena desideria, & immundæ cogitationes. Habitatio huius ciuitatis optima est, sed aquæ pessimæ sunt. Hactenus ille.

HVGO etiam de S. Victore lib. 1. de Sacrament. parte prima cap. 19. Quare autem, inquit, factum sit, vt firmamentum aquas à se diuideret, partimq; supra, atque infra partim earundem aquarum natura consisteret, non quærat extra se, qui hæc propter se facta credit. Nam est illo, qui interius fabricatus est, mundo quidam huius operis formam, & exemplar habens, vbi terra quædam deorsum posita consistit, sensualis natura hominis: Cœlum autem sursum, puritas intelligentiæ, & quasi quodam immortalis vitæ motu vegetata ratio. Duas verò istas tam dissimiles in vno homine naturas magna quædam desideriorum moles hinc inde fluctuantium, & in contraria sæpe motu alterno tẽdentium oberrat; quia & aliud est, quod subtus caro ex infirmitate pressa appetit, & aliud quod spiritus sursum per contemplationem veritatis eleuatus intendit. Sed fit aliquoties, vt contrarij motus confusionem gignant, nisi ratio media interueniens diuidat ab inuicem, & discernat voluntates, & appetitus, desideriaq; dijudicet. Quid sit videlicet, quod ex carne deorsum trahit; quid, quod ex spiritu in superna inhiat, summum illud, & immortale bonum ambiens. Nam cum ipsa ratio fortiter iudicij censura, quasi firmamentum quoddam, in medio se se collocat, atque hinc super cœlestes aquas, illinc autem eas, quæ sub Cœlo sunt, disponit separatim; non potest inferior corruptela superiorem animæ puritate inficere, neque ipsa, quæ sursum est, sinceritas, ad ea, quæ subter sunt

abiecta,

abiecta, & vilia sinit sese inclinare.

HORVM Patrum interpretatio illa similitudine illustratur, qua homo ad vniuersi mundi partes comparatus, paruus mundus dicitur. In eo empyreum, siue Cœlum super aquas cœlestes supremum, mens est ipsa, seu spiritus; primus orbis cæteros rapiens, voluntas est omnium regina; syderum Cœlum, memoria pluribus, tamquam stellis, illustrata scientiarum habitibus; Sol, intellectus, qui phantasmata illustrat; Saturni typum habet phantasia; Iouis iudiciū; Martis pars irascibilis: Veneris concupiscibilis; Mercurij ingenium; Lunæ verò sensuum tum externorum, tum internorum vires. Verùm & elementa quatuor in microcosmo quatuor feruntur esse humores; quo symbolo sanguis ignis, bilis aeris, flegma aquæ, melancholia terræ vices agunt. Vel iterum, cor sedes caliditatis, ignis microcosmi censendus est; pulmo attrahens spiritum aer; epar per tot venas, quasi per alueos sanguinem diffundens, aqua; ossa verò, & caro terra. Genera verò aquarum, quæ in rationali microcosmo diffluunt, duo sunt; duo, inquam, voluptatum genera, vnum spirituale, quod desuper super orbes cœlestes versatur; sancta nimirum desideria, mundæ cogitationes, spiritualesq; voluptates, quæ à mente diuino lumine perfusa emanantes intellectum illuminant, memoriam fœcundant, voluntatem delectant, omnesque animæ vires mirum in modum recreant, & afficiunt. Alterum carnale, seu terrenum, quod circa terrestria occupatur, ex quo erumpunt carnales illecebræ, terrenæ affectiones, fœdæ cogitationes, quæ sæpius animam gratia Dei illustratam, tamquam aerem luce solis candidatum, obruunt, atque obumbrant. Firmamentum igitur in medio aquarum congruenter dicitur homo ratione, sapientia, & disciplina Christiana firmatus, & consolidatus. Hic diuidit aquas ab aquis, voluptates nempè spiritus à carnis illecebris seiungens, eas compescendo, & cohibendo, ne vsque ad astra exurgant, ipsamque voluntatem obnubilent, vel obducāt. In homine enim microcosmo ita meditādum est; vt spiritus pars hominis superna desuper collocetur, caro infima subtus deprimatur; ratio autem quasi medium firmamentum extendatur, & veluti humeris spiritualia desideria, affectionesq; superferat, & inferius carnales, terrenasq; concludat. Et verò quemadmodū firmamentum est velut æs fusum, intransgressibile, infrangibile; ita ratio in soliditate iustitiæ roborata conatur impenetrabilis esse, adeò vt numquam carnis illecebras spiritū obruturas transgredi permittat; & pariter infrangibilis, vt numquam voluptatum delicijs, & libidine soluta, ac velut emollita, & eneruis ipsas spiritus partes conquinari patiatur. Ratio verò tunc facillimè firmamenti naturam imitabitur, si vt Cœlum ab omni peregrina qualitate alienum est, adeò vt caloris, frigiditatis, humiditatis, & siccitatis expers sit omninò, non grauitatis, vel leuitatis particeps: ita quoque & ipsa cœlestem quandam naturam induat, ut calorem amoris æstuantis, & frigus odij, humorem complacentiæ, atque ariditatem feruescentis iræ nesciat, fiatque non leuis, ne facilè tamquam Adam ab Eua seducatur; nec grauis, seu ponderosa, proprijsque cupiditatibus subdita. Tunc fiet ratio, ut æs fusum, infrangibilis, & impermeabilis, eritque ab omni mutatione soluta, & ut firmamentum inconcussa. Quare S. Bernardus in paruis sermonibus, serm. 32. rectè ait. Vsque hodie in ciuibus Babylonis aquarum effusio, idest, confusio cogitationum, terram fecit inanem, & uacuam. Dum enim fluctuat circa carnem cogitatio uniuersa, nullum ex ea sperare est fructum salutis. Diuidantur ergò aquæ ab aquis, quatenus anima quoque, ut dignum est, partem sibi uendicet sollicitudinis, & meditationis. Sanè inferiores certis limitibus coerceantur, certis contineantur alueis, necessitatis terminos nō excedant, proinde superiores copiosius dilatentur. Ex hoc sanè dat Dominus benedictionem, & terra nostra dabit fructum suum.

In homine omnes mundi partes reperiūtur.

Mens hominis quando Cœlum appositè dicatur.

E NEC

Prudētia est firmamentum in homine.

NEC Bedæ allegoria spernenda est;hic enim in expositione in Genesim, per firmamentum prudentiam hominis intelligit, quia inter humana negocia actualem à theorica discernit.Per firmamentum,inquit, quoque sensus prudentiæ perfectus demonstratur:qui & ipse sensus à celsitudine Cœlum dicitur, vt diuidat aquas ab aquis,idest,actualem,& theoricam discernat: actualem sub se, theoricam verò supra se. Ægyptij Gruem volãtem cum lapillo pingebant,Hieroglyphicumque id esse prudentiæ perhibebãt;Grues enim dum volant, lapillum duplici modo ferre dicuntur,vel enim pede ipsum gestant, vt lapsu illius explorent, num supra terram, num supra mare volitent, quod ex sono cadentis lapidis intelligunt; vt indè num considendum, num vltra procedendum sit, edifcant; vel in ore, vt graues quoquo modo redditæ fluitare in volatu,ad instar nauis, quam agitent vndæ, nequeant. Sic prudens Christicola lapidem in pede tenere debet, nimirum,in affectu Christum,indeque si omnes actiones ad illum referat, agnoscet certè, an in mari, an in terra considat; nempè an in lubricis voluptatibus, an in solidis, quoniam in lubricis voluptatibus, & illecebris sonare Christum non audiet, sed in cœlestibus; atque etiam in cunctis suis actionibus, atque consilijs Christum præferre, quoniam cum ipso præcipitare in uanas terrenarum rerum cupiditates, atque studia nequibit. Quare rectè Dauid dicebat Psal. 118. *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo,quia in æternum mihi est*. Grues quoque sunt optimæ sui custodes,quia vocis præconio terram petunt, vbi à labore quiescunt, & ad castrorum custodias vigiles ordinant, vt aliæ securæ quiescant; vigiles enim super vnum crus stant directæ, & lapillum in altero pede tenent à terra suspenso, vt si somnus irrepserit, per casum lapilli excitentur, iuxtà illud Psalm.48. *Meditatio cordis mei prudentiam*.

Prudentiæ typus grues.

Psal. 118.

Peccatores abysso cur similes.

AD extremum huius capitis obseruandum est,rectè peccatores abysso comparari, seu abyssum dici in scripturis;verè enim abyssus sunt,idest, sine bysso, scilicet sine pulchritudine,vel verius sine basi,& sine fundo,idest,sine fundamẽto.Quocirca Genes. 1.dicitur.*Tenebræ erant super faciem abyssi*; atque hoc nomine significatur informitas aquæ,nimirum quædam immẽsitas inordinata aquarum,& profunditas earum immeabilis,vt docet S.Aug.lib.22. contra Faustum, cap. 11.& S.Thomas par.1.quæst.69.art. 1. quæ omnia profunditatem peccati significant. Vnde Dauid contritus, & gemens dicebat: *De profundis clamaui ad te Domine,Domine exaudi vocem meam. Si iniquitates obseruaueris Domine, &c.* Psal.129. Ita S.Gregor. quem sequitur Rayn.& alij exponunt.Licèt Genebrardus ad literam ea verba intelligat de profunditatibus aquarum exiliorum, de locis calamitosis, & infelicibus, puta, vallibus, abyssis, antris, cryptis, & similibus. Fit enim allusio ad antra, & latebras Dauidis Saulem fugientis: Ex quo rectè infert, aptè ab Ecclesia in piè defunctorum persona verba illa vsurpari, quòd Purgatorium sit locus profundus, nempè vnum ex inferni receptaculis, itemque exilij regio, in qua ad tempus à Dei conspectu, & quasi solo eiecti exulant.

S.Aug.
S. Thomas.

S.Greg.

Purgatorium qualis locus.

Error Caluini reijcitur.

CALVINVS abutitur eo loco Pauli 2.ad Tim.2.in quo scribit, *Firmũ Dei fundamentũ stat habens signaculũ hoc,nouit Dominus qui sunt eius*;ad probandum solos prędestinatos,nõ etiã reprobos Christianos pertinere ad Ecclesiã Dei;non intelligẽs, verba Pauli intelligẽda esse nõ de prædestinatione secundũ præsentẽ iustitiã,secundũ quam etiã reprobi possunt esse de Ecclesia,sed de prædestinatione absolutè,prout est actus in ipso Deo manens,& diuinũ propositum immutabile saluãdi electos denotat,iuxtà illud Ioan. 10.*Non rapiet eas quisquã de manu mea*.Et licèt reprobus possit esse interdum filius Dei, & membrum Christi, & Ecclesiæ, ueritate essentiæ, cum possit habere charitatem; non est tamen

filius

filius Dei, vel membrum corporis Christi veritate finis, seu, vt alij dicunt, veritate permanentiæ, quia non saluabitur. Lege Card. Bellarm. lib. de militante Ecclesia cap. 76. **Reprobi an sint membrũ Christi, vel Ecclesię.**

ET verò de istis permanentibus vsque ad finem in veritate, & charitate loquitur Abachuc capit. 3. *Denudasti fundamentum eius vsque ad collum*. Vbi Theodotio in bonam partem hęc verba accipiens, vt refert S. Hieronymus, ait. Ornasti fundamentum vsque ad collum. Quæ verba eundem sensum referunt, ac illa. *Denudasti*, siue euacuasti, *fundamentum eius vsque ad collum*; seu, vt alij legunt, vsque ad caput: quia enim, vt inquit idem Hieronymus, fundamentum Christi, quod erat in anima singulorum, Allophyli terra obruerant: egeritur cõgesta humus, & nudatur optimum fundamẽtum, & ornatur: vt quod latebat appareat, & suam recipiat claritatem, & hoc fit in sempiternum; licèt ad literam ibi fiat sermo, vel de Nabuchodonosor, vt placet Hieronymo, vel de Antichristo, vt vult Ribera. Iacobus de Valentia non ab re putat iuxtà mentem Eusebij lib. 5. & 6. de præparatione Euangelica, & S. Augustini lib. 8. 9. & 10. de Ciuitate Dei, hoc fundamentum denudatum, fuisse superstitionem idololatriæ, qua Diabolus toti mundo dominabatur. Hanc superstitionem ad decipiendum mortales inuentam tot seculis non cognitam Christus denudauit, & falsam esse manifestauit; & sic Diabolus princeps huius seculi foras eiectus est. Erat illa inanis superstitio velata, & tecta multis falsis apparentijs externis, religionem, & virtutem præseferentibus, sed internè multa nefanda, & detestabilia latebant, quæ omnia detexit Christus denudans huiusmodi vanam superstitionẽ per omnes partes vsque ad collum, & faciem, vbi rei veritas fulget, atque coruscat. Euthymius legit; Excitasti vincula vsque ad collum, hoc est euangelici iugi vincula ad Apostolorum colla inuoluis, vel circa colla eorum. Chaldæus habet; pedibus populi tui colla regum inimicorum ipsorũ calcasti, iuxtà illud Ps. 109. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorũ*, idest, vt exponit Euthymius, Iudæos, Gentiles, Hæreticos, & Dęmones; adde tu puros etiam Politicos, iniquos, ac peccatores. Hi enim omnes inimici sunt Crucis Christi. Regnum enim Christi, hoc est Ecclesia etiam hodie saltem ex parte inter hostes ipsius viget. Quocirca rectè subdit Dauid, *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum*, per prædicationem Euangelij inter Iudęos, Paganos, Turcas, Hæreticos, vel inuitos. Vnde idem Euthymius addit. Virga aliquando in signum pœnarum ponitur, seu castigationis, iuxtà illud Apostoli: Quid? vultis in virga veniam ad vos, an in dilectioñe? quandoque pro pastorali cura, iuxtà illud: *Pasce eos in virga ferrea*. Aliquando vero pro regno; vt illud: *Exibit virga de radice Iesse*. Ponitur etiam pro potentia, vt in præsenti Psalmo. Misit enim Deus Pater Christo velut homini potentiam ex cœlesti Sion, vel ex Sion quæ erat Hierosolymis: illinc enim potentia operationum, & prædicationis Christi principium sumpsit. Intelligere etiam possumus per virgam virtutis, sanctam Crucem Christi. Quid enim ea potentius est, aut efficacius, cum tamen facile inimicos omnes in fugam conuertat? Vnde Apoc. 12. dicitur. *Nunc facta est salus, & virtus, & Regnum Dei nostri, & potestas Christi eius, quia proiectus est*, baculo nimirum Crucis, *accusator fratrum nostrorum*, hoc est Diabolus, *qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri*. **Virga quid?**

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Exponuntur alia verba primi versiculi, nimirum: Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.

DIVVS Hieronymus in suo psalterio ex hebræo in latinũ conuerso ita diuidit hæc verba à præcedentibus, vt faciat illa principium secundi versus huius Psalmi octogesimi sexti. Paraphrasis verò Chaldaica ex his verbis incipit hunc Psalmum 86. Diligit Dominus portas sanctuarij structas in Sion, plusquam omnes domos Ecclesiarum domus Iacob. Verum latinæ vulgatæ, & hebrææ lectioni standum est, quæ hæc verba, *Fundamenta, &c.* nõ pro titulo, sed pro initio Psalmi agnoscunt. Et quoad sensum materialem nemini dubium, Deum magis dilexisse Hierusalem, quàm vniuersas alias ciuitates Hebræorum, id enim per tabernacula Iacob intelligitur, sicut etiam apud Malach. 2. *Disperdet Dominus virum, qui fecerit hoc, magistrum, & discipulum de tabernaculo Iacob*; vbi Ribera animaduertit, vitiosè legi, *de tabernaculo Iacob*, cum legendum esse dicat, *de tabernaculis Iacob*, quòd in hebręo, & in Græco, & apud Hieronymũ, ac in emendatioribus codicibus ita legatur, & sic habet Vaticana Sixti Quinti. Vocat autem, vt benè exponit idem Ribera, tabernacula Iacob, domicilia, siue vrbes, vt vertit Chaldæus. Frequentissima enim erant apud Hebræos tabernacula, atq; inde hoc nomen transijt ad domos, & ad vrbes; ita etiam in præsenti Psal. 86. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Quas autem prerogatiuas habuerit Sion, siue Hierusalem super alias ciuitates fusius scripsimus in lib. 3. nostrorum Commen. super Cant. Magnificat. c. 13. Attamen peculiari ratione portarum Sion mẽtionem fecit Dauid, quoniam & numero, & pulchritudine, ac confluentia populorum Sion in portis admirabilis fuit: superauit hæc maximã Aegypti ciuitatem Thebarum, quæ centum portas habebat, quare dicta fuit Hecatomphyle; nã portæ Hierusalẽ multo sublimiores, & preciosiores fuere propter ingressum Verbi incarnati per illas. Rectè autem ciuitates Iudææ instabili tabernaculo comparantur, tũ quia materialiter subuertendæ erant à Tito, & Vespasiano; tùm quia Synagoga, & Moysis lex non stabilis, sed mutanda erat in Euangelium, quo etiam nomine hebræi librum propriè nõ habebant, sed in cortice, & in membrana circa axim inuoluta res gestas ad significandam legis obscuritatẽ, & tropicam locutionem scribebant. Propriũ autem est Ecclesiæ Christi habere librum, in quo veritates promissæ Patriarchis, & à Prophetis vaticinatæ ad extensum clarè continentur: inter cætera verò dilectionis signa, quæ Deus erga Iudęum populum demonstrauit, illud potissimũ fuit, quod Zach. 11. c. suarum reuelationũ indicauit in illis verbis; *Aperi libane portas tuas*; in passione enim Domini portæ Hierusalem, seu Templi spõtè sua reseratę fuere; tunc nempè quando Dominus, atque Redemptor noster expirauit in Cruce, & velum Templi scissum est à summo vsque deorsum: sic ex Iosepho in lib. 7. de bell. Iudaic. cap. 12. colligitur, & ex Lyrano in citatum locum Zachar. Hæc autem portarum apertio significabat, cunctas orbis gentes debuisse suas cordis portas aperire ad fidẽ Christi suscipiẽdã; vnde Chaldæus legit: Aperite Populi portas vestras. Erant autem in muro templi Hierosolymitani portæ quatuor ad quatuor mundi plagas constitutæ, inter quas omniũ celeberrima erat orientalis, quæ per antonomasiam porta templi dicebatur, ad eamq; poterant accedere

Porta Sion admirabilis.

Iudæi cur in Cortice res gestas scriberent.

Portæ tẽpli in Christi morte cur spõte apertæ fuerint.

dere laici,& fœminæ ferentes oblationes suas,& animalia ad sacrificium, vt ea sacerdoribus largirentur;hanc enim portam orientalem Deus summoperè dilexit;cum in illa significaretur, per Christum omnium gentium plenitudinem ad fidem suscipiendam intraturam esse.Duodecim(vt Augustinus scribit in expositione huius psalmi)habuit portas Hierusalem,quę duodecim articulos fidei significabant,per quos in Christi Ecclesiam fideles ingrediuntur,quæ semper,ac iugiter apertæ erant,*& diu,ac noctu non claudentur, vt afferatur ad illam fortitudo gentium,& Reges earum adducantur*.Isa.60. Hæc est.n. differĕtia notissima inter Ecclesiam,& Synagogā,quòd hæc quamplurimis clausa erat, illa verò omnibus mundi hominibus patentissima:sic ostiū arcæ Noè,quod Baptismū significabat,vt docet Rupertus lib.4. super Genes.c.18.& in c.6. Canticorum, oēs animas saluandas suscepit. Vbi obseruandum est,per ostium arcæ,& ipsum Noè, & octo animas,cæteraq; animantia ingressa,& egressa esse. At verò numquā vidit Noè,quòd aquæ cessassent super terram, & quod exiccata esset superficies terræ,nisi aperto tecto Arcæ,*& aperiens*,inquit scriptura,*Noè tectum arcæ,aspexit,viditq;quòd exiccata esset superficies terræ*.Genes.8.Per ostium.n.arcæ humanitas Christi significabatur, per tectum verò diuinitas,vt sic per Christū Deū, & hominē pacem, & reconciliationē Dei cum hominibus factam esse intelligeremus:summoperè igitur dilexit Deus portas Sion, cū extra portam quidē Hierusalē,sed propè illam humanæ salutis redemptionē operatus sit. Verùm hodiè *omnes portæ eius destructæ,sacerdotes eius gementes;Virgines eius squallidæ,& ipsa oppressa amaritudine*,Thren.1.vbi inquit Hier.*Viæ Sion lugent*, hoc est, lugubres existunt,*eo quòd non sint,qui veniant ad solemnitatem*, vt festiua gaudia celebrēt, vel sacerdotium officia in templo expleant,quia tēplo succenso, muri Ciuitatis funditus diruti,& portæ destructę sunt. Hactenus Hier. Constructa fuit Sion cum exultatione vniuersæ terrę Psal.47.fuit enim ædificata cum magno gaudio vniuersi orbis terrarum,cū sanctuario intercedēte, de Sion veluti irriguo fonte, ad cunctas terræ regiones benedictionum copia effusa sit. Vndè radix,& fundamentū Ecclesiæ est in Sion,& Hierusalem,*quia de Sion exibit lex, & verbū Domini de Hierusalem*,Isa.2.Quare Septuaginta locum illum psalmi iā citati, vbi apud nos legitur,*fundatur exultatione*,ad sensū sic transtulerunt,Pulcher regione,vel climate,vel tractu exultatio vniuersæ terræ,est mons Sion.Fuit aūt in florentissimo statu Hierusalem per plures annos,nempè per duo millia centum septuaginta septem annos,vt scribit Iosephus in lib.7.de Bell.Iudaic. c. 18. Quapropter Hierusalem dicitur in scripturis sanctis Libanus per allusionē ad eminentissimum montē Libani in septemptrionali terræ promissionis termino positum,vt habet Euseb.lib.8.de demonstrat.Euang.c.4.& Cyrillus explicans locū illum Zachariæ,*audi Libane,&c*.Erat enim Libanus mons magnus,in quo multæ cedri erant,& multa aliarum arborum genera, sic in Hierusalē Principes totius Iudææ,& nobiles,ac diuites morabātur;multaq, ædificia cedrina in ea existebant,totaq; vrbs propter Templum procul aduenientibus monti niueo similis videbatur,ob insignem saxorum,in quibus constructum erat,cādorem, vt testis est Iosephus lib.6.de Bello Iudaico,cap.6.Hæc enim vox *Libanus* hebraicē,dealbationem latinè significat,à niuibus,quibus semper mons ille albebat.

Portæ Hierusalem duodecim.

PRÆTEREA dilexit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob, quoniam dominium,& iurisdictionem vniuersæ Palęstinæ,seu Iudææ in Hierusalem tamquam in Metropoli Deus constituit;portæ enim dominium, & iurisdictionem significant,vt inferius dicemus. Ad Hierusalem enim ad causas decidendas hebræi accedebant, ex illa iudicia, præcepta, atque mandata ad cętera Palæstinæ loca emanabāt,omnia deniq; loca,vrbes, & ciuitates Iudæorū ex illa tamquā ex matrice,& in spiritualibus,& in tēporalibus dependebant.

PORTÆ item præsidij causa extruuntur, & instruuntur, quas cum hostis obsidet, oppidanos in angustias conijcit, sicut scriptū est, 2. Paral. 6. *& hostes vastatis regionibus portas obsederint Ciuitatis, &c.* Sic Deus adeo dilexit portas Hierusalem, vt eas munitissimas, ac quāplurimis propugnaculis firmissimas ad hostium propulsationem esse voluerit; vnde psal. 47. dicitur. *Circundate Sion, & cōplectimini eam, narrate in turribus eius*, hoc est, vt Genebrardus exponit, considerate diligenter ciuitatis Dei mœnia, turres, virtutem, robur, palatia, & arces, vt hæc narretis posteritati; *complectimini eam*, circuite Sionem, & circumlustrate eius munitissimas portas, considerate, *& ponite corda vestra in virtute eius*, hoc est, ad vim, & robur eius, vel ad propugnaculum, & antemurale eius, *distribuite*, idest notate, obseruate distinctè, distributim, sigillatim *domos*, palatia, & portas *eius*. Hæc autem omnia Hierusalem tributa fuere, *vt enarrentur in progenie altera*, hoc est posteritati, & populo, qui nasciturus erat, hoc est, Ecclesiæ Christi, ad cuius magnificentiam, & structuram cuncta, quæ in veteri Hierusalem celebrata fuere, transferri debebant; quæ non ex terra, sed è Cœlo descensura erat. Habet enim authorem, & institutorem Christum, ad quem alludunt verba sequentia, *quoniam hic est Deus, Deus noster, &c.* Portam eminentiorem Deiparam, & reliquas minores Apostolos, mœnia sacrosancta quatuor Euangelia, montes Iurisdictiones, Turres potestates spirituales, fontes sacramenta, templum sanctissimū Iesu Christi corpus sub speciebus panis, & vini substantialiter contentum; ita vt verius hodie dicatur de Ecclesia, quàm olim de Synagoga, *non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis*, psal. 147. *Quia diligit Dominus Portas Sion*, hoc est Ecclesiam, *super omnia tabernacula Iacob*, hoc est Synagogæ.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Explicantur de Deipara hæc verba, Diligit Dominus portas Sion, &c.

Deipara porta cęli, & Ecclesię fenestra, & Ianua Paradisi.

IANVAM Cœli, & portam Ecclesiæ Deiparam esse docet Ambr. de Inst. Virg. cap. 7. & Hier. in Comment. super Ezech. c. 44. & S. Aug. tom. 10. serm. 2. de Assump. appellat Deiparam fenestram, & portam Cęli, & ianuam Paradisi. Vidit Ezechiel, vt habetur in cap. 40. suarum reuelationum, ciuitatem magnam super montem excelsum nimis ædificatam, in qua erat vir, cuius erat species, quasi species æris, & funiculus lineus in manu eius: sedebat autem in eius porta; quam eleganter, & exquisitè describit, significans Deum per Incarnationem in Virgine sedere: sedet in tam excelsa Ciuitatis porta, vt eius Dominus, Princeps, atq; possessor, iuxtà illud. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, Prouerb. 6. sedet, vt eius acquisitor, ac triumphator; vnde alia lectio habet: Dominus acquisiuit me in initio viarum suarum: sedet in ea, vt ostendat in illam se plenum ius, propriamque iurisdictionem habere, & exercere. Sedet tāquam eius protector, atque defensor. Sedet, vt eius propugnaculum, & antemurale. Sedet in porta, hoc est in Virgine, vt in illa, & per illam inimicis Ecclesiæ loquens, ipsi confundantur, & pereant. Psalm. 126.

Sedere quid significet.

Locus portæ inaratus apud veteres.

LEGIMVS, veteres etrusco ritu consueuisse vacca, & tauro simul iunctis Vrbes orbiculari figura sulco designare, relinquētes locum portæ inaratum, atque intactum per aratri suspensionem. At quicquid sit de veterum ritu, nos constantissimè confitemur, singulariter intactum corpus, intactumq; animum

Beatæ

Beatæ Virginis matris Mariæ fuisse. Intactum, inquam, corpus, quia omnes aliæ semper matres fractis virginalibus claustris per viri cõmixtionẽ conceperunt; at Maria non solum prædictæ commixtionis, sed etiam cuiuscumq; virilis cõtactus expers sola, & semper Virgo intacta, integris virginitatis claustris de Spiritu Sancto concepit. Intactum verò animum, tùm quia licèt omnes in Adã peccauerint, sola tamen Maria per omnipotentis Dei præseruationem, atq; dispensationem nullius criminis vestigio calcata, seu contagione tacta fuit; tum quia, & si *in circuitu impij ambulant*, psal. 11. attamen sola Maria huiusmodi circuitũ per iam dictam præseruationem interrupit. Nec mirum si sola fuit ab omni peccato, et ab initio suæ conceptionis præseruata, cum ipsa sit porta, alij vero in circuitu ambulantes, rupta vrbis mœnia trãsilierint, ac propterea in peccatum, ac mortem inciderint. Hinc est, quòd etiam rectè dicitur, per portam significari obedientiam; quia sicut iure ciuili indicta est pęna mortis ingredientibus, vel egredientibus aliundè quàm ex porta, vt accidit Remo à fratre Romulo, & qui non intrat per *ostium*, fur, & latro est; ita obedientibus, ac per portam transeuntibus nulla pęna indicta, sed potius magna securitas proposita est. Quam etiam ipsa porta significat, quia clausa reddit Vrbem securam, aperta verò indicat custodũ vigilãtiam; id quod leones, qui ante portas Vrbium, seu Templorum collocari iamdiu consueuerunt, hieroglyphicè demonstrant, cũ huiusmodi animal apertis oculis dormire dicatur. Porta verò tam aperta, quàm clausa præsefert custodiam, quia custodes ad vrbem seruandam in portis disponuntur.

Porta obedientiã significat.

Securitatem. Custodiam. Leones cur in Portis.

DICITVR quoq; Deipara porta Cœli, & ianua Ecclesiæ ob frequentiam eorum, qui ad illam confluunt, & concurrunt, nemo enim in Cœlum, & in Ecclesiam intrat, nisi per Mariã: sic Angeli portæ Cęli Hierem. 2. dicuntur, quòd frequentissimi sint ante faciem Dei in Cęlis, eiq; assistant, & per illos tamquam per ianitores ad Dei visionem animæ introducantur.

Angeli cur Portæ cęli dicũtur.

PRÆTEREA Deipara meritò porta Cœli, & Ecclesiæ dicitur, eo quòd sit constituta omnium litium, controuersiarum, causarum, hæresum iudex, diremptrix, & definitrix, tamquam Ecclesiæ magistra, & moderatrix. Notissimum est, apud portam ciuitatis iudicia exercere hebræos consueuisse, vt indicatur Deut. 17. & 22. & Ruth 4. Cuius consuetudinis causam assignat Hier. Amos 5. super id, *odio habuerunt in porta corripientem*; ne agricola litis causa veniens, ciuitatis frequentia, & nouo terreatur conspectu; nec vrbis habitator longè ab vrbe properaret, & subuectionem quæreret iumentorum. Hinc porta pro iudicio, & pro subsellijs iudicum. Quare omnes hæretici, atq; schismatici, maliq; Christiani in porta, hoc est, in iudicio, & tribunali Mariæ conteruntur, iuxta illud Iob 5. *Lõgè fient filij eius à salute, & contererentur in porta, & non erit qui eruat.* Nec solũ Deipara hæreticos, eorumq; dogmata, falsasq; doctrinas iudicat, damnat, & diffinitiua sententia reprobat, & confutat, sed etiam ità id agit, vt omnes hæreticos humiliet, deijciat, prosternat, atq; confundat; idem enim est in sacro sermone conteri, ac humiliari, psal. 71. *Humiliabit calũniatorem*, & psal. 142. *Humiliauit in terra vitã meam*, hoc est, me ipsum. Vnde Symmachus, & Theodotion, quod noster interpres apud Iob transtulit, *& contererentur in porta*, legunt; Humiliabuntur in porta; ad iudicium .n. sententiam, & definitionem Deiparæ in iudiciario subsellio pronunciantis, ac definientis omnes hæretici non solum semper damnantur, & cadunt à causa, quod ingentis miseriæ, & maledictionis genus est, vt dicitur Psal. 108. *Cum iudicatur, exeat condemnatus*, sed etiam cum rubore, ac dedecore, & tamquam iniustam litem agentes, turpissima confusione opprimuntur, eo quòd eorum calumnię, fallaces argumentationes, mendacia, sacrarum literarum detorsiones, ac deprauationes ab illis summa astutia, & arte inuentæ appareant, & dignoscantur. Huiusmodi enim iudicium à Deipara non in occulto,

Conteri & humiliari idem.

Hæretici semper cadũt à causa.

PORTÆ item præsidij causa extruuntur, & instruuntur, quas cum hostis obsidet, oppidanos in angustias conijcit, sicut scriptū est, 2. Paral. 6. *& hostes vastatis regionibus portas obsederint Ciuitatis, &c.* Sic Deus adeo dilexit portas Hierusalem, vt eas munitissimas, ac quāplurimis propugnaculis firmissimas ad hostium propulsationem esse voluerit; vnde psal. 47. dicitur. *Circundate Sion, & cōplectimini eam, narrate in turribus eius*, hoc est, vt Genebrardus exponit, considerate diligenter ciuitatis Dei mœnia, turres, virtutem, robur, palatia, & arces, vt hæc narretis posteritati; *complectimini eam*, circuite Sionem, & circumlustrate eius munitissimas portas, considerate, *& ponite corda vestra in virtute eius*, hoc est, ad vim, & robur eius, vel ad propugnaculum, & antemurale eius, *distribuite*, idest notate, obseruate distinctè, distributim, sigillatim *domos*, palatia, & portas *eius*. Hæc autem omnia Hierusalem tributa fuere, *vt enarrentur in progenie altera*, hoc est posteritati, & populo, qui nasciturus erat, hoc est, Ecclesiæ Christi, ad cuius magnificentiam, & structuram cuncta, quæ in veteri Hierusalem celebrata fuere, transferri debebant; quæ non ex terra, sed è Cœlo descensura erat. Habet enim authorem, & institutorem Christum, ad quem alludunt verba sequentia, *quoniam hic est Deus, Deus noster, &c.* Portam eminentiorem Deiparam, & reliquas minores Apostolos, mœnia sacrosancta quatuor Euangelia, montes Iurisdictiones, Turres potestates spirituales, fontes sacramenta, templum sanctissimū Iesu Christi corpus sub speciebus panis, & vini substantialiter contentum; ita vt verius hodie dicatur de Ecclesia, quàm olim de Synagoga, *non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis*, psal. 147. *Quia diligit Dominus Portas Sion*, hoc est Ecclesiam, *super omnia tabernacula Iacob*, hoc est Synagogæ.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Explicantur de Deipara hæc verba, Diligit Dominus portas Sion, &c.

Deipara porta cęli, & Ecclesię fenestra, & Ianua Paradisi.

IANVAM Cœli, & portam Ecclesiæ Deiparam esse docet Ambr. de Inst. Virg. cap. 7. & Hier. in Comment. super Ezech. c. 44. & S. Aug. tom. 10. serm. 2. de Assump. appellat Deiparam fenestram, & portam Cęli, & ianuam Paradisi. Vidit Ezechiel, vt habetur in cap. 40. suarum reuelationum, ciuitatem magnam super montem excelsum nimis ædificatam, in qua erat vir, cuius erat species, quasi species æris, & funiculus lineus in manu eius: sedebat autem in eius porta, quam eleganter, & exquisitè describit, significans Deum per Incarnationem in Virgine sedere: sedet in tam excelsa Ciuitatis porta, vt eius Dominus, Princeps, atq; possessor, iuxtà illud. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, Prouerb. 6. sedet, vt eius acquisitor, ac triumphator; vnde alia lectio habet: Dominus acquisiuit me in initio viarum suarum: sedet in ea, vt ostendat in illam se plenum ius, propriamque iurisdictionem habere, & exercere. Sedet tāquam eius protector, atque defensor. Sedet, vt eius propugnaculum, & antemurale. Sedet in porta, hoc est in Virgine, vt in illa, & per illam inimicis Ecclesiæ loquens, ipsi confundantur, & pereant. Psalm. 126.

Sedere quid significet.

Locus portæ inaratus apud veteres.

LEGIMVS, veteres etrusco ritu consueuisse vacca, & tauro simul iunctis Vrbes orbiculari figura sulco designare, relinquētes locum portæ inaratum, atque intactum per aratri suspensionem. At quicquid sit de veterum ritu, nos constantissimè confitemur, singulariter intactum corpus, intactumq; animum

Beatæ

Beatæ Virginis matris Mariæ fuisse. Intactum, inquam, corpus, quia omnes aliæ semper matres fractis virginalibus claustris per viri cõmixtionẽ conceperunt; at Maria non solum prædictæ commixtionis, sed etiam cuiuscumq; virilis cõtactus expers sola, & semper Virgo intacta, integris virginitatis claustris de Spiritu Sancto concepit. Intactum verò animum, tùm quia licèt omnes in Adã peccauerint, sola tamen Maria per omnipotentis Dei præseruationem, atq; dispensationem nullius criminis vestigio calcata, seu contagione tacta fuit; tum quia, & si *in circuitu impij ambulant*, psal. 11. attamen sola Maria huiusmodi circuitũ per iam dictam præseruationem interrupit. Nec mirum si sola fuit ab omni peccato, ẽt ab initio suæ conceptionis præseruata, cum ipsa sit porta, alij vero in circuitu ambulantes, rupta vrbis mœnia trãsilierint, ac propterea in peccatum, ac mortem inciderint. Hinc est, quòd etiam rectè dicitur, per portam significari obedientiam, quia sicut iure ciuili indicta est pęna mortis ingredientibus, vel egredientibus aliundè quàm ex porta, vt accidit Remo à fratre Romulo, & qui non intrat per ostium, fur, & latro est; ita obedientibus, ac per portam transeuntibus nulla pęna indicta, sed potius magna securitas proposita est. Quam etiam ipsa porta significat, quia clausa reddit Vrbem securam, aperta verò indicat custodũ vigilãtiam; id quod leones, qui ante portas Vrbium, seu Templorum collocari iamdiu consueuerunt, hieroglyphicè demonstrant, cũ huiusmodi animal apertis oculis dormire dicatur. Porta verò tam aperta, quàm clausa præsefert custodiam, quia custodes ad vrbem seruandam in portis disponuntur. Porta obedientiã significat. Securitatem. Custodiam. Leones cur in Portis.

DICITVR quoq; Deipara porta Cœli, & ianua Ecclesiæ ob frequentiam eorum, qui ad illam confluunt, & concurrunt, nemo enim in Cœlum, & in Ecclesiam intrat, nisi per Mariã: sic Angeli portæ Cęli Hierem. 2. dicuntur, quòd frequentissimi sint ante faciem Dei in Cęlis, eiq; assistant, & per illos tamquam per ianitores ad Dei visionem animæ introducantur. Angeli cur Portæ cęli dicũtur.

PRÆTEREA Deipara meritò porta Cœli, & Ecclesiæ dicitur, eo quòd sit constituta omnium litium, controuersiarum, causarum, hæresum iudex, diremptrix, & definitrix, tamquam Ecclesiæ magistra, & moderatrix. Notissimum est, apud portam ciuitatis iudicia exercere hebræos consueuisse, vt indicatur Deut. 17. & 22. & Ruth 4. Cuius consuetudinis causam assignat Hier. Amos 5. super id, *odio habuerunt in porta corripientem*; ne agricola litis causa veniens, ciuitatis frequentia, & nouo terreatur conspectu; nec vrbis habitator longè ab vrbe properaret, & subuectionem quæreret iumentorum. Hinc porta pro iudicio, & pro subsellijs iudicum. Quare omnes hæretici, atq; schismatici, maliq; Christiani in porta, hoc est, in iudicio, & tribunali Mariæ conteruntur, iuxta illud Iob 5. *Lõgè fient filij eius à salute, & conterentur in porta, & non erit qui eruat.* Nec solũ Deipara hæreticos, eorumq; dogmata, falsasq; doctrinas iudicat, damnat, & diffinitiua sententia reprobat, & confutat, sed etiam ità id agit, vt omnes hæreticos humiliet, deijciat, prosternat, atq; confundat; idem enim est in sacro sermone conteri, ac humiliari, psal. 71. *Humiliabit calũniatorem*, & psal. 142. *Humiliauit in terra vitã meam*, hoc est, me ipsum. Vnde Symmachus, & Theodotion, quod noster interpres apud Iob transtulit, *& conterentur in porta*, legunt; Humiliabuntur in porta; ad iudicium .n. sententiam, & definitionem Deiparæ in iudiciario subsellio pronunciantis, ac definientis omnes hæretici non solum semper damnantur, & cadunt à causa, quod ingentis miseriæ, & maledictionis genus est, vt dicitur Psal. 108. *Cum iudicatur, exeat condemnatus*, sed etiam cum rubore, ac dedecore, & tamquam iniustam litem agentes, turpissima confusione opprimuntur, eo quòd eorum calumnię, fallaces argumentationes, mendacia, sacrarum literarum detorsiones, ac deprauationes ab illis summa astutia, & arte inuentæ appareant, & dignoscantur. Huiusmodi enim iudicium à Deipara non in occul- Conteri & humiliari idem. Hæretici semper cadũt à causa.

to,

to, vel secreto loco peragitur, sed publicè quasi cunctis Angelis, ac hominibus spectantibus, atque in aperto, ac frequentissimo ciuitatis loco, iuxta illud Psal. 9. *Vt narrem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion*; vbi Chaldæus legit: Narrabo omnibus miracula tua in ingressibus portarum Ecclesiæ Sion: in conuentu igitur Ecclesiæ frequentissimo, hoc est, in Concilijs Oecumenicis præcipuè, hæretici à Deipara condemnantur, ita vt citrà misericordiam, & remissionem exeant condemnati.

OLYMPIODORVS, cęteriq; Græci cũ Septuaginta in citato loco Iob, acceperũt portam non ciuitatis, sed priuatarum domuum; legunt enim: Cõterantur super ianuas minorum, vel contabescent in ianuis humiliorum, vel in portis inferiorum; sed melior est latina interpretatio, vt de porta ciuitatis sit sermo; publica.n. iudicia nõ in priuatis domuum, sed in publicis vrbium portis exercebantur, & quamuis cęteri Sancti ianuis priuatarum domuũ rectè comparentur; attamẽ Deipara antonomasticè, & per excellẽtiã porta ciuitatis dicitur. Certè hæreticis optimè illud Salomonis Prou. 24. applicari potest, *stultus in porta non aperiet os suum*, cum ad se ipsos defendendos nullum veritatis præsidium habeant; & ab efficacitate veritatis rubore suffusi semper obmutescant. Et licèt hæretici sint os diaboli Apoc. 9. *de igne, & de fumo, & de sulphure, quæ procedebant de ore ipsorũ; Potestas.n. equorum in ore eorũ est*, & Iob 41. *Flamma de ore eius egreditur*; quẽ locum ita de hæreticis, & diabolo exponunt S. Greg. Olympiodorus, & alij: euomunt.n. hæretici per falsam prædicationẽ Diaboli verba, atq; consilia; attamen scuto fidei, *in quo possumus omnia tela nequissimi ignea extinguere* ad Eph. 6. illis resistendũ est, & digito euangelicæ veritatis eorum os obstruendũ; & sic in porta non aperient os suum. Est .n. Deipara clypeus, seu scutum fidei cõtrà tela, & ictus hæreticorum, vt docet Origenes Hom. 2. super Psal. 36. & Hier. in Isa. 21. & super c. 6. ad Eph. Hunc clypeũ eleuauit Dominus in signũ in Ecclesia Christiana, Iosue 8. Quocirca scutulatã vestem Virgo habere dicitur in Psal. 44. sic.n. legit S. Hier. in suo psalterio ex hebræo. In scutulatis ducentur ad Regem Virgines, sequentur eam amicæ eius, ducentur illuc.

Os Diaboli hæreticus.

S. Greg.

Scutum fidei Deipara.

S. Hier.

EA quoque ratione porta Deipara dici potest, quòd quemadmodum porta est locus, in quo sedere solent prospicientes, & expectatione solliciti, aut qui hospites curiose obseruant; sic enim *Absalon manè consurgens stabat iuxtà introitum portæ in via, & omnem virum, qui habebat negotium, vt veniret ad Regis iudicium, vocabat Absalon ad se, &c.* 2. Reg. 17. & ibidem, *Stetit Rex iuxta portam, & egrediebatur populus, & Dauid sedebat inter duas portas; speculator verò erat in fastigio portæ super murum, & surrexit Rex, & sedit in porta, & omni populo nunciatum est, quòd sederet in porta*, 2. Reg. 19. Itã quoque Deiparæ officium, & munus proprium est, sua intercessione omnes ad Christum properantes, & propiùs accedentes, prospicere, expectare, atque sollicitè obseruare. Vnde Prouerb. 8. dicitur: *Beatus, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei, Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem a Domino*. Mutua profectò vigilantia in hisce verbis exprimitur ad salutem animæ consequendam. Altera ex parte Deiparæ, vt diximus, semper residẽtis, & assidentis in porta, ac prospicientis animas ad ipsam concurrentes; altera ex parte hominum, qui quotidiè adesse ad fores, & postes Deiparæ debent, eius auxilium petentes, & implorantes. Si enim, vt dicitur Ecclesiast. 6. ostium sensati viri frequentandum est, *si videris*, inquit, *sensatum euigila ad eum, & gradus ostiorũ illius exterat pes tuus*; quanto magis Deiparæ, quam diuina sapientia sibi in portam, & domum elegit, & consecrauit? sunt gradus huius portæ à nobis frequentandi, & summo manè quærendi, de luce nobis vigilandum est ad fores eius; semper enim illam paratissimam inueniemus in foribus assidentem, vt diuinis inspirationibus excitati

ac moti

ac moti viam Domini curramus. Sed quid? *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & cōmota sunt ad tactum eius viscera mea*, Cāt. 5. in quibus verbis significatur, Deum per Virginis intercessionem extēdere manum suam ad hominem adiuuandum per foramen portæ, quo clauis immittitur, vt citò ianuam salutis per auxilia præuenientia, & excitantia efficaciter per Beatæ Virginis misericordiam, ac benignas preces aperiat; sicut enim Deipara est collum, & aquæductus Ecclesiæ, sic etiam est foramen, per quod tamquam per cancellos, & fenestras prospiciens ad se venientibus, occurrit eis: nullam enim occasionem nobis benefaciendi prætermittit, quod ipsum summæ erga nos suæ beneuolentiæ clarissimum argumentum est.

EST præterea porta quid sacrum, ac Deo consecratum: ita apud veteres aras falsis Numinibus in portis quoq; consecratas fuisse, gentium ritu legitur. Vnde 4. Reg. 23. Iosias destruxit aras portarum in introitu ostij Iosue Principis ciuitatis, quod erat ad sinistram portæ ciuitatis; Deiparam verò ab instanti suæ conceptionis fuisse Deo per diuinarum copiam gratiarum dicatam, & consecratam demonstrauit Gabriel, dicens ei, *Aue gratia plena*, Luc. 1. vnde ciuitas sanctificata, in qua Deus requieuit, appellatur, Eccles. 24.

ILLA autem intercedit differentia inter portas materialis ædificij, & spiritualis, quòd illæ in fine totius ædificij ponuntur, vt illud perfectum, & absolutum esse intelligatur; idq; huiusmodi oratio significat, Iosue 6. *In primogenito suo fundamentum illius iaciat, & in nouissimo liberorum suorum portas ponat eius*. Porta verò in ædificio spirituali primo loco ponitur, cum Deipara omnium incipientium, proficientium, & perfectorum ianua sit. Portæ materialis & spiritualis ædificij differentia.

HANC portam Deus dilexit super omnia tabernacula Iacob, hoc est super omnes mulieres non solum Iudaici Populi, sed etiam gentium, & totius mundi; imò super omnes creaturas, atq; etiam angelicos spiritus. Disseruimus autem de amore Dei erga Deiparam copiosè in lib. 2. Comment. in Magnificat: c. 10. & 28. vbi pulchra ex Anselmo, alijsq; Patribus allata fuere.

BVSTVS in suo Mariali, nona p. ser. 4. sic scribit: Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob, quasi dicat: Nolite mirari, quòd Deus fecerit hanc singularem gratiam suæ matri, nempè prèseruationis ab omni peccato, nam diligit Dominus portas Sion, idest ipsam benedictam Virginem, quæ est porta cęlestis ciuitatis, scilicet Paradisi, super omnia tabernacula Iacob, idest, super omnes Angelos, & Sanctos, & ideo voluit eā maiori puritate fulgere, & maioribus priuilegijs gaudere, ac magis gloriosam esse. Et propter hoc subdit: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei; de nulla enim pura creatura vnquam dicta fuerunt tàm gloriosa, quam de Virgine hac benedicta. Est .n. Dei mater. Matris autem nomen magnam affert reuerentiam, ét ipsi Deo incarnato, vt dixit Origenes Hom. 51. in Leuit. Matris nomen reuerentiam affert, cuius labore, cura, ministerio filius natus, & nutritus est. Et rursus. Nomen Patris grande mysterium est, nomen matris grandis reuerentia est; vndè Dei filius, & eiusdem Virginis filius commendans vterum matris suæ, illum ab odore, suauitate, & candore incredibili puritatis sic commēdauit: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs* Cāt. 7. Per triticum .n. fęcunditas, per lilia verò Virginitatis mundities, atq; candor exprimitur: lilia verò in plurali numero posita firmissimum, fortissimumq; vallū, perpetuū nempè Virginitatis seruandæ propositum significant; atq; hic est primus, ac præcipuus effectus amoris Dei in Deiparam. Reliqui diuini amoris effectus, & proprietates circa Beatæ Virginis personam legendi, & attentè perpendendi sunt in libro Cantici Canticorum, vbi per octo capitula ad literam de ea agitur, vt alibi à nobis demonstratum est, iuxtà multorum sanctorum Patrum sententiam. Matris nomen magnæ est reuerētiæ erā Deo incarnato.

CA-

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Exponuntur de Ecclesia hæc verba: Diligit Dominus portas Sion, &c.

Porta Ecclesiæ triplex.

EATVS Thomas in exposit. Psal.9. ait, portam Ecclesiæ triplicem esse, nempè Doctores, iustitiam, & bonas cogitationes. Portam autem mortis quadruplicem, scilicèt hæreticos, sensus, odium verbi Dei, & tentationes. Alij exponunt, portas Ecclesiæ esse sacraméta, vt Raynerius, & Aug. Alij Apostolos, qui duodecim portis Sion respondent. Alijs, vt S. Hier. videntur portæ Sion esse virtutes; sicut.n. portæ mortis sunt vitia, atq; peccata: ita portæ Sion videntur mihi, ait Hieronymus, esse virtutes. Deniq; dicit in alio loco: Qui exaltas me de portis mortis; si autem portæ mortis peccata sunt, ergo portæ Hierusalem virtutes sunt. Alij, vt Theodoretus mysterium sequens, per portas, terrenas Ecclesias intelligunt, per quas introitur in Sion, idest cęlesté Ecclesiam. Euthymius idem ferè sentiens, sic scribit: Magnus Paulus nos docuit, cęlesté quandam esse Sion, & quandam esse celestem Hierusalem; hoc pacto côuersationem illam exprimens, quæ in Cęlo est. Hac ratione per portas Sion Ecclesias omnes fidelium intelliges, quæ in varijs sunt orbis partibus. Has etenim portas Dominus diligit, & vniuersis Iudæorum Ciuitatibus eas pręposuit; per tabernacula.n. ipsas Iudæorum ciuitates intelligimus, vel ipsam particulariter Silo, aut terrestrem Hierusalé, in quibus tabernaculum cũ arca commorabatur. Titelmannus in annotationibus in hunc psalmum, ponderans, cur Dominus faciat côparationem portarum Sion cum tabernaculis Iacob, sic scribit. Vide côparationem, non dicit, diligit Dominus Sion plusquam Iacob; non dicit, diligit Dominus portas Sion super portas Iacob; non dicit, diligit tabernacula Sion super tabernacula Iacob: sed portas tribuens Sion, & tabernacula Iacob, hoc asserit; quòd portas Sion diligat Dominus super tabernacula Iacob. Qua in re illud primũ euadit manifestum, distinctionem hic poni inter Sion, & Iacob, neq; per duo hæc idé intelligi. Vnde Sion rectè putamus nouam Ecclesiã significare; Iacob verò Synagogam veterem, Israeliticã plebem. Quid verò est, quòd portas tribuit Sion, idest Ecclesiæ, Iacob verò, idest Synagogę veteri tabernacula? Si tu melius aliud nõ habes, puto ego in hoc stabilitatem Ecclesię nouę designari, & Synagogę repudiationé. Portę.n. non nisi munitorum locorũ sunt, & fundamenta, & munitiones, firmitatemq; & stabilitaté habentiũ ciuitatum. Tabernacula verò non habent stabilitatem, neq; firmitatem: & quidé donec in Synagoga Iudęorum tantum Deus habitabat, quasi in tabernaculo potius, quàm in domo: in castris, siue tétorio potius, quam in Ciuitate habitabat, nimirũ vnde post modicũ erat emigraturus. In noua autem Ecclesia stabilem sibi posuit mansionem, non eam relicturus vsq; in consummationem seculi, nisi fortè mentiri ipse potest, ex cuius ore audiuimus; *Ecce ego vobiscũ sum vsq; ad consumationẽ seculi.* Hæc ille. B. Aug. accipit simpliciter Simonem pro Ecclesia, & Iacob pro Synagoga, itaut sit sensus, eam atq; adeo eius vestibula, & portas plus diligo, quàm omnia tabernacula Iacob, idest, plusquam vniuersam Moysis Synagogam vnquam dilexerim. Sioni tribuit portas propter firmitatem Ecclesię; tabernacula autem Iacob propter Synagogę mutationem: est tamen idem sensus vt prior.

S. Aug.

QVÆRIT idem August. cur dicatur, *Diligit Dominus portas Sion super omnia taber-*

tabernacula Iacob:ita scribens.Quasi verò,& ipsa Sion non sit inter tabernacula Iacob: & vbi erat Sion,nisi in populo Iacob? Iacob .n. nepos Abrahę;vnde populus natus Iudæorũ dicitur populus Israel,quia ipse Iacob appellatus est Israel hic.Hæc benè nouit sanctitas vestra;sed quia erãt quædã tabernacula tẽporalia,& imaginaria;loquitur aũt iste de Ciuitate quadã,quam spiritaliter intelligit,cuius vmbra,& figura erat illa terrena,ait,Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob: Diligit illam spiritalẽ ciuitatẽ super omnia figurata,quibus intimabatur, illa ciuitas semper manens,& semper cęlestis in pace.sic Aug.

RECTE autem obseruandum est, nomina portarum ad certas locorũ notas indicandas imposita fuisse,vt ex nonnullis locis scripturæ colligitur; legitur .n. Iosue 7.*Persequuti sunt eos aduersarij de porta vsq; ad Sabarim*.Et 4.Reg.11.*Hauserunt aquã de cisterna Bethleem,quæ erat in porta*.Et 4.Reg.14.*A porta Sabarim vsq; ad portam anguli*.Et 2.Paral.17.*Rex Israel,& Rex Iuda sedebãt in area iuxta portam Samariæ*;ita quoq; porta in Ecclesia Christi proprium nomen habet, nempè Catholicum, atq; Romanum, ad distinctionem, ac differentiam populi Christiani à Iudæis,Idolatris,hæreticis,atq; schismaticis. Nomina Portarum ad quid valeant.

ESSE quoq; intrà portã,vel domus,vel vrbis nil aliud significabat,quàm habere mutuã cõmunionẽ,& societatẽ,eorundemq; cõmodorũ & incommodorum esse participẽ:ita scribitur Exo.20.*Non facies omne opus in eo tu,& filiuſ tuus,& filia tua,seruus tuus,& ancilla tua,iumentũ tuũ,& aduena,qui est intra portas tuas*. Et Deut.28. *In obsidione,& vastitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas*. Et Deu.14.*Peregrino,qui intra portas tuas est,da,vt comedat, aut vende ei, quia tu populus sanctus Domini Dei es*: Et Ruth 3.*Scit .n.omnis populus,qui habitat intra portas vrbis meæ,te mulierẽ esse virtutis*.Contrà verò extrà portam cõstitui, excommunicationẽ,& detestationem significat:sic autem Christus factus pro nobis maledictio,extra portam,vt S.Paulus annotat,passus est,ad Heb.13.Ita intrà portam Ecclesiæ esse,est eorum,qui eandem fidem,obedientiam,& communicationem cum Ecclesia Romana habent. Qui verò ab illa discesserunt, & excommunicati,hæretici,& schismatici,extra portam Ecclesiæ sunt. Intra Portam esse quid significet. Extra portã esse quid sit.

PORTÆ verò nouæ Hierusalẽ egregiè describuntur Thobiæ 13.ex Sapphyro,& Smaragdo ædificatæ: quemadmodum ẽt Apoc.21. dicitur, licèt de cęlesti Hierusalem ibi propriè habeatur sermo. Et quoniam locus iste Thobiæ insignis est ad Ecclesiam commendandam, lubet hic illum referre. *Hierusalem Ciuitas Dei castigauit te Dominus in operibus manuum tuarum, confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum sæculorum, vt reædificet in te tabernaculum suum, & reuocet ad te omnes captiuos,& gaudeas in omnia sæcula sæculorum:luce splendida fulgebis,& omnes fines terræ adorabunt te.Nationes ex longinquo ad te veniẽt,& munera deferentes,adorabũt in te Dominum,& terram tuam in sanctificationem habebunt.Nomen enim magnum inuocabunt in te.Maledicti erunt,qui contempserint te, & condẽnati erunt omnes,qui blasphemauerint te;benedictiq; erunt qui ædificauerint te.Tu autem lætaberis in filijs tuis,quoniam omnes benedicentur,& congregabuntur ad Dominum.Beati omnes,qui diligunt te, & qui gaudent super pace tua. Anima mea benedic Dominum,quoniam liberauit Hierusalem Ciuitatem suã à cunctis tribulationibus eius Dominus Deus noster.Beatus ero,si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndã claritatem Hierusalem.Portæ Hierusalem ex Sapphyro,& Smaragdo ædificabuntur,& ex lapide pretioso omnis circuitus murorũ eius,ex lapide cãdido,& mundo omnes plateæ eius sternentur,& per vicos eius alleluia cantabitur. Benedictus Dominus,qui exaltauit eã,vt sit regnũ eius in sæcula sæculorũ super eam Amen*; Hæc ibi.Agi aũt hoc in loco de Ecclesia militante non est dubiũ,vt legenti patet.Numerantur aũt in loco citato Apoc. duodecim portæ cum duodecim margaritis, vt describatur status cęlestis Ciuitatis Hierusalẽ,quæ duodecim Apostolos loco duo- Apoc. 21. Thob. 13.

duodecim portarum præciosarum habet. Id autem, quod etiam instituto nostro inseruit, aduertendum est, margaritam esse lapillum in chonchis nascentem, quem Romani vnionem vocant ea ratione, vt docet Plinius lib. 9. capit. 35. quòd nulli duo reperiantur in chonchis indistincti, vel indiscreti. Qua in re illud mysterium, cum Apostolis margaritæ applicentur, agnoscimus, vt maximam in eorum doctrina, & prædicatione vnionem, summamque consensionem catholicè fateamur. Quamquam enim locis discreti fuerint; nullam tamen habuerunt doctrinæ dissensionem. Figurabantur enim Apostoli in illis quatuor animalibus apud Ezechiel. cap. 1. quæ eisdem omnino faciebus constabant, eademque erant corporis specie efformata, eodemque omninò modo mouebantur, ad summam doctrinæ Apostolicæ conspirationem, & consensionem exprimendam.

Plinius. Apostolorum doctrina vna. Ezech. 1.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

De Dei amore erga Ecclesiam.

QVOMODO autem Deus Ecclesiam suam dilexerit super omnia tabernacula Iacob, præter ea, quæ scripsimus in 2. lib. nostrorum Commentar. in Cantic. Magnificat. cap. 25. & 31. nonnulla quoque addenda, & notanda sunt.

AMAVIT quidem Deus olim Synagogam, sicut lumbare, vt dicitur Hierem. 13. *Posside tibi*, inquit Dominus ad Hieremiam, *lumbare lineum; & pones illud super lumbos tuos*. Et inferius: *Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem domum Israel, & omnem domum Iuda, dicit Dominus, vt essent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam.* At verò Ecclesiam suam Christus adamauit, vt tunicam inconsutilem, quæ intimiùs cordi Christi adhæret; ita S. Augustinus Epist. 171. contra Donatistas, & Epist. 203. & S. Athanasius de passione, & Cruce Domini, & S. Cyprianus tract. de vnit. Ecclesiæ, quam ait fuisse desuper contextam per totum, idest de Cęlo venientem, & quia Christi populus scindi non potest: Tunica, inquit, eius per totum textilis, & cohærens, diuisa à possidentibus non est. Hac etiam ratione Ecclesia post incarnationem Christi dicitur zona aurea ad mammillas Dei alligata, & accincta, Apoc. 1. Quia enim cor sub mammillis latet, indicatur propterea fideles & Christianos, maximè verò iustos summopere à Christo adamari; & sicut zona arctissimè perstringit, & copulat, sic fideles amore diuinæ charitatis, tamquam aurea zona à Christo amplexantur, constringuntur, & mutuo copulantur; adeò verò amor Dei post aduentum Christi erga homines creuit, atque inualuit, vt illo tamquam funiculis pertrahi dicantur, quod Synagogæ non ita planè concessum fuit, iuxtà illud Oseæ 11. *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis, & nescierunt, quòd curarem eos; in funiculis Adam trabam eos, in vinculis charitatis; & ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum*. Hæc enim verba præcipue non de Iudæis, sed de Christianis intelligenda suut, qui à Deo non vt serui, quemadmodum hebręi, sed vt filij maximè amore, & beneficijs trahuntur. Quare ita Chaldęus vertit: Sicut moris est, trahi filios dilectos, traxi eos fortitudine charitatis; non quidem terrore, & quasi verberibus cogendo, vt Iudęos, sed in vinculis charitatis, idest amore, & benignitate, ac beneficijs, quibus ità copiosè à me afficientur,

Hierem. 13. Synagogam Deus amauit vt lumbare, Ecclesiam vt tunicã inconsutilem.

Oseæ 11.

tur,

tur, vt quodammodo eos compellam ad me venire, & quasi vim quandam sed voluntariam eis afferam. Hi sunt funiculi, hæc sunt vincula, quibus Christiani ad Christum pertrahuntur, & cum eo constringuntur. Quocirca Deus ipsi Ecclesiæ murus ignis, hoc est, amoris in circuitu esse dicitur, Zachar. 2. Sunt enim fideles baptizati Spiritu Sancto, & igne, hoc est, summo, & ardentissimo Dei amore, ac dilectione muniti. Vnde Ecclesia dicitur signum, seu vexillum diuinæ beneuolentiæ erga homines, ideo enim Deus Ecclesiam condidit, quia homines noui testamenti vnicè præ cæteris adamauit; & quod legimus Cantic. 2. *Ordinauit in me charitatem:* Alij vertunt ex hebræo: Posuit in me vexillum amoris; de qua re superius dictum est: & hac ratione dicitur quoque Ecclesia Christi candelabrum aureum totum Zachar. 4.

NEC abs re erit hoc in loco commemorare, manum Moysis aridam, atque leprosam apparuisse Exod.4. ad notandum Synagogæ sterilitatem, debilitatemque in bonis exequendis. Atqui in Ecclesia Euangelica de sponsi manibus dicitur Cantic. 5. *Manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis*, seu, vt Doctores hebræi transferunt: Manus eius orbes aurei; sunt enim manus Christi tornatiles, velut sphœræ aureę, quæ per beneficentiam in orbem continuò feruntur; suamque gratiam, & Spiritus Sancti dona fidelibus cumulatissimè communicant. Adde quòd Deus virtutum opera in lege Mosaica, quasi scalpello cum certa quadam difficultate ex parte illius populi effingebat: at post incarnationem quasi torno sua opera facillimè, atque rectissimè elaborat, ac perficit iuxta illud Isa. 44. *In Circino*, hoc est in Cruce, *tornauit illud*: Aureæ verò appellantur ob splendorem diuinæ munificentiæ, quæ cunctis credentibus, & præcipuè iustis copiam suarum diuitiarum aperta manu distribuit; vnde appellatur in nouo testamento non semel à Paulo Deus diues in misericordia, ad Ephes. 2. & ad Rom. 10.

Manus Synagogæ & Ecclesiæ quomodo differant.

DVPLEX autem amor Christi erga homines est considerandus. Alter, quo ab æterno quatenus Deus est, nos dilexit, de quo apud Hieremiam, cap. 31. dicitur: *In Charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans*: ante tempora enim sæcularia quosdam prædestinauit, & pro omnibus carnem sumere, & mori decreuit; atque hæ sunt cogitationes antiquæ, de quibus loquitur Isaias cap. 25. *Domine Deus meus es tu, & exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, Amen*, idest, cogitationes, quas ab æternitate de hominum salute habuisti, opere complesti; sic enim interpretatur præfatum locum Eusebius Cæsar. lib. 2. demonstrat. Euangel. capit. 32. Et hoc voluit Dauid Psal. 24. dicens: *Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt*; vt exponit Sanctus Augustinus in exposit. eiusd. psal. Primus autem actus huius dilectionis fuit Verbi incarnatio; Cantic. 1. *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino*; vel vt in hebræo est, quia meliores sunt amores tui vino; est enim hic sermo de amore antiquo, vt Rupertus ait, quo Verbum ad salutem hominis carnem suscepit; atque huiusmodi amore magis Deus dilexit Ecclesiam Christianam, quam Synagogam, cui nunquam concessum fuit osculum oris Dei, antequam in mundum Christus veniret; licèt habuerit osculum pedum, quod est ancillare; osculum item manuum in signum subiectionis; osculum item frontis, seu faciei in signum beneuolentię: nunquam autem obtinuit osculum oris Dei, quod signum est amoris ardētissimi, quo Deus per Christum, qui os Dei appellatur Hierem. 15. humanam est osculatus naturam per Incarnationem.

Amor Dei erga homines durant.

ALTER amor, quo Christus homines dilexit, fuit post Incarnationem in assumpta carne, & præcipuus actus huius dilectionis fuit, effundere sanguinem suum prò nobis in Cruce, de quo actu Apocalyp. 1. dicitur: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, Et ad Galat. 2. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. Hunc igitur amorem ostendit Christus, quando mortuus est, & pro nobis actu in diebus carnis suę laborauit, tunc enim porrexit osculum dilectæ Ecclesiæ suæ, vt interpretatur Rupertus in Cantica his verbis: Quod optauit Ecclesia, venit Dilectus, atque omnium gratiarum delibutus vnguentis in secreto Virginalis vteri cubiculo diu desideratum osculum dilectæ porrexit. Tunc enim in primo instanti suæ conceptionis acceptauit Christus voluntariè pati, & mori pro homine, & fuit primus actus, quem exercuit anima Christi in mundo.

HVIVS duplicis amoris meminit Ioan. cap. 13. ibi: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*; verbum enim, *dilexisset*, ad priorem amorem; *dilexit* verò ad posteriorem refertur, vt exponit Cyrillus Alexandrinus in Ioan. Etenim dilexit eos in finem, hoc est, vehementer, vt Chrysostomus Hom. 69. & Euthymius exponunt. Item in finem dilexit eos, quia mortem pro eis subire voluit; denique in finem, hoc est continuando amorem vsque ad mortem, & etiam post mortem in eo perseuerando, vt benè Toletus annot. 6. in citat. cap. Ioan. censet.

Cyrillus. Chrysost. Euthym.

Toletus.

AD extremum illud obseruandum est, in portis Sion, hoc est Ecclesiæ Euangelicæ, vexillum amoris erectum fuisse; in tabernaculis verò Iacob hoc est in veteri testamento, vexillum timoris; vnde nonnulli verba illa Cantic. 2. quæ paulò antè commemorauimus, *ordinauit in me charitatem*, sic vertunt: vexillum eius super me amor, hoc est, Synagogæ populum sub vexillo timoris Deus duxit; me autem Ecclesiam sponsam carissimam, meosque filios milites suos ducit sub vexillo eximij amoris; vnde Paulus ad hebræos 12. ait: *Non accessistis ad tractabilem montem, & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, & excusauerunt se, ne eis fieret verbum, sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem celestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, &c.*

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

In quo exponitur versus: Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei.

EVTHYMIVS existimat, & quidem benè, hic Prophetam loqui de ipsa materiali ciuitate Hierusalem, in qua Deus videndus erat, & cum hominibus conuersaturus; quod cum Propheta à Spiritu Sancto audierit, stupore quodam correptus, conuersusque ad ipsam Hierusalem, clamauit, dicens: Magna, atque admiranda quædam mihi, ò Dei ciuitas, de te dicta sunt. Ciuitatem autem Dei eam appellat, quia iam diù Deo fuerat dicata, & quia denuò ipsi Christo, hoc est, illius passioni, & sepulturæ erat dicanda. Celeberrima fuit hæc Ciuitas, & gloriosa ex multis; ex nominibus, ex cōditoribus, ex situ, ex ædificijs, ex muris, ex turribus, ex portis, ex locis adiacētibus, deniq; ex sāctitate, ex Dei cultu, & populorū cōcursu, & religione, vt explicauimus

fusè

fusè in Comment. nostris super Magnif. lib. 3. cap. 30. Verùm fuit gloriosissima ex personali præsentia Messiæ, ex eiusdem conuersatione, miraculis, morte, sepultura, resurrectione, & ascensione, atque etiam ex missione Spiritus Sancti, & Apostolorum prædicatione. Hæc enim omnia in varijs locis eiusdem ciuitatis peracta fuere. Augustinus putat alium fuisse sensum Dauidis. Intuebatur inquit, quidem Propheta ciuitatem illam Hierusalem in terra, nam videte quam ciuitatem dicit, de qua dicta sunt quædam gloriosissima: nam illa destructa est in terra, hostes passa cecidit in terram, iam non est quod erat, expressit imaginem, transiuit vmbra. Vnde igitur gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei? Audi vnum, memor ero Rahab, & Babylonis scientium me: in illa ciuitate, inquit, iam ex persona Dei memor ero Rahab, & memor ero Babylonis; Rahab non pertinet ad populum Iudæorum, Babylon non pertinet ad populum iudæorum; nam sequitur: Eccæ alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum: hi fuerunt illic. Meritò gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei; vbi non solum est ille populus Iudæorum natus ex carne Abrahæ, sed ibi omnes gentes, quarum quædam nominatæ sunt, vt omnes intelligantur. Hæc Augustinus. Nec dubium est, Prophetam in hoc psalmo non solum de cęlesti Hierusalem, sed etiam de militanti Ecclesia vaticinatum, & loquutum fuisse. Atqui, vt sententia Augustini sit vera, rationes tamen, ob quas Hierusalem terrestris, & materialis re vera famosa, & gloriosa fuerit, quas Arias Montanus in lib. de arcan. serm. longius prosequitur, afferendæ sunt. Dicta enim fuit Regia Iebus, Regia Iudæ, Ecclesiæ antiquæ caput, idque vsque ad noui testamenti, & Christianæ Ecclesiæ institutionis initia, sanctitatis locus ad festiuitates celebrandas solus idoneus, totius Iudęæ præsidium, firmitudo, ac propugnaculum, magna Regni Iudæorum gloria, locus, ac conuentus communis celeberrimus, & opportunus, Dei sanctuarium, hæreditas Domini, redemptionis locus, & cęlestis Hierusalem typus, non solum quantum ad rem significatam, sed etiam quantum ad nomen, Zachar. 7. ad Galat. 4. ad Hebr. 12. & Apocal. 3. Cuncta hæc gloriosa attributa propter Christi aduentum consecuta est Hierusalem, quem cum occidit, funditus euersa est, grauissimisque flagellis afflicta: immo iusto Dei iudicio vsque ad finem mundi cruciabitur, adeò quod ea vrbs futura sit sedes Imperij, & Metropolis Regni Antichristi; qui quamuis Babylone primùm creditur regnaturus, vt colligitur ex Zachar. capit. 5. cum dicitur; *Leuauerunt amphoram inter Cælum, & terram, & dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: quo isti deferunt amphoram, & dixit ad me, vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & ponatur ibi super basem suam*; quo loco pro terra Sennaar Septuaginta transtulerunt, in terra Babylonis; est enim Sennaar authore Sancto Hieronymo, campus Chaldæorum, in quo Babylon est ædificata, significaturque ea visione, supplicium Iudæorum vsque ad tempora Antichristi duraturum, quo tempore ædificabitur eis domus Babylone, eò quòd ibi incipiet Antichristus regnare, & à Iudæis, vt Messias recipietur. Lege Hieronymum quæst. 11. ad Algasiam, & Damasc. lib. 4. c. 27. & Ambrosium in cap. 13. Apocalyp. Quamuis vero Babylone regnare incipiet, & inde contra multos Reges pugnabit, & primum superabit Regem Austri idest Aegypti, Daniel. 11. vt ibi Sanctus Hieronymus exponit: & ibidem à Iudæis recipietur, & adorabitur, & paulatim ex Aegypto, & ex alijs Regnis confluent ad eum Iudæi, & tandem in templo sedebit in Hierusalem, vt dicitur in eodem loco Danielis: *Et pollυent sanctuarium fortitudinis*; & apertius 2. Thess. 2. *Ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus*; quæ verba exponens Damascenus lib. 4. cap. 27. ait. In templo quidem Dei, non nostro, sed veteri Iudaico, non enim

S. Aug.

Encomia Hierusalē ob Christi Aduentum.

Hieron.

Antichristus Babylone regnare incipiet.

enim nobis, sed Iudæis veniet; regnabit denique in Iudæa, donec tandem in monte Oliueti à Christo occidatur, vt ex Daniele ostendit Hieronymus in cap. 11. eiusd. in fin. Neque enim vnquam Roma futura est sedes Antichristi, vt ex cap. 11. Apocalyp. probatur; vbi Ioannes dicit, Enoch, & Eliam ab Antichristo in Hierusalem occidendos esse, *& cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit ab abysso, faciet aduersus eos bellum, & vincet illos, & occidet illos, & corpora eorum iacebunt in plateis Ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Aegyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est*. Quod argumento est, ibi imperij Metropolim, ac sedem ab Antichristo erigendam. Lege Primasium, Aretham, Haymonem, Rupertum, Riccardum, Anselmum, & Sanctum Thomam in loc. citat. Apocalyp. & ea, quæ nos scripsimus in lib. 3. de Ann. Iubil. cap. 9. vbi etiam narrauimus, quæ Roma passura sit tempore Antichristi; licèt nunquam Romæ sessurus sit Antichristus; nec qui sedet, vel sedebit in illa, hoc est Papa, nomen Antichristi habere possit, vt hæretici mendaciter proclamant: legant Lactantium lib. 7. cap. 15. & 17. vbi dicit, Regnum Antichristi præcipuum futurum esse in Syria; & Irenæum lib. 5. affirmantem, Antichristum Hierosolymæ regnaturum. Nec est confundendus, vt hæretici faciunt, locus Apocal. 11. cum loco Apocal. 17. in illo enim agitur de Bestia, quæ verè Antichristum significat: in hoc autem de Roma Ethnica persequente Christianos, & ebria sanguine Sanctorum, non de Roma Christiana, vt monet S. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum. Nec idem significatur per Bestiam, & per Meretricem; vt attentè legenti notissimum erit. Verum de sensu literali huius versiculi satis.

Roma numquã sedes Antichristi.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Applicantur Deiparæ hæc verba: Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei.

EATA Virgo multis de causis à Sanctis Patribus in interpretatione scripturarum ciuitas nuncupatur: ita Sanctus Augustinus, lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 16. explicans verba huius psalmi, Mater Sion dicet homo; & Sanctus Anselmus Homil. super verba illa Lucæ; *Intrauit Iesus in quoddam castellum*, non incongruè inquit; Virgo Maria castello assimilatur, & à fortiori ciuitati: sic etiam Albertus Magnus in psalmo 5. Alexander de Ales, & alij ciuitati Deiparam comparant, sicut etiam Athanasius in Euang. de Deipara, & Methodius in Hypapante Domini, Mariam Dei tabernaculum appellant. Erasmus inter multa illustria in Mariam elogia hæc etiam metaphora vsus fuit, vt illam sanctæ ciuitati Sion comparauerit; cuius verba ad aliorum hæreticorum confusionem hic rescribenda esse duximus: Hæc est, inquit, rosa hiericana florem enixa campestrem, quam non superbiæ scopuli, sed simplicitatis planities modestiæ, & humilitatis educat, quam diuina charitas purpureo rubore tinxit, quæ de terra parente prognata, nihil tamen terrenæ fæcis inde esuxit. Hæc lilij conuallium mater, lilium & ipsa, in spineto sine spinis enatum, quæ lacteo candori Viginitatis summam modestiam adiunxit. Hæc fons signatus, cuius nitidissimas lymphas nulla ferina vnquam libauit affectio, in quo sponsi refulgentē imaginem nulla terrena turbauit

Erasmus rectè aliquãdo scripsit de Maria.

turbauit cupiditas, quæ medicatas aquas suas, deriuat in capita omnium viarum, quæ portæ nos non vocales quidem, vt illæ castaliæ, sed immortales reddunt. Hæc hortus diuinæ illius custodiæ sepe sic circummunitus, vt nulla vnquam petulca cogitatio quiuerit perrumpere, in qua varias aromatum areolas summus ille hortulanus mira distinxerat arte; vbi idem inter lilia pascit, ac cubat in meridie. Hæc sancta ciuitas Sion, cuius mœnia nullus vnquam babylonij hostis aries pulsauit, quam inexpugnabilibus munimentis tutatus est is, qui natus est in ea, quique fundauit eam Altissimus, cui videlicet *ipse* murus est, & antemurale. Hæc vitæ speculum tam nitidum, ac purum, vt in nullo alio diuinitatis effigies refulserit expressius. Hæc niuei pudoris lectulus ille floridus, quem puritatis amator Dei filius, ita cœlestis militię excubijs, omniumque virtutum corona muniuit, vt nulli vnquam, vel cogitationi parum piæ patuerit aditus, in quo vno nihil vnquam repertum est, quod aut delitiantem offenderet sponsum, aut obstreperet quiescenti. Hæc procera *illa libani* cedrus, latè virtutum spargens odorem, quæ mortalium sola vitiorum cariem non sensit, quin & allitam nostris animis eandem arcet, dum illius prouocati exemplo tot passim pueri, atque puellæ incorruptam vitę puritatem meditantur. Hęc virgula fumi ex aromatibus myrrhę, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij, quę sic incensa cęlesti charitate, sic à caducarum rerum amore extenuata, purissimis votis assiduè superna petebat, vt ipsis etiam *caliginis* mentibus miraculo fuerit. Hęc demum (vt maternam dignitatem eius attingamus) thronus Salomonis eburneus auro vestitus, vnde Rex ille Regum carnis velatus trabea iura dixit mortalibus. Hęc delicati illius amatoris ferculum de lignis libani compactum, quod ipse sibi auro, argentoque, & ardenti purpura mirè variauit, dignum videlicet, in quo ille nouem mensium spatio versaretur. Hęc vitis illa generosa, è cuius palmite nobilis ille botrus prodijt, quem vnum duo testamenta humeris baiulant tam grauem, vt in statera appensus, ingens omnium scelerum nostrorum pondus in altum submouerit, tam efficaci succo, tamquam generoso, vt gustatus repentè tot hominum millia ad vitæ vsque contemptum sobria dementauerit ebrietate. Hęc campestris olea speciosa, ac tonsilis, de cuius illibato corpore fatalem illum, & semper virentem surculum nobis decerpsit is, cui familiare est columbina in specie apparere mortalibus, eamque in arcam Ecclesię detulit, certissimum pignus finiendi diluuij peccatorum, mundique renouandi symbolum, cuius baccarum salutaris amaritudo contra pomi exitialis, heu nimium dulce virus, antidotum præsentaneum attulit, cuius oleo mentes hominum absterso squallore vetustatis, situque terreni Adę, velut iterata iuuenta reuirescant; cuius iugi alimonia, fidei lampas pascitur, ne quando possit extingui. Hęc illæ. Quem initi alij hęretici audire coguntur, cum ex eadem classe, communique Gymnasio prodierint.

VERVM inter epitheta, quę Georgius Nicomediensis Episcopus scribit in oratione de oblatione Deiparę in templo, illud etiam commemoratur, quòd illa sit sancta Sion, & animata Dei ciuitas; eius verba sic se habent: Tu es porta semper clausa, animatum velum, quod in se celauit diuinitatem, inauratum candelabrum, mensa, in qua vitę panis propositus, aureum thuribulum, arca sanctificationis, quę portauit cœlestem mannam, noui testamenti thesaurus, vrna inclita, ac gloriosa virga sacerdotalis, quæ absque irrigatione florem produxit, sancta terra, & desiderabilis, ex qua orta est iustitia, & veritas, mons vmbrosus, in quo habitare placuit Verbo, mons, à quo abscissus est lapis, qui repleuit orbem, olea fructifera, thronus gloriosus, regium vehiculum, sancta Sion, lectus Salomonis,

monis, liber obsignatus, Regina à dextris stans, quæ nullam suscepit maculam libero suo arbitrio, sponsa Christi, hortus conclusus, fons signatus, ex quo manant fluenta purissima, animata Dei ciuitas, sanctificatum Dei tabernaculum, domus gloriosa, indissolubile templum, agna immaculata. Hæc ille.

ALBERTVS Magnus, in cap. 10. Luc. eleganter ait, Mariam esse ciuitatem supra montem positam, quæ abscondi non potest, in qua omnis ciuilitas cœlestis habitauit; copioseque describit omnes conditiones, ac proprietates ciuitatis in Deipara reperiri, quas singulas ipsi quoque in lib. 3. Commentar. in Magnificat capit. 34. dub. 8. retulimus, easque Deiparæ applicauimus. Sicut enim ciuitas aliqua sex rationibus præcipuè commendatur, nimirum ex altitudinis situ, fossatorum depressione, murorum circundatione, turrium altitudine, expensarum copiosa præparatione, militum instructione: ità cum hæc omnia cumulatissimè in sensu spirituali in Deipara reperiantur, rectè, ac congruè Ciuitas Dei dicitur. Situs namque eius in monte sancto est, ad quem nulla inimici machina pertingit, immò ipsa est mons sanctus super omnes colles Angelorum, & valles hominum eleuatus; mons, inquam, sanctus, *in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*, Psalm. 66. mons, inquam, sanctus à Domino pulchritudine iustitiæ, & eminentia suæ sanctitatis benedictus, iuxta illud Hierem. 31. *Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiæ, mons sanctus*: Mons inquam sanctus, ad quem nulla creatura per æqualitatem ascendit, & qui exaltatur, in ea, & per eam, ac per eius suffragij subuentionem eleuatur. Profunditas verò, & depressio fossati est abyssus eius humilitatis, Ecclesiast. 1. *Profundum abyssi quis dimensus est?* nullus penitus, nisi qui de altissimo respexit humilitatem ancillæ suæ, & de altis in eandem descendit. Quòd si Dauid in Mello ciuitatem Sion per gyrum, & intrinsecus ædificauit; erat autem Mello vallis profundissima ad instar voraginis 2. Reg. 5. optima quoque ratione Deus ciuitatem suam, hoc est, Matrem in profundissima humilitatis virtute secundum omnes eius partes formauit. Ambitum verò murorum ex lapidibus quadratis, Virginis meritorum, ac virtutum series perpetua, ac indissolubilis catena designat; sicut etiam eleuationes contemplationis eius, turres altissimas: nulla in hac ciuitate esuries, vel sitis, seu inopia; ibi panis vitæ, qui de Cœlo descendit; ibi est adeps frumenti satiantis; ibi sal sapientiæ; ibi fons aquæ salientis in vitam æternam; ibi carnes agni immaculati; ibi vestis decoris, & honestatis, ibi ignis charitatis; ibi hortus conclusus voluptatis; ibi aura flatus Sancti Spiritus; ibi nullius boni defectus. Instructio verò militum defendentium nec ibi deest, agmina enim Angelorum eam protegunt, atq; defendunt, quæ ob id terribilis redditur, vt castrorum acies ordinata, Cant. 6. Millia millium ministrant huic ciuitati; & decies millies centena millia assistũt ei, sicut filio suo, qui est vrbis Dominus, Rex, & hæres, ac perpetuus inhabitator, Dan. 7.

Hierem. 31.

Ecclesiast. 1.

CONGRVE igitur, aptaque proportione Deipara ciuitas Dei nuncupatur; est enim ciuitas Dei, & tamquam Basilica, ac Regia totius vniuersi; in qua Rex Regum, & Dominus Dominantium inhabitauit, ciuitas Dei, quoniam omnium Christianorum negocia, quæ Deum respiciunt, in ea peraguntur; est ciuitas Dei, quia in ea omnium ciuium Christianorum vnitas perficitur; est ciuitas Dei, quoniam in ea Dominus noster Iesus Christus Rex est, Senatores Angeli venientes, Regina ipsamet Virgo Gloriosa; populus autem vniuersitas fidelium, qui ad eam confluunt, salutis æternæ negociationis causa. Huius ciuitatis palatia sunt diuersi status fidelium, Virginum, coniugatorum, viduarum, incipientium, proficientium, & perfectorum. Qui omnes tamquam imitatores, & sectatores virtutum Deiparæ in ea habitant, sicut

In Deipara omnia quæ ad perfectam ratione Ciuitatis spectant reperiuntur.

ficut lætantium enim *omnium nostrum habitatio est in te sancta Dei Genitrix*. Postremò est ciuitas Dei, quia Deus eã ædificauit, & fundauit, & semper possedit.

DE hac ciuitate gloriosa vtique dicta sunt, quoniam inquit Albertus super Missus est, omnia, quæ ad perfectionem ciuitatis pertinent, in Beatissima Vergine inueniri, & de ipsa dici possunt: fuit enim fundata super humilitatẽ, per castitatem murata, & turrificata per charitatem, ditata per paupertatem, custodita per discretionem, libera immunitate peccatorum, pacifica superatione tentationum: diuino officio ordinata per elegantiam meritorum, ædificata populosa virtute, & multitudine omnium donorum gratuitorum, irrigua abundantia miserationum, in altissimo fita per excellentiam priuilegiorum. Hæc ille.

GLORIOSA autem dicta, & scripta sunt de Deipara in eius electione, conceptione, geneologia, natiuitate, præsentatione, desponsatione, seu matrimonio; annunciatione, filij conceptione, ac partu, in sua purificatione, in eius assistentia ad Crucem, in eius morte, sepulchro, resurrectione, assumptione, & beatitudine. Præterea in eius sanctitate, & gratia, fide, spe, charitate, virginitate, obedientia erga Deum, continentia, & pœnitentia; in vita actiua, & contemplatiua, in vsu sacramentorum, in sapientia, & scientia, in dignitate, in priuilegijs à Deo receptis, in adoratione, quæ ei exhibetur, denique in merito, & intercessione.

CAPVT VIGESIMVM.

Quænam fuerint insignia in Virgine Deipara.

SINGVLA hęc, quæ numerauimus, clarius hoc loco percurramus; in his enim omnibus reperiemus aliquid insigne, ob quod sæpius gloriosa Deipara acclamanda est.

IN electione, seu prædestinatione æterna in mente diuina illud habuit tamquam propriũ, & insigne, vt fuerit ab æterno prædestinata, & electa non solum ad gratiã, & gloriam, sed etiam ad dignitatem matris Dei ante omnia illius merita præuisa: immò etiam ante præuisum originale peccatum à primo parente commissum, cum sacramentum inter Christum, & Ecclesiam ex Pauli doctrina ante peccatum præfiguratum fuerit ad Ephes. 5. & Gen. 2. quæ item electio antecessit in diuina mente omnẽ aliorũ electionem; fuit enim altior, & excellentior, & ad maiorem Dei gloriam spectans, quàm cæterarum intellectualium creaturarum. Hac ratione S. Cyprianus in Serm. de Natiuitate Christi per antonomasiam vocat in hoc sensu Virginem vas electionis, & S. Bernardinus Senensis serm. 51. de B. Virgine cap. 4. Tu, inquit, ante omnem creaturam in mente Dei prædestinata fuisti, vt Deum ipsum hominem procreares; & Andreas Cretensis in serm. de Assumpt. ait de B. Virgine. Hæc est declaratio profundorum diuinæ incomprehensibilitatis; hic est scopus, qui excogitatus est ante sæcula. Quo etiam sensu dixit S. Augustin. lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 25. & Bernard. hom. 2. in Missus est, Verbum Diuinum sibi matrem elegisse, eamque sua sola voluntate ab æterno prærordinasse; quod etiam docet Anselmus, & Rupertus lib. 2. in Cantica: quòd si Christus Deus homo, ante peccatum originale præuisum prædestinatus, seu electus fuit, non solum vt homo, sed etiam vt filius hominis, oportet quoq; affirmare, etiam matrem ante præscientiam peccati originalis præ-

Ante præuisum peccatum originale electa.

lis prælectam fuisse. Quocirca rectè Ecclesia sancta illud applicat Virgini, quod de Christo dicitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*; Et illud: *Ab initio, & ante sæcula creata sum, &c.* Quia videlicet mater non fuit à filio quantum ad humanitatem disiuncta, etiam in electione diuina.

IN conceptione, seu sanctificatione B. Virginis multa egregia, ac insignia reperiuntur, quæ illam gloriosam super omnem creaturam demonstrant.

PRIMO, quòd illa ante Natiuitatem in vtero matris amplè sanctificata fuerit, cuius rei contrarium sentire, error maximus esset contrà communem Ecclesiæ, & sanctorum sensum; immò etiam esset hæreticum.

SECVNDO, quòd non solum ab ipsa cōceptione, sed etiam in ipso momento conceptionis, seu in primo conceptionis instanti sanctificata fuerit, non quidem ex vi cōceptionis, seu propagationis ab Adamo; sed ex priuilegio præseruationis ab originali peccato propter Christi merita, & passionem: Quod dictum licèt non sit de fide, est tamen pium, doctum, & à scripturis sanctis non alienum; asserere enim Beatam Virginem esse conceptam sine peccato originali ex priuilegio, nulli sacræ paginæ repugnat; neque enim id scripturæ negant in particulari de Virgine, neque in vniuersalibus locutionibus illa comprehēditur, vt colligitur apertè ex Trid. Conc. sess. 5. vbi declarat, Virginem non comprehēdi sub definitione, & doctrina generali de peccato originali, & consequēter idem declarat, vel certè dat declarandi facultatem de locutionibus generalibus scripturæ, quia Concilium id definit, quod censet in sacra scriptura doceri; atque idem colligitur ex Sixto Quarto, qui definit, non esse contra fidem, & cōsequenter nec contra scripturam dicere, Virginem esse conceptam sine peccato. In generalibus illis igitur locutionibus id non negatur, aliàs etiam dicendum esset, Virginem peccatum actuale habuisse, cùm multæ in scripturis reperiantur locutiones generales, quæ videntur innuere, hominem sine peccato actuali non posse esse; *Non est homo, qui non peccet.* 2. Paral. 6. *& in multis offendimus omnes.* Iacob. 3. Item de Natiuitate in peccato, *graue iugum super filios Adam à die exitus eorum de ventre matris eorum,* Eccles. 40. ita exponente Augustino epist. 57. & Iob c. 14. de hoc etiam loquitur: *Nemo mundus à sorde,* & idē Augustinus lib. 3. de peccat. merit. cap. 16. in quibus omnibus non intelligitur excludi Virginis priuilegium. Simili quoque ratione dicendum est de conceptione Virginis, quod etiam non obscurè ex illis verbis Gabrielis, *Aue gratia plena,* deprehenditur, in quibus omnia priuilegia, & dona gratiæ comprehenduntur, quæ secundùm rectam rationem decent matrem Dei. Fuit item benedicta mater Dei ea benedictionis mensura, quæ congrua, & decenti proportione benedicto fructui ventris sui respōderet, iuxta illud: *Benedicta tu inter mulieres,* & (idest quia) *benedictus fructus ventris tui.* Porrò si magna Deus Deiparæ fecit, vt fatetur ipsa in suo Cant. Luc. 1. vtique aliqua excellenter illi à Deo concessa fuere, quæ nulli alij creaturæ conceduntur; atqui sanctificatio in vtero ante natiuitatem alijs, vt Hieremiæ, & Ioanni Baptistæ communicata fuit, vt docent Tertullianus lib. de Anima cap. 26. Ambrosius, & Theophylactus in Lucam, Origenes Homil. 4. Chrysost. Serm. 2. de Ioann. Bapt. Hieronymus Hierem. 1. Bernardus in epist. 174. Athanasius orat. 4. contra Arian. Nazianzen. orat. 1. post med. §. sed ne omnium voces. Ioann. Maxen. Dialog. 1. contra Nestor. tom. 5. Bibliot. & Leo Papa Serm. 20. de Natiuit. Bonauentura in 3. dist. 3. art. 1. quæst. 3. Ricchar. art. 1. q. 2. Durand. q. 2. S. Thomas 3. par. quæst. 27. art. 2. & 6. & alij. Beatæ igitur Virgini, vt aliquid maius concedatur, Deum ei priuilegium præseruationis concessisse, probabile est; nec enim id est impossibile, cum nullam repugnantiam includat, vt benè docet Palud. in 3. dist. 3. q. 1. art. 1. & Bonauent. part. 1. eadem distinct. art. 1. q. 1. & Antonin. 1. part. Theologal. tit. 8. cap. 2.

In generali sermone etiā scripturæ Virgo non cōprehenditur.

Et est

Et est maximè decens, Deum voluisse cumulatissimè honorare matrem suam; si enim Angelis, nec non Adamo, & Euæ perfecta innocentia in instanti creationis concessa fuit; ergo multò perfectius Deiparæ, ne illis in sanctitate, puritate, & innocentia vitæ inferior censeatur, etiam vel minimo momento temporis. Vnde Anselmus rectè ait: Sicut Deus omnia creando Pater est, & Dominus omnium: ita Beata Virgo suis meritis cuncta reparando Mater est, & Domina rerum. Hæc ille. Incongruum autem esset concedere Dominam seruis inferiorem esse.

Ex qua tribu fuerit Deipara.

IN Genealogia verò Deiparæ magna quædam, ac gloriosa Deus operatus est, nimirum quòd verè orta fuerit ex Tribu Iuda per familiam Dauid, & non solum per lineam maternam, sed etiam paternam, vt doctè probat Suarez to. 2. in 3. part. S. Thomæ disput. 2. sect. 3. immò etiam aliqua ex parte duxit originem ex Tribu Leuitica, & Sacerdotali: ita Nazianzen. carm. de genealog. Saluator. Epiph. hæres. 78. post medium, Hilar. can. 1. in Matth. Ambros. lib. 3. in Luc. & lib. de benedict. Patriarch. cap. 3. & 4. August. lib. 83. quæst. 61. & S. Thom. 3. par. quæst. 29. art. 1. ad 4. & quæst. 31. art. 3. ad 3. Bonauent. in 4. distin. 30. art. 1. quæst. 2. in fin. Anton. 4. part. tit. 15. cap. 3. §. 3. Decuit enim Christum, qui Rex, & Sacerdos futurus erat, ex vtraque Tribu, Regia, & Sacerdotali descendere.

Seculum Natalis Deiparæ fœlicissimum.

IN Natiuitate verò Virginis, quàm mira, quàm gloriosa peracta fuerint, illud sanè ostendit, quod scribit Genebrardus lib. 1. Chronologiæ, sæculum, in quo Maria soror Moysis nata est, amarum, infaustum, & infœlix fuisse: tunc enim cœperunt Ægyptij Hebræos affligere: quocirca nata illa ab amaritudine appellata fuit Maria. Contra verò sæculum, in quo Virgo orta fuit, fœlicissimum fuit. Tunc enim stella maris, aurora salutis, lux mundo in tenebris versanti gratissima, ac saluberrima apparuit. Describit Damascenus, contendisse sæcula de Virginis Natiuitate: Certabant, inquit, sæcula quodnam ortu Virginis gloriaretur: verum eorum contentionem præfinitum Dei consilium superauit, postremaque sæcula prima facta sunt, dum ipsis Natiuitas Virginis obtigit, &c. Postrema, ait, sæcula prima facta sunt, hæc enim extrema tempora, quibus Virgo nata est, priora illa, quæ Patriarchas, & Prophetas protulerunt, longo post se relinquunt interuallo; sunt quidem postrema ordine, sed prima fœlicitate, sicut sexta mundi dies, in qua Deus hominem condidit, cæteros quinque dies, in quibus alia creata sunt, superauit. Quare idem Damascenus orat. 1. de Natiuit. Virginis sic scribit: Hodie inquit, ad Orientem porta Ezechiel extructa est, per quam Christus ingredietur, & egredietur, & erit clausa porta; hodie perflarunt auræ lætitiæ totius orbis prænuntiæ, lætentur Cœli, & exultet terra, commoueatur mundi mare, in ipso enim concha gignitur, quæ cœlitus ex diuinitatis fulgetra in vtero concipiet, & Christum ingentis pretij vnionem pariet, &c. Hæc ille. Fuit igitur Deipara aurora sextæ ætatis.

Cur octauo die concepta, & nata.

ILLVD quoque in Deiparæ Natiuitate, vt illustre, atque insigne obseruandum est, illam octauo die Decembris conceptam fuisse, atque etiam octauo die Septembris natam. Est enim numerus octonarius, numerus beatitudinum, & virtutum, ac consequenter beatissimæ Conceptioni, & Natiuitati Virginis celebrandæ maximè accommodatus. Celebrabant Hebræi septimo mense festum tabernaculorum; Christiani verò festum sanctissimi, & maximi tabernaculi, idest Virginis eodem mense Septembris solemni ritu peragunt: Est enim illa Dei tabernaculum, & templum Dei animatum, vt docet Damascen. orat. 1. de Natiuitate.

CA-

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Exponuntur de Ecclesia hæc verba: Diligit Dominus portas Sion, &c.

Porta Ecclesiæ triplex.

EATVS Thomas in exposit. Psal.9. ait, portam Ecclesiæ triplicem esse, nempè Doctores, iustitiam, & bonas cogitationes. Portam autem mortis quadruplicem, scilicèt hæreticos, sensus, odium verbi Dei, & tentationes. Alij exponunt, portas Ecclesiæ esse sacramēta, vt Raynerius, & Aug. Alij Apostolos, qui duodecim portis Sion respondent. Alijs, vt S.Hier. videntur portæ Sion esse virtutes; sicut.n. portæ mortis sunt vitia, atq; peccata: ita portæ Sion videntur mihi, ait Hieronymus, esse virtutes. Deniq; dicit in alio loco: Qui exaltas me de portis mortis; si autem portæ mortis peccata sunt, ergo portæ Hierusalem virtutes sunt. Alij, vt Theodoretus mysterium sequens, per portas, terrenas Ecclesias intelligunt, per quas introitur in Sion, idest cęlestē Ecclesiam. Euthymius idem ferè sentiens, sic scribit: Magnus Paulus nos docuit, cęlestē quandam esse Sion, & quandam esse celestem Hierusalem; hoc pacto cōuersationem illam exprimens, quæ in Cęlo est. Hac ratione per portas Sion Ecclesias omnes fidelium intelliges, quæ in varijs sunt orbis partibus. Has etenim portas Dominus diligit, & vniuersis Iudæorum Ciuitatibus eas pręposuit; per tabernacula.n. ipsas Iudæorum ciuitates intelligimus, vel ipsam particulariter Silo, aut terrestrem Hierusalē, in quibus tabernaculum cū arca commorabatur. Titelmannus in annotationibus in hunc psalmum, ponderans, cur Dominus faciat cōparationem portarum Sion cum tabernaculis Iacob, sic scribit. Vide cōparationem, non dicit, diligit Dominus Sion plusquam Iacob; non dicit, diligit Dominus portas Sion super portas Iacob; non dicit, diligit tabernacula Sion super tabernacula Iacob: sed portas tribuens Sion, & tabernacula Iacob, hoc asserit; quòd portas Sion diligat Dominus super tabernacula Iacob. Qua in re illud primū euadit manifestum, distinctionem hic poni inter Sion, & Iacob, neq; per duo hæc idē intelligi. Vnde Sion rectè putamus nouam Ecclesiā significare; Iacob verò Synagogam veterem, Israeliticā plebem. Quid verò est, quòd portas tribuit Sion, idest Ecclesiæ, Iacob verò, idest Synagogę veteri tabernacula? Si tu melius aliud nō habes, puto ego in hoc stabilitatem Ecclesię nouę designari, & Synagogę repudiationē. Portę.n. non nisi munitorum locorū sunt, & fundamenta, & munitiones, firmitatemq; & stabilitatē habentiū ciuitatum. Tabernacula verò non habent stabilitatem, neq; firmitatem: & quidē donec in Synagoga Iudęorum tantum Deus habitabat, quasi in tabernaculo potius, quàm in domo: in castris, siue tētorio potius, quam in Ciuitate habitabat, nimirū vnde post modicū erat emigraturus. In noua autem Ecclesia stabilem sibi posuit mansionem, non eam relicturus vsq; in consummationem sęculi, nisi fortè mentiri ipse potest, ex cuius ore audiuimus; *Ecce ego vobiscū sum vsq; ad consumationē seculi.* Hæc ille. B.Aug. accipit simpliciter Simonem pro Ecclesia, & Iacob pro Synagoga, itaut sit sensus, eam atq; adeo eius vestibula, & portas plus diligo, quàm omnia tabernacula Iacob, idest, plusquam vniuersam Moysis Synagogam vnquam dilexerim. Sioni tribuit portas propter firmitatem Ecclesię; tabernacula autem Iacob propter Synagogę mutationem: est tamen idem sensus vt prior.

S.Aug.

QVÆRIT idem August. cur dicatur, *Diligit Dominus portas Sion super omnia taber-*

tabernacula Iacob: ita scribens. Quasi verò, & ipsa Sion non sit inter tabernacula Iacob: & vbi erat Sion, nisi in populo Iacob? Iacob .n. nepos Abrahę; vnde populus natus Iudæorũ dicitur populus Israel, quia ipse Iacob appellatus est Israel hic. Hæc benè nouit sanctitas vestra; sed quia erãt quædã tabernacula tẽporalia, & imaginaria; loquitur aũt iste de Ciuitate quadã, quam spiritaliter intelligit, cuius vmbra, & figura erat illa terrena, ait, Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob: Diligit illam spiritalẽ ciuitatẽ super omnia figurata, quibus intimabatur, illa ciuitas semper manens, & semper cęlestis in pace. sic Aug.

RECTE autem obseruandum est, nomina portarum ad certas locorũ notas indicandas imposita fuisse, vt ex nonnullis locis scripturæ colligitur; legitur .n. Iosue 7. *Persequuti sunt eos aduersarij de porta vsq; ad Sabarim*. Et 4. Reg. 11. *Hauserunt aquã de cisterna Bethleem, quæ erat in porta*. Et 4. Reg. 14. *A porta Sabarim vsq; ad portam anguli*. Et 2. Paral. 17. *Rex Israel, & Rex Iuda sedebãt in area iuxta portam Samariæ*; ita quoq; porta in Ecclesia Christi proprium nomen habet, nempè Catholicum, atq; Romanum, ad distinctionem, ac differentiam populi Christiani à Iudæis, Idolatris, hæreticis, atq; schismaticis. Nomina Portarum ad quid valeant.

ESSE quoq; intrà portã, vel domus, vel vrbis nil aliud significabat, quàm habere mutuã cõmunionẽ, & societatẽ, eorundemq; cõmodorũ & incommodorum esse participẽ: ita scribitur Exo. 20. *Non facies omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentũ tuũ, & aduena, qui est intra portas tuas*. Et Deut. 28. *In obsidione, & vastitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas*. Et Deu. 14. *Peregrino, qui intra portas tuas est, da, vt comedat, aut vende ei, quia tu populus sanctus Domini Dei es*: Et Ruth 3. *Scit .n. omnis populus, qui habitat intra portas vrbis meæ, te mulierẽ esse virtutis*. Contrà verò extrà portam cõstitui, excommunicationẽ, & detestationem significat: sic autem Christus factus pro nobis maledictio, extra portam, vt S. Paulus annotat, passus est, ad Heb. 13. Ita intrà portam Ecclesiæ esse, est eorum, qui eandem fidem, obedientiam, & communicationem cum Ecclesia Romana habent. Qui verò ab illa discesserunt, & excommunicati, hæretici, & schismatici, extra portam Ecclesiæ sunt. Intra Portam esse quid significet. Extra portã esse quid sit.

PORTÆ verò nouæ Hierusalẽ egregiè describuntur Thobiæ 13. ex Sapphyro, & Smaragdo ædificatæ: quemadmodum et Apoc. 21. dicitur, licèt de cęlesti Hierusalem ibi propriè habeatur sermo. Et quoniam locus iste Thobiæ insignis est ad Ecclesiam commendandam, lubet hic illum referre. *Hierusalem Ciuitas Dei castigauit te Dominus in operibus manuum tuarum, confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum sæculorum, vt reædificet in te tabernaculum suum, & reuocet ad te omnes captiuos, & gaudeas in omnia sæcula sæculorum: luce splendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te. Nationes ex longinquo ad te veniẽt, & munera deferentes, adorabũt in te Dominum, & terram tuam in sanctificationem habebunt. Nomen enim magnum inuocabunt in te. Maledicti erunt, qui contempserint te, & condẽnati erunt omnes, qui blasphemauerint te; benedictiq; erunt qui ædificauerint te. Tu autem lætaberis in filijs tuis, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum. Beati omnes, qui diligunt te, & qui gaudent super pace tua. Anima mea benedic Dominum, quoniam liberauit Hierusalem Ciuitatem suã à cunctis tribulationibus eius Dominus Deus noster. Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndã claritatem Hierusalem. Portæ Hierusalem ex Sapphyro, & Smaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioso omnis circuitus murorũ eius, ex lapide cãdido, & mundo omnes plateæ eius sternentur, & per vicos eius alleluia cantabitur. Benedictus Dominus, qui exaltauit eã, vt sit regnũ eius in sæcula sæculorũ super eam Amen*; Hæc ibi. Agi aũt hoc in loco de Ecclesia militante non est dubiũ, vt legenti patet. Numerantur aũt in loco citato Apoc. duodecim portæ cum duodecim margaritis, vt describatur status cęlestis Ciuitatis Hierusalẽ, quæ duodecim Apostolos loco Apoc. 21. Thob. 13.

duo-

duodecim portarum præciosarum habet. Id autem, quod etiam instituto nostro inseruit, aduertendum est, margaritam esse lapillum in chonchis nascentem, quem Romani vnionem vocant ea ratione, vt docet Plinius lib. 9. capit. 35. quòd nulli duo reperiantur in chonchis indistincti, vel indiscreti. Qua in re illud mysterium, cum Apostolis margaritæ applicentur, agnoscimus, vt maximam in eorum doctrina, & prædicatione vnionem, summamque consensionem catholicè fateamur. Quamquam enim locis discreti fuerint; nullam tamen habuerunt doctrinæ dissensionem. Figurabantur enim Apostoli in illis quatuor animalibus apud Ezechiel. cap. 1. quæ eisdem omnino faciebus constabant, eademque erant corporis specie efformata, eodemque omninò modo mouebantur, ad summam doctrinæ Apostolicæ conspirationem, & consensionem exprimendam.

Plinius.

Apostolorum doctrina vna.

Ezech. 1.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

De Dei amore erga Ecclesiam.

QVOMODO autem Deus Ecclesiam suam dilexerit super omnia tabernacula Iacob, præter ea, quæ scripsimus in 2. lib. nostrorum Commentar. in Cantic. Magnificat. cap. 25. & 31. nonnulla quoque addenda, & notanda sunt.

AMAVIT quidem Deus olim Synagogam, sicut lumbare, vt dicitur Hierem. 13. *Posside tibi,* inquit Dominus ad Hieremiam, *lumbare lineum, & pones illud super lumbos tuos.* Et inferius: *Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem domum Israel, & omnem domum Iuda, dicit Dominus, vt essent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam.* At verò Ecclesiam suam Christus adamauit, vt tunicam inconsutilem, quæ intimiùs cordi Christi adhæret; ita S. Augustinus Epist. 171. contra Donatistas, & Epist. 203. & S. Athanasius de passione, & Cruce Domini, & S. Cyprianus tract. de vnit. Ecclesiæ, quam ait fuisse desuper contextam per totum, idest de Cęlo venientem, & quia Christi populus scindi non potest: Tunica, inquit, eius per totum textilis, & cohærens, diuisa à possidentibus non est. Hac etiam ratione Ecclesia post incarnationem Christi dicitur zona aurea ad mammillas Dei alligata, & accincta, Apoc. 1. Quia enim cor sub mammillis latet, indicatur propterea fideles & Christianos, maximè verò iustos summopere à Christo adamari; & sicut zona arctissimè perstringit, & copulat, sic fideles amore diuinæ charitatis, tamquam aurea zona à Christo amplexantur, constringuntur, & mutuo copulantur; adeò verò amor Dei post aduentum Christi erga homines creuit, atque inualuit, vt illo tamquam funiculis pertrahi dicantur, quod Synagogæ non ita planè concessum fuit, iuxtà illud Oseæ 11. *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis, & nescierunt, quòd curarem eos; in funiculis Adam trabam eos, in vinculis charitatis; & ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum.* Hæc enim verba præcipue non de Iudæis, sed de Christianis intelligenda suut, qui à Deo non vt serui, quemadmodum hebręi, sed vt filij maximè amore, & beneficijs trahuntur. Quare ita Chaldęus vertit: Sicut moris est, trahi filios dilectos, traxi eos fortitudine charitatis; non quidem terrore, & quasi verberibus cogendo, vt Iudęos, sed in vinculis charitatis, idest amore, & benignitate, ac beneficijs, quibus ità copiosè à me afficientur,

Hierem. 13. Synagogam Deus amauit vt lumbare, Ecclesiam vt tunicā inconsutilem.

Oseæ 11.

tur, vt quodammodo eos compellam ad me venire, & quasi vim quandam sed voluntariam eis afferam. Hi sunt funiculi, hæc sunt vincula, quibus Christiani ad Christum pertrahuntur, & cum eo constringuntur. Quocirca Deus ipsi Ecclesiæ murus ignis, hoc est, amoris in circuitu esse dicitur, Zachar. 2. Sunt enim fideles baptizati Spiritu Sancto, & igne, hoc est, summo, & ardentissimo Dei amore, ac dilectione muniti. Vnde Ecclesia dicitur signum, seu vexillum diuinæ beneuolentiæ erga homines, ideo enim Deus Ecclesiam condidit, quia homines noui testamenti vnicè præ cæteris adamauit; & quod legimus Cantic. 2. *Ordinauit in me charitatem:* Alij vertunt ex hebræo: Posuit in me vexillum amoris; de qua re superius dictum est: & hac ratione dicitur quoque Ecclesia Christi candelabrum aureum totum Zachar. 4.

Manus Synagogæ & Ecclesiæ quomodo differant.

NEC abs re erit hoc in loco commemorare, manum Moysis aridam, atque leprosam apparuisse Exod. 4. ad notandum Synagogæ sterilitatem, debilitatemque in bonis exequendis. Atqui in Ecclesia Euangelica de sponsi manibus dicitur Cantic. 5. *Manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis*, seu, vt Doctores hebræi transferunt: Manus eius orbes aurei; sunt enim manus Christi tornatiles, velut sphœræ aureę, quæ per beneficentiam in orbem continuò feruntur; suamque gratiam, & Spiritus Sancti dona fidelibus cumulatissimè communicant. Adde quòd Deus virtutum opera in lege Mosaica, quasi scalpello cum certa quadam difficultate ex parte illius populi effingebat: at post incarnationem quasi torno sua opera facillimè, atque rectissimè elaborat, ac perficit iuxta illud Isa. 44. *In Circino*, hoc est in Cruce, *tornauit illud*: Aureæ verò appellantur ob splendorem diuinæ munificentiæ, quæ cunctis credentibus, & præcipuè iustis copiam suarum diuitiarum aperta manu distribuit; vnde appellatur in nouo testamento non semel à Paulo Deus diues in misericordia, ad Ephes. 2. & ad Rom. 10.

Amor Dei erga homines durant.

DVPLEX autem amor Christi erga homines est considerandus. Alter, quo ab ęterno quatenus Deus est, nos dilexit, de quo apud Hieremiam, cap. 31. dicitur: *In Charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans*: ante tempora enim sæcularia quosdam prædestinauit, & pro omnibus carnem sumere, & mori decreuit; atque hæ sunt cogitationes antiquæ, de quibus loquitur Isaias cap. 25. *Domine Deus meus es tu, & exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, Amen*, idest, cogitationes, quas ab æternitate de hominum salute habuisti, opere complesti; sic enim interpretatur præfatum locum Eusebius Cæsar. lib. 2. demonstrat. Euangel. capit. 32. Et hoc voluit Dauid Psal. 24. dicens: *Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt*; vt exponit Sanctus Augustinus in exposit. eiusd. psal. Primus autem actus huius dilectionis fuit Verbi incarnatio; Cantic. 1. *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino*; vel vt in hebræo est, quia meliores sunt amores tui vino; est enim hic sermo de amore antiquo, vt Rupertus ait, quo Verbum ad salutem hominis carnem suscepit; atque huiusmodi amore magis Deus dilexit Ecclesiam Christianam, quam Synagogam, cui nunquam concessum fuit osculum oris Dei, antequam in mundum Christus veniret; licèt habuerit osculum pedum, quod est ancillare; osculum item manuum in signum subiectionis; osculum item frontis, seu faciei in signum beneuolentię: nunquam autem obtinuit osculum oris Dei, quod signum est amoris ardétissimi, quo Deus per Christum, qui os Dei appellatur Hierem. 15. humanam est osculatus naturam per Incarnationem.

ALTER amor, quo Christus homines dilexit, fuit post Incarnationem in assumpta carne, & præcipuus actus huius dilectionis fuit, effundere sanguinem suum prò nobis in Cruce, de quo actu Apocalyp. 1. dicitur: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, Et ad Galat. 2. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. Hunc igitur amorem ostendit Christus, quando mortuus est, & pro nobis actu in diebus carnis suę laborauit, tunc enim porrexit osculum dilectæ Ecclesiæ suæ, vt interpretatur Rupertus in Cantica, his verbis: Quod optauit Ecclesia, venit Dilectus, atque omnium gratiarum delibutus vnguentis in secreto Virginalis vteri cubiculo diu desideratum osculum dilectæ porrexit. Tunc enim in primo instanti suæ conceptionis acceptauit Christus voluntariè pati, & mori pro homine, & fuit primus actus, quem exercuit anima Christi in mundo.

HVIVS duplicis amoris meminit Ioan. cap. 13. ibi: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*; verbum enim, *dilexisset*, ad priorem amorem; *dilexit* verò ad posteriorem refertur, vt exponit Cyrillus Alexandrinus in Ioan. Etenim dilexit eos in finem, hoc est, vehementer, vt Chrysostomus Hom. 69. & Euthymius exponunt. Item in finem dilexit eos, quia mortem pro eis subire voluit; denique in finem, hoc est continuando amorem vsque ad mortem, & etiam post mortem in eo perseuerando, vt benè Toletus annot. 6. in citat. cap. Ioan. censet.

Cyrillus. Chrysost. Euthym.

Toletus.

AD extremum illud obseruandum est, in portis Sion, hoc est Ecclesiæ Euangelicæ, vexillum amoris erectum fuisse; in tabernaculis verò Iacob hoc est in veteri testamento, vexillum timoris; vnde nonnulli verba illa Cantic. 2. quæ paulò antè commemorauimus, *ordinauit in me charitatem*, sic vertunt: vexillum eius super me amor, hoc est, Synagogæ populum sub vexillo timoris Deus duxit; me autem Ecclesiam sponsam carissimam, meosque filios milites suos ducit sub vexillo eximij amoris; vnde Paulus ad hebræos 12. ait: *Non accessistis ad tractabilem montem, & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, & excusauerunt se, ne eis fieret verbum; sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cęlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, &c.*

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

In quo exponitur versus: Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei.

EVTHYMIVS existimat, & quidem benè, hic Prophetam loqui de ipsa materiali ciuitate Hierusalem, in qua Deus videndus erat, & cum hominibus conuersaturus; quod cum Propheta à Spiritu Sancto audierit, stupore quodam correptus, conuersusque ad ipsam Hierusalem, clamauit, dicens: Magna, atque admiranda quædam mihi, ò Dei ciuitas, de te dicta sunt. Ciuitatem autem Dei eam appellat, quia iam diù Deo fuerat dicata, & quia denuò ipsi Christo, hoc est, illius passioni, & sepulturæ erat dicanda. Celeberrima fuit hæc Ciuitas, & gloriosa ex multis; ex nominibus, ex cōditoribus, ex situ, ex ædificijs, ex muris, ex turribus, ex portis, ex locis adiacētibus, deniq; ex sāctitate, ex Dei cultu, & populorū cōcursu, & religione, vt explicauimus fusè

fusè in Comment. nostris super Magnif. lib. 3. cap. 30. Verùm fuit gloriosissima ex personali præsentia Messiæ, ex eiusdem conuersatione, miraculis, morte, sepultura, resurrectione, & ascensione, atque etiam ex missione Spiritus Sancti, & Apostolorum prædicatione. Hæc enim omnia in varijs locis eiusdem ciuitatis peracta fuere. Augustinus putat alium fuisse sensum Dauidis. Intuebatur inquit, quidem Propheta ciuitatem illam Hierusalem in terra, nam videte quam ciuitatem dicit, de qua dicta sunt quædam gloriosissima: nam illa destructa est in terra, hostes passa cecidit in terram, iam non est quod erat, expressit imaginem, transiuit vmbra. Vnde igitur gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei? Audi vnum, memor ero Rahab, & Babylonis scientium me: in illa ciuitate, inquit, iam ex persona Dei memor ero Rahab, & memor ero Babylonis; Rahab non pertinet ad populum Iudæorum, Babylon non pertinet ad populum iudæorum; nam sequitur: Eccæ alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum: hi fuerunt illic. Meritò gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei; vbi non solum est ille populus Iudæorum natus ex carne Abrahæ, sed ibi omnes gentes, quarum quædam nominatæ sunt, vt omnes intelligantur. Hæc Augustinus. Nec dubium est, Prophetam in hoc psalmo non solum de cęlesti Hierusalem, sed etiam de militanti Ecclesia vaticinatum, & loquutum fuisse. Atqui, vt sententia Augustini sit vera, rationes tamen, ob quas Hierusalem terrestris, & materialis re vera famosa, & gloriosa fuerit, quas Arias Montanus in lib. de arcan. serm. longius prosequitur, afferendæ sunt. Dicta enim fuit Regia Iebus, Regia Iudæ, Ecclesiæ antiquæ caput, idque vsque ad noui testamenti, & Christianæ Ecclesiæ institutionis initia, sanctitatis locus ad festiuitates celebrandas solus idoneus, totius Iudęæ præsidium, firmitudo, ac propugnaculum, magna Regni Iudæorum gloria, locus, ac conuentus communis celeberrimus, & opportunus, Dei sanctuarium, hæreditas Domini, redemptionis locus, & cęlestis Hierusalem typus, non solum quantum ad rem significatam, sed etiam quantum ad nomen, Zachar. 7. ad Galat. 4. ad Hebr. 12. & Apocal. 3. Cuncta hæc gloriosa attributa propter Christi aduentum consecuta est Hierusalem, quem cum occidit, funditus euersa est, grauissimisque flagellis afflicta: immo iusto Dei iudicio vsque ad finem mundi cruciabitur, adeò quod ea vrbs futura sit sedes Imperij, & Metropolis Regni Antichristi; qui quamuis Babylone primùm creditur regnaturus, vt colligitur ex Zachar. capit. 5. cum dicitur; *Leuauerunt amphoram inter Cælum, & terram, & dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: quo isti deferunt amphoram, & dixit ad me, vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & ponatur ibi super basem suam*; quo loco pro terra Sennaar Septuaginta transtulerunt, in terra Babylonis; est enim Sennaar authore Sancto Hieronymo, campus Chaldæorum, in quo Babylon est ædificata, significaturque ea visione, supplicium Iudæorum vsque ad tempora Antichristi duraturum, quo tempore ædificabitur eis domus Babylone, eò quòd ibi incipiet Antichristus regnare, & à Iudæis, vt Messias recipietur. Lege Hieronymum quæst. 11. ad Algasiam, & Damasc. lib. 4. c. 27. & Ambrosium in cap. 13. Apocalyp. Quamuis vero Babylone regnare incipiet, & inde contra multos Reges pugnabit, & primum superabit Regem Austri idest Aegypti, Daniel. 11. vt ibi Sanctus Hieronymus exponit: & ibidem à Iudæis recipietur, & adorabitur, & paulatim ex Aegypto, & ex alijs Regnis confluent ad eum Iudæi, & tandem in templo sedebit in Hierusalem, vt dicitur in eodem loco Danielis: *Et polluent sanctuarium fortitudinis*; & apertius 2. Thess. 2. *Ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus*; quæ verba exponens Damascenus lib. 4. cap. 27. ait. In templo quidem Dei, non nostro, sed veteri Iudaico, non

S. Aug.

Encomia Hierusalē ob Christi Aduentum.

Hieron.

Antichristus Babylone regnare incipiet.

enim nobis, sed Iudæis veniet; regnabit denique in Iudæa, donec tandem in monte Oliueti à Christo occidatur, vt ex Daniele ostendit Hieronymus in cap. 11. eiusd. in fin. Neque enim vnquam Roma futura est sedes Antichristi, vt ex cap. 11. Apocalyp. probatur; vbi Ioannes dicit, Enoch, & Eliam ab Antichristo in Hierusalem occidendos esse, *& cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit ab abysso, faciet aduersus eos bellum, & vincet illos, & occidet illos, & corpora eorum iacebunt in plateis Ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Aegyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est.* Quod argumento est, ibi imperij Metropolim, ac sedem ab Antichristo erigendam. Lege Primasium, Aretham, Haymonem, Rupertum, Riccardum, Anselmum, & Sanctum Thomam in loc. citat. Apocalyp. & ea, quæ nos scripsimus in lib. 3. de Ann. Iubil. cap. 9. vbi etiam narrauimus, quæ Roma passura sit tempore Antichristi; licèt nunquam Romæ sessurus sit Antichristus; nec qui sedet, vel sedebit in illa, hoc est Papa, nomen Antichristi habere possit, vt hæretici mendaciter proclamant: legant Lactantium lib. 7. cap. 15. & 17. vbi dicit, Regnum Antichristi præcipuum futurum esse in Syria; & Irenæum lib. 5. affirmantem, Antichristum Hierosolymæ regnaturum. Nec est confundendus, vt hæretici faciunt, locus Apocal. 11. cum loco Apocal. 17. in illo enim agitur de Bestia, quæ verè Antichristum significat: in hoc autem de Roma Ethnica persequente Christianos, & ebria sanguine Sanctorum, non de Roma Christiana, vt monet S. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum. Nec idem significatur per Bestiam, & per Meretricem; vt attentè legenti notissimum erit. Verum de sensu literali huius versiculi satis.

Roma numquã sedes Antichristi.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Applicantur Deiparæ hæc verba: Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei.

BEATA Virgo multis de causis à Sanctis Patribus in interpretatione scripturarum ciuitas nuncupatur: ita Sanctus Augustinus, lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 16. explicans verba huius psalmi, Mater Sion dicet homo; & Sanctus Anselmus Homil. super verba illa Lucæ; *Intrauit Iesus in quoddam castellum*, non incongruè inquit; Virgo Maria castello assimilatur, & à fortiori ciuitati: sic etiam Albertus Magnus in psalmo 5. Alexander de Ales, & alij ciuitati Deiparam comparant, sicut etiam Athanasius in Euang. de Deipara, & Methodius in Hypapante Domini, Mariam Dei tabernaculum appellant. Erasmus inter multa illustria in Mariam elogia hac etiam metaphora vsus fuit, vt illam sanctæ ciuitati Sion compararuerit; cuius verba ad aliorum hæreticorum confusionem hic rescribenda esse duximus: Hæc est, inquit, rosa hiericana florem enixa campestrem, quam non superbiæ scopuli, sed simplicitatis planities modestiæ, & humilitatis educat, quam diuina charitas purpureo rubore tinxit, quæ de terra parente prognata, nihil tamen terrenæ fęcis inde exuxit, Hæc lilij conuallium mater, lilium & ipsa, in spineto sine spinis enatum, quæ lacteo candori Viginitatis summam modestiam adiunxit. Hæc fons signatus, cuius nitidissimas lymphas nulla ferina vnquam libauit affectio, in quo sponsi refulgentę imaginem nulla terrena turbauit

Erasmus rectè aliquãdo scripsit de Maria.

turbauit cupiditas, quæ medicatas aquas suas, deriuat in capita omnium viarum, quæ portæ nos non vocales quidem, vt illæ castaliæ, sed immortales reddunt. Hæc hortus diuinæ illius custodiæ sepe sic circummunitus, vt nulla vnquam petulca cogitatio quiuerit perrumpere, in qua varias aromatum areolas summus ille hortulanus mira distinxerat arte; vbi idem inter lilia pascit, ac cubat in meridie. Hæc sancta ciuitas Sion, cuius mœnia nullus vnquam babylonij hostis aries pulsauit, quam inexpugnabilibus munimentis tutatus est is, qui natus est in ea, quique fundauit eam Altissimus, cui videlicet ipse murus est, & antemurale. Hæc vitæ speculum tam nitidum, ac purum, vt in nullo alio diuinitatis effigies refulserit expressius. Hæc niuei pudoris lectulus ille floridus, quem puritatis amator Dei filius, ita cœlestis militię excubijs, omniumque virtutum corona muniuit, vt nulli vnquam, vel cogitationi parum piæ patuerit aditus, in quo vno nihil vnquam repertum est, quod aut delitiantem offenderet sponsum, aut obstreperet quiescenti. Hæc procera illa libani cedrus, latè virtutum spargens odorem, quæ mortalium sola vitiorum cariem non sensit, quin & allitam nostris animis eandem arcet, dum illius prouocati exemplo tot passim pueri, atque puellæ incorruptam vitę puritatem meditantur. Hęc virgula fumi ex aromatibus myrrhę, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij, quę sic incensa cęlesti charitatè, sic à caducarum rerum amore extenuata, purissimis votis assiduè superna petebat, vt ipsis etiam caliginis mentibus miraculo fuerit. Hęc demum (vt maternam dignitatem eius attingamus) thronus Salomonis eburneus auro vestitus, vnde Rex ille Regum carnis velatus trabea iura dixit mortalibus. Hęc delicati illius amatoris ferculum de lignis libani compactum, quod ipse sibi auro, argentoque, & ardenti purpura mirè variauit, dignum videlicet, in quo ille nouem mensium spatio versaretur. Hęc vitis illa generosa, è cuius palmite nobilis ille botrus prodijt, quem vnum duo testamenta humeris baiulant tam grauem, vt in statera appensus, ingens omnium scelerum nostrorum pondus in altum submouerit, tam efficaci succo, tamquam generoso, vt gustatus repentè tot hominum millia ad vitæ vsque contemptum sobria dementauerit ebrietate. Hęc campestris olea speciosa, ac tonsilis, de cuius illibato corpore fatalem illum, & semper virentem surculum nobis decerpsit is, cui familiare est columbina in specie apparere mortalibus, eamque in arcam Ecclesię detulit, certissimum pignus finiendi diluuij peccatorum, mundique renouandi symbolum, cuius baccarum salutaris amaritudo contra pomi exitialis, heu nimium dulce virus, antidotum præsentaneum attulit, cuius oleo mentes hominum absterso squallore vetustatis, situque terreni Adę, velut iterata iuuenta reuirescant; cuius iugi alimonia, fidei lampas pascitur, ne quando possit extingui. Hęc ille. Quem inuiti alij hęretici audire coguntur, cum ex eadem classe, communique Gymnasio prodierint.

VERVM inter epitheta, quę Georgius Nicomediensis Episcopus scribit in oratione de oblatione Deiparę in templo, illud etiam commemoratur, quòd illa sit sancta Sion, & animata Dei ciuitas; eius verba sic se habent: Tu es porta semper clausa, animatum velum, quod in se celauit diuinitatem, inauratum candelabrum, mensa, in qua vitę panis propositus, aureum thuribulum, arca sanctificationis, quę portauit cœlestem mannam, noui testamenti thesaurus, vrna inclita, ac gloriosa virga sacerdotalis, quæ absque irrigatione florem produxit, sancta terra, & desiderabilis, ex qua orta est iustitia, & veritas, mons vmbrosus, in quo habitare placuit Verbo, mons, à quo abscissus est lapis, qui repleuit orbem, olea fructifera, thronus gloriosus, regium vehiculum, sancta Sion, lectus Salomonis,

monis, liber obsignatus, Regina à dextris stans, quæ nullam suscepit maculam libero suo arbitrio, sponsa Christi, hortus conclusus, fons signatus, ex quo manant fluenta purissima, animata Dei ciuitas, sanctificatum Dei tabernaculum, domus gloriosa, indissolubile templum, agna immaculata. Hæc ille.

ALBERTVS Magnus, in cap. 10. Luc. eleganter ait, Mariam esse ciuitatem supra montem positam, quæ abscondi non potest, in qua omnis ciuilitas cœlestis habitauit; copioseque describit omnes conditiones, ac proprietates ciuitatis in Deipara reperiri, quas singulas ipsi quoque in lib. 3. Commentar. in Magnificat capit. 34. dub. 8. retulimus, easque Deiparæ applicauimus. Sicut enim ciuitas aliqua sex rationibus præcipuè commendatur, nimirum ex altitudinis situ, fossatorum depressione, murorum circundatione, turrium altitudine, expensarum copiosa præparatione, militum instructione: ità cum hæc omnia cumulatissimè in sensu spirituali in Deipara reperiantur, rectè, ac congruè Ciuitas Dei dicitur. Situs namque eius in monte sancto est, ad quem nulla inimici machina pertingit, immò ipsa est mons sanctus super omnes colles Angelorum, & valles hominum eleuatus; mons, inquam, sanctus, *in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*, Psalm. 66. mons, inquam, sanctus à Domino pulchritudine iustitiæ, & eminentia suæ sanctitatis benedictus, iuxta illud Hierem. 31. *Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiæ, mon sanctus*: Mons inquam sanctus, ad quem nulla creatura per æqualitatem ascendit, & qui exaltatur, in ea, & per eam, ac per eius suffragij subuentionem eleuatur. Profunditas verò, & depressio fossati est abyssus eius humilitatis, Ecclesiast. 1. *Profundum abyssi quis dimensus est?* nullus penitus, nisi qui de altissimo respexit humilitatem ancillæ suæ, & de altis in eandem descendit. Quòd si Dauid in Mello ciuitatem Sion per gyrum, & intrinsecus ædificauit; erat autem Mello vallis profundissima ad instar voraginis 2. Reg. 5. optima quoque ratione Deus ciuitatem suam, hoc est, Matrem in profundissima humilitatis virtute secundum omnes eius partes formauit. Ambitum verò murorum ex lapidibus quadratis, Virginis meritorum, ac virtutum series perpetua, ac indissolubilis catena designat, sicut etiam eleuationes contemplationis eius, turres altissimas: nulla in hac ciuitate esuries, vel sitis, seu inopia; ibi panis vitæ, qui de Cœlo descendit; ibi est adeps frumenti satiantis; ibi sal sapientiæ; ibi fons aquæ salientis in vitam æternam; ibi carnes agni immaculati; ibi vestis decoris, & honestatis, ibi ignis charitatis; ibi hortus conclusus voluptatis; ibi aura flatus Sancti Spiritus; ibi nullius boni defectus. Instructio verò militum defendentium nec ibi deest, agmina enim Angelorum eam protegunt, atq; defendunt, quæ ob id terribilis redditur, vt castrorum acies ordinata, Cant. 6. Millia millium ministrant huic ciuitati; & decies millies centena millia assistũt ei, sicut filio suo, qui est vrbis Dominus, Rex, & hæres, ac perpetuus inhabitator, Dan. 7.

Hierem. 31.

Ecclesiast. 1.

CONGRVE igitur, aptaque proportione Deipara ciuitas Dei nuncupatur; est enim ciuitas Dei, & tamquam Basilica, ac Regia totius vniuersi; in qua Rex Regum, & Dominus Dominantium inhabitauit, ciuitas Dei, quoniam omnium Christianorum negocia, quæ Deum respiciunt, in ea peraguntur; est ciuitas Dei, quia in ea omnium ciuium Christianorum vnitas perficitur; est ciuitas Dei, quoniam in ea Dominus noster Iesus Christus Rex est, Senatores Angeli venientes, Regina ipsamet Virgo Gloriosa; populus autem vniuersitas fidelium, qui ad eam confluunt, salutis æternæ negociationis causa. Huius ciuitatis palatia sunt diuersi status fidelium, Virginum, coniugatorum, viduarum, incipientium, proficientium, & perfectorum. Qui omnes tamquam imitatores, & sectatores virtutum Deiparæ in ea habitant, sicut

In Deipara omnia quæ ad perfectam ratonẽ Ciuitatis spectant reperiantur.

ſicut lætantium enim *omnium noſtrum habitatio eſt in te ſancta Dei Genitrix*. Poſtremò eſt ciuitas Dei, quia Deus eã ædificauit, & fundauit, & ſemper poſſedit.

DE hac ciuitate glorioſa vtique dicta ſunt, quoniam inquit Albertus ſuper Miſſus eſt, omnia, quæ ad perfectionem ciuitatis pertinent, in Beatiſſima Vergine inueniri, & de ipſa dici poſſunt: fuit enim fundata ſuper humilitatẽ, per caſtitatem murata, & turrificata per charitatem, ditata per paupertatem, cuſtodita per diſcretionem, libera immunitate peccatorum, pacifica ſuperatione tentationum: diuino officio ordinata per elegantiam meritorum, ædificata populoſa virtute, & multitudine omnium donorum gratuitorum, irrigua abundantia miſerationum, in altiſſimo ſita per excellentiam priuilegiorum. Hæc ille.

GLORIOSA autem dicta, & ſcripta ſunt de Deipara in eius electione, conceptione, geneologia, natiuitate, præſentatione, deſponſatione, ſeu matrimonio; annunciatione, filij conceptione, ac partu, in ſua purificatione, in eius aſſiſtentia ad Crucem, in eius morte, ſepulchro, reſurrectione, aſſumptione, & beatitudine. Præterea in eius ſanctitate, & gratia, fide, ſpe, charitate, virginitate, obedientia erga Deum, continentia, & pœnitentia; in vita actiua, & contemplatiua, in vſu ſacramentorum, in ſapientia, & ſcientia, in dignitate, in priuilegijs à Deo receptis, in adoratione, quæ ei exhibetur, denique in merito, & interceſſione.

CAPVT VIGESIMVM.

Quænam fuerint inſignia in Virgine Deipara.



SINGVLA hęc, quæ numerauimus, clarius hoc loco percurramus; in his enim omnibus reperiemus aliquid inſigne, ob quod ſæpius glorioſa Deipara acclamanda eſt.

IN electione, ſeu prædeſtinatione æterna in mente diuina illud habuit tamquam propriũ, & inſigne, vt fuerit ab æterno prædeſtinata, & electa non ſolum ad gratiã, & gloriam, ſed etiam ad dignitatem matris Dei ante omnia illius merita præuiſa: immò etiam ante præuiſum originale peccatum à primo parente commiſſum, cum ſacramentum inter Chriſtum, & Eccleſiam ex Pauli doctrina ante peccatum præfiguratum fuerit ad Epheſ. 5. & Gen. 2. quæ item electio anteceſſit in diuina mente omnẽ aliorũ electionem; fuit enim altior, & excellentior, & ad maiorem Dei gloriam ſpectans, quàm cæterarum intellectualium creaturarum. Hac ratione S. Cyprianus in Serm. de Natiuitate Chriſti per antonomaſiam vocat in hoc ſenſu Virginem vas electionis, & S. Bernardinus Senenſis ſerm. 51. de B. Virgine cap. 4. Tu, inquit, ante omnem creaturam in mente Dei prædeſtinata fuiſti, vt Deum ipſum hominem procreares; & Andreas Cretenſis in ſerm. de Aſſumpt. ait de B. Virgine. Hæc eſt declaratio profundorum diuinæ incomprehenſibilitatis; hic eſt ſcopus, qui excogitatus eſt ante ſæcula. Quo etiam ſenſu dixit S. Auguſtinus lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 25. & Bernard. hom. 2. in Miſſus eſt, Verbum Diuinum ſibi matrem elegiſſe, eamque ſua ſola voluntate ab æterno præordinaſſe; quod etiam docet Anſelmus, & Rupertus lib. 2. in Cantica: quòd ſi Chriſtus Deus homo, ante peccatum originale præuiſum prædeſtinatus, ſeu electus fuit, non ſolum vt homo, ſed etiam vt filius hominis, oportet quoq; affirmare, etiam matrem ante præſcientiam peccati originalis præ-

Ante præuiſum peccatum originale electa.

lis prælectam fuisse. Quocirca rectè Ecclesia sancta illud applicat Virgini; quod de Christo dicitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*; Et illud: *Ab initio, & ante sæcula creata sum, &c.* Quia videlicet mater non fuit à filio quantum ad humanitatem disiuncta, etiam in electione diuina.

IN conceptione, seu sanctificatione B. Virginis multa egregia, ac insignia reperiuntur, quæ illam gloriosam super omnem creaturam demonstrant.

PRIMO, quòd illa ante Natiuitatem in vtero matris amplè sanctificata fuerit, cuius rei contrarium sentire, error maximus esset contrà communem Ecclesiæ, & sanctorum sensum; immò etiam esset hæreticum.

SECVNDO, quòd non solum ab ipsa cõceptione, sed etiam in ipso momento conceptionis, seu in primo conceptionis instanti sanctificata fuerit, non quidem ex vi cõceptionis, seu propagationis ab Adamo; sed ex priuilegio præseruationis ab originali peccato propter Christi merita, & passionem: Quod dictum licèt non sit de fide, est tamen pium, doctum, & à scripturis sanctis non alienum; asserere enim Beatam Virginem esse conceptam sine peccato originali ex priuilegio, nulli sacræ paginæ repugnat; neque enim id scripturæ negant in particulari de Virgine, neque in vniuersalibus locutionibus illa comprehẽditur, vt colligitur apertè ex Trid. Conc. sess. 5. vbi declarat, Virginem non comprehẽdi sub definitione, & doctrina generali de peccato originali, & consequẽter idem declarat, vel certè dat declarandi facultatem de locutionibus generalibus scripturæ, quia Concilium id definit, quod censet in sacra scriptura doceri; atque idem colligitur ex Sixto Quarto, qui definit, non esse contra fidem, & cõsequenter nec contra scripturam dicere, Virginem esse conceptam sine peccato. In generalibus illis igitur locutionibus id non negatur, aliàs etiam dicendum esset, Virginem peccatum actuale habuisse, cùm multæ in scripturis reperiantur locutiones generales, quæ videntur innuere, hominem sine peccato actuali non posse esse; *Non est homo, qui non peccet.* 2. Paral. *6. & in multis offendimus omnes.* Iacob. 3. Item de Natiuitate in peccato, *graue iugum super filios Adam à die exitus eorum de ventre matris eorum,* Eccles. 40. ita exponente Augustino epist. 57. & Iob c. 14. de hoc etiam loquitur: *Nemo mundus à sorde,* & idẽ Augustinus lib. 3. de peccat. merit. cap. 16. in quibus omnibus non intelligitur excludi Virginis priuilegium. Simili quoque ratione dicendum est de conceptione Virginis, quod etiam non obscurè ex illis verbis Gabrielis, *Aue gratia plena,* deprehenditur, in quibus omnia priuilegia, & dona gratiæ comprehenduntur, quæ secundùm rectam rationem decent matrem Dei. Fuit item benedicta mater Dei ea benedictionis mensura, quæ congrua, & decenti proportione benedicto fructui ventris sui respõderet, iuxta illud: *Benedicta tu inter mulieres,* & (idest quia) *benedictus fructus ventris tui.* Porrò si magna Deus Deiparæ fecit, vt fatetur ipsa in suo Cant. Luc. 1. vtique aliqua excellenter illi à Deo concessa fuere, quæ nulli alij creaturæ conceduntur; atqui sanctificatio in vtero ante natiuitatem alijs, vt Hieremiæ, & Ioanni Baptistæ communicata fuit, vt docent Tertullianus lib. de Anima cap. 26. Ambrosius, & Theophylactus in Lucam, Origenes Homil. 4. Chrysost. Serm. 2. de Ioann. Bapt. Hieronymus Hierem. 1. Bernardus in epist. 174. Athanasius orat. 4. contra Arian. Nazianzen. orat. 1. post med. §. sed ne omnium voces. Ioann. Maxen. Dialog. 1. contra Nestor. tom. 5. Bibliot. & Leo Papa Serm. 20. de Natiuit. Bonauentura in 3. dist. 3. art. 1. quæst. 3. Ricchar. art. 1. q. 2. Durand. q. 2. S. Thomas 3. par. quæst. 27. art. 2. & 6. & alij. Beatæ igitur Virgini, vt aliquid maius concedatur, Deum ei priuilegium præseruationis concessisse, probabile est; nec enim id est impossibile, cum nullam repugnantiam includat, vt benè docet Palud. in 3. dist. 3. q. 1. art. 1. & Bonauent. part. 1. eadem distinct. art. 1. q. 1. & Antonin. 1. part. Theologal. tit. 8. cap. 2.

In generali sermone etiã scripturæ Virgo non cõprehenditur.

Et est

Et est maximè decens, Deum voluisse cumulatissimè honorare matrem suam; si enim Angelis, nec non Adamo, & Euæ perfecta innocentia in instanti creationis concessa fuit; ergo multò perfectius Deiparæ, ne illis in sanctitate, puritate, & innocentia vitæ inferior censeatur, etiam vel minimo momento temporis. Vnde Anselmus rectè ait: Sicut Deus omnia creando Pater est, & Dominus omnium: ita Beata Virgo suis meritis cuncta reparando Mater est, & Domina rerum. Hæc ille. Incongruum autem esset concedere Dominam seruis inferiorem esse.

Ex qua tribu fuerit Deipara.

IN Genealogia verò Deiparæ magna quædam, ac gloriosa Deus operatus est, nimirum quòd verè orta fuerit ex Tribu Iuda per familiam Dauid, & non solum per lineam maternam, sed etiam paternam, vt doctè probat Suarez to. 2. in 3. part. S. Thomæ disput. 2. sect. 3. immò etiam aliqua ex parte duxit originem ex Tribu Leuitica, & Sacerdotali: ita Nazianzen. carm. de genealog. Saluator. Epiph. hæres. 78. post medium, Hilar. can. 1. in Matth. Ambros. lib. 3. in Luc. & lib. de benedict. Patriarch. cap. 3. & 4. August. lib. 83. quæst. 61. & S. Thom. 3. par. quæst. 29. art. 1. ad 4. & quæst. 31. art. 3. ad 3. Bonauent. in 4. distin. 30. art. 1. quæst. 2. in fin. Anton. 4. part. tit. 15. cap. 3. §. 3. Decuit enim Christum, qui Rex, & Sacerdos futurus erat, ex vtraque Tribu, Regia, & Sacerdotali descendere.

Seculum Natalis Deiparę fęlicissimum.

IN Natiuitate verò Virginis, quàm mira, quàm gloriosa peracta fuerint, illud sanè ostendit, quod scribit Genebrardus lib. 1. Chronologiæ, sæculum, in quo Maria soror Moysis nata est, amarum, infaustum, & infœlix fuisse: tunc enim cœperunt Ægyptij Hebræos affligere: quocirca nata illa ab amaritudine appellata fuit Maria. Contra verò sæculum, in quo Virgo orta fuit, fœlicissimum fuit. Tunc enim stella maris, aurora salutis, lux mundo in tenebris versanti gratissima, ac saluberrima apparuit. Describit Damascenus, contendisse sæcula de Virginis Natiuitate: Certabant, inquit, sæcula quodnam ortu Virginis gloriaretur: verum eorum contentionem præfinitum Dei consilium superauit, postremaque sæcula prima facta sunt, dum ipsis Natiuitas Virginis obtigit, &c. Postrema, ait, sæcula prima facta sunt, hæc enim extrema tempora, quibus Virgo nata est, priora illa, quæ Patriarchas, & Prophetas protulerunt, longo post se relinquunt interuallo; sunt quidem postrema ordine, sed prima fœlicitate, sicut sexta mundi dies, in qua Deus hominem condidit, cæteros quinque dies, in quibus alia creata sunt, superauit. Quare idem Damascenus orat. 1. de Natiuit. Virginis sic scribit: Hodie inquit, ad Orientem porta Ezechiel extructa est, per quam Christus ingredietur, & egredietur, & erit clausa porta; hodie perflarunt auræ lætitiæ totius orbis prænunciæ, lætentur Cœli, & exultet terra, commoueatur mundi mare, in ipso enim concha gingitur, quæ cœlitus ex diuinitatis fulgetra in vtero concipiet, & Christum ingentis pretij vnionem pariet, &c. Hæc ille. Fuit igitur Deipara aurora sextæ ætatis.

Cur octauo die concepta, & nata.

ILLVD quoque in Deiparæ Natiuitate, vt illustre, atque insigne obseruandum est, illam octauo die Decembris conceptam fuisse, atque etiam octauo die Septembris natam. Est enim numerus octonarius, numerus beatitudinum, & virtutum, ac consequenter beatissimæ Conceptioni, & Natiuitati Virginis celebrandæ maximè accommodatus. Celebrabant Hebræi septimo mense festum tabernaculorum; Christiani verò festum sanctissimi, & maximi tabernaculi, idest Virginis eodem mense Septembris solemni ritu peragunt: Est enim illa Dei tabernaculum, & templum Dei animatum, vt docet Damascen. orat. 1. de Natiuitate.

CA-

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Exponuntur de Ecclesia hæc verba: Diligit Dominus portas Sion, &c.

Porta Ecclesiæ triplex.

BEATVS Thomas in exposit. Psal. 9. ait, portam Ecclesiæ triplicem esse, nempè Doctores, iustitiam, & bonas cogitationes. Portam autem mortis quadruplicem, scilicèt hæreticos, sensus, odium verbi Dei, & tentationes. Alij exponunt, portas Ecclesiæ esse sacraméta, vt Raynerius, & Aug. Alij Apostolos, qui duodecim portis Sion respondent. Alijs, vt S. Hier. videntur portæ Sion esse virtutes, sicut. n. portæ mortis sunt vitia, atq; peccata: ita portæ Sion videntur mihi, ait Hieronymus, esse virtutes. Deniq; dicit in alio loco: Qui exaltas me de portis mortis; si autem portæ mortis peccata sunt, ergo portæ Hierusalem virtutes sunt. Alij, vt Theodoretus mysterium sequens, per portas, terrenas Ecclesias intelligunt, per quas introitur in Sion, idest cęlesté Ecclesiam. Euthymius idem ferè sentiens, sic scribit: Magnus Paulus nos docuit, cęlesté quandam esse Sion, & quandam esse celestem Hierusalem; hoc pacto cõuersationem illam exprimens, quæ in Cęlo est. Hac ratione per portas Sion Ecclesias omnes fidelium intelliges, quæ in varijs sunt orbis partibus. Has etenim portas Dominus diligit, & vniuersis Iudæorum Ciuitatibus eas pręposuit; per tabernacula. n. ipsas Iudæorum ciuitates intelligimus, vel ipsam particulariter Silo, aut terrestrem Hierusalé, in quibus tabernaculum cũ arca commorabatur. Titelmannus in annotationibus in hunc psalmum, ponderans, cur Dominus faciat cõparationem portarum Sion cum tabernaculis Iacob, sic scribit. Vide cõparationem, non dicit, diligit Dominus Sion plusquam Iacob; non dicit, diligit Dominus portas Sion super portas Iacob; non dicit, diligit tabernacula Sion super tabernacula Iacob: sed portas tribuens Sion, & tabernacula Iacob, hoc asserit; quòd portas Sion diligat Dominus super tabernacula Iacob. Qua in re illud primũ euadit manifestum, distinctionem hic poni inter Sion, & Iacob, neq; per duo hæc idẽ intelligi. Vnde Sion rectè putamus nouam Ecclesiã significare; Iacob verò Synagogam veterem, Israeliticã plebem. Quid verò est, quòd portas tribuit Sion, idest Ecclesiæ, Iacob verò, idest Synagogę veteri tabernacula? Si tu melius aliud nõ habes, puto ego in hoc stabilitatem Ecclesię nouę designari, & Synagogę repudiationẽ. Portę. n. non nisi munitorum locorũ sunt, & fundamenta, & munitiones, firmitatemq; & stabilitatẽ habentiũ ciuitatum. Tabernacula verò non habent stabilitatem, neq; firmitatem: & quidẽ donec in Synagoga Iudęorum tantum Deus habitabat, quasi in tabernaculo potius, quàm in domo: in castris, siue tẽtorio potius, quam in Ciuitate habitabat, nimirũ vnde post modicũ erat emigraturus. In noua autem Ecclesia stabilem sibi posuit mansionem, non eam relicturus vsq; in consummationem sęculi, nisi fortè mentiri ipse potest, ex cuius ore audiuimus; *Ecce ego vobiscũ sum vsq; ad consumationẽ sęculi.* Hæc ille. B. Aug. accipit simpliciter Simonem pro Ecclesia, & Iacob pro Synagoga, itaut sit sensus, eam atq; adeo eius vestibula, & portas plus diligo, quàm omnia tabernacula Iacob, idest, plusquam vniuersam Moysis Synagogam vnquam dilexerim. Sioni tribuit portas propter firmitatem Ecclesię; tabernacula autem Iacob propter Synagogę mutationem: est tamen idem sensus vt prior.

S. Aug.

QVÆRIT idem August. cur dicatur, *Diligit Dominus portas Sion super omnia taber-*

tabernacula Iacob:ita ſcribens.Quaſi verò,& ipſa Sion non ſit inter tabernacula Iacob: & vbi erat Sion,niſi in populo Iacob? Iacob .n. nepos Abrahę;vnde populus natus Iudæorũ dicitur populus Iſrael,quia ipſe Iacob appellatus eſt Iſrael hic.Hæc benè nouit ſanctitas veſtra;ſed quia erãt quædã tabernacula tẽporalia, & imaginaria;loquitur aũt iſte de Ciuitate quadã,quam ſpiritaliter intelligit,cuius vmbra,& figura erat illa terrena,ait,Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob: Diligit illam ſpiritalẽ ciuitatẽ ſuper omnia figurata,quibus intimabatur, illa ciuitas ſemper manens,& ſemper cęleſtis in pace.ſic Aug.

RECTE autem obſeruandum eſt, nomina portarum ad certas locorũ notas indicandas impoſita fuiſſe,vt ex nonnullis locis ſcripturæ colligitur; legitur .n. Ioſue 7.*Perſequuti ſunt eos aduerſarij de porta vſq; ad Sabarim*.Et 4.Reg.11.*Hauſerunt aquã de ciſterna Bethleem,quæ erat in porta*.Et 4.Reg. 14. *A porta Sabarim vſq; ad portam anguli*.Et 2.Paral.17.*Rex Iſrael,& Rex Iuda ſedebãt in area iuxta portam Samariæ*;ita quoq; porta in Eccleſia Chriſti proprium nomen habet, nempè Catholicum, atq; Romanum, ad diſtinctionem, ac differentiam populi Chriſtiani à Iudæis,Idolatris,hæreticis,atq; ſchiſmaticis. Nomina Portarum ad quid valeant.

ESSE quoq; intrà portã,vel domus,vel vrbis nil aliud ſignificabat,quàm habere mutuã cõmunionẽ,& ſocietatẽ,eorundemq; cõmodorũ & incommodorum eſſe participẽ:ita ſcribitur Exo.20.*Non facies omne opus in eo tu,& filius tuus,& filia tua,ſeruus tuus,& ancilla tua,iumentũ tuũ,& aduena,qui eſt intra portas tuas*. Et Deut.28. *In obſidione,& vaſtitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas*. Et Deu.14.*Peregrino,qui intra portas tuas eſt,da,vt comedat, aut vende ei, quia tu populus ſanctus Domini Dei es*: Et Ruth 3.*Scit .n.omnis populus,qui habitat intra portas vrbis meæ,te mulierẽ eſſe virtutis*.Contrà verò extrà portam cõſtitui, excommunicationẽ,& deteſtationem ſignificat:ſic autem Chriſtus factus pro nobis maledictio,extra portam,vt S.Paulus annotat,paſſus eſt,ad Heb.13.Ita intrà portam Eccleſiæ eſſe,eſt eorum,qui eandem fidem,obedientiam,& communicationem cum Eccleſia Romana habent. Qui verò ab illa diſceſſerunt, & excommunicati,hæretici,& ſchiſmatici,extra portam Eccleſiæ ſunt. Intra Portam eſſe quid ſignificet. Extra portã eſſe quid ſit.

PORTÆ verò nouæ Hieruſalẽ egregiè deſcribuntur Thobiæ 13.ex Sapphyro,& Smaragdo ædificatæ: quemadmodum ẽt Apoc.21. dicitur, licèt de cęleſti Hieruſalem ibi propriè habeatur ſermo. Et quoniam locus iſte Thobiæ inſignis eſt ad Eccleſiam commendandam, lubet hic illum referre. *Hieruſalem Ciuitas Dei caſtigauit te Dominus in operibus manuum tuarum, confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum ſæculorum, vt reædificet in te tabernaculum ſuum, & reuocet ad te omnes captiuos,& gaudeas in omnia ſæcula ſæculorum:luce ſplendida fulgebis,& omnes fines terræ adorabunt te.Nationes ex longinquo ad te veniẽt,& munera deferentes,adorabũt in te Dominum,& terram tuam in ſanctificationem habebunt.Nomen enim magnum inuocabunt in te.Maledicti erunt,qui contempſerint te, & condẽnati erunt omnes,qui blaſphemauerint te;benedictiq; erunt qui ædificauerint te.Tu autem lætaberis in filijs tuis,quoniam omnes benedicentur,& congregabuntur ad Dominum.Beati omnes,qui diligunt te, & qui gaudent ſuper pace tua. Anima mea benedic Dominum,quoniam liberauit Hieruſalem Ciuitatem ſuã à cunctis tribulationibus eius Dominus Deus noſter.Beatus ero,ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndã claritatem Hieruſalem.Portæ Hieruſalem ex Sapphyro,& Smaragdo ædificabuntur,& ex lapide pretioſo omnis circuitus murorũ eius,ex lapide cãdido,& mundo omnes plateæ eius ſternentur,& per vicos eius alleluia cantabitur. Benedictus Dominus,qui exaltauit eã,vt ſit regnũ eius in ſæcula ſæculorũ ſuper eam Amen*; Hæc ibi.Agi aũt hoc in loco de Eccleſia militante non eſt dubiũ,vt legenti patet.Numerantur aũt in loco citato Apoc. duodecim portæ cum duodecim margaritis, vt deſcribatur ſtatus cęleſtis Ciuitatis Hieruſalẽ,quæ duodecim Apoſtolos loco Apoc.21. Thob.13.

duo-

duodecim portarum præciosarum habet. Id autem, quod etiam instituto nostro inseruit, aduertendum est, margaritam esse lapillum in chonchis nascentem, quem Romani vnionem vocant ea ratione, vt docet Plinius lib. 9. capit. 35. quòd nulli duo reperiantur in chonchis indistincti, vel indiscreti. Qua in re illud mysterium, cum Apostolis margaritæ applicentur, agnoscimus, vt maximam in eorum doctrina, & prædicatione vnionem, summamque consensionem catholicè fateamur. Quamquam enim locis discreti fuerint; nullam tamen habuerunt doctrinæ dissensionem. Figurabantur enim Apostoli in illis quatuor animalibus apud Ezechiel. cap. 1. quæ eisdem omnino faciebus constabant, eademque erant corporis specie efformata, eodemque omninò modo mouebantur, ad summam doctrinæ Apostolicæ conspirationem, & consensionem exprimendam.

Plinius. Apostolorum doctrina vna. Ezech. 1.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

De Dei amore erga Ecclesiam.

QVOMODO autem Deus Ecclesiam suam dilexerit super omnia tabernacula Iacob, præter ea, quæ scripsimus in 2. lib. nostrorum Commentar. in Cantic. Magnificat. cap. 25. & 31. nonnulla quoque addenda, & notanda sunt.

AMAVIT quidem Deus olim Synagogam, sicut lumbare, vt dicitur Hierem. 13. *Posside tibi*, inquit Dominus ad Hieremiam, *lumbare lineum, & pones illud super lumbos tuos*. Et inferius: *Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem domum Israel, & omnem domum Iuda, dicit Dominus, vt essent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam*. At verò Ecclesiam suam Christus adamauit, vt tunicam inconsutilem, quæ intimiùs cordi Christi adhæret; ita S. Augustinus Epist. 171. contra Donatistas, & Epist. 203. & S. Athanasius de passione, & Cruce Domini, & S. Cyprianus tract. de vnit. Ecclesiæ, quam ait fuisse desuper contextam per totum, idest de Cęlo venientem, & quia Christi populus scindi non potest: Tunica, inquit, eius per totum textilis, & cohærens, diuisa à possidentibus non est. Hac etiam ratione Ecclesia post incarnationem Christi dicitur zona aurea ad mammillas Dei alligata, & accincta, Apoc. 1. Quia enim cor sub mammillis latet, indicatur propterea fideles & Christianos, maximè verò iustos summopere à Christo adamari; & sicut zona arctissimè perstringit, & copulat, sic fideles amore diuinæ charitatis, tamquam aurea zona à Christo amplexantur, constringuntur, & mutuo copulantur; adeò verò amor Dei post aduentum Christi erga homines creuit, atque inualuit, vt illo tamquam funiculis pertrahi dicantur, quod Synagogæ non ita planè concessum fuit, iuxtà illud Oseæ 11. *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis, & nescierunt, quòd curarem eos; in funiculis Adam trabam eos, in vinculis charitatis; & ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum*. Hæc enim verba præcipue non de Iudæis, sed de Christianis intelligenda sunt, qui à Deo non vt serui, quemadmodum hebręi, sed vt filij maximè amore, & beneficijs trahuntur. Quare ita Chaldęus vertit: Sicut moris est, trahi filios dilectos, traxi eos fortitudine charitatis; non quidem terrore, & quasi verberibus cogendo, vt Iudęos, sed in vinculis charitatis, idest amore, & benignitate, ac beneficijs, quibus ità copiosè à me afficientur,

Hierem. 13. Synagogam Deus amauit vt lumbare, Ecclesiam vt tunicā inconsutilem.

Oseæ 11.

tur, vt quodammodo eos compellam ad me venire, & quasi vim quandam, sed voluntariam eis afferam. Hi sunt funiculi, hæc sunt vincula, quibus Christiani ad Christum pertrahuntur, & cum eo constringuntur. Quocirca Deus ipsi Ecclesiæ murus ignis, hoc est, amoris in circuitu esse dicitur, Zachar. 2. Sunt enim fideles baptizati Spiritu Sancto, & igne, hoc est, summo, & ardentissimo Dei amore, ac dilectione muniti. Vnde Ecclesia dicitur signum, seu vexillum diuinæ beneuolentiæ erga homines, ideo enim Deus Ecclesiam condidit, quia homines noui testamenti vnicè præ cæteris adamauit; & quod legimus Cantic. 2. *Ordinauit in me charitatem:* Alij vertunt ex hebræo: Posuit in me vexillum amoris; de qua re superius dictum est: & hac ratione dicitur quoque Ecclesia Christi candelabrum aureum totum, Zachar. 4.

NEC abs re erit hoc in loco commemorare, manum Moysis aridam, atque leprosam apparuisse Exod. 4. ad notandum Synagogæ sterilitatem, debilitatemque in bonis exequendis. Atqui in Ecclesia Euangelica de sponsi manibus dicitur Cantic. 5. *Manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis*, seu, vt Doctores hebræi transferunt: Manus eius orbes aurei; sunt enim manus Christi tornatiles, velut sphœræ aureę, quæ per beneficentiam in orbem continuò feruntur; suamque gratiam, & Spiritus Sancti dona fidelibus cumulatissimè communicant. Adde quòd Deus virtutum opera in lege Mosaica, quasi scalpello cum certa quadam difficultate ex parte illius populi effingebat: at post incarnationem quasi torno sua opera facillimè, atque rectissimè elaborat, ac perficit iuxta illud Isa. 44. *In Circino*, hoc est in Cruce, *tornauit illud*: Aureæ verò appellantur ob splendorem diuinæ munificentiæ, quæ cunctis credentibus, & præcipuè iustis copiam suarum diuitiarum aperta manu distribuit; vnde appellatur in nouo testamento non semel à Paulo Deus diues in misericordia, ad Ephes. 2. & ad Rom. 10.

Manus Synagogæ & Ecclesiæ quomodo differant.

DVPLEX autem amor Christi erga homines est considerandus. Alter, quo ab ęterno quatenus Deus est, nos dilexit, de quo apud Hieremiam, cap. 31. dicitur: *In Charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans*: ante tempora enim sæcularia quosdam prædestinauit, & pro omnibus carnem sumere, & mori decreuit; atque hæ sunt cogitationes antiquæ, de quibus loquitur Isaias cap. 25. *Domine Deus meus es tu, & exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, Amen*, idest, cogitationes, quas ab æternitate de hominum salute habuisti, opere complesti; sic enim interpretatur præfatum locum Eusebius Cæsar. lib. 2. demonstrat. Euangel. capit. 32. Et hoc voluit Dauid Psal. 24. dicens: *Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt*; vt exponit Sanctus Augustinus in exposit. eiusd. psal. Primus autem actus huius dilectionis fuit Verbi incarnatio; Cantic. 1. *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino*; vel vt in hebræo est, quia meliores sunt amores tui vino; est enim hic sermo de amore antiquo, vt Rupertus ait, quo Verbum ad salutem hominis carnem suscepit; atque huiusmodi amore magis Deus dilexit Ecclesiam Christianam, quam Synagogam, cui nunquam concessum fuit osculum oris Dei, antequam in mundum Christus veniret; licèt habuerit osculum pedum, quod est ancillare; osculum item manuum in signum subiectionis; osculum item frontis, seu faciei in signum beneuolentię: nunquam autem obtinuit osculum oris Dei, quod signum est amoris ardētissimi, quo Deus per Christum, qui os Dei appellatur Hierem. 15. humanam est osculatus naturam per Incarnationem.

Amor Dei erga homines durant.

ALTER amor, quo Christus homines dilexit, fuit post Incarnationem in assumpta carne, & præcipuus actus huius dilectionis fuit, effundere sanguinem suum pro nobis in Cruce, de quo actu Apocalyp. 1. dicitur: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, Et ad Galat. 2. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. Hunc igitur amorem ostendit Christus, quando mortuus est, & pro nobis actu in diebus carnis suę laborauit, tunc enim porrexit osculum dilectæ Ecclesiæ suæ, vt interpretatur Rupertus in Cantica, his verbis: Quod optauit Ecclesia, venit Dilectus, atque omnium gratiarum delibutus vnguentis in secreto Virginalis vteri cubiculo diu desideratum osculum dilectæ porrexit. Tunc enim in primo instanti suæ conceptionis acceptauit Christus voluntariè pati, & mori pro homine, & fuit primus actus, quem exercuit anima Christi in mundo.

Cyrillus. Chrysost. Euthym.

HVIVS duplicis amoris meminit Ioan.cap.13. ibi: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*; verbum enim, *dilexisset*, ad priorem amorem; *dilexit* verò ad posteriorem refertur, vt exponit Cyrillus Alexandrinus in Ioan. Etenim dilexit eos in finem, hoc est, vehementer, vt Chrysostomus Hom. 69. & Euthymius exponunt. Item in finem dilexit eos, quia mortem pro eis subire voluit; denique in finem, hoc est continuando amorem vsque ad mortem, & etiam post mortem in eo perseuerando, vt benè Toletus annot. 6. in citat. cap. Ioan. censet.

Toletus.

AD extremum illud obseruandum est, in portis Sion, hoc est Ecclesiæ Euangelicæ, vexillum amoris erectum fuisse; in tabernaculis verò Iacob hoc est in veteri testamento, vexillum timoris; vnde nonnulli verba illa Cantic. 2. quæ paulò antè commemorauimus, *ordinauit in me charitatem*, sic vertunt: vexillum eius super me amor, hoc est, Synagogæ populum sub vexillo timoris Deus duxit; me autem Ecclesiam sponsam carissimam, meosque filios milites suos ducit sub vexillo eximij amoris; vnde Paulus ad hebræos 12. ait: *Non accessistis ad tractabilem montem, & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tuba sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, & excusauerunt se, ne eis fieret verbum; sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cęlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, &c.*

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

In quo exponitur versus: Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei.



EVTHYMIVS existimat, & quidem benè, hic Prophetam loqui de ipsa materiali ciuitate Hierusalem, in qua Deus videndus erat, & cum hominibus conuersaturus; quod cum Propheta à Spiritu Sancto audierit, stupore quodam correptus, conuersusque ad ipsam Hierusalem, clamauit, dicens: Magna, atque admiranda quædam mihi, ò Dei ciuitas, de te dicta sunt. Ciuitatem autem Dei eam appellat, quia iam diù Deo fuerat dicata, & quia denuò ipsi Christo, hoc est, illius passioni, & sepulturæ erat dicanda. Celeberrima fuit hæc Ciuitas, & gloriosa ex multis, ex nominibus, ex cōditoribus, ex situ, ex ædificijs, ex muris, ex turribus, ex portis, ex locis adiacētibus, deniq; ex sāctitate, ex Dei cultu, & populorū cōcursu, & religione, vt explicauimus

fusè

fusè in Comment. nostris super Magnif. lib. 3. cap. 30. Verùm fuit gloriosissima ex personali præsentia Messiæ, ex eiusdem conuersatione, miraculis, morte, sepultura, resurrectione, & ascensione, atque etiam ex missione Spiritus Sancti, & Apostolorum prædicatione. Hæc enim omnia in varijs locis eiusdem ciuitatis peracta fuere. Augustinus putat alium fuisse sensum Dauidis. Intuebatur inquit, quidem Propheta ciuitatem illam Hierusalem in terra, nam videte quam ciuitatem dicit, de qua dicta sunt quædam gloriosissima: nam illa destructa est in terra, hostes passa cecidit in terram, iam non est quod erat, expressit imaginem, transiuit vmbra. Vnde igitur gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei? Audi vnum, memor ero Rahab, & Babylonis scientium me: in illa ciuitate, inquit, iam ex persona Dei memor ero Rahab, & memor ero Babylonis; Rahab non pertinet ad populum Iudæorum, Babylon non pertinet ad populum Iudæorum; nam sequitur: Eccæ alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum: hi fuerunt illic. Meritò gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei; vbi non solum est ille populus Iudæorum natus ex carne Abrahæ, sed ibi omnes gentes, quarum quædam nominatæ sunt, vt omnes intelligantur. Hæc Augustinus. Nec dubium est, Prophetam in hoc psalmo non solum de cęlesti Hierusalem, sed etiam de militanti Ecclesia vaticinatum, & loquutum fuisse. Atqui, vt sententia Augustini sit vera, rationes tamen, ob quas Hierusalem terrestris, & materialis re vera famosa, & gloriosa fuerit, quas Arias Montanus in lib. de arcan. serm. longius prosequitur, afferendæ sunt. Dicta enim fuit Regia Iebus, Regia Iudæ, Ecclesiæ antiquæ caput, idque vsque ad noui testamenti, & Christianæ Ecclesiæ institutionis initia, sanctitatis locus ad festiuitates celebrandas solus idoneus, totius Iudęæ præsidium, firmitudo, ac propugnaculum, magna Regni Iudæorum gloria, locus, ac conuentus communis celeberrimus, & opportunus, Dei sanctuarium, hæreditas Domini, redemptionis locus, & cęlestis Hierusalem typus, non solum quantum ad rem significatam, sed etiam quantum ad nomen, Zachar. 7. ad Galat. 4. ad Hebr. 12. & Apocal. 3. Cuncta hæc gloriosa attributa propter Christi aduentum consecuta est Hierusalem, quem cum occidit, funditus euersa est, grauissimisque flagellis afflicta: immo iusto Dei iudicio vsque ad finem mundi cruciabitur, adeò quod ea vrbs futura sit sedes Imperij, & Metropolis Regni Antichristi; qui quamuis Babylone primùm creditur regnaturus, vt colligitur ex Zachar. capit. 5. cum dicitur; *Leuauerunt amphoram inter Cœlum, & terram, & dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: quo isti deferunt amphoram, & dixit ad me, vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & ponatur ibi super basem suam*; quo loco pro terra Sennaar Septuaginta transtulerunt, in terra Babylonis; est enim Sennaar authore Sancto Hieronymo, campus Chaldæorum, in quo Babylon est ædificata, significaturque ea visione, supplicium Iudæorum vsque ad tempora Antichristi duraturum, quo tempore ædificabitur eis domus Babylone, eò quòd ibi incipiet Antichristus regnare, & à Iudæis, vt Messias recipietur. Lege Hieronymum quæst. 11. ad Algasiam, & Damasc. lib. 4. c. 27. & Ambrosium in cap. 13. Apocalyp. Quamuis vero Babylone regnare incipiet, & inde contra multos Reges pugnabit, & primum superabit Regem Austri idest Aegypti, Daniel. 11. vt ibi Sanctus Hieronymus exponit: & ibidem à Iudæis recipietur, & adorabitur, & paulatim ex Aegypto, & ex alijs Regnis confluent ad eum Iudæi, & tandem in templo sedebit in Hierusalem, vt dicitur in eodem loco Danielis; *Et pollüent sanctuarium fortitudinis*; & apertius 2. Thess. 2. *Ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus*; quæ verba exponens Damascenus lib. 4. cap. 27. ait. In templo quidem Dei, non nostro, sed veteri Iudaico, non

S. Aug.

Encomia Hierusalē ob Christi Aduentum.

Hieron.

Antichristus Babylone regnare incipiet.

enim nobis, sed Iudæis veniet; regnabit denique in Iudæa, donec tandem in monte Olíueti à Christo occidatur, vt ex Daniele ostendit Hieronymus in cap. 11. eiusd. in fin. Neque enim vnquam Roma futura est sedes Antichristi, vt ex cap. 11. Apocalyp. probatur; vbi Ioannes dicit, Enoch, & Eliam ab Antichristo in Hierusalem occidendos esse, *& cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit ab abysso, faciet aduersus eos bellum, & vincet illos, & occidet illos, & corpora eorum iacebunt in plateis Ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Aegyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est.* Quod argumento est, ibi imperij Metropolim, ac sedem ab Antichristo erigendam. Lege Primasium, Aretham, Haymonem, Rupertum, Riccardum, Anselmum, & Sanctum Thomam in loc. citat. Apocalyp. & ea, quæ nos scripsimus in lib. 3. de Ann. Iubil. cap. 9. vbi etiam narrauimus, quæ Roma passura sit tempore Antichristi; licèt nunquam Romæ sessurus sit Antichristus; nec qui sedet, vel sedebit in illa, hoc est Papa, nomen Antichristi habere possit, vt hæretici mendaciter proclamant: legant Lactantium lib. 7. cap. 15. & 17. vbi dicit, Regnum Antichristi præcipuum futurum esse in Syria; & Irenæum lib. 5. affirmantem, Antichristum Hierosolymæ regnaturum. Nec est confundendus, vt hæretici faciunt, locus Apocal. 11. cum loco Apocal. 17. in illo enim agitur de Bestia, quæ verè Antichristum significat: in hoc autem de Roma Ethnica persequente Christianos, & ebria sanguine Sanctorum, non de Roma Christiana, vt monet S. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum. Nec idem significatur per Bestiam, & per Meretricem; vt attentè legenti notissimum erit. Verum de sensu literali huius versiculi satis.

Roma numquã sedes Antichristi.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Applicantur Deiparæ hæc verba: Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei.

EATA Virgo multis de causis à Sanctis Patribus in interpretatione scripturarum ciuitas nuncupatur: ita Sanctus Augustinus, lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 16. explicans verba huius psalmi, Mater Sion dicet homo; & Sanctus Anselmus Homil. super verba illa Lucæ; *Intrauit Iesus in quoddam castellum*, non incongruè inquit; Virgo Maria castello assimilatur, & à fortiori ciuitati: sic etiam Albertus Magnus in psalmo 5. Alexander de Ales, & alij ciuitati Deiparam comparant, sicut etiam Athanasius in Euang. de Deipara, & Methodius in Hypapante Domini, Mariam Dei tabernaculum appellant. Erasmus inter multa illustria in Mariam elogia hac etiam metaphora vsus fuit, vt illam sanctæ ciuitati Sion comparauerit; cuius verba ad aliorum hæreticorum confusionem hic rescribenda esse duximus: Hæc est, inquit, rosa hiericana florem enixa campestrem, quam non superbiæ scopuli, sed simplicitatis planities modestiæ, & humilitatis educat, quam diuina charitas purpureo rubore tinxit, quæ de terra parente prognata, nihil tamen terrenæ fęcis inde esuxit, Hæc lilij conuallium mater, lilium & ipsa, in spineto sine spinis enatum, quæ lacteo candori Viginitatis summam modestiam adiunxit. Hæc fons signatus, cuius nitidissimas lymphas nulla ferina vnquam libauit affectio, in quo sponsi refulgentẽ imaginem nulla terrena turbauit

Erasmus rectè aliquãdo scripsit de Maria.

turbauit cupiditas, quæ medicatas aquas suas, deriuat in capita omnium viarum, quæ portæ nos non vocales quidem, vt illæ castaliæ, sed immortales reddunt. Hæc hortus diuinæ illius custodiæ sepe sic circummunitus, vt nulla vnquam petulca cogitatio quiuerit perrumpere, in qua varias aromatum areolas summus ille hortulanus mira distinxerat arte; vbi idem inter lilia pascit, ac cubat in meridie. Hæc sancta ciuitas Sion, cuius mœnia nullus vnquam babylonij hostis aries pulsauit, quam inexpugnabilibus munimentis tutatus est is, qui natus est in ea, quique fundauit eam Altissimus, cui videlicet ipse murus est, & antemurale. Hæc vitæ speculum tam nitidum, ac purum, vt in nullo alio diuinitatis effigies refulserit expressius. Hæc niuei pudoris lectulus ille floridus, quem puritatis amator Dei filius, ita cœlestis militię excubijs, omniumque virtutum corona muniuit, vt nulli vnquam, vel cogitationi parum piæ patuerit aditus, in quo vno nihil vnquam repertum est, quod aut delitiantem offenderet sponsum, aut obstreperet quiescenti. Hæc procera illa libani cedrus, latè virtutum spargens odorem, quæ mortalium sola vitiorum cariem non sensit, quin & allitam nostris animis eandem arcet, dum illius prouocati exemplo tot passim pueri, atque puellæ incorruptam vitę puritatem meditantur. Hęc virgula fumi ex aromatibus myrrhę, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij, quę sic incensa cęlesti charitate, sic à caducarum rerum amore extenuata, purissimis votis assiduè superna petebat, vt ipsis etiam caliginis mentibus miraculo fuerit. Hęc demum (vt maternam dignitatem eius attingamus) thronus Salomonis eburneus auro vestitus, vnde Rex ille Regum carnis velatus trabea iura dixit mortalibus. Hęc delicati illius amatoris ferculum de lignis libani compactum, quod ipse sibi auro, argentoque,& ardenti purpura mirè variauit, dignum videlicet, in quo ille nouem mensium spatio versaretur. Hęc vitis illa generosa, è cuius palmite nobilis ille botrus prodijt, quem vnum duo testamenta humeris baiulant tam grauem, vt in statera appensus, ingens omnium scelerum nostrorum pondus in altum submouerit, tam efficaci succo, tamquam generoso, vt gustatus repentè tot hominum millia ad vitæ vsque contemptum sobria dementauerit ebrietate. Hęc campestris olea speciosa,ac tonsilis, de cuius illibato corpore fatalem illum,& semper virentem surculum nobis decerpsit is, cui familiare est columbina in specie apparere mortalibus, eamque in arcam Ecclesię detulit, certissimum pignus finiendi diluuij peccatorum, mundique renouandi symbolum, cuius baccarum salutaris amaritudo contra pomi exitialis, heu nimium dulce virus, antidotum præsentaneum attulit, cuius oleo mentes hominum absterso squallore vetustatis, situque terreni Adę, velut iterata iuuenta reuirescant; cuius iugi alimonia, fidei lampas pascitur, ne quando possit extingui. Hęc ille. Quem inuiti alij hęretici audire coguntur, cum ex eadem classe, communique Gymnasio prodierint.

VERVM inter epitheta, quę Georgius Nicomediensis Episcopus scribit in oratione de oblatione Deiparę in templo, illud etiam commemoratur, quòd illa sit sancta Sion, & animata Dei ciuitas; eius verba sic se habent: Tu es porta semper clausa, animatum velum, quod in se celauit diuinitatem, inauratum candelabrum, mensa, in qua vitę panis propositus, aureum thuribulum, arca sanctificationis, quę portauit cœlestem mannam, noui testamenti thesaurus, vrna inclita, ac gloriosa virga sacerdotalis, quæ absque irrigatione florem produxit, sancta terra, & desiderabilis, ex qua orta est iustitia, & veritas, mons vmbrosus, in quo habitare placuit Verbo, mons, à quo abscissus est lapis, qui repleuit orbem, olea fructifera, thronus gloriosus, regium vehiculum, sancta Sion, lectus Salo-

monis, liber obsignatus, Regina à dextris stans, quæ nullam suscepit maculam libero suo arbitrio, sponsa Christi, hortus conclusus, fons signatus, ex quo manant fluenta purissima, animata Dei ciuitas, sanctificatum Dei tabernaculum, domus gloriosa, indissolubile templum, agna immaculata. Hæc ille.

ALBERTVS Magnus, in cap. 10. Luc. eleganter ait, Mariam esse ciuitatem supra montem positam, quæ abscondi non potest, in qua omnis ciuilitas cœlestis habitauit; copioseque describit omnes conditiones, ac proprietates ciuitatis in Deipara reperiri, quas singulas ipsi quoque in lib. 3. Commentar. in Magnificat capit. 34. dub. 8. retulimus, easque Deiparæ applicauimus. Sicut enim ciuitas aliqua sex rationibus præcipuè commendatur, nimirum ex altitudinis situ, fossatorum depressione, murorum circundatione, turrium altitudine, expensarum copiosa præparatione, militum instructione: ità cum hæc omnia cumulatissimè in sensu spirituali in Deipara reperiantur, rectè, ac congruè Ciuitas Dei dicitur. Situs namque eius in monte sancto est, ad quem nulla inimici machina pertingit, immò ipsa est mons sanctus super omnes colles Angelorum, & valles hominum eleuatus; mons, inquam, sanctus, *in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*, Psalm. 66. mons, inquam, sanctus à Domino pulchritudine iustitiæ, & eminentia suæ sanctitatis benedictus, iuxta illud Hierem. 31. *Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiæ, mons sanctus*: Mons inquam sanctus, ad quem nulla creatura per æqualitatem ascendit, & qui exaltatur, in ea, & per eam, ac per eius suffragij subuentionem eleuatur. Profunditas verò, & depressio fossati est abyssus eius humilitatis, Ecclesiast. 1. *Profundum abyssi quis dimensus est?* nullus penitus, nisi qui de altissimo respexit humilitatem ancillæ suæ, & de altis in eandem descendit. Quòd si Dauid in Mello ciuitatem Sion per gyrum, & intrinsecus ædificauit; erat autem Mello vallis profundissima ad instar voraginis 2. Reg. 5. optima quoque ratione Deus ciuitatem suam, hoc est, Matrem in profundissima humilitatis virtute secundum omnes eius partes formauit. Ambitum verò murorum ex lapidibus quadratis, Virginis meritorum, ac virtutum series perpetua, ac indissolubilis catena designat, sicut etiam eleuationes contemplationis eius, turres altissimas: nulla in hac ciuitate esuries, vel sitis, seu inopia; ibi panis vitæ, qui de Cœlo descendit; ibi est adeps frumenti satiantis; ibi sal sapientiæ; ibi fons aquæ salientis in vitam æternam; ibi carnes agni immaculati; ibi vestis decoris, & honestatis, ibi ignis charitatis; ibi hortus conclusus voluptatis; ibi aura flatus Sancti Spiritus; ibi nullius boni defectus. Instructio verò militum defendentium nec ibi deest, agmina enim Angelorum eam protegunt, atq; defendunt, quæ ob id terribilis redditur, vt castrorum acies ordinata, Cant. 6. Millia millium ministrant huic ciuitati; & decies millies centena millia assistũt ei, sicut filio suo, qui est vrbis Dominus, Rex, & hæres, ac perpetuus inhabitator, Dan. 7.

Hierem. 31.

Ecclesiast. 1.

CONGRVE igitur, aptaque proportione Deipara ciuitas Dei nuncupatur; est enim ciuitas Dei, & tamquam Basilica, ac Regia totius vniuersi; in qua Rex Regum, & Dominus Dominantium inhabitauit, ciuitas Dei, quoniam omnium Christianorum negocia, quæ Deum respiciunt, in ea peraguntur; est ciuitas Dei, quia in ea omnium ciuium Christianorum vnitas perficitur; est ciuitas Dei, quoniam in ea Dominus noster Iesus Christus Rex est, Senatores Angeli venientes, Regina ipsamet Virgo Gloriosa; populus autem vniuersitas fidelium, qui ad eam confluunt, salutis æternæ negociationis causa. Huius ciuitatis palatia sunt diuersi status fidelium, Virginum, coniugatorum, viduarum, incipientium, proficientium, & perfectorum. Qui omnes tamquam imitatores, & sectatores virtutum Deiparæ in ea habitant, sicut

In Deipara omnia quæ ad perfectam rationẽ Ciuitatis spectant reperiantur.

sicut lætantium enim *omnium nostrum habitatio est in te sancta Dei Genitrix*. Postremò est ciuitas Dei, quia Deus eã ædificauit, & fundauit, & semper possedit.

DE hac ciuitate gloriosa vtique dicta sunt, quoniam inquit Albertus super Missus est, omnia, quæ ad perfectionem ciuitatis pertinent, in Beatissima Vergine inueniri, & de ipsa dici possunt: fuit enim fundata super humilitatẽ, per castitatem murata, & turrificata per charitatem, ditata per paupertatem, custodita per discretionem, libera immunitate peccatorum, pacifica superatione tentationum: diuino officio ordinata per elegantiam meritorum, ædificata populosa virtute, & multitudine omnium donorum gratuitorum, irrigua abundantia miserationum, in altissimo sita per excellentiam priuilegiorum. Hæc ille.

GLORIOSA autem dicta, & scripta sunt de Deipara in eius electione, conceptione, geneologia, natiuitate, præsentatione, desponsatione, seu matrimonio; annunciatione, filij conceptione, ac partu, in sua purificatione, in eius assistentia ad Crucem, in eius morte, sepulchro, resurrectione, assumptione, & beatitudine. Præterea in eius sanctitate, & gratia, fide, spe, charitate, virginitate, obedientia erga Deum, continentia, & pœnitentia; in vita actiua, & contemplatiua, in vsu sacramentorum, in sapientia, & scientia, in dignitate, in priuilegijs à Deo receptis, in adoratione, quæ ei exhibetur, denique in merito, & intercessione.

CAPVT VIGESIMVM.

Quænam fuerint insignia in Virgine Deipara.

SINGVLA hęc, quæ numerauimus, clarius hoc loco percurramus; in his enim omnibus reperiemus aliquid insigne, ob quod sæpius gloriosa Deipara acclamanda est.

IN electione, seu prædestinatione æterna in mente diuina illud habuit tamquam propriũ, & insigne, vt fuerit ab æterno prædestinata, & electa non solum ad gratiã, & gloriam, sed etiam ad dignitatem matris Dei ante omnia illius merita præuisa: immò etiam ante præuisum originale peccatum à primo parente commissum, cum sacramentum inter Christum, & Ecclesiam ex Pauli doctrina ante peccatum præfiguratum fuerit ad Ephes. 5. & Gen. 2. quæ item electio antecessit in diuina mente omnẽ aliorũ electionem; fuit enim altior, & excellentior, & ad maiorem Dei gloriam spectans, quàm cæterarum intellectualium creaturarum. Hac ratione S. Cyprianus in Serm. de Natiuitate Christi per antonomasiam vocat in hoc sensu Virginem vas electionis, & S. Bernardinus Senensis serm. 51. de B. Virgine cap. 4. Tu, inquit, ante omnem creaturam in mente Dei prædestinata fuisti, vt Deum ipsum hominem procreares; & Andreas Cretensis in serm. de Assumpt. ait de B. Virgine. Hæc est declaratio profundorum diuinæ incomprehensibilitatis; hic est scopus, qui excogitatus est ante sæcula. Quo etiam sensu dixit S. Augustin. lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 25. & Bernard. hom. 2. in Missus est; Verbum Diuinum sibi matrem elegisse, eamque sua sola voluntate ab æterno præordinasse; quod etiam docet Anselmus, & Rupertus lib. 2. in Cantica: quòd si Christus Deus homo, ante peccatum originale præuisum prædestinatus, seu electus fuit, non solum vt homo, sed etiam vt filius hominis; oportet quoq; affirmare, etiam matrem ante præscientiam peccati origina-

Ante præuisum peccatum originale electa.

lis præ-

Et est maximè decens, Deum voluisse cumulatissimè honorare matrem suam; si enim Angelis, nec non Adamo, & Euæ perfecta innocentia in instanti creationis concessa fuit; ergo multò perfectius Deiparæ, ne illis in sanctitate, puritate, & innocentia vitæ inferior censeatur, etiam vel minimo momento temporis. Vnde Anselmus rectè ait: Sicut Deus omnia creando Pater est, & Dominus omnium: ita Beata Virgo suis meritis cuncta reparando Mater est, & Domina rerum. Hæc ille. Incongruum autem esset concedere Dominam seruis inferiorem esse.

Ex qua tribu fuerit Deipara.

IN Genealogia verò Deiparæ magna quædam, ac gloriosa Deus operatus est, nimirum quòd verè orta fuerit ex Tribu Iuda per familiam Dauid, & non solum per lineam maternam, sed etiam paternam, vt doctè probat Suarez to. 2. in 3. part. S. Thomæ disput. 2. sect. 3. immò etiam aliqua ex parte duxit originem ex Tribu Leuitica, & Sacerdotali: ita Nazianzen. carm. de genealog. Saluator. Epiph. hæres. 78. post medium, Hilar. can. 1. in Matth. Ambros. lib. 3. in Luc. & lib. de benedict. Patriarch. cap. 3. & 4. August. lib. 83. quæst. 61. & S. Thom. 3. par. quæst. 29. art. 1. ad 4. & quæst. 31. art. 3. ad 3. Bonauent. in 4. distin. 30. art. 1. quæst. 2. in fin. Anton. 4. part. tit. 15. cap. 3. §. 3. Decuit enim Christum, qui Rex, & Sacerdos futurus erat, ex vtraque Tribu, Regia, & Sacerdotali descendere.

Sæculum Natalis Deiparę fęlicissimum.

IN Natiuitate verò Virginis, quàm mira, quàm gloriosa peracta fuerint, illud sanè ostendit, quod scribit Genebrardus lib. 1. Chronologiæ, sæculum, in quo Maria soror Moysis nata est, amarum, infaustum, & infœlix fuisse: tunc enim cœperunt Ægyptij Hebræos affligere: quocirca nata illa ab amaritudine appellata fuit Maria. Contra verò sæculum, in quo Virgo orta fuit, fœlicissimum fuit. Tunc enim stella maris, aurora salutis, lux mundo in tenebris versanti gratissima, ac saluberrima apparuit. Describit Damascenus, contendisse sæcula de Virginis Natiuitate: Certabant, inquit, sæcula quodnam ortu Virginis gloriaretur: verum eorum contentionem præfinitum Dei consilium superauit, postremaque sæcula prima facta sunt, dum ipsis Natiuitas Virginis obtigit, &c. Postrema, ait, sæcula prima facta sunt, hæc enim extrema tempora, quibus Virgo nata est, priora illa, quæ Patriarchas, & Prophetas protulerunt, longo post se relinquunt interuallo; sunt quidem postrema ordine, sed prima fœlicitate, sicut sexta mundi dies, in qua Deus hominem condidit, cæteros quinque dies, in quibus alia creata sunt, superauit. Quare idem Damascenus orat. 1. de Natiuit. Virginis sic scribit: Hodie inquit, ad Orientem porta Ezechiel extructa est, per quam Christus ingredietur, & egredietur, & erit clausa porta; hodie perflarunt auræ lætitiæ totius orbis prænunciæ, lætentur Cœli, & exultet terra, commoueatur mundi mare, in ipso enim concha gignitur, quæ cœlitus ex diuinitatis fulgetra in vtero concipiet, & Christum ingentis pretij vnionem pariet, &c. Hæc ille. Fuit igitur Deipara aurora sextæ ætatis.

Cur octauo die concepta, & nata.

ILLVD quoque in Deiparæ Natiuitate, vt illustre, atque insigne obseruandum est, illam octauo die Decembris conceptam fuisse, atque etiam octauo die Septembris natam. Est enim numerus octonarius, numerus beatitudinum, & virtutum, ac consequenter beatissimæ Conceptioni, & Natiuitati Virginis celebrandæ maximè accommodatus. Celebrabant Hebræi septimo mense festum tabernaculorum; Christiani verò festum sanctissimi, & maximi tabernaculi, idest Virginis eodem mense Septembris solemni ritu peragunt: Est enim illa Dei tabernaculum, & templum Dei animatum, vt docet Damascen. orat. 1. de Natiuitate.

CA-

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

Vbi nam Virgo Beata nata sit.



EC vacat mysterio contemplari, atque inquirere, vbi nam Virgo Beatissima nata sit. Gloriosa profectò erit ciuitas, in qua orta est Dei mater, celeberrima, atque prædicanda vrbs, in qua oritur mater viuentium, & totius orbis reparatrix. Non me latet diuersas Patrum sententias, ac modernorum placita varia de loco Natiuitatis Virginis reperiri; nobis tamen magis arridet eorum sententia, qui non Bethleem, nec Hierosolymis, sed Nazareth Deiparam conceptam, & natam esse, affirmant; quam rem auctoritatibus, ac rationibus confirmamus.

Nazareth nata B. Virgo.

PRIMA ratio est, quia ita scribit Author libelli de ortu Virginis, qui inter opera S. Hieronymi in impressione Romana collocatur: Et quamuis cõstet, libellum illum non esse S. Hieronymi, & ab illius phrasi, styloque maximè dissidere; multa tamen doctissima, eruditaque plurima in eo inueniri tradit Marianus Victorius in Cẽsura noni voluminis operum S. Hieronymi, vbi ait. Quamuis Hieronymi Epistolæ huius voluminis minimè sint, sanctorum tamen, eruditorumque hominum labores sunt, legique vti ecclesiasticorum procerum opera possunt.

BEATVS Antoninus loco infrà citando ait, quòd licèt libellus ille apocryphus sit, multa tamen continet consona rationi. Quod etiam Cardinalis Baronius in apparatu scripsit, dicens in ea epistola plura veritate constantia conscripta reperiri. Et Canisius lib. 1. cap. 12. sui Marialis dicit, opus illud esse veteris Doctoris, bonique Theologi, licèt non sit Hieronymi proprium. Dicitur autem in eo disertis verbis, beatam, & gloriosam semper Virginem Mariam de stirpe Regia, & de familia Dauid oriundam in ciuitate Nazareth natã fuisse; & additur Ioachim fuisse ex Nazareth, Annam verò ex Bethleem, quæ quidem Anna cum alias habuerit sorores, non est credibile, Ioachim ad Annæ domum transmigrasse, sed potius istam ad illius Nazareth descendisse. Et licèt cõcedendum esset, quod per primos annos Ioachim in Bethleem iuisset, & ibi mãsisset; tamen post aliquot annos putandum est, illum Annam in suam patriam duxisse, ibique vsque ad annos senectutis mansisse, in quibus Anna sacratissimam Virginem concepit, & peperit.

HIPPOLYTVS Martyr apud Nicephorum lib. 3. c. 3. dicit, Annam in terra Galileæ, vtique Nazareth nupsisse, & peperisse Mariam Dei genitricem.

SECVNDA ratio; cum sanctissima Virgo Bethleem paritura ascendit; ibique minimè habitationem, notos, vel cognatos inuenerit, vt eam reciperent, argumentum est, diu à Bethleem ipsius parentes Ioachim, & Annam abfuisse, ita vt eorum memoria quasi abolita nullus, ipsorum recordaretur; quod saltem per plures, quàm per quindecim annos, in quibus sanctissima Virgo concepta, & nata erat, esse potuit. Quare dicendum est, illam non in Bethleem, sed in Nazareth conceptam, & natam esse.

TERTIA ratio; causa, cur sanctissima Virgo ad profitendum Cyrino ascenderit, est quia erat de domo, & de illustrissima progenie Dauid, & aliquas possessiones ibi possidebat ex hæreditate antiqua materna: at hoc non cogit affirmare in Bethleem esse natam, & conceptam, sed potius in Nazareth, scilicet in do-

in domo paterna Ioachim, vt habet vsum communis consuetudo.

QVARTA, cum dogma fidei sit Luc. 1. Sanctissimam Virginem Nazareth ab Angelo fuisse salutatam, & Dei filium concepisse, affirmare omninò tenemur, illam ibi etiam conceptam, & natam esse. Nam cum à parentibus in Templo Hierosolymitano est præsentata, Nazareth illicò deducta est, quia cum ipsa à templo recessit, Nazareth repetijt, vbi paulò post fuit annuntiata; ad quam ciuitatem non esset digressa, sibi ibi prius non fuisset nata, & cognita, sed esset potius profecta Bethleem, vbi ab omnibus cognita esset, si ibi nata fuisset. Neque obstat, si aliqui dicant, ideò sanctissimam Virginem Nazareth concepisse Dei filium, quia quando illam sanctus Ioseph desponsauit, in domum suam Nazareth deduxerit; nam si hoc fuisset, quando sanctissima Virgo Bethleem ascendit, saltem domum propriam, & patris Ioachim iuisset, in qua ante paucos annos ipse, & Anna è vita migrarunt; nec, vt dixi, tam breui tempore poterat ex cognatorum, & vicinorum notitia, ac memoria ipsa, & parentes deleri.

QVINTA, & si concedamus Ioachim, & Annam in Bethleem per aliquot annos fuisse, tamen cum iusti essent, pacem, & quietem quærentes, cum tot continuis bellis, & mutationibus, & perturbationibus Iudæa agitaretur, credendum est, illos secessisse in Galilæam, & præcipuè in Nazareth, quæ infima illius Prouinciæ ciuitas erat, iuxta illud Ioan. 1. *A Nazareth potest aliquid boni esse?* quia ipsi humiles solitudini potius dediti erant propter sterilitatem. Quare cum sanctissima Virgo in illorũ senectute, & sterilitate & concepta, & nata sit, affirmandum est, hoc Nazareth, & non Bethleem fuisse.

SEXTA, forte ideò Christus Bethleem nasci voluit, ne aliqua occasio daretur Iudæis murmurandi, illum non esse Messiam promissum; quia ex Dauid, cui promissio facta fuisset, non descendisset, si in Nazareth, vbi sanctissima Virgo ipsius mater concepta, & nata fuisset, nasceretur.

AVCTORES, ex quibus colligitur, sanctissimam Virginem Nazareth conceptam, & natam esse, licèt non clarè, & apertè hoc probent, hi sunt. Nicephorus lib. 1. Eccles. hist. cap. 7. & 13. & lib. 2. c. 3. & Gregorius Nissen. orat. in die Natiuit. Domin. & hom. de human. Christi generatione.

B. Antoninus 1. par. hist. tit. 4. cap. 1. de B. Virgine Maria inquit: Reuersique domum, coniugio operam dantibus, concepta ex eis est, & nata Beatissima Maria. Vtique ex Nazareth ascenderunt Hierosolymam, vbi reuelationem de conceptione Virginis ab Angelo receperunt, & eò reuersi sunt.

Auctores verò sequentes clarè magis id affirmant.

Epiphanius hær. 29. & con. Collyrid. hær. 79. & contra Antidic. hær. 78.

Blondus lib. de Italia illustr. Regione 5.

Leander in Piceno 13. Regione Italiæ.

Canisius in Mariali lib. 1. cap. 4. & lib. 5. cap. 25.

Baronius in apparatu.

Suarez 2. tom. disp. 9. sect. 5. in 3. par. S. Tho.

Hieron. Natalis in suis meditationibus.

D. Damascenus lib. 4. de fid. orthod. cap. 15. loquens de B. Virgine ait. Nascitur autem in domo ouilis Ioachim, & adducitur in Templum, vel in domo Probaticæ Ioachim.

Ioannes Baptista Mantuanus lib. 1. Parthen. dum carmine scribit historiam oblatæ Virginis in Templo, sic ait:

Mos erat antiquus longum seruatus in æuum,
Aede puellares annos includere sacra,
Aetatemque Deo teneram, primumque dicare

Virgi-

Virgineæ florem vitæ, & generare pudoris
Ingenui curam, sanctosque inducere mores.
Mox vbi vestitum prima lanugine tempus
Venerat, in thalamos ibant. Hymenæaque tecta,
Coniunctæque viris proli indulgere solebant.
Propterea legum memores, & moris auiti,
Venturi Solymam trima cum prole parentes
Deseruere solam, Galilæaque Nazareth arua.

Abulensis Matth.2.quæst.91. Maria, inquit, nata est in Nazareth, vt asserunt, vel in Sephora, quod est oppidum distans à Nazareth per tres leucas contra Aquilonem: nam de ipso loco asserunt fuisse Ioachim. Alij D. Annam ibi ortam dicunt.

Alij Authores videntur affirmare, natam esse in Bethleem, vt

Galatinus lib.7.de arcan.cat.veritatis cap.12.&

Costerus lib.meditationum vitæ sanctissimæ Virginis, meditat. de Concept. B.Virgin.vbi ait, Ioachim fuisse Bethleem tempore sterilitatis.

At nonnulli alij Authores Hierusalem ortam fuisse scribunt.

Adricomius de Hierusalem scribens num. 37.ait, Hierosolymis D. Annam habuisse domum, conceptamque in ea Deiparam, & eadem in domo, atq; adeò Hierosolymis natam, vulgo dicitur: Extat eo loco extructum templum, Virginumque olim cœnobium, quod D. Annæ appellatur; est domus hæc propè piscinam probaticam.

Damascenus. Sebastianus Barradius tom. 1.lib.6.suæ concordiæ cap.5. existimat, Damascenum de hac domo intelligendum esse, dum in lib.4.fidei cap.15. hæc scribit. In lucem editur Virgo in domo probaticæ Ioachim, idest in domo, quæ iuxta probaticam piscinam sita erat; & orat. 1. de Natiuit. Virginis, Fausta, ait, tibi sint omnia, ò probatica patrium Reginæ domicilium. Fausta tibi sint omnia ò probatica, seminum Ioachim vetus fanum, nunc autem ouilis ratione præditi Ecclesia Cœlum imitans, atque olim semel quotannis Angelum Dei excipiens aquam turbantem, & vnum valetudini restituentem, &c.

SVMMI verò Pontifices (licèt non assertiuè) in omnibus priuilegijs, & Bullis, quas Almæ Ecclesiæ Lauretanæ dirigunt, vel mittunt, affirmant, Nazareth Deiparam conceptam, & natam esse; & ita ego credo.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

Quæ Gloriosa in Præsentatione, Desponsatione, & Annunciatione Virginis acciderint.

T verò in Præsentatione multa præclarissima, atque illustrissima de Virgine dicuntur. Fuit enim magna cum lætitia, ac celebritate ex voto Annæ matris templo dicata, Deoque promissa, vt docent Nicephorus lib. 1. cap. 7. Gregorius Nissenus in oratione de Natiuit. Christi, & Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus in oratione de oblatione Virginis in templo, atque per spatium vndecim annorum, in quo ibi mansit, ab Angelo nutrimentum, ac cibum sumpsit; ita Germanus, & Gregorius Archiepisc. Nicomedien. in oratione de Virginis oblatione, & Andreas Cretensis immortalem, non autem communem cibum sumpsisse affirmat, quòd Angelum nutritium,

cibi

& cibi delatorem, ac ministrum habuisset, vt enim inquit Sanctus Bonauentura in meditationibus cap. 3. Virgo de manu Angeli escam accipere solebat. Adde, Virgini concessum fuisse ingredi, versari, atque manere in sancta sanctorum: ita Germanus Archiepiscopus Cõstantinopolitanus docet, & Euodius primus Antiochenus post Petrum Episcopus apud Canisium lib. 1. cap. 12. Maria, inquit, trimula cum esset, in templo est præsentata, & ibi in sanctis sanctorum traduxit annos vndecim, &c. Nicephor. lib. 1. cap. 7. Virgo vt res diuina, intacta, & sacrosancta in Templi sanctiori loco, & in adytis ipsis viuebat, &c. Si enim ex lege soli Pontifici, & ex priuilegio Sancto Iacobo concessum fuit, ingredi sancta sanctorum, cur non etiam Virgini, quæ non solùm in sanctis sanctorum tabernaculis, sed etiam in ipso Cœlo Cœlorum in prima ætate educari ob eius puritatem indecens non fuisset? Angelorum visiones, atque reuelationes ibidem sæpissimè habuit, vt animaduertit Ambr. initio libri de Virginibus, & Bern. hom. 2. super Missus est, & Bernardinus Senensis serm. 51. art. 3. cap. 2. tom. 2. & S. Bonauentura in meditationibus cap. 4. Ibidem prima votnm Virginitatis emisit, ibidem se Deo tota, ac totaliter obtulit.

IN Desponsatione verò, seu matrimonio illud; vt rarissimum, commemorandum est, à Sacerdotibus Templi ex diuina inspiratione Iosepho in matrimonium traditam fuisse, vt potius custodiret, quam læderet eius virginitatem, vt scribit S. Augustinus in lib. de sanct. uirginit. cap. 14. Magnum, & admirandum coniugium hoc fuit; quoniam fuit maximi mysterij, nimirum Incarnationis integumentum. Quemadmodum enim ante sancta sanctorum olim Exod. 26. uelum ex hyacinto, purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere plumario, & pulchra uarietate contextum Deus iussit oppandi; ita ante sanctissima illa Incarnationis mysteria sacrum coniugium, ueluti uelum ex omnium uirtutum uarietate, spiritus sancti opere compositum, uoluit collocari, ut rectè dixit Barradius lib. 6. cap. 7. suæ concordiæ. Gerson tres in diuinis personas summoperè ueneratur, & admiratur; tres quoque alias in terris personas suspicit, & adorat, Iesum, Mariam, & Ioseph. Vndè cecinit. Tres personæ i terris suspiciendæ.

O veneranda Trinitas
Quam coniunxit diuinitas
Mater Virgo puerpera
Cui Iesus sugit vbera
Hic Virgo seruit Virgini
Sed virgineo germini
Magna laus humilitatis
Maior, & in deitatis
Hunc humilitatis thronum
Tantaque gratiæ donum
Vt humilitatis vita
Donetur, & per gratiam
Amen dicamus singuli
Laudes canentes seruuli
Iesus, Ioseph, & Maria
Charitatis concordia
Iacet in diuersorio
Gaudium Ioseph obsequio
Humili benignitate
Amplius charitate
In Ioseph: sed in Virgine

G *Prole*

Prole laus est in culmine,
Trinis distinctum gradibus
Hunc extollamus laudibus
Suis sequi suffragijs
Aeternis frui gaudijs
Huic sacro cœtui trino
Vni, trinoque Domino.

INTER cætera verò, quę de Ioseph scribit Gerson, illud vix credibile est, Christo vultu, vel facie fuisse simillimum, vt eius filius videri posset, ita enim in fine Iosephinæ cecinit.

Personas inter similes est nexus amoris
De Ioseph ast ratio suadet sua quod facialis
Forma, Iesu formæ similis reputanda fuisse est:
Si non, quo pacto pater eius creditus esset?
Qualiter omnimodo matris saluasset honorem,
Disparitas vultus prolis cum patre putato
Gratia naturæ fieri vult consona sæpè
Nonnè minor Iacobus frater Domini perhibetur
Valde sibi similis? quod gratia, non caro fecit.

Gersonis placitum confutatur.

HOC dictum non puto esse verum, licèt .n. concedi possit Ioseph aspectu decorum, & venerandum fuisse; Christo tamen vultu similem fuisse verisimile non est, cum huiusmodi similitudo Patris ad filium, & contra filij ad Patrem ex ipsa materia, & ex carnali generatione, & carnis, ac sanguinis conditione, vt plurimum nascatur, secundùm quam nihil cōmune habuit Ioseph cum Christo, & Maria. Vnde eleganter Rupertus Abbas lib. 1. de gloria, & honore filij hominis in Matth. circa id, *Ioseph fili Dauid*, sic inquit: O coniugium verum, & sanctum, coniugium cœleste, non terrenum: quomodo enim, & in quo coniugati fuerunt? nimirum in eo, quod vnus spiritus, & vna fides erat in eis; & infra dicit, ideò Christum fuisse de Cœlo cœlestem, quia tota coniugum vita, siue coniunctio fuit cœlestis, & Spiritus sanctus amborum cōiugalis amor, quorum vtique conuersatio erat in cœlis, in ambobus præsidens, coniugem viri huius fidei commiserit, & de carne Virginis hominem formans, paternum viro huic, qui nascebatur, infantis amorem penitus infuderit.

IN Annuntiatione verò, quàm gloriosa, quàm præclara Virgini cōtigerint ex legatione, & salutatione Gabrielis à Luca 1. c. sui Euāgelij descripta amplissimè cognoscitur. Sed quoniā omnia in hoc mysterio Incarnationis, & Annuntiationis plena sunt altissimis sacramentis, tàm ex parte matris, quàm ex parte Verbi diuini, quod ex ea carnem sumpsit, atque etiā ex parte Angeli, qui Virgini nuntium cœleste attulit; quæ omnia in Commentarijs nostris super Magnificat fusius à nobis exposita fuerunt; nonnullaque alia trademus in explicatione salutationis Angelicæ, quā in hoc volumine suo loco exhibebimus; ideo lectorē ad ea loca remittimus. Illud interim accipiendum est, Deum respexisse in hoc opere Incarnationis ad orationem humilium, hoc est Virginis, quę omnium humilium humillima fuit. Est autem opus Incarnationis, opus humilitatis, tum ex parte filij, tum ex parte matris. Quod autem Interpres Prophetę dixit, *humilium*, est explicatio metaphorę à Propheta adductæ; apud Hebræos .n. *Harhar*, myricam propriè sonat, vel iuniperum humile virgultum, humi repens, vixq; in terra apparens, ex Genebrardo psalm. 101. Iam ad expositionem aliorum, quæ, dum visitauit Elisabeth, insigniter Virgini concessa fuere pergamus.

NEC enim defuerunt, dū hæc illam visitauit, mira, & magna quędam, quę illam gloriosam, ac beatissimā semper, & vbiq; terrarū prædicādam declararunt: etenim

etenim post Diuini Verbi incarnationem statim in montana ad Elisabeth profecta est, vt & Ioannes adhuc in vtero matris positus Verbi incarnati præsentia à peccato originali expiaretur, & ipsa Elisabeth mater Spiritu sancto repleretur, nec non vt altissimum opus incarnationis nouo cantico vniuerso orbi publicaret, idq; ad instar psalterij, decē versibus quasi decem chordis, suauissima voce, purissimoq; spiritu decantauit: nec enim quælibet alia mulier ita canora voce canticum proferre potuit, ac Deipara, vt enim inquit Origenes hom.6.in lib.Iudic. peccatum raucedo est animæ: Quis, inquit, putas ita canoræ vocis est, & ita spiritus puræ mentis, qui sincerè canat, vt cantilena eius diuinū possit delectare auditum? Ille, qui nullum raucum habet peccati sonum, &c. Hæc profectò intemerata Virgo fuit, quæ, cum omni peccato careret, ab omniq; raucedine immunis esset, suauissima voce exultationis, & incarnationis canticum eructauit, dicens; *Magnificat anima mea Dominum*. Congruis verò rationibus præter eas octo, quas adduximus in lib.1.cap.8. Commen.in Magnificat, Virginem huiusmodi mysterium carmine hominibus propalasse, sic ostenditur. Peccatum est animæ raucedo.

Canticum incarnationis, Magnificat. Debuit carmine proferri à Virgine ob multas rationes.

PRIMO, quoniam carmina, hymni, seu odæ maximè Virgines decent, cum diuinum quid, atque cœleste munus repræsentent; sic enim Angeli in cœlis carminibus, ac canticis Deum, & Agnum laudant, Apocal.4. & 15. Isa.6. Luc.1. Virgines enim, ac purissimos maximè carmina decent.

SECVNDO, quoniam Gabriel annuntiando mysterium incarnationis Deiparæ, suauissimo, ac capacissimo hymno vsus fuit, nempè, *Aue gratia plena, Dominus tecum*; sic enim S. Athanasius in serm.de Assumpt. Deiparæ hanc Angelicam salutationem appellat: neque id suo ingenio Gabriel egit, sed Dei nutu, imperio, ac iussu, cum à Deo ad Virginem missus fuerit Luc.1. Congruum igitur fuit, vt & ipsa mater carmine, atque hymno de tanto beneficio suscepto eidem Deo gratias redderet.

TERTIO, quoniam hoc Canticum incarnationis, nempè *Magnificat*, in domo vocis, idest Ioannis editum fuit, sicut etiam Canticum Zachariæ: eo igitur genere locutionis, & vocum celebrari debuit, quod primatum inter modos dicendi obtinet, carmine nempè.

QVARTO, quoniam Deus sicut frumenti, vini, & olei cæterarumque rerum, quæ ex terra oriuntur; ita quoque verborum, & labiorum primitias exoptat. Has autem in sacris hymnis consistere, docet Chrysost. in serm. quem habuit Presbyter designatus, tom. 5. Cupiebam, inquit, equidem primum in Ecclesia dicturus, procemiorum primitias illi dicare, qui linguam nobis hanc dedit, nimirum Deo. Atque ita sanè fieri oportuit: neque enim areę tantum, ac vinarij lacus, verum etiam verborum primitias oportet Verbo persoluere, multoque magis verborum, quàm actionum. Quin etiam, vt ad vos hic fructus magis pertinet, ita ipsi Deo, qui honoratur, acceptior est. Botrum enim, & aristam suo terra emittit gremio, alit pluuiarum irrigatio, colunt agricolarum manus: at sacrum hymnum parit animi pietas, alit bona conscientia, Deus in cœlestia recipit horrea. Porrò quantò præstantior est animus terra, tantò hæc illa melior est oblatio: quapropter, & Prophetarum quispiam, vir magnus, & admirandus nomen illi Oseæ, eos, qui Deum offenderant, parabantque illum sibi propitium reddere, adhortatur, dicens: Afferte vobiscum non armenta bouum, neq; simila mensuras tantas, aut tanteas, neque turturem, neque columbam, neque aliud quicquam istiusmodi rerum, sed quid? ferte vobiscum verba. Et quale sacrificium, dixerit aliquis, sunt verba? maximum quidem ò charissime, ac splendidissimum, cæteris omnibus præstantius: ita Chrysost.

QVINTO, quoniam tempus incarnationis est tempus noui Cātici, tempus musices, dies modulationū, & nouorum carminū, vt Luc.2. chorus Angelorū Tempus Incarnationis, est tēpus musices.

nos docuit, & idipsum scribit D.Prosper de promiss. & prædict. par. 3. promiss. 33. Immò ipsa Incarnatio Verbi est musica quædā diuina, canticum nouum, & cœleste carmen è Cœlo in terras eructatum, vt asserit Clemens Alexandrinus in princip. lib. adhortatorij ad gentes. Igitur congruum fuit, Deiparam, quæ Canticum Incarnationis proferebat, carmine illud cantasse, vt tempori, ac nouo Cantico responderet: cantare enim Canticum nouum est Christi incarnationem annunciare, ita Arnobius, & Chrys. super psal. 97. Basil. & Aug. super Ps. 32. Hilar. super Ps. 143. Et si concentus cœli neminē dormire facit, Iob 38. quādo nempè cœlum præ fragore ruit, vehementiusq; pluuijs totum defluit, ac strepentibus ventis, tumultuantibusuè elementis sonat; (sic.n. concentum illum multi Authores exponunt) quanam ratione Deipara, dum cęlum in terram inclinatur, ipsamq; contingit, psal. 17. dum non elementorum, sed diuinorum attributorum harmonia in terris auditur, atq; dignoscitur; dum deniq; diuinæ potētiæ, & misericordiæ organa personant, carmina nō assumet? Ezech. 27. nec exultabit in carminibus 1. Paralip. 16. Et cum receperit in pectore suo canticum nouum, quomodo lingua, & ore non reddet carmen Deo nostro? psal. 39.

Christus cantator dicitur. Hymnum cecinit in vltima cœna. Idem fecerunt Apostoli. Hymnus cantū includit.

SEXTO, quoniam Christus Dominus Cantator dicitur, Matth. 26. In vltima enim cęna post primam Missæ institutionem, & celebrationem Hymnū non solum Dominum Iesum, sed etiam ipsos Apostolos cecinisse, verbum illud græcum, ὑμνήσαντες, omninò demonstrat, vt Origenes, & Hilar. benè annotarunt: quamuis Beda à solo Christo dictum existimet, verbum græcum nequaquā ponderans. Quod verbum cantū quoq; propriè significat, vt.n. docet S. August. in tit. psal. 72. vsq; adeo de ratione hymni est non solùm carmen, sed etiam cantus, vt nisi cantetur, hymnus dici non possit, quod etiā innuitur in Concil. Toletano 4. can. 12. vbi de hymnis canendis in sacro officio affirmat, nos exemplum Domini habere. Licèt Lutherus lib. de capt. Babylon. cap. 1. falsò scribat, Mis-

Lutheri error refutatur.

sam Domini sine cantu celebratam esse. Verùm, vt inquit Ambr. lib. 4. Hexam. cap. 8. multi tentant Ecclesiam, sed sagę artis ei carmina nocere non possunt; nihil incantatores valent, vbi Christi canticum quotidie decantatur. Habet incantatorem suum Dominum Iesum, per quem Magorum incantantium carmina, & serpentum venena euacuauit, & ipsa sicut serpens exaltatus, deuorat colubros Aegyptiorum; ferale licèt carmen immurmuret, hebetatur in Christi nomine. Clemens Alexandr. in Pedag. loquens de Christo Domino, sic scribit: Est Dei concinnum, & aptum instrumentum, sapientia supermundana, verbum cœleste. Lege eundem in 2. Pedag. cap. 4. Cyrill. Alexand. lib. 15. de adorat. in spiritu: Turturi inquit, & columbæ aptissimè conferri potest Dominus noster Iesus Christus: oblectauit enim orbem terrarū Euangelica prædicatione turtur ille supremus, & cęlestis, cum suaue quodammodo carmen modularetur, vt Dei, & Patris voluntatem nobis declararet, & in cap. 12. Leuit. explicans idem Cyrillus legem de oblatione turturum, vel columbarum in die Purificationis, sic habet: Hæc volatilia nobis in memoriam redigunt Christum, ipse.n. est turtur, quæ vniuersum orbem sua voce compleuit, sicut legitur in Cant. Cant. *Vox turturis audita est in terra nostra*. Arnobius appellat Christum sapientissimum incantatorem, explicans illud psalm. 57. *Incantantis sapienter*, prædicando enim animas conuertebat, & ipsa prædicatio rectè incantatio dicitur. Lege Gregor. lib. 4. Moral. cap. 5. & Chrysost. hom. 8. in epist. ad Rom. En igitur Beatissimam Virginem ad filij similitudinem, & imitationem egregiam Psaltriam, ac sapientissimam incantatricem appellandam esse, adeò vt sua iucundissima voce nō solum incantationes Aegyptiorū, hoc est Philosophorū, & hæreticorū deceptiones, & fallacias destruat, Exod. 7. Deut. 12. 2. Paral. 33. Eccles. 12. Esa. 8. & 47. sed etiam suo validissimo carmine Idololatriam, ipsosq; Dęmones dispergat, & fuget.

fuget. Sunt eius carmina diuinæ incantationes, quibus serpens inter spinas latitans, timidus redditur, & vulneratur. Sunt spirituales incantationes, in quibus ipsum nomen Domini nostri Iesu Christi, & ipsius Crucis potentia demonstratur. Sunt hæc diuinæ incantatricis carmina etiam medicamentum, atque medela, qua omnis nostra ægritudo tollitur, & sanatur. Vide Chrysostomum loco citato in parte morali.

SEPTIMO, sicut in opificio mundi, & prima rerum creatione præexcelsæ, ac digniores creaturæ, nempè Angeli, & astra Cœli, Deo authori, atque opifici exultarunt, illum simul laudantes, & corã eo iubilantes, vt testatur Iob 38. *Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei*. Quem locum ita exponunt Isidorus, Gregorius, Iunilius, Philippus, Beda, Lyrensis, Hieronym. & Dionysius. Stellæ enim ab initio suæ creationis (hac enim ratione matutinæ dicuntur) conditoris potentiam laudarunt, cumque terræ fundamenta ille iaciebat, ob eminentiam Creatoris, & operis magnitudinem, quasi exultanter, & cũ ouatione, harmonia, & alacritate à consonantia, & rerum proportione profluente, mirabiliter Deum laudarunt; quod etiam filios Dei, hoc est, Angelos summa lætitia, & plausu tunc fecisse (licèt simul cum mundo corporeo creati fuerint) testatur Dauid Psalm. 148. & ex Chaldæo, & Græco, & præcipuè septuaginta Interpretibus liquidò constat. Ita quoque in ipsius mundi recreatione, & omnium rerum per Christi Incarnationem restauratione, & reformatione æquissimum fuit, Deum omnipotentem à digniori creatura, quæ tunc in terris degebat, harmonico carminũ concentu magnificari, ac laudari. Vt enim optimè Caietanus ex peruulgata consuetudine in citatum locum Iob animaduertit, cum Principes prima arcis fundamenta iaciunt, id ingenti lætitia, & acclamatione musicorum instrumentorum perficitur; ita nec aliter profectò cum prima orbis fundamenta iacta sunt, omnis creatura conditori, quasi gratias agens, congratulata est. Nunc verò potiori, ac maiori iure Deipara in Verbi incarnatione etiam nomine omnium creaturarum magnificans Dominum, exultauit in Deo salutari suo. Porrò Angeli, vt inquit Chrysostomus, ipso orbis aspectu obstupuerunt, cum multitudinem, pulchritudinem, dispositionem, vtilitatem, varietatem, ornatum, splendorem, concentum, cæteraque omnia, quę multò illi, quàm nos, melius vident, intuerentur. At multo magis Deipara, cùm cerneret, Verbum carnem in suo vtero factum esse, ac diuinum, æternum, immortale cum humano, temporali, & mortali coniunctum esse. Anastasius Synaita lib. 4. Hexameron censet, Angelos quarto die Deum laudasse non solum propter creationem astrorum, sed præcipuè propter mysterium Incarnationis, quod in illis repræsentabatur: Hymnis, inquit, Deum celebrarunt. Quamobrem? Quoniam facta sunt astra. Non certè propterea, sed cum vidissent solem è terra recurrentem, in mysterio didicerunt Christi Incarnationem, & è terra assumptionem, & ideò cum vidissent eum ex sancta Virgine, tamquam ex abysso exortum, statim exclamarunt, dicentes; Gloria in excelsis Deo. Hæc ille. Non quòd senserit, solem, vel astra prius in terra facta esse, & deindè Cœlo affixa, vt quidam interpretantur; sed considerans gyrum solis, & eius regressum ab Occidente, tanquam ex profundo terræ, ad Orientem, rectè mysterium incarnationis in illo repræsentatum fuisse, affirmat. Adde, quòd apud Hebræos mulieres solebant publicè victorias Principum choris, & cantibus celebrare, Iud. 5. Immò non solum voce, sed etiam instrumentis: Exod. 15. Esdr. 2. Congruum igitur fuit, Dei Matrem Dei epitheta, & magnalia canere, ac voce poetica celebrare.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

Nonnulla egregia in Purificatione, ac reliquo cursu vitæ B. Virginis prænotantur.



N Purificatione verò Deiparę illud insigne reperitur, quòd Virgo licèt obnoxia legi Purificationis non esset, cum eius partus purissimus, & ab omni sorde immunis, & à secundinis, ac fluxu sanguinis liber fuerit, & nullam habuerit maculam, ob quam purificatione indigeret, vt docet Bernardus in serm. 3. de Purificat. his verbis: Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum. Nimirum cum proles ista fons puritatis sit, & purgationem venerit facere delictorum, quid in me legalis purificet obseruatio, quæ purissima facta sum ipso partu immaculato? Et Euseb. Emiss. serm. de Purificatione: Quamuis, inquit, purgationis dies ad Beatam Mariam Virginem non pertinerent: expectauit tamen ipsa, donec omnes purgationis dies complerentur, quos non sibi, sed alijs mulieribus lex constituerat. Nō enim de ea dictum fuerat, omne sanctum non tanget, quæ ipsum sanctum sanctorum in gremio tenebat, in sinu fouebat, & Virgineo lacte nutriebat. Et sanctus Eligius: Nequaquam, inquit, immunda iudicatur, quæ sancto Spiritu obumbrante totius munditiæ, & sanctitatis auctorem genuisse probatur. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. de fid. ad Reginas parum à principio hæc scribit verba: Quòd si is, qui Deus secūdùm naturam est, vtpotè Vnigenitus Dei filius seruili forma indutus, sacræque Virginis primogenitus appellari non dedignatus semetipsum redemptionem pro omnibus tradidit, clarè patet, in quantam impietatem prolabantur Arriani, qui Deiparam Mariam ijs sacrificijs, quæ pro puerperis ex lege offerri mos erat, opus habuisse asserunt. Beatus Anselmus in Lucam similia verba habet: Quamuis, inquam, Virgo non de necessitate, vel obligatione legis ad Templum purganda venerit; attamen voluit, & propter legis præceptum adimplendum, & ad demonstrandum humilitatis, & obedientiæ exemplum, & ad calumniæ occasionem Iudæis tollendam, purificationis ritum tenere, & Christum in templo præsentare, ac redimere, & pro eo sacrificium offerre: ita S. Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum, S. Leo epist. 4. Decret. cap. 6. Rupertus in Leuiticum, cap. 12. Beda in hom. de hoc festo, Origen. hom. 14. in Lucam, Bonauēt. de vita Christi cap. 11. Hildephonsus in orat. de Purificat. Chrysost. in orat. de occursu Domini, Cyrill. lib. 8. in Leuit. Eligius hom. de Purificat. S. Bern. serm. 3. de Purificat. Antoninus 1. par. Histor. S. Vincen. in serm. de Purific. Haymo, Magister Historiæ, Laurentius Iustinianus, Euthymius, & alij: licèt Iansenius, Dionysius Carthusianus, Hugo Cardinalis, Caietanus, & Abulensis Leuit. 12. arbitrentur, non solum pro filio, sed etiam pro matre, huiusmodi oblationem factam fuisse: certum tamen est, nec pro peccato prolis, uel matris expiādo præstitam fuisse; sicut etiam nec hodie in Ecclesia hanc legem veterē obseruari; cum solum causa religionis, & ob reuerētiam loci sacri permittat Ecclesia, mulieres post partum aliquamdiu ab ingressu Ecclesiæ abstinere, vt habetur in cap. vnic. de Purificat. post partum. Æthiopes in missa circa benedictionem puerperæ verba quædam habent, quæ piè sunt interpretanda: Tu Domine, inquiūt, instituisti Moysem seruum tuū in lege tua, & docuisti eum constitutionem mūdam, quæ conuenit omni fœminæ, quæ pepererit. Et infra: Quæsumus pro

Ancilla tua, quæ seruauit constitutionem tuam, & optat ingredi in sanctum tabernaculum tuum, &c. intelligendum enim est, seruasse constitutionem, quantum ad similitudinem quandam externæ cæremoniæ, non quoad propriam rationem, & obligationem legis, vt optimè dicit Suarez in disput. 16. sect. 2. 2. tom. in 3. part. S. Thom.

ILLVD quoque admirandum est in festo purificationis Deiparæ, pro eo mysterio solemniter celebrando, morem benedicendi, & accendendi cereos ab antiquissimo tempore in Ecclesia inoluisse, cuius mysterij Cyrillus Hierosolymitanus hanc reddit rationem: Læti, inquit, hodiè lampades ornemus, iamq; filij lucis ceras veræ luci Christo offeramus, quoniam lumen ad reuelationem gentium mundo apparuit, ideo lumina ex lumine resplendeamus.

RESPLENDET autem in obseruatione huius cæremoniæ, ac legis eximia Virginis perfectio: Lex enim aliqua tripliciter seruari, & impleri potest. Lex tripliciter seruari potest.

PRIMO præcisè quoad exactam, & diligentem eorum, quæ præcipiuntur, obseruantiam, quo modo dixit Dauid Psal. 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, hoc est, exactissimè, seu valdè: ita S. August. locum illum psalmi exponit, additq; particulam, *nimis*, non vitium, sed exactam obseruationē significare. Quid est, inquit, tu præcipisti mandata tua custodiri nimis, vtrum nimis præcepisti, an nimis custodiri? quodlibet horum intelligamus, contra illā memorabilem, nobilemq; sententiam dictum videtur: *Ne quid nimis*; si .n. hoc verum est, vt ne quid nimis fiat, quomodo verū est, quod hic dicitur: Tu mandasti mandata tuā custodiri nimis? Quando Deus aliquid, vel nimis præciperet, vel custodiri nimis vellet, si omne nimium reprehensione dignum esset: verùm aliquando latina lingua hoc verbo sic abutitur, vt nimis pro eo, quod est valdè & positū inueniamus in sacris literis, & ponamus in sermonibus nostris; quāquam hoc loco nō sit græce ἄγαν idest nimis, sed σφόδρα idest valde. Hæc August. Quo ē sensu dixit Dauid Psal. 93. *Nūquid adhæret* ubi *Domine sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Fingere enim laborem in præcepto est, Deum velle, sua præcepta cum labore, & magna sollicitudine, ac diligentia seruari; nec ob id sedem tenet tyrannicam, quæ laboriosas condit leges ad opprimendos subditos, cum æquissimum sit, cuncta Dei mandata ab hominibus quàm exactissimè impleri.

SECVNDO lex aliqua adimpleri potest præstantiori, & intensiori quodam actu, & maiori conatu: quod non ad ipsam legis obligationem, sed ad modum quendam perfectiorem obedientiæ, & obseruandi legem refertur: id enim est, collum monilibus ornare, vt tradit Origenes super illa verba Cant. 1. *Collum tuum sicut monilia*.

TERTIO perfectissimus gradus seruandi legem est, cum quis lege ipsa non tenetur; & nihilominus eam perfectissimè obseruat, ac si ad illam seruandam obligaretur: ad hunc gradum perfectionis Deipara se peruenisse ostendit, cum legem, quæ illā non cōprehendebat, cumulatissimè adimpleuerit: qua in re præstantissimus humilitatis gradus in Beatissima Vergine resplenduit; cum enim in partu, & conceptu Christi puritate Angelos superaret; voluit tamen ad instar reliquarum fœminarum per quadraginta dies ab ingressu Templi abstinere, & purificationis legem seruare.

DVM verò apud Crucē staret, quantā constantiam ostenderit, cū nec anima, nec corpore conciderit, docet Ambrosius de obitu Valentiniani; cum nec audeat dicere illam fleuisse: stantem, inquit lego, flentem non lego. Addit Anselmus de excellentia Virginis cap. 5. gladium mortis Christi tanto dolore animam Virginis penetrasse, vt nisi singulari Dei gratia confortata esset, viribus prorsus destituta fuisset. Quod etiam confirmat S. Bernardus in Concione super illud, *Stabat autem iuxta Crucem*. Legē Ambrosium de instit. Virgin. cap. 7. & Ambros. Anselmus.

Epist.

Epist.82.S. Bonau.in 1. dist.48.q.vlt.addit, Deiparā summæ obedientiæ actum, & charitatis officium tunc erga homines exercuisse, & Deū, ac homines sibi maximè deuinxisse. Lege Abulē.q.14.Prolog.in Matt.& Gerson.tract. 2. de Cant. decachordo. Et licèt dolores omniū Martyrum leues fuerint, si cōparentur cum dolore Beatæ Virginis in passione filij, vt benè affirmat Anselmus loco proximè citato; nihil tñ indecorū, nihil quod non summæ modestiæ conueniret, admisit.

Abulens. Gerson.

IN Morte plurimis priuilegijs fuit à suo filio decorata:

Metaphras.

PRIMO, Metaphrastes in orat.de Virgine, & Nicephorus lib. 2. Hist.c.21. scribunt, Angelum diem sui obitus Virgini reuelasse, palmamq; ei deportasse.

Damascen.

SECVNDO, Damascenus orat. 2. & Nicephorus loco citato affirmant, morienti matri Christum omnium Angelorum agminibus stipatum astitisse.

TERTIO, idem Damascenus eadem oratione, obijsse sine dolore affirmat, & sine vlla præcedenti ægritudine, sicut etiam contigit Aaron in Monte Hor, Num.33. & Mosi in Monte Nebo Deut.34. cuius nec oculus caligauit, nec dentes illius moti sunt; imò incendio diuini amoris Beata Virgo confecta, & mortua est: ita Dionysius Chartusianus lib.4. de laudibus Virgin.art.3. Albert. Magnus in suo Mariali, & Beata Brigitta lib.6. c.62. Abbas Guerricus ser. 2. de Assumpt. applicans Virgini verba illa, *amore langueo*, langueo, inquit, plus impatientia amoris quam passione doloris, plus vulnerata charitate, quàm grauata infirmitate: filiæ Hierusalem, idest Angeli nuntiate dilecto, quia amore langueo, ipse nouit, quomodo meo medendum sit languori.

Albertus. Guerricus.

QVARTO, idem Damascenus in orat. 2. de Assumpt. Apostolos, inquit, qui passim toto orbe ad hominū piscationē dispersi erant, diuino imperio nubes retis cuiusdā instar, ad Hierusalem vrgebat, velut aquilas quasdam cōpellens, atq; in vnum cogens. Vbi .n. fuerit corpus, ait veritas, illic congregabuntur & aquilæ.

METAPHRASTES in orat.de Virgine: per nubē, inquit, suos Christus cōgregat discipulos, vt venerandum Virginis corpus mandarent sepulturæ. Nicephorus lib.2.c.21. Tonitrus, atq; nimbi sonitu ex finibus omnibus suos Christus discipulos congregat, &c. Iuuenalis item Archiepiscopus Hierosolymitanus apud Nicephorum lib.15. c.14. Imperatori Martiano respondit, antiquissima, & verissima omninò traditione receptum esse, instante Virginis obitu, Apostolos ex ipsis orbis terrarum finibus, vbi dispersi erant, sublimes in aere Hierosolymam venisse; de qua re alibi tractatum est, & infra nonnulla dicemus.

QVINTO, corpus Virginis non est resolutum in cineres: Damascenus orat. 1. Non vidit caro tua ò Virgo corruptionem, & orat. 2. Si Virgo lętantium omnium habitatio est, eius profectò, quæ lætitiæ causa extitisset, atque incolumem virginitatem in partu seruauisset, incorruptum etiam post mortem corpus seruari oportebat, &c. Andreas Cretēsis Archiepiscopus Hierosolymitanus in orat.de Assumpt. Mater, quæ ipsum viuere peperat, consecuta est vitæ finem partui non absimilem, & miraculum Deo, & fide dignum: sicut non fuit corruptus parientis vterus, ita mortuæ caro non interijt, ò miracula, partus effugit corruptionem, & sepulchrum non admisit interitum, &c.

SEXTO, idem Damascenus orat.2. & Nicephorus lib.2. & Metaphrastes in orat.de Virgine, scribunt, mortē Deiparæ multis illustratam fuisse miraculis.

POSTREMO, fuit corpus Virginis ab Apostolis religioso funere humatum, vt scribit Damascenus, & Metaphrastes locis citatis. Præterea die tertia filium imitata resurrexit, & in Cęlum assumpta est. Vnde Petrus Damianus, sic de hac re loquitur in Serm. de assumpt. Deiparæ: Tota conglomeratur Angelorum frequentia, vt videat Reginam sedentem à dextris Domini virtutum, in vestitu deaurato, in corpore semper immaculato circundatam varietate, virtutum multiplicitate distinctam, &c. & rursus: Attolle oculos ad assumptionem Virginis, & salua

& salua filij maiestate inuenies occursum huius pompæ non mediocriter dignio rem. Soli quippè Angeli Redemptori occurrere potuerunt, matri verò filius ipse cum tota curia tam Angelorum,quàm iustorum solemniter occurrens, euexit ad beatæ consistorium sessionis. In his verbis innuit Cardinalis, comitatum in assumptione Virginis lõgè præstantiorẽ fuisse ipso comitatu Christi in ascensione: nec id derogat dignitati Christi, quia nemo poterat Christo maior ipso obuiam ire in Ascensione; & tamen ipsemet in Mariæ Assumptione ipsi Deiparæ obuiam venit, & sic maiorem videtur illi honorẽ exhibuisse absq; vllo suæ maiestatis præiudicio.

IN Beatitudine verò adeo est gloriosa,& sublimis, vt specialem chorum in Cœlo sub Christo obtineat; neq; enim decebat,Beatam Virginem ad aliquẽ ordinem,seu chorum Angelorum constitui, licèt ad singulos Angelorum ordines aliqui homines assumantur; habuit enim illa superiorem dignitatẽ,quæ eminentioris est ordinis,& statum ministrorũ excedit; & quia mater Dei est ratione suæ dignitatis, per se,ac pro se sola singularem chorum constituit, tamquã omnium domina,ac Regina,& Dei mater.Quarè hac ratione dicitur ab Ecclesia exaltata super omnes choros Angelorum.Quòd si de Esther scribitur in c.2. sui libri: *Ducta est ad cubiculum Regis,& habuit gratiam,& misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema Regni in capite eius:* quomodo mater Dei, dum in cubiculum Regis cęlestis introducitur,diadema regni in suo capite non recipit? Habuit deindè perfectissimas corporis dotes, imò omnes perfectiones gloriæ accidentalis etiam collectiuè, quas diuisim cęteri beati obtinent; quin etiã longè maiores, & eminentiores. Vnde Ildephonsus serm.2.ad assumpt. ait: Sicut est incomparabile quod gessit,& inęstimabile quod accepit,ita est incomprehensibile præmium gloriæ quod promeruit; quæ verba etiam de gloria accidentali, & dotibus accipienda sunt. Quare Bonauentura in lib.de laudibus Virginis concludit ex dictis Patrum, Dei gloriam magis in sola Virgine, quàm in cęteris Dei operibus, Christo excepto,enitere. Quod profectò verum non esset, nisi in illa omnia bona,& perfectiones gloriæ cęterorum sanctorum congregatæ essent. Quare sic concludit: gloriosum gloriæ Mariæ priuilegium est, quòd post Deum maior nostra gloria,& maius nostrum gaudium ex Maria est. Ildephonsus.

DE excellentia sanctitatis,& gratiæ Deiparæ illud, vt gloriosissimum affirmandum est,in fine vitæ eius gratiam ferè immensam perfectionem,& intensionem habuisse; quam rem SS.Patres varijs modis loquendi illustrant. Damascenus enim orat.2. de Assumpt.vocat illam abyssum gratiæ, Epiphanius orat. de laudib. Virgin. appellat mare spirituale habens gemmam cęlestem, Christum. Andreas Cretensis ora.de dormit.Virg. Thesaurum sanctissimum omnis sanctitatis,Ignatius Epist. 1.ad Ioann. vocat illam cęleste prodigium,& sacratissimum spectaculum: qua de re Anselmus de excellent.Virg. cap.3.sic loquitur. Cum igitur in his,quæ tantopere Deo placent, sancta Virgo tam excellenter illi placuerit,vt nequaquam crederet quis, illam aliqua ratione excellentius placere potuisse: & Petrus Damianus serm. de assumpt. vocat illam locum voluptatis, quem Deus omnibus gratiæ diuitijs cumulauit, & Hieronymus appellat hortum delitiarum,in qua condita sunt omnia florum genera, & odoramenta virtutum. Et Ephrem orat.de laudibus Virg.præstantissimum orbis terræ miraculum,omnium sanctorum coronam,ob fulgorem inaccessã.Quare Laurentius Iustin.in serm.de assumpt.apertius inquit,meritò quicquid honoris, quicquid fęlicitatis habebatur in singulis, totum abundabat in Virgine. Hinc Sanctorũ admiratio de Maria: Anselmus de laud.Virgin.cap.9.Pura sanctitas,& sanctissima puritas pijssimi pectoris eius omnem omnis creaturæ puritatem,siuè sanctitatem transcendens, incomparabili sublimitate hoc promeruit, vt reparatrix perditi orbis

Andreas Cret. Ignatius. Anselmus. Hieronym. Ephrem. Anselmus.

Damianus.

orbis dignissimè fieret. Et Damianus in Ser. de Natiuit. Virg. ait: Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ diuinitatis intra sui ventris conclusit arcanum? Attende Seraphin, & videbis quicquid maius est minus Virgine, solumq; opificem opus istud supergredi: & infra: Gloria, quæ eam ex hoc mũdo transeuntem excepit, principium ignorat, nescit finem, de qua nihil aliud possumus dicere, nisi quia gloriosa dicta sunt de te gloria Dei. Et serm. de Annuntiat. Hæc est, in quam dulcis Dominus cum omni sua dulcedine superuenit: cũ enim fecerit Deus omnia opera sua valdè bona, hoc melius fecit consecrans sibi in ea reclinatorium aureum. Damascenus orat. 1. de dormit. Vig. satis post medium, Dei Matris inquit, & seruorum Dei infinitum est discrimen, &c.

Sancti & Maria infinitè propè differunt.

QVOAD excellentiam verò, & perfectionem fidei Deiparæ, illud constanter commemorandum est, in perfectione fidei, & cognitione mysteriorum Christianæ doctrinæ omnes Apostolos, cunctosq; Theologos, ac sanctos, qui fuerũt, & sunt, & erunt in Dei Ecclesia, superasse: sic Anselmus lib. de excellent. Virg. c. 7. sentit & docet hisce verbis: Licèt ipsi, scilicet Apostoli, per reuelationẽ Spiritus Sancti edocti fuerint in omnem veritatem, incomparabiliter tamen eminentius, ac manifestius ipsa per eum spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, & per hoc multa eis per hanc reuelabãtur, quæ in se non solum simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat de mysterijs eiusdem Domini nostri Iesu Christi. Quarè rectè ab Ignatio Epist. 1. vocatur nostræ religionis magistra; imò ab Ambrosio lib. 1. de institut. Virgin. capit. 7. dicitur aula cælestium Sacramentorum, & ab alijs omnium credentium Mater. Vnde S. Bernardinus Senensis serm. 15. de festiuitatibus Virginis optimè scribit, Deiparam plus meruisse illo actu fidei, quo Angelo nuntianti consensit, quàm omnes sancti omnibus suis actibus virtutis, & sanctitatis. Habuit etiam virtutem spei in perfectissimo gradu, cũ mater fuerit pulchræ dilectionis, & sanctæ spei, hoc est Christi, qui est spes nostra. Superauit quoque non solum Abraham, vel Adam, sed et ipsos Angelos in fide, spe, & charitate: plus enim dilexit Deipara Deum, quàm cęteri omnes sancti simul: nec mirum, vt inquit Bonauentura in speculo Mariæ c. 6. si præ omnibus diligat, quæ præ omnibus dilecta fuit. Vndè Anselmus de excellent. Virgin. c. 4. sic Virginem alloquitur: Et tu ò Beatissima fęminarum, in quam fluxit tam copiosa, & supereminens gratia omnium gratiarum; quid animi quæso gerebas ad eum, qui tibi hæc magna fecit? quasi diceret, maximum habuisse amorem erga Deum.

Anselmus.

Bernardinus Senen.

VERVM omissis alijs, quàm fuerit gloriosa in priuilegijs, quæ à Deo recepit, ex ea re cognoscitur, quòd mensura priuilegiorum Mariæ solum ex Dei potentia accipienda est, iuxta illud ab ea prolatum in suo Cantico: *Quia fecit mihi magna qui potens est*, & illud Angeli: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*: Est enim Deipara vexillum, & signum diuinæ potentiæ Isai. 7. *Dominus dabit vobis signum; ecce Virgo concipiet, &c.* Est firmamentum virtutis, & potentiæ Dei. *Laudate Deum in firmamento virtutis eius* Psalm. 150. Est scopus omnium creaturarum, & mensura diuinæ omnipotentiæ, Luc. 1. *Quia fecit mihi magna qui potens est.*

CA-

CAPVT VIGESIMQVARTVM.

Quomodo Ecclesia Christi verè sit Ciuitas Dei, & quænam gloriosa de illa dicantur.

ECCLESIAM Christi verè ciuitatẽ Dei appellari docent hi patres. Origenes in Matt.Hom.22. & 35.& super Iosue Hom.19.& super Isaiam Hom.8.Basilius super Psal. 45.& 59.Arnobius super psal.106.& 107. Ambrosius lib. de Isaac c. 5. Hilarius super psal. 59. & in Matth.can.8. & Hier.in Comm. super Isaiam c.1.22. & 26. & super Ezech. c.40. August. lib.13.de Ciuit. Dei c.16. Greg. lib. 16. Moral.c.25. & lib.19.c.13.Beda in c.1.Pro. Est enim congregatio hominum diuina vocatione firmata, & secundum leges à Christo traditas gubernata. Inter cęteras autem proprietates huius ciuitatis illa est celeberrima, atq; gloriosissima, quòd ciuitas circumstantiæ, seu ciuitas munita appelletur Psal.30. *Benedictus Dominus, quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in ciuitate munita*, & ad literam gratias Deo Dauid egit,dũ in ciuitate munitissima,firmisq; muris, & præsidijs circumclusa mirabiler misericordiam Dei eum liberantem ab hostiũ insidijs expertus est. At verò Christi Ecclesia est munitissimis præsidijs aduersus insurgentes hostes circumuallata, nimirum amplissimis potestatibus à Christo sibi collatis non solum contra inferioris ordinis inimicos,& hostes,sed etiam contra ipsos Reges terræ,& Principes sæculi,aduersus ipsum Dominum,& Christum eius cornua temerè erigẽtes,libertatem Ecclesiasticam subuertentes,coarctantes,ac diminuentes, vt fusius dicemus infrà in Disput.Quòd si in domo Dauid,quæ erat figura Ecclesiæ Christi,duo solia,Sacerdotum scilicet,& Regum constituta erant ad iudicãdum, vt testatur Euthymius in com.super Psal.121.Sacerdotes enim,& Leuitæ etiam de rebus temporalibus iudicabant Deuter.17.vt etiam videre est apud Iosephum, & apud Genebrardum in citatum psalmum; cur non etiam in Christi Ecclesia à proprijs ministris de rebus temporalibus,nè dum spiritualibus iudicium fiet? Quod in Ecclesia perpetuò obseruatum fuisse demonstratur ex decreto ab Apostolis emanato,& ex doctrina S.Pauli 1.ad Corinth.6. *si Angelos iudicabimus,multò magis secularia?* vbi lege Ambrosium;& ex Clemente in in græca Epitome pag.78.& ex eiusdẽ Clementis Epistola ad Iacobum,& ex Conc.Chalcedonensi,& ex quarto Carthaginensi,& ex Tridentino,& alijs. Quæ Concilia præcisè,& fauorabiliter de immunitate,& libertate rerum,& personarũ Ecclesiasticarum sermonẽ faciunt; huiusmodi enim personæ sedent super domum Dauid,idest,vt exponit S.Aug.in eundẽ Psal. 121. super familiam Christi, cui cibaria spiritualia dant in tẽpore suo: quocirca ij,qui præsunt,& dominantur super ipsam domum Dauid,idest Christi propter eius diuinæ personæ excellentiam,& honorem, vt inquit S.Hieron. in cap.17. Matth.meritò huiusmodi immunitate ex ordinatione diuina gaudent; *Propter* enim *domum Domini Dei mei quæsiui bona tibi.* Vbi Augustinus ait. Non propter me quæsiui bona tibi,nã nõ tibi quærerẽ,sed mihi;ideo nec ego haberẽ, quia non tibi quærerẽ,sed propter domũ Domini Dei mei,propter Ecclesiã,propter sanctos,propter peregrinos,propter inopes eius, vt ascendãt, quia dicimus eis,in domũ Domini ibimus:propter ipsam domũ Domini Dei mei,quęsiui bona tibi. Neq; enim ob auaritiæ,superbiæ, vel dominij in laicos cupiditatẽ pro huiusmodi immunitatis iure pugnãt,atq; laborãt,sed ob Christi institutoris gloriã,

Ecclesia iudicat non solum spiritualia sed etiã temporalia.

Origo immunitatis Ecclesiasticæ.

S.Hieron.

Finis immunitatis Ecclesiasticæ.

ob

ob Ecclesiæ decorẽ, ob lucrum pietatis, pauperum subuentionem, peregrinorum hospitalitatem, sacrarum ædium ornatum, ac deniq; propter domum, hoc est, familiam Domini Dei nostri hæc bona quærunturà Clericis.

CONSVEVIT autem Dauid multis nominibus Ecclesiam Christi appellare, vt in psal. 67. vocat enim illam, locum sanctum Dei, domum, hæreditatẽ, Dei montem, montem pinguem, montem coagulatum, currum Dei, millia lętantium, Ecclesiam, templum Dei in Hierusalem, Sãcta deniq; siuè sanctuaria. Verum id, quod ei hoc in psalmo tribuit, omnia alia superat, nempè esse ciuitatẽ Dei, in qua Deus multis modis inhabitat, & præsertim realiter, & corporaliter in augustissimo altaris Sacramento, quod est decus, honor, dulcedo, robur, & gloria Ecclesiæ Dei: per illam Deus tamquam per paradisum spatiatur, *post hæc in terris visus est, & cũ hominibus conuersatus est*; in illa Deus iucundatur, & delicias suas inter homines profert, in illa nomen nouũ, idest pulchrum, elegans, pretiosum credentibus tribuit; in illa Cęlũ nouum, & terra noua, hoc est, omnia noua facta sunt, ob nouum beneficium aduentus Christi, gratia .n. noui testamẽti omnia noua facta sunt, homo inquã nouus, & vita noua, noua insuper mandata, noua gratia, nouæ pollicitationes Regni Cęlorum, nouaq; Sacramenta: nec solum à tempore incarnationis eo nomine nouum testamentum dicitur, sed & à natura earum rerũ, quę in eo contigerunt, quandoquidẽ omnia innouata sunt, atq; in primis homo, propter quem omnia facta sunt; in illa ciuitate canticum nouum Domino canitur ob spiritualem liberationem à peccato, Sathana, morte, Inferno; quod canticum opponitur cantico Mosaico, quod est de corporali liberatione è captiuitate Aegyptiaca, quod proinde vetus est canticum, & ad vetus testamentum pertinens. Nouum autem significat quid exquisitum, pulchrum, concinnum, pretiosum, vt solent esse noua cõparatione veterũ, vt Apoc. 2. *Vincenti dabo nomen nouum:* noua Hierusalem, ibidem 21. & Ode noua ibidem c. 5. Quam plura etiam ad hunc locum faciẽtia lege in Commentarijs nostris super canticũ Magnificat lib. 2. c. 31.

Baruch 3.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

In quo ponitur expositio verborum: Memor ero Rahab, & Babylonis scientium me.

Christi fideles nobiles, & quo modo.

NTER cętera illustria, ac gloriosa, quæ de Christi Ecclesia dicuntur, illud præcipuum est, quòd omnes ad eam confugientes euangelica sanctitate, & insigniori quadam nobilitate afficiendi sunt; Ioan. 1. *dedit eis potestatem filios Dei fieri*, & 2. Petri 1. *vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ:* idq; summopere relucet in illis, qui ex gentibus vocãtur. Sic S. Hieronymus, & S. August. seriem huius versiculi cum præcedentibus benè connectunt, omnes enim, qui Christum sequuntur, eiusq; fidem, atque mandata amplectuntur, nobiles sunt, summaq; dignitate cęteros homines cuiuscumq; status, & conditionis sint, antecedunt, iuxta illud 1. Reg. 2. *Quicumque honorificauerit me*, per fidem, & bona opera, *glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*; est enim proprium vocationis, & legis Euangelicæ, vilissimos homines non solum moribus, sed etiam sanguine ad pęnitentiam ac Christianam religionem vocare, eosq; eximios & maximè idoneos ministros Christianę fidei efficere, vt inquit Paulus 2. Cor. 3. *Et infirma mundi elegit, vt fortia quæq; confundat, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, vt ea, quæ sunt destrueret,*

struerei,vt non glorietur hominis caro in conspectu eius 1.ad Cor.1.Qui non ex sanguinibus,neq; ex voluntate carnis,neq; ex voluntate viri,sed ex Deo nati sunt; vera.n.nobilitas,nõ ex genere,prosapia,cognatione,aut familia;sed ex sanctitate,ac probitate vitæ omninò petenda est:vt .n. inquit S. Ambrosius in Psal. 36. explicans illa verba, *semen impiorum peribit,* nemo iustus filius impiorũ parẽtum censetur,fieri .n. potest,vt exuat vnusquisq; quod natus est,& qui impio patre natus est,minime censeatur illius filius,cuius impietatis particeps nõ est:quinimò, vt inquit S.Hieronymus Oseæ 4.nemo apud Deum debet ob sanguinem erubescere;filiorum.n. Dei generatio non ex impiorum semine, sed ex diuino semine, quod in eis est,diuina .s. gratia metienda est. Quare rectè S. Paulus ad Eph. 3. de gentium conuersione agens,audacter Ephesijs, & gentibus ad fidem Christi cõuersis scribit,ne quia non essent ex Iudæorũ genere, arbitrarentur inuestigabiles Christi diuitias ad ipsos non spectare,*Huius*,inquit,*rei gratia flecto genua mea apud Patrẽ Domini nostri Iesu Christi,ex quo omnis paternitas in Cęlis, & in terra nominatur*. Vocat paternitatem cognationẽ,familiã,seu genus,ac si diceret;& si ex patre Abrahã nõ sitis,neq; ex aliqua illarũ duodecim illustriũ tribuũ descendatis,non ideo minus nobiles eritis apud Deũ,cũ filij Dei sitis,omnis.n.paternitas,seu tribus nominatur,i. celebre,& illustra nomen habet,nõ tam ex primi progenitoris sanguine,quàm ex Deo, ad quẽ, tamquã ad primũ plasmatorẽ oĩa reducuntur. Vnde Paulus ad Eph. 3.ait: *Mihi data est gratia hæc in gentibus euãgelizare,&c. Quæ sit dispensatio sacramenti abscõditi à seculis in Deo,qui oĩa creauit*; & S.Lucas Christi generationẽ ad Deũ ipsum retulit,*Qui fuit*,inquit,*Adã,qui fuit Dei*.In hac igitur Dei ciuitate iure nobilitatis gaudent, qui fidei, & religioni nomen dederunt,atq; inter hos ẽt Rahab,i. Aegyptij,Babylonij;alienigenæ,hoc est,Philistæi,& Tyrus,& populus Aethiopum,hi.n.fuerũt illic:hac nobilitatis ratione,qui Ecclesiæ Christi aggregãtur,viri hoc est fortes,ac clarissimi appellãtur. Vnde Propheta subdit.*Nũquid Sion dicet,homo, & homo*;propriè vir, & vir *natus est in ea*,nõ .n.fideles vulgares homines,sed viri in scripturis appellantur,quamuis ignobiles sanguine,& natalibus sint. Vnde Isai. 56.dicitur. *Beatus vir,qui facit hoc,& filius hominis,qui apprehẽdet istud,custodiens sabbatũ,ne polluat illud,custodiens manus suas,ne faciat omne malũ.* In lectione hebraica dicitur beatus Enos, quod ignobilitatis,& miseriæ nomen est,& filius Adã,quod terrenã,& vilem originem indicat;ac si diceret,nemo siue vir,siue homo miser,nemo ignobilis,nemo obscuris natalibus, qui Dei præcepta custodit,& per diuina sacramenta, & vitæ innocentiam,Dei gratia fit noua creatura. Est igitur sensus verborũ Prophetæ, *memor ero Rahab, & Babylonis*, hoc est vocabo ad Ecclesiam meam ẽt superbos, & prophanos homines,eosq; viros insignes,ac celebres in mea Ecclesia constituam,nec illis præcedentia vitia ẽt ingentia nocebunt,dũ à me ad veræ fidei cognitionem efficaciter veteri homine exuto vocantur,nec .n.nocuit Rahab meretrici,quòd cauponariam exerceret,& quòd alienigena esset:*Nõ dicat*,inquit Isai. 56. *filius aduenæ,qui adhæret Dño,dicens,separatione diuidet me Dominus à populo suo,quia hæc dicit Dominus,filios aduenæ, qui adhærent Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius, vt sint ei in seruos, adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ; holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus mea, domus orationis vocabitur à cunctis populis*. Rursus, nil nocuit Iephte, quòd esset filius meretricis, quamuis, vt Iuuenal. dixit Satyr. 6. *Oderunt natos de Pellice*, quominus repromissiones adipisceretur;sic etiã Matthæus ex telonio, Paulus ex arte scenofegia, Petrus ex piscatione, atque alij Christianæ Reipublicæ proceres ex humili,& infimo statu assumpti fuerunt. Quid? quòd etiam Deipara ex humili, & infimo statu creatura ad altitudinem,& nobilitatem diuinæ maternitatis euecta

Ioan. 1.

fuit,testante ipsamet de se ipsa, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ*; sed de hac re proximè suo loco.

NONNVLLI, inter quos est Iacobus de Valētia,putant,in hoc versu describi quartā dignitatem ipsius Ecclesiæ,ex copia,& multiplicatione ciuium,atq; etiam largam,ac copiosam effusionē legis euangelicæ, & amplissimā Christianorū conuersionē per totum orbem,& hic nominari quatuor nationes,Rahab,& Babylonē,& alienigenas,Tyrum,& populū Aethiopum, vt totū populum gentilē, qui ad hāc Dei ciuitatem per fidem Christi venturus erat,intelligeremus. Quòd si quæras,cur speciali ratione fiat mentio de Rahab,respondet ex historia,quæ legitur Iosue 2. Rahab.n.meretrix recepit exploratores,quos miserat Iosue, in domo sua,abscondítq; eos,quos ēt rogauit,vt quando ciuitas caperetur,ipsa saluaretur cum familia sua; atq; ita factum est, posuit .n. coccinum in fenestra in signum,& quando ciuitas est capta, & euersa,sola Rahab saluata est,& fuit recepta in populo Israel,& Salomon duxit ipsam in vxorem, ex qua genuit Booz: per quod mysterium fuit figuratus, & significatus populus gentilis,qui relicta Idololatria,& recepturus fidem Christi,erat connumerandus,& recipiendus in Ecclesia,& debebat ponere coccinum in signum in fenestra, idest crucem sanguinis Christi per baptismum in fronte sua. Et sic ille populus per signum Crucis, & Baptismum de vastatione Diaboli liberatus,Christo per fidem erat desponsandus, & in numero Christianorum aggregandus per eorum prædicationem, qui scientiam Crucis Christi habuerunt,hoc est Apostolos.

ALIA horum verborū interpretatio ex hebraica lectione deprehenditur,cum non Rachab per *Keth*, in medio scribatur, vt scribitur nomen illius meretricis, sed Rahab,per *He* in medio dictionis,quæ vox Aegyptum significat, seu superbum, vt ēt S. Hier.in suo Psalterio ex hebræo conuerso habet; quam lectionem sequitur ēt ex recentioribus Genebrardus,& sensus est;commemorabo Apostolis Rahab,& Babylonem,eisq; dicam,vt eò pergant ad gentes conuertendas,& mihi Christo subijciendas.Nonnulli,teste Euthymio, per Rahab Arabiā intelligunt, alij Chananæos,sed sensus idē est.Chaldæus sic vertit,cōmemorare faciam laudes tuas Aegyptios,& Babylonios ijs,q̄ sciunt te.Porrò Aegyptus fuit multis illustrata miraculis,clarissimisq; viris sanctis referta,& ibidem fides Christi celeberrimè,ac feruentissimè propagata,iuxta illud Isai. 19. *In die illa erunt quinq; ciuitates in terra Aegypti,loquentes lingua Chanaā, & iurantes per Dominum exercituum*,& iuxta illud. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Aegypti*, & illud. *Et mittet eis saluatorē,& propugnatorē, qui liberet eos*,& illud. *Et cognoscetur Dominus ab Aegypto, & cognoscent Aegyptij Dominum in die illa,& colent eum in hostijs, & muneribus, & vota vouebunt Domino;& soluent*, atq; hæc oīa ingressui Christi in Aegyptū referenda sunt,de hoc.n. ingressu in Aegyptū eiusdē Isaiæ verba eodē c. 19. accipienda sunt. *Ecce Dominus ascēdens super nubē leuē*,hebraicè verò dicitur.Ecce Iehouah equitans super nubē leuē, vt scribit Eusebius Cęsariensis lib. 6. de demonstratione Euangelica c. 20. & Lyranus,vbi per nubem leuem,seu crassitudinem leuem,corpus ipsius Christi ex Virgine sumptū, & Spiritus Sācti opera fabricatum interpretantur: dicant, inquit Eusebius, hebræi qn̄ post Isaiæ tēpora Dominus apud Aegyptios sit versatus; & quis Dominus super crassitudine leui hic inuectus esse dicatur; interpretentur præterea crassitudinē leuem,quę tandem ea sit,& quā ob rem non sine hac dicatur Dominus versari in Aegypto, & quando memoriæ proditū sit,cōmota esse simulachra Aegypti, & Aegyptios cum Aegyptijs pugnasse propter Domini ad homines aduentum,& Deos illorū, Dęmones videlicet,qui multū prius valebant,nihil amplius posse,neq; respōdere sciscitantibus.Hæc ille.Quod etiā affirmat S.Athanasius lib.de Incarnatione Verbi,eiusq; corporali ad nos aduētu:quamquā pro nube leui legāt nimbū leuē;

Nubes Leuis caro Christi; & Deiparæ.

Cyril-

Cyrill. Alex. lib. 2. Comment. in Esaiam, & Procopius in comment. eius capitis. Non me latet, per nubem leuem nonnullos ex Sanctis Patribus Beatam Mariam aptissimè interpretari, vt S. Hier. in Comm. super Esai. & in 1. c. Ezechielis, & S. Ambrosius in exhort. ad Virgines, & ser. 5. in Psal. 118. & per Aegyptũ afflictiones huius mundi, ad quas pro nobis sustinendas Christus mundũ ingressus est; sed hæc expositio est moralis, licèt literalis quoq; sit interpretatio illa leuis nubis de B. Virgine. Tradidit Genebrardus in Psal. 106. post receptam Christi religionem, etiam multa deserta Aegypti in agros fertiles, & fœcundos conuersa fuisse; sicut propter hæresim, & derelictam Romanam pietatem multa Regna, multæq; prouinciæ, vt Anglia, Scotia, Hybernia ad antiquam sterilitatem, & miseriam paulatim reuertuntur. Quo verò abierint augustissimi, ac celeberrimi mores Germanorũ, mutata in peius religio in dies attestatur, sicut .n. fides vera naturam complet, ac perficit; sic falsa religio quicquid boni in natura est, inuertit, destruit, ac penitus tollit, Deo authore naturæ, & veræ pietatis iustè sic disponẽte. S. Cyrillus Hierosolymitanus Cathechesi 2. ex hoc loco deducit, Rahab publicã meretricem per pęnitentiam saluatam esse. Aspice inquit, Rahab ò mulier, & spera tu quoq; salutem; nã si ea, quæ aperte publicèq; scortata est, saluata est per pęnitentiã, numquid quæ semel tantum fornicata est ante gratiam, per pęnitẽtiam, & ieiunium non seruatur? Quomodo autem saluata est illa perquire; hoc tantum dixit, *quia Deus vester in Cælo, & in terra*: Deus vester, suum .n. dicere non audebat, eò quòd se impuram sentiebat. Quòd si scriptum habere vis testimoniũ, illam esse saluatam, habes scriptum in psalmis, Memor ero Rahab, & Babylonis, & postea cognoscent me. O magnã Dei benignitatem: ẽt inhonestæ mulieris meminit in peccatis, sed non simpliciter meminit, verũ scientiũ me: ita Cyrillus.

Hæreses Regna in miseriã & sterilitatem deducunt.

Probos mores peruertunt.

Donum naturæ destruunt.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

Quomodo hæc verba, Memor ero, &c. eximium priuilegium Deiparæ indicent.

GENTIVM, & populorum ad Christi fidem conuersio ex officio, & ex diuina legatione Apostolis tamquam omniũ fidelium patribus à Christo cõmissa, & demãdata fuit. *Euntes in mundũ vniuersum prædicate Euãgelium omni creaturę* Matt. 28. Marci vlt. & Ioan. 20. *sicut misit me pater, & ego mitto vos.* Quare Paulus 1. ad Cor. 4. illis dixit, *per Euangeliũ ego vos genui*, & ad Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio*: Verũ numquid mundi cõuersioni, ac regenerationi mater deerit? nequaquã certè, cũ Beatæ Virgini, quæ rectè omniũ credentium mater dicitur, ex diuino priuilegio in Cruce à Christo pendente ei prestito cõmissum fuerit, Ecclesiæ in suo genere curam habere; *Ecce filius tuus, & ecce mater tua* Ioan. 19. In quibus verbis mater adoptiua omnium fidelium à Christo constituta fuit, & queãdmodũ cætus Apostolorum per prædicationem, & sacramentorum administrationm, per miracula, & alias Apostolicas functiones vniuersum mundũ ad fidẽ Christi perduxit, ita per feruentissimã eius intercessionẽ, eximias virtutes, atq; egregia exempla oẽm animam saluandã ad Christum suũ filium, dono pęnitẽtiæ, & cõuersionis impetrato, si velit, & cõsentiat, Deipara adducit; ẽt si talis anima meretrix, & sũmis facinoribus, immensisq; vitijs sit referta: fuit. n. Rahab meretrix, quæ quia sola Dei recepit exploratores, subuerso Hierico, sola quoq; incolumis reseruatur, & illius

non solum in hoc mundo per vocationem ad pœnitẽtiam,sed etiam in die Iudicij per condignam remunerationem Deus memor erit. Iosue 2. sicut etiam omnium eorum,quorum typus fuit:hoc est officiũ,hoc munus Deiparæ. Vnde Ecclesia canit in Hymno,*solue vincla reis,&c. Monstra te esse matrem, &c.*

VERVM, vt dulcius tam eximij Beatæ Virginis muneris partes degustemus,non abs re hoc in loco tractandas esse duximus sex quæstiones,per quarum resolutiones non solum intellectus ad tantæ Virginis cognitionem,sed etiam affectus ad illius amorem etiam atque etiam inflammetur.

PRIMA igitur quæstio erit. Quomodo Deipara sit mater cunctarum gentium,seu omnium viuentium.

SECVNDA. An omnis vocatio,conuersio,iustificatio,cęteraq; alia dona spiritualia à Deo per Virginem hominibus communicentur.

TERTIA. An Angelis aliquid gratiæ, vel gloriæ per Mariam accreuerit.

QVARTA. An ad existentes in purgatorio auxilium Deiparæ perueniat.

QVINTA. An aliquod auxilium Virginis perueniat quoque ad Ethnicos,& infideles.

SEXTA. An interdum nonnullis existentibus in inferno aliquod leuamen à Beata Virgine communicetur.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

Quomodo Deipara sit Mater omnium viuentium.



NON ante,sed post quam Deus primis parentibus maledixit, Adam nomen Euæ primæ mulieri imposuit,vt ex ordine literæ Gen.3. planè cognoscitur,vbi post latas male dictiones subiungitur. *Et vocauit Adam nomẽ vxoris suæ, Heua: eò quod esset mater cunctorum viuentium,* vt ibidem Tostatus notauit. Qui etiam addit, hoc nomen Heua in hebræo haberi *Haua,* quod nomen descendit de Hay, quod interpretatur vita,vel viuens,quoniam,vt redditur ratio in litera ipsa,est mater omnium viuentium; est enim mater alterum principium generis,quæ sobolis futuræ semen fouet atque viuificat.

VERVM, vt rectè loquitur Pererius tom. 1. in Genes. lib.6. non satis liquet,an hęc impositio nominis præpostero ordine narretur à Mose,sitq; id nominis impositum vxori ab Adamo,vel ante peccatũ,vel postquam è paradiso fuerunt eiecti: non enim verisimile fit, cum Adamus iudicio Dei vehementer premeretur,inter medias pęnas,& flagella,amarissimamq; mortis denunciationem, quasi tranquillo,& vacuo animo, de imponendo nomine vxori cogitasse. Nec desunt qui existiment,Adamum ingenti dolore obstupefactum, quòd tantis bonis spoliatus esset,tantisq; malis, mortiq; malorum omnium extremo addictus, vxorem suam eorum malorum auctorem,& mortis causam, ceu per amarum quendam iocum, acerbamq; ironiam appellasse matrem omnium viuentium, quemadmodum Græci furias infernales appellant Eumenides, idest, faciles ac mites,a cõtrario nempè,quippe cum sint duræ,& inexorabiles.Illa verba. *Quòd esset mater cunctorum viuentium,* sunt ipsius Mosis, & illud *esset*, dictum est, pro futura esset.Eugubinus ridet Lyranum,interpretantẽ nomen Euæ tamquam significans matrem omnium non simpliciter,sed ærumnosè,ac miserè viuẽtium. Sunt qui opinentur, sic vxorem suam appellasse Adamum, habito respectu ad venturum Messiam, à quo solo peccati sui remedium expectabat,qui nasciturus

erat

erat ex sola muliere sine commixtione viri: idcirco mulier dicta est mater omnium viuentium, non autem Adam dictus est pater omnium viuentium. Plus meo iudicio nouitatis, & admirationis habet, quam fidei, quę est apud Rupertum in cap. 26. lib. 3. de Trin. & eius operibus, horum verborum interpretatio, & sententia. Censet enim Rupertus, Adamum ex ingenti superbia, animiq; peruicacia hanc diuinam sententiam mortis aduersum se pronunciatam, aut minimè credentem, aut paruipendentem, appellasse vxorem suam matrem viuentium, quasi diceret. Nec timeo mortem: quinimò & me victurum credo nihilominus, quàm si nō peccassem; & idcirco vxorem meam appellari Euam volo, quòd futura sit mater omnium viuentium. Sed audiat lector Rupertum suis ipsum verbis sententiam hanc explicantem. Quid ait insanius, quàm in illo talis causæ iudicio illam nuncupare Euam, idest vitam, quæ vitam in se non habebat, eamque dicere matrem cunctorum viuentium, quæ potius mater est cunctorum morientium? Omnes enim in peccato eius moriuntur, & nemo filiorum eius viuit, nisi qui per vnum hominem Christum viuificantur. Mirabile itaque est, quòd vbi mortis corporeæ sententia ferebatur; iam spirituali morte mortuus, & postea corporali etiam moriturus, illic vxorem suam Euam, idest, vitam appellauit. Igitur cum hoc narrauit Moses, Adamum accepta mortis sententia, vxorem suam appellasse nomine vitæ, hoc procul dubio significare voluit. Quemadmodum superius dicenti Deo, *in quocumque die comederis ex hoc ligno; morte morieris*, non credidit, sed comedit, quia mulierem, quæ prior comederat, non statim corporaliter mortuam esse vidit: sic & nunc dicenti Deo; *Quia puluis es, & in puluerem reuerteris*, adeò non credidit, vt è contrario vocaret nomen vxoris suæ Euam, idest, vitam, eò quòd mater esset cunctorum viuentium. Sic Rupertus à Pererio relatus. Quare Sanctus Hieronymus de nomin. hebraicis, interpretationem huius ponens ait: Eua, calamitas, aut væ, vel vita. Et licèt Eua fuerit Ecclesiæ typus, vt idem Hieronymus affirmat tom. 2. epist. 61. non tamen omnis historia, seu cuncta mysteria, quæ de Adam, & Eua in Gen. scripta sunt, ad Christum, & ad Ecclesiā facilè referri possunt, ut idem S. Hieronymus docet in Commentarijs Epistolæ ad Ephesios c. 5. Hæc tamen uerba, *mater cunctorum viuentium*, applicantur aptissimè Deiparæ à S. August. serm. de Natiuit. & ser. 35. de Sanctis, Athanasio de S. Deipara, Damasc. lib. 4. cap. 15. Anselm. lib. de excellentia Virginis c. 9. Epiphanio contrà Antidicomarianitas, & lib. 3. contra hæreses c. 3. qui eandem appellationem Mariæ tribuit, sic scribens. Quandoquidem, ut omnis hominum generatio ex prima illa, quæ primæuam nobilitatē inobedientia uitiauit, infeliciter exorta est, sic uera uita, qua Deo secundum spiritum viuimus, per alteram matrem Mariam verè obedientem nobis perditis, quasi restituitur, dū hæc ipsum vitæ fontem, & authorem Christum nobis exhibet; vetus Eua fętus suos priusquam pareret extinxit, nouerca potius, quàm mater appellanda. Sed noua hæc Eua non morientium, sed reuiuiscentium mater extitit, quæ incogitabili mysterio, de cuius osse fuerat genita, eum ipsum de sua carne vicissim genuit, nec ab alio fœcūdata, quàm quem peperit. Vnde Chrysologus serm. 140. dixit. In quibus Eua maledicta puniebat viscera, nunc in illis gaudet, honoratur, suscipitur Maria benedicta; & facta est verè nunc mater viuentium per gratiam, quæ Mater ante exstiterat morientium per naturam, corruptam nempè. Petrus item Damianus Serm. de Natiuit. Mariæ inquit. Per hanc Beatissimam Virginem non solum amissa olim uita hominibus redditur, sed etiam beatitudo angelicæ sublimitatis augetur, quia dum homo ad superna reducitur, illorum numerus, qui diminutus fuerat, reparatur.

TRIPLICI autem de causa Maria dicitur mater uiuentium. De qua re legendus est quoq; Albertus de laud. Virgin. c. 182.

PRIMO, quia est mater vitæ idest Christi, qui omnibus vitam afferent de se ipso dicit. *Ego sum via, veritas & vita*. Vnde Augustinus in lib. de quinque hæresib. c.6. Illa nobis mortem contulit, hęc Virgo vitam nobis peperit: & rursus serm. 18. Eua mater generis nostri, pęnam intulit mundo: Genitrix Domini nostri, salutem, & in lib. de fide ad Petrum, ibi, Fęmina decepta est, vt fieret filia Diaboli: hic verò Virgo gratia repleta est, vt fieret mater summi, atq; incommutabilis vnigeniti Dei. Idem testatur Tertullianus in lib. de carne Christi illis verbis. In Virginem adhuc Euam irrepserat Verbum ædificatorium mortis. In Virginem æquè introducendum erat Dei Verbum extructorium vitæ, vt quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Et Epiphanius lib. 3. contra hæreses c. 2. Ab Eua, inquit, omnis hominũ generatio genita est in terra. Nunc verò à Maria hæc vita mundo genita est, vt viuentem gigneret: & facta Maria mater viuentium. Quarè egregiè Petrus Chrysol. Serm. 143. dixit, loquens de Virgine; genuit genitorem suum, nutriuit omnium viuentium nutritorem.

SECVNDO, quoniam sicut Eua, tamquam naturalis mater suis filijs, ac filiabus (simul enim masculum, & fęminam pariebat) materiam, humores, spiritus animales, ac vitales, aliauè necessaria ad vitam naturalem consequendam ministrauit; ita Deipara omnibus, qui in Christo nascuntur, tamquam vera illorum mater spiritualis, per suam intercessionem, ac merita impetrat à Deo virtutes, pęnitentiam, contritionem, & perseuerantiam ad vitam æternam obtinendam. Vnde rectè ab Ecclesia his titulis salutatur. *Regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salue*.

TERTIO, quoniam sicut Eua fuit mater naturalis omnium viuentium, ita Maria omnium prædestinatorum tamquam filiorum adoptiuorum; & hac ratione Christus in Cruce Ioannis matrem Mariam pronunciauit, & Ioannem eius filium; in Ioanne omnes prædestinatos, & in Christum rectè credentes intelligens, vt rectè Rupertus lib. 13. in Euang. Ioann. & Tolet. in cap. 19. Ioannis adnotarunt. Quare optimo iure à B. Ephremo dicitur Maria mater pulchritudinis, & sanctæ spei, eò quod apud Crucem cunctos fideles in filios receperit. Vnde & aduocata in omni causa iustorum, & peccatorum conuersorum, etiam ipsius Euæ fuit, vt alibi ostensum est; & hac ratione à Cyrillo, & Ildephonso mater gentium, & mater pulchræ dilectionis nuncupatur. Addit Rupertus ibid. Virginem per dolores parturientis apud Crucem salutem omnium nostrum peperisse, & sic matrem omnium euasisse: Nec abhorret ab hac phrasi Lutherus in postilla circa Euang. de Natali Christi, vbi gloriatur, Mariam esse suam matrem, Christum fratrem, & Deum patrem; licèt ipse filius perditionis extiterit.

HINC sequitur, Beatam Virginem in suo genere (seruata proportione) esse in Ecclesia sub Christo tamquam vniuersalem causam salutis omnibus prædestinatis; & statum cuiuscumque prædestinati adiutricem Beatam Virginem habere, & ad eam tamquam cooperatricem salutis omnia referri, quæ ad singulos prædestinatos pertinent. Vnde Andreas Creten. Serm. de dormit. Virginis: Sola præter naturam fuit electa ad naturam renouandam, sola deseruit opifici vniuersæ naturæ.

HINC etiam sequitur, Beatam Virginem ratione sui status eminentissimi videre in Verbo, omissis alijs, etiam omnes singulares, & indiuiduales effectus, quos omnes, & singuli Beati inferiorum statuum vident; hoc enim ad dignitatẽ eius status omnino pertinet, vt rectè probat Suarez tom. 2. disput. 21. sect. 3. Vnde Germanus serm. de Assumpt. ait, Spiritus tuus, ò Maria, viuit in æternum, omnia obseruas, omnia intueris, & inspectio tua ad omnes se porrigit.

OP-

OPTIME igitur concluditur, B. Virginem per Christum, eiusque gratiam factam esse matrem, atque parentem omnium viuentium vita spirituali, & gratiæ, hoc est omnium bonorum.

ADDE, proprium, atque primarium nomen vxoris Adę non fuisse nomen Euæ, cum Virago primum appellata fuerit, Gen. 2. vt prudenter Steuchus ibidem obseruauit: nomen autem Euæ, seu vitæ impositum illi fuit propter aliud; nempè in figuram, & typum Deiparæ, quæ & Christi, qui est vera vita, & omnium, qui in Christo, & per Christum regenerantur, & viuificantur, parens futura erat, vt notat Epiphanius hæres. 78. Beata, inquit, Mater Dei Maria, per Euam significatur, quæ in ænigma accepit, vt mater viuentium vocetur, à Maria verè hæc vita mundo genita est, vt viuentem gigneret, & fieret mater viuentium: lege quæ de hac re scripsimus in lib. 1. nostrorum Commentariorum in Magnificat, cap. 18. De denominatione mulieris ex viro, eiusque conuenientia, lege Pererium tom. 1. in Genes. lib. 4.

RVPERTVS Abbas lib. 3. de gloria, & honore filij hominis in Matthæum, & lib. 13. de gloria Trinitatis, & processione Spiritus sancti cap. 20. docet, Christum Dominum Deum simul, & hominem, esse caput, & finem omnium diuinorum operum sub ipso Deo, sic scribens. Religiosè dicendum, reuerenterque est audiendum, quia propter hunc hominem gloria, & honore coronandum, Deus omnia creauit. Et infra; rectius dicitur, non hominem propter Angelos, sed propter quendam hominem Angelos quoque factos esse, & cætera omnia. Quod etiam dicit Cyrill. lib. 5. Thesau. cap. 8. & Iren. lib. 3. cap. 33. & August. lib. 1. de nup. cap. 21. & Galatin. lib. 7. de arcanis cap. 2. & 4. Sic etiam absque errore dici potest, Deiparam post Christum esse finem, & caput omnium diuinorum operum externorum: quocirca ea, quæ de sapientia incarnata, & increata dicuntur in scripturis, etiam ab Ecclesia, seruata proportione Beatæ Virgini applicantur, vt Prouerb. 8. *Dominus possedit me, &c.* Eccles. 24. *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* Quærit Albertus cap. 183. cur Deipara non dicitur mater matrum, sicut dicitur Virgo Virginum, & mater viuentium; & respondet, non dici matrem matrum, quia nomen matris non vniuocè, sed secundum prius, & posterius dicitur de Deipara, & alijs: quod tamen verum non est, cum Deipara vniuocè sit mater cum reliquis mulieribus, quamuis ea ratione, qua conceptio Christi fuit miraculosa, tum propter vnionem hypostaticam, tum ratione causæ efficientis humanam Christi generationem, tum ex parte modi dignior, & præ cæteris eminentior sit, ex parte tamen matris, quoad substantiam, & essentiam fuit conceptio Christi naturalis, vt docet Ambr. lib. de Inc. domini Sacra. c. 5. & 6. lege S. Th. q. 33. art. 4. par. 3. & ibi Suarez. Propter excellẽtiam igitur maternitatis diuinæ, mater matrum non appellatur, cum hęc inuicem comparationem non admittant.

CA-

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

An omnis vocatio, conuersio, iustificatio, cæteraque alia dona spiritualia à Deo per Virginem hominibus communicentur.

IN hac re illud primò certū est, omnia supernaturalia certo quodam modo per Virginem,& propter Virginem facta esse. Hoc dictum & ratione,& testimonijs sanctorum probatur: ratione quidem, quoniam per Virginem facta est Verbi æterni incarnatio, ob quam, seu propter quā facta sunt cuncta alia bona, & ad quam cætera alia bona supernaturalia referuntur: & est argumentum Suarez 2. to. in 3. p. S. Tho. disp. 21. sect. 4. *Gratia* n. *& veritas per Iesum Christum facta est, & de plenitudine eius omnes accepimus.* Ioann. 1. *Et omnia per ipsum*, hoc est, Verbum *facta sunt*, non solum in creatione, sed etiam in recreatione, redemptione, iustificatione, & glorificatione, vt optimè explicauit S. Paulus ad Colossen. 1. vbi de Verbo hoc loquens, sic inquit. *Quoniam in ipso condita sunt vniuersa in Cœlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante oēs, & omnia in ipso constant.* Et deinde agens de operibus recreationis, seu gratia sic subdit. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis; vt sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare; & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis, siuè quæ in terris, siuè quæ in Cœlis sunt.* Quocirca rectè à Græcis Patribus incarnatio dicitur Oeconomia, seù dispensatio, quod per incarnationem vniuersis creaturis complementum, & perfectio, & quasi omnium finis, seu vltima manus accesserit: lege Nazian. orat. 42. nō longè à principio, & Iustinum in expositione fidei, & alios.

Cūcta per Christum facta sunt primario, & secūdario ob Mariam.

SECVNDO, vt certum ponēdum est, omnia dona gratię per Virginem cæteris à Christo communicari: hoc dictum sequitur ex priori, est enim Christus finis omnium bonorum supernaturalium, Virgo verò mediatrix ad talem finem, vt S. Ephrem in orat. ad sanctissimam Virginem: est Christus caput corporis Ecclesiæ, Maria collum, per quem omnis motus gratiæ ad vniuersa membra defluit: est Christus fons irrigans vniuersum agrum Ecclesiæ, Deipara aquæductus, in quo congregantur omnes aquæ gratiæ, quæ ad cæteros riuulos deriuantur. Ita docet S. Bernardinus Senensis sermo. 10. in quadragesima his verbis. Nam omnium gratiarum, quæ humano generi descendunt, sicut quòd Deus generalis est dator, & Christus est generalis mediator: sic per gloriosam Virginem generaliter dispensantur. Nam ipsa est collum capitis nostri, per quod omnia spiritualia dona corpori eius mystico communicantur. Ideo Cant. 7. dicitur. *Collum tuum sicut turris eburnea.* Quare ex sua benignitate omnes inuitat ad gratias, & beneficia sua suscipienda dicens: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implebimini*, sicut etiam Christus de se dixit tamquam principalis author gratiarum. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Vnde idem S. Bernar. serm. 98. Per te Virgo sancta Cœlum repletum est, infernus euacuatus est, & ruinæ cœlestis Hierusalem instauratæ. Et infrà, Maria omnibus facta est, sapientibus, & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem,

S. Bernardinus.

tionem,

tionem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriã, deniq; filij persona carnis humanæ substantiam, vt non sit, qui se abscondat à lore eius. Et Germanus serm. de Zona Domini, sic Virginem alloquitur: Non est vlla societas tuæ defensionis, non est numerus tuorum beneficiorum; nullus enim est qui saluus fiat, nisi per te Virgo sanctissima; nemo est, qui liberetur à malis, nisi per te, ò castissima; nemo est, cui donum cõcedatur, nisi per te, ò castissima; nemo est, cui misereatur gratia, nisi per te, ò honestissima. Quæ omnia per Christum, quem ipsa genuit, veritatem habere intelligenda sunt. Petrus Chrys. ser. 140. Quantus sit Deus satis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur. Pauet Cœlum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, & vna puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, vt pacem terris, Cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cœlestibus parẽtelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa domus exigat pensione. Et ser. 2. Pentecostes. Tunc inquit, operabatur salutem nostram in medio terræ, in vtero videlicèt Virginis, qui mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negocium sęculorum respiciunt, qui in Cęlo habitãt, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos, qui sumus, & qui sequentur, & qui nati natorum, & qui nascentur ab illis. Et infrà. In te Angeli lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in ęternum. Meritò in te respiciũt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis, quicquid creauit, recreauit. Et alia similia multa habet in sermo. *Signum magnum*, & in serm. de Natiuit. Mariæ, quibus in locis indicat nullum gratiæ donũ communicari hominibus nisi per Mariam. Et inter alia, inquit: Maria omnibus facta est, sapientibus, & insipientibus copiosissima charitate se debitricem effecit, omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis cõsolationem, peccator veniã, iustus gratiam, Angelus lætitiam, tota Tribitas gloriam, denique filij persona humanæ carnis substantiam, vt nemo sit, qui se abscondat à calore eius, vt paulò ante diximus ex S. Bernardino Senensi. Laurentius Iustin. serm. de Annunciatione; Magna, inquit, profectò fuit Mariæ gratia, exuberans, atque completa, quæ Cœlis dedit gloriam, terris præbuit Deum, gaudium præstitit Angelis, sæculoque pacem refudit, fidem docuit gentes, vitijsque finem imposuit, humanæ vitæ instituit ordinem, atque spiritualem edidit moribus disciplinam. Quo modo est Maria, iuxta Gabrielis oraculum, plena gratia, quæ effecta est Mater Dei, Paradisi scala, Cœli ianua, interuentrix mundi, Dęmonum fuga, peccatorum spes, Dei, & hominum verissima mediatrix.

PRÆTEREA Petrus Damianus serm. de Annuntiat. sic scribit. Euocatur cœlestis ille conuentus, init Deus, cogit consilium, facit Deus sermonem cum Angelis de restauratione eorum, & de redemptione hominum, ac statim de thesauro diuinitatis Mariæ nomen euoluitur, ac per ipsam, cum ipsa, & in ipsa totum hoc faciendum decernitur, vt sicut sine ipso nihil factum est, ita sine illa nihil refectum sit. Et in ser. de Assumpt. explicans illa verba psal. 22. *Virga tua, & baculus tuus*, ait, In Virgine virga, & baculo Cruce peccatorum spes, & consolatio sita est.

RICCARDVS Vict. cap. 26. in Cantic. Talis, inquit, fuit in virtutibus, tantaque fuit eius charitas, vt non solum ad eius gentem, Iudæos scilicet extenderetur: sed ad ignotos, & notos, ad omnes denique homines dilatata fuerit, pro his indesinenter orauit, pro his sollicita fuit, pro his orando exaudita fuit, dicente ad eam Angelo Gabriele, inuenisti gratiam apud Deum, scilicet, quem quærebas. Omnium salutem desiderauit, quæsiuit, & obtinuit; immò

Petrus Chrys.

immò & salus omnium per ipsam facta est; vnde & mundi salus dicta est.

TERTIO affirmandum est, omnes creaturas, & vniuersum mundum ob Mariam secundariò conditum esse, sicut primariò ob Christum Dominum: hi enim duo inuicem se consequuntur, hic est Rex mundi, etiam Angelorum, hæc verò Regina, vt alibi expositum est: lege Anselm. in lib. de excellentia Virginis cap. 9. & in lib. de Conceptu Virginali cap. 7. dicentem: Sicut Deus omnia creando, pater est, & dominus omnium: ita Beata Virgo suis meritis cuncta reparando mater est, & domina rerum. lege Idiotam in Procemio libri de laudibus Virginis.

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

An Angelis aliquid gratiæ, vel gloriæ per Mariam accreuerit.

EATVS Petrus Damianus in ser. de Natiuit. B. Mariæ affirmat, per Deiparam beatitudinem Angelicæ sublimitatis, & gloriam augeri, non quidem essentialiter, hoc enim pendet ex eorum meritis, & Dei gratia, sed quantum ad eorum numerum, qui iam diminutus per malorum Angelorum casum, dum homo per merita B. Virginis ad salutem ducitur, completur: sed vlterius est dicendum Angelos etiam habere gratiam, & gloriam à Christo, & consequenter ab eius matre: ita docet S. Th. exponẽs illud Io. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus*, s. inquit, omnes Apostoli, Patriarchæ, Prophetę, & iusti, qui fuerunt, sunt, & erunt, & etiam oẽs Angeli. Et infra: quia plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omniũ gratiarũ, quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis. Idẽ sentit Albertus in 3. dist. 13. art. 2. vbi dicit, Christum esse caput Angelorum, quoad influxũ gratiæ, & gloriæ. In eandẽ sententiã inclinat Ruardus art. 2. circa prin. Catharinus lib. 1. de eximia Christi prædestinat. & opusc. de gloria, & peccato Angelorũ, Galatinus lib. 3. de arcanis catholicæ veritatis c. 4. Io. Arboreus lib. 3. theosophiæ c. 13. Vigueri. in institut. c. 20. §. 1. vers. 4. Iac. de Valentia in id ps. 102. *Benedicite Dñm omnia opera eius*; Naclantus super ep. ad Eph. 1. & in lib. cuius titulus est, Medulla sacræ scripturæ, in tertia mundi ætate c. 2. Melchior Flauius lib. de Regno Christi, & Fulgent. lib. 2. ad Trasimund. c. 3. vbi hæc scribit: Vna est in vtroque (s. Angelo, & homine) gratia operata, in hoc, vt surgeret, in illo, ne caderet: in illo, ne vulneraretur, in isto, vt sanaretur: ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmare non sinit, illius esca, istius medicina: & Greg. lib. 1. reg. c. 2. circa illa verba: *Non est alius extra te*, Subauditur, inquit, Sanctus, quia nullus hominum, neque Angelorum sanctus est nisi per Christum. Et infra dicit, tam Angelos, quàm homines esse sanctificatos in filio: rem verò magis declarans addit. Et quia vnigenitus Dei Deus est, extra eum non est aliquis, quia nemo electorum, nisi in ipso est, quod sic refertur ad diuinitatem eius, vt nequaquam intellectum humanitatis euacuet. Et hom. 14. in Ezechiel. exponens illa verba cap. 40. *Et ecce murus forinsecus in circuitu domus vndique*, sic loquitur. Vnigenitus Patris, qui sursum est firmitas Angelorum, inferius factus est hominum redemptio. Appellat autem murum extrinsecum, Verbum incarnatum: lege Rupertum lib. 3. de processione Spirit. sancti cap. 21. & Laurentium Iustin. serm. de Ascensione, vbi dicit, Christum factum esse parietem hominum, & Angelorum, quod sine

sine dubio quoad humanitatem intelligendum est.

VNDE egregiè Idiota in lib. de Virgine Maria cap. 4. sic scribit. Inter omnia opera æterni opificis, post operationem illam, qua naturæ nostræ vnitus est filius tuus, speciale opus fuisti, ò Beatissima Virgo Maria, quia ad hoc te fecit, vt quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur. Hic enim summus opifex primò condiderat angelicam naturam, quæ in parte ceciderat; & humanam, quæ corrupta erat, & corpoream inferiorem, quæ peccato hominis fuerat deterior effecta: sed ad hæc omnia fecit te Deus, Virgo Maria, sanctissimam; vt ex tuo superbenedicto fructu angelica natura repararetur, humana renouaretur, inferior à seruitute liberaretur. Ædificauit ergo Angelis te Reginam, hominibus medicinam, creaturæ inferiori libertatem. Et paulò post. Ideo dicitur, sapientia ædificauit sibi domum, idest te Virginem Mariam, vt in te habitaret per humanæ naturæ assumptionem, & non solum sibi ipsi soli te fecit, sed te Angelis dedit in instaurationem, hominibus, & nostræ naturæ in reparationem, inferiori creaturæ in liberationem, sibi in matrem, Dæmonibus in hostem, detentis in Limbo in ereptionem; nam in principio cum ceciderāt Angeli, natura erat corrupta, Deus offensus, & Diabolus victor, sed per te, ò superbenedicta Virgo Maria, innocentia reparatur, vita angelica reducitur, Deus homini pacificatur, & vnitur, Diabolus vincitur, & conteritur.

ALIA loca, seu testimonia Patrum ad hanc rem probandam adduci possent, sed hæc sufficiant.

CONCLVDENDVM est igitur, Christum etiā ratione humanitatis fuisse causam meritoriam gratiæ, & gloriæ Angelorum, omniaque dona, & gratias Angelis concessas ex meritis Christi profluxisse, non quidē in eius morte fundatis; hoc enim solis hominibus competit, sed in eius charitate, & bonis operibus, vt rectè docet Suarez 1. tom. in 3. par. S. Thomæ disputat. 41. sect. 2. vbi latè hanc materiam tractat. Quare ea, quæ scripsit S. Bernardinus serm. 56. de Passione Christi, scilicèt, quòd Christi Crux est triumphale vexillum glorificandorum, tam Angelorum, quàm etiam hominum; & quòd est communis thesaurus, tam electis Angelis, quàm etiam electis hominibus; & quòd est commune gaudium Angelorum, & hominum; & quòd Crux data est in exemplum Angelis, & hominibus: hæc inquam omnia non sunt quidem penitus reprobanda, sed limitanda, & exponenda secundùm dictam distinctionem: & licèt nos alibi aliam opinionem amplexati fuerimus, tamen hæc postrema sententia maximè hodie nobis arridet; est enim Christus sol totius Ecclesiæ in omnia eius membra radios suarum gratiarum, & donorum effundens; est Christus caput omnium Angelorum, & hominum; est Christus caput totius Ecclesiæ, quæ ex hominibus, & Angelis constat, vt rectè docet S. Thomas in 3. par. q. 8. ar. 1. & 4. & in gratiam concionatorum, hæc sententia maximè propaganda est: multa autem eorum, quæ Christo ratione humanitatis conueniunt, seruata proportione, & secundariò tribuenda esse Beatissimæ Virgini, omnis bona Theologorum schola affirmat.

CAPVT TRIGESIMVM.

Ad animas existentes in Purgatorio auxilium Deiparæ perueniat.

ET respondendum est affirmatiuè; quod probatur nonnullis rationibus.

PRIMO ex ratione charitatis, qua ipsa prædita est. Deipara enim in patria, & in statu beatitudinis illud opus charitatis in primis exercet, vt oret pro hominibus, & præcipuè pro illis, qui in angustijs, molestijs, ac pœnis constituti sunt, cuiusmodi sunt animæ, quæ in Purgatorio morantur; nec minus charitate excita prompta est in patria ad orandum Deum pro hominibus, quam fuit in via; At in via pro his, qui erant in Limbo orasse, & consolationem aliquam illis impetrasse, affirmat Idiota loco superius citato in illis verbis; in Limbo detentis in ereptionem. Et S. Bern. in sermon. 2. de Pentecost. dicit ad Virginem respicere, tanquam ad causã salutis, secũdariam nempè, & qui in Cœlo habitant, & qui in inferno, hoc est olim qui in Limbo erant, nunc autem qui in Purgatorio: neque enim dubium est, vt inquit Sanctus Augustinus serm. 35. de sanctis, illam, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus libertatis impendere suffragium; patrocinium enim Virginis maius est, quàm intelligentia humana apprehendi possit, vt inquit Germanus Constantinopolit. serm. de Zona Virginis. Quòd si S. Petrus in sua Canon. 2. cap. 1. dixit, *dabo autem operam frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis*, idest habere vos in memoria, atque iuuare, vt hæc adimpleatis; cur non etiam Deipara post obitum in Cœlis regnans curabit, vt non solum animas viuentium ab æterno impediat supplicio, impetrando illis, & præseruatiua remedia ab incursione peccatorum, & efficacia ad Dei gratiam consequendam, nec non conseruatiua ad in ea perseuerandum; sed etiam vt animas piè defunctorum à temporalibus Purgatorij pœnis liberet? cum illa enixè cupiat, animas eorum, qui in Domino moriuntur, quantocius ad cœlestem beatitudinem peruenire, est enim mater cunctorum in Dei gratia viuentium, & morientium. Quocirca rectè Ecclesia in Collecta defunctorum, inquit, *intercedente B. Maria semper Virgine cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas*. Quare celeberrimus ille Concionator Episcopus Bitontinus in concione habita in die commemorationis omnium defunctorũ, rectè appellat Deiparam vnicam spem post filium, viuorum, & mortuorum.

S. Bernardus.

B. Virginis patrocinium maximum.

Germanus.

S. Petrus.

2. Cor. 1.

SECVNDO id omninò probatur ex picturis, & imaginibus, cum approbatione Ecclesiæ factis de B. Virgine: Ecclesia enim, vt ostendat hunc benignissimum Virginis effectum, eiusq; pijssimum affectum erga animas laborantes in Purgatorio, permittit, immò approbat vsum illum depingendi, in quo circa pedes, seu extremas partes imaginis Beatissimæ Virginis, multæ animæ in flammis Purgatorij, & ardentissimi ignis detentæ, atque in illis immersæ, seu inuolutæ astant, liberationem, ac refrigerium ab ea postulantes, atque omninò sperantes; super quas mater misericordiæ benignitatem suam exhibet, & quasi lac refrigerij ex suis mammillis defluens instillat, benignosque oculos ad eas conuertit. *Nunquid enim de petra agri deficiet nix Libani?* Ecclesiast. 24. Etenim clementia Deiparæ, quæ est petra Libani, non potest non afferre aliquid consolationis, ac refrigerij ijs, qui purgantur in igne, & in ea spem suam collocant: hoc

B. Virgo vnica spes viuentium & mortuorum.

hoc fané modo se habent picturæ, & imagines Virginis apud Carmelitanos ex Ecclesiæ permissione. Mitigat autem earum pœnas, vel penitus ab ipsis eas liberat Deipara, suas nimirum satisfactiones illis applicãdo, & Deo offerendo ad diuinam iustitiam compẽsandam, quas benignè postulat à Deo recipi. Vnus. n. pro alio etiam mortuo satisfacere potest, & hoc genere satisfactionis beati dicuntur pro alijs satisfacere, dum eorum satisfactiones sibi ipsis superabundãtes, dum viuerent comparatas, pro corpore Ecclesiæ offerunt, vt in lib. 2. de Iubilæo diximus, quod etiam Beatam Virginẽ præstare, non est dubitandum: vel certè per intensionem pœnarum, quæ tunc ad prædictum effectum ob intercessionem Beatæ Virginis aggrauantur, & intenduntur à diuina iustitia, & sic abbreuiantur, alioquin enim diuturniores essent futuræ.

Quomodo Beata Virgo liberet animas à Purgatorio.

TERTIO, huiusmodi clementissimum affectum B. Virgo ostendit in die suæ assumptionis in Cœlũ; multas. n. animas è Purgatorio tunc eripuit, quæ gratulanter ascendentẽ Virginẽ ad filii dexterã comitatæ fuerunt. Ita scribit Ioan. Gerson Cancellarius Parisiensis super Magnificat tract. 4. in fi. cuius rei eã assignat rationem, quoniã tunc Regina coronabatur, & è carcere dimitti animas, Reginamq; suam sequi par erat. Non est quidem, inquit, incredibile, Christum fuisse, cuius currus erat decem millibus multiplex, per Angelos ducens secum multã ex Purgatorio captiuitatem, ob honorem nouæ coronationis ipsius, quæ Regina misericordiæ, & domina gratiæ, & mater misericordię, sub cuius imperio sunt omnia iura regnorum; vt in suo nomine flectatur omne genu, cęlestium, terrestrium, & infernorum; quamuis aliter ad filium benedictum, qui tamẽ subditus dignatus est esse illi: quod etiam refert Barradius tom. 1. lib. 6. cap. 12.

Dum assumitur in Cęlum Deipara, animas ex Purgatorio multas liberat.

QVARTO, nonnullis exemplis idem demonstratur: scribit Thomas Cãtipratensis in vita S. Lutgardiæ apud Surium in Iunio, Ducissam Brabantiæ, quæ fuit filia Philippi Regis Francorum, cum grauissimè ęgrotaret, instãter à S. Lutgardia, quæ sanctimonialem vitã agebat in quodã Monasterio in sua ditione posito, petijsse, vt pro eius sanitate acquirenda feruentissimas ad B. M. V. preces funderet, quibus fusis, significauit illi ex eadẽ infirmitate ipsã non conualiturã; quocirca præfata Ducissa media pęnitentia, & susceptione sanctissimorũ sacramentorum ad moriendum se præparauit, & in Domino religiosè quiescens, non largo interiecto temporis interuallo, anima eiusdem Ducissæ iam gloriosa Sanctæ Lutgardię apparuit, dicens illi, se ex Purgatorio iam citò egressam esse precibus, ac intercessione Beatissimę Virginis, cui dum viueret piè inseruiuit, & deuotissimas orationes ad eam direxit. Secundum exemplum habetur in eadem historia Sanctę Lutgardiæ, cui Innocentius Tertius Papa post suum obitum apparuit, horribilibus igneis flammis vndequaq; adustus, inquiens illi, se à pœnis quidem inferni media pœnitentia inter viuos ab eo peracta immunem esse, nõ autem à pœnis Purgatorij, à quibus liberari, cum acerbissimę essent, suis precibus, ac suffragijs Christianis ab ea exhibitis omninò petebat, subdens, B. Virginem ob Monasterium in eius honorem ab ipso Innocentio constructum, impetrasse à Deo facultatem, vt eidem Sanctæ Lutgardiæ ad eius exposcenda suffragia ipsius anima posset apparere: lege Ariam lib. 1. tract. 3. de Beata Virgine.

ERRAVIT hac in re Dominicus de Soto lib. 4. sentent. distinct. 45. quæstion. 3. artic. 2. in fine, vbi temerè negat, Sanctos, qui sunt in patria, orare pro illis, qui sunt in Purgatorio; nec eius ratio quicquam valet. Sancti, inquit, triumphantis Ecclesiæ non sunt in statu satisfaciendi, sicut viui militantis Ecclesiæ: at suffragia existentibus in Purgatorio non prosunt nisi per modum satisfactionis: hoc inquã dictũ expressè repugnat Ecclesiæ, quæ Deo supplicat, vt Beata Maria intercedente, & omnibus Sanctis, animas Defunctorum ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedat, vt etiam superius diximus:

Beati in Cœlo orant pro animabus Purgatorij contra Sotũ.

Beati non pro se, sed pro alijs satisfacere possunt, & quomodo.

& licèt Beati non sint in statu satisfaciendi pro se ipsis; absterſit enim Deus omnem lachrimam ab oculis Sanctorum, & iam non est amplius luctus, neque clamor, nec vllus dolor in plateis eorum ratione propriæ personæ; sicut etiam nec pro se ipsis orant, cum nihil habeant, quod pro se ipsis petant; tamen pro alijs orare, & illis satisfactionem impetrare possunt, & hac ratione pro illis satisfacere, non quidem per opera afflictiua, quæ repugnant eorum statui, sed per preces, & suffragia orationum, & supplicationum, quæ iuuant animas separatas, quatenus sunt impetratoriæ, quod est ipsi orationi proprium. Possunt quoque pro illis satisfacere, offerendo diuinæ iustitiæ labores, & opera satisfactoriæ supererogationis, quæ in hac mortali vita fecerunt ad aliorum vtilitatem, & commodum, quæ si Dei clementia acceptet pro illis, vtiq; iuuabuntur. Quod enim Papa ratione, ac potestate clauium efficere potest per viam indulgentiarũ; potest Christus per potestatem excellentiæ sine illis efficere, si lubet. Impetrant autem per Christi merita, & passionem celerem liberationem à pœnis, earũ durationem abbreuiant, earum mitigationem etiã quantum ad intensionem obtinent; quod nunquam accidit in inferno, in quo semper hæ potius in dies augentur, quàm minuantur; mitigatio autem hæc quoad animas, quæ purgantur, in eo consistit, vt refrigerium aliquod earum doloribus misceatur, vel certè, vt pœnæ Purgatorij citius ad finem perducãtur; pęna enim Purgatorij ex sui natura paulatim, ac sensim remittitur, & quæ est propè finem adeò remissa est, vt amplius remitti non possit. Vide S. Bernardum in vita Sancti Malachiæ scribentẽ, oranti Malachiæ pro sorore defuncta, ipsam defunctã illi ter apparuisse. Primò in veste nigra, & extra Ecclesiam. Secundò, in veste subfusca, & intra limen Ecclesię. Tertiò, in veste alba, & ad ipsum altare cum cæteris Sanctis. Ex quibus ipse intellexit, animam sororis paulatim remittentibus se pœnis ad finem purgationis venisse. Orationes quoq; Beatorum in Cœlo nouum gaudium animabus Purgatorij afferunt, quò videant se iuuari, non solùm à militanti, sed etiam à triumphanti Ecclesia, iuxta illud ps. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te, &c.* quamuis enim gaudium, & requies detur statim à morte omnibus, qui in charitate decedunt; nam mox omnes certi fiunt suæ æternæ salutis, quod ingẽs gaudium affert; tamen non eodem modo, sed diuersimodè pro meritorum diuersitate huiusmodi gaudium communicatur; quibusdam. n. datur sine admixtione doloris, vt illis animabus, quæ immaculatæ, & à culpa, & pœna liberæ ad Cœlũ statim euolant, cum primùm sunt à corpore separatæ; quibusdam verò non sine temporalium admixtione pœnarum, quemadmodum cõtingit illis, quæ ad Purgatorium descendunt ad pœnas soluendas, vt S. Aug. sæpissimè docet, nimirum in Enchyr. c. 110. lib. 9. confess. ca. 13. ser. de verb. Apost. 17. & 34. lib. 21. de Ciuit. c. 24. tract. 84. in Ioan. q. 2. ad Dulcitium lib. de hæres. c. 53. de cura pro mortuis c. 2. & 4. licèt Aug. sæpè loquatur de duobus locis æternis animarum, Cœlo nempè, uel inferno. Singulariter tamen in tract. 49. in Ioan. sic loquitur. Habent omnes animæ, cum de seculo exierint, diuersas receptiones suas, habẽt gaudium boni, & mali tormenta; sed cum facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta grauiora, quando cũ corpore torquebuntur. Et infrà de gaudio bonorũ loquens. Requiem, inquit, quæ continuò post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisq; cum moritur. Vbi ponderanda sunt ea verba; si ea dignus est; etenim si pro tunc non est dignus, vt potè à pœna tẽporali non solutus, quo accedet? vtiq; in Purgatorium quousq; fiat dignus; *nihil* enim *coinquinatũ intrabit in regnũ Dei.* Apocal. 21. non solum. n. culpa, sed etiam pœna retardat ab ingressu Cœli. Horrent quidem animæ in Purgatorio pœnas, easq; refugiunt requiem quærentes, quatenus eas considerant, vt malas, & naturæ contrarias; simul tamen eas libenter admittunt, & tolerant, quatenus

Pęnæ Purgatorij sensim diminuuntur.

Etiam pęna tẽporalis impedit ingressum Cœli.

eas

eas contemplātur, vt instrumenta, per quę purgantur; ſicut ęgrotus horret medicinam amarā, & tamen libenter eam ſumit, cum ſperet per illam curari: & licèt ſentiant pœnas amaras eſse, alacriter tamen illas tolerant propter æternam requiem, quàm certiſſimè ſperant; quare rectè dicuntur ab Eccleſia in Canone Miſsæ dormire in ſomno pacis, habent enim admixtam cũ ſummis cruciatibus incredibilem conſolationem propter ſpem ſalutis certiſſimam.

Animæ in Purgatorio quomodo torqueãtur, & conſolationem habeant.

IDIPSVM, quod antea dicebamus, Petrus Cluniacenſis in epiſtola contra Petrobruſianos ſic elegantiſſimè demonſtrat. Eccleſia enim eſt vnũ corpus, cuius caput eſt Chriſtus: debet igitur habere communicationem capitis cum membris, & membrorum inter ſe, vt dicit Paulus ad Rom. 12. & 1. Corinth. 12. at iuſti defuncti ſunt membra hujus corporis, ſunt enim colligati vinculo ſpei, fidei, & charitatis nobiſcum, & cum Deo, & cum Beatis in Cœlo; viuentes ergo, ſiue in via, ſiue in Patria ſint, poſsunt, & debent iuuare defunctos tamquam eiuſdem corporis membra; vt enim inquit S. Auguſtin. lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 9. neque piorum animæ defunctorum ab Eccleſia, quæ eſt regnum Chriſti, ſeparantur; quamuis enim extra viam ſint, & extra ſtatum merendi, & extra actualem militiam Chriſtianam, nihilominus pœnas luunt, quas in ſtatu militiæ contraxerunt, & ſic aliquo modo ad illam pertinent. Beatos autem etiam Angelos vnam cum hominibus Eccleſiam facere, & vnicũ corpus myſticum conſtituere docet S. Thomas 3. par. q. 8. art. 4. & S. Auguſt. loco proximè citato: lege Apoſtolum ad Hebræos 12. ad Epheſ. 2. & 4. ad Galath. 4. ad Coloſs. 1. Vide quoque, quæ circa id ſcripſimus lib. 2. de Iubilæo cap. 5. Qua in re turpiter, vt ſemper, lapſus fuit Caluinus dicens lib. 3. inſtitu. cap. 20. §. 24. nullum eſse nobis commercium cum Sanctis mortuis, nec illis nobiſcum: id enim repugnat verbo Dei in citatis locis ſcripturæ, & præſertim 2. Machabeo. 12. ubi poſteaquam ſcriptura narrauit, Iudam Machabæum miſiſse in Hieruſalem 12000. dragmarum argenti in ſacrificia pro mortuis exponenda, ſubiungit: *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur*.

DE ſpe certa animarum Purgatorij in Deipara collocata nonnulla ſcripſimus in Comment. ſuper Magnificat lib. 2. cap. 22. dub. 7. in fine. Illud autem in extremo præſentis capitis, ut certum ſtatuendum eſt, beatam Virginem omnibus animabus, quæ in Purgatorio degunt, & præſertim illis, quæ durius cruciantur, donum quoddam ſingulare conſtantiæ, & fortitudinis impetrare, ut patienter huiuſmodi cruciatus ferant, iuxta illud Eccleſiaſt. 6. *Amicus fidelis protector fortis: qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius; Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis: & qui metuunt Dominum inuenient illum. Qui timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam: quoniam ſecundum illum erit amicus illius*. At Deipara non ſolum mater, protectrix, & Regina, ſed etiam amica eſt humani generis, Canticorum 4. 5. & 6.

Conſtantiæ, & fortitudinis donum Deipara animabus Purgatorij impetrat.
Eccleſ. 6.

ANIMAS verò in Purgatorio audito Mariæ nomine, ſummoperè gaudere teſtatur Dionyſius Carthuſianus lib. 3. de laudibus Virginis cap. vlt. vbi refert, Sanctam Brigittam in ſuis reuelationibus narrare, ſibi Beatam Virginem apparuiſſe, & in hunc modum loquutam fuiſſe. Audi: quantum filius meus nomen meum honorauit: meum nomen dum Angeli audiunt, gaudent, Deoque gratias agunt, quòd per me, & mecum talem gratiam fecit, & quoniam vident humanitatem filij mei in deitate glorificatam: qui in Purgatorio ſunt, gaudent nomine meo audito, quemadmodum æger iacens in lecto, cum audit verbum ſolatij. Angeli etiam boni audito hoc nomine iuſtis magis propinquant, & de eorum lætantur profectu, quibus ſunt ad cuſtodiam depu-

tati: omnes quoque Dæmones verentur hoc nomen meum Maria, eoq; audito aufugiunt. Quare concludendum est cum Idiota in libro de B. Virgine c. 6. illam adiuuare bonos in præsenti vita, eos in gratia conseruando, vnde dicitur, *Maria mater gratiæ*. Item malos, eos ad misericordiam reducendo, & ideò dicitur, *Mater misericordiæ*. Adiuuat etiam in morte, ab insidijs Diaboli protegendò, quare subditur; *Tu nos ab hoste protege*. Adiuuat etiam post mortem, animas suscipiendo, & eas in Cœlum deducendo, unde dicitur, *& hora mortis suscipe*.

CAPVT TRIGESIMVMPRIMVM.

An aliquod auxilium Beatæ Virginis perueniat ad Ethnicos, & Infideles.



Ioann. 12. Actor. 8. 2. Machab. 3.

ON solum Israelitas, sed etiam Ethnicos Templum Salomonis adeuntes orandi causa, Dei virtutem in se ipsos sensisse, multiplicesuè ex eo Templo fructus reportasse, apertè ostenditur Io. 12. & Act. 8. quod etiam fatetur Heliodorus 2. Machab. 3. cum & Dei flagella in Templo receperit, & in eo Dei virtutem verè adesse cognouerit, & fassus sit; quòd si Dei virtutem experiũtur Ethnici, Templiuè sanctitatẽ sentiunt, cur non etiam Deiparæ? Certè Saraceni, ac Turcæ eam in suis templis venerantur, & benedicunt, teste Lyrano, qui eorum Alcoranum citat. De ea Mahometus in Alcorano cap. 75. sic scribit. Nullus nascitur de filijs Adam, quem non tangat Sathan, & ideo plorat vociferans ex eius tactu, præter Mariam, & filius eius. Multi perfecti fuerunt ex viris, nulla perfecta vnquam ex mulieribus nisi mater Yse. Et rursus cap. 5. O Maria, inquit, cunctis viris, fœminisque præclarior, solique Deo perseueranter studens. O Maria, Deus, vtique elegit te claram, puramque reddidit super mulieres sæculorum. O Maria, Deus annuntiat tibi verbum ex ipso, nomen eius Iesus filius Mariæ, & erit honorabilis in hoc sæculo, & in futuro: hanc cognitionẽ, & lucem de Iesu, & de Maria non habuerunt Mahumetani absq; Virginis ope, qua, si reiectis vitijs, & maximè illis, quæ contra naturam sunt, vsi fuissent, vtique ad lumen Euangelij peruenissent.

ALBVMAZAR Ethnicus, insignis Astrologus præclarum Virgini testimoniũ dedit in 6. lib. suæ introductionis maioris; quod etiã refert Canisius lib. 2. de B. Virgine c. 7. & Dionys. Carthus. lib. 1. de laudibus Virginis art. 30. eius verba hæc sunt: In prima facie signi Virginis oritur in terra virgo munda, puella immaculata, corpore decora, ore venusta, cultu moderato, crine prolixa. Et verò ne qua in hominum animis suspicio relinqueretur, ipse prouidit, & quam Virginem describeret digito ipse monstrauit, nempè hanc esse illam Virginem, quæ puerum in Iudæa nutriat, & pascat, eumque puerum à quibusdam Iesum vocari, quem nos, inquit, græcè Christũ nominamus. Hoc lumen, quo ex Astrologo Albumazar repentè Theologus euasit, vtiq; ex magna Virginis misericordia consequutus fuit. Refert Martinus Polonus in suo Chronico circa annum 618. cap. 72. Mahumetanos, qui à Christianis apud Hierosolymam hospitio recipiebantur, dum librum Euangeliorum peterent, illudq; reuoluerent, cum in illud Diui Lucæ Euangelium inciderent, *missus est Angelus, &c.* maxima admiratione affectos fuisse, Gabrielisq; à Deo ad immaculatã Virginẽ legati, missiq; historiam crebrerrimè repetijsse, atq; ex illa pium veræ religionis affectum concepisse. Adeò victrix veritas est, & Dei Arca ipsa per se debellat Philistæos.

CLAV-

CLAVDIANVS Poeta quãuis à Christi fide,& religione alienus, vt inquit Aug. lib. 5. de Ciuit. Dei c. 26. & Orosius lib. 7. aduersus Paganos c. 53. ita clarè de Christi parente B. Virgine loquitur in suis carminibus de Christo seruatore, vt nil altius cantari potuerit apud ipsos Christianos, vt est illud.

Quemque vtero incluso Maria, mox numine viso
Virgineo intimuere sinus, instructaque Mater
Arcano obstupuit compleri viscere partu
Auctorem paritura suum,

Et iterum.

Angelus alloquitur Mariam, quo præscia verbo
Concipiat salua Virginitate Deum.

LVDOVICVS Viues temerè putauit, Claudianum ad gratiam Christianis Principibus adulantem locutum fuisse, ac huiusmodi carmina non veritatis asserẽdæ,& religionis causa, sed vt tempori inseruiret panxisse. Verùm politico spiritu, quo ille plenus erat, scilicet carne quidem viuens, spiritu tamen mortuus, hæc scripsit; cum non sine diuina illustratione Claudianum illa cecinisse, si veteribus libris fides sit habenda, existimandum sit, vt Canisius affirmat lib. 2. de B. Virgine cap. 7. & Carthusianus lib. 1. de laudibus Virginis art. 3. Restituit hæc carmina Ioann. Bonifacius lib. 2. de histor. Virginali cap. 17. & ea ex parte deprauata, atque corrupta, à librariorum vitijs, ac mendis vindicauit; in secundo enim versu supra citato, innuptam dixit, vel quia non corrupta, vel quia nostrarum rerum insolens Iosephi esse sponsam nesciebat.

TRADVNT annales Ecclesiastici Lauretani, Corcutum Turcarũ Prætorem, seu Bassam, vt ipsi uocant, anno 1552. dum esset Cõstãtinopoli ex graui, occultoq; pectoris apostemate ad extremum vitæ discrimen venisse, & à pio eius seruo Christiano iam moribũdum admonitũ fuisse, vt Lauretanam Virginem, cuius admirabilem vim in morbis cuiuscunq; generis depellẽdis illũ edocuerat, inuocaret, vouẽs, si morbum depulisset, se in eius gratiã illi seruo libertatem daturum: cum itaq; votum emisisset, mox dirupto apostemate Bassa sanatur, & seruum illum libertate donatum, cum literis, ac muneribus mittit Laurerũ ad Virginem. Tenor literarum hic fuit, vt ex originali Arabico cognoscitur; quod in vernaculam linguam conuersum Laureti asseruatur, & latinè versum sic se habet. Quod bonum, fortunatumq; nobis esse velit magnus, ac misericors mundi Dominus. Cum mihi ipsi diuinitus quiddam euenerit, ego Corcut Bassa (ne meo desim officio, tantæq; rei monumentum aliquod posteris extet) rẽ omnem ordine exponã. Ortum erat atrox apostema nobis in pectore, iamq; haud dubium imminebat exitium, cum desperata à Medicis salute, meus me seruus adijt, & sanè fidenter, si mihi libertatem polliceris, inquit, Dei mei matrem exorabo, vt tibi pristinam restituat valetudinem. Itaque ego confestim accersito tabellione, libertatem ei repromisi, si ipse promissa præstaret. Extemplo seruus positis humi genibus, & quædam super se signa ducens manu, rogitat, ut semet uerbo præeuntem sequar. Inde ipse præire his uerbis cœpit. Ego Beatæ Mariæ Lauretanæ opem imploro: monenti obsecutus, triduò post, Deo fauente, conualui. Ergo seruo in libertatem uindicato, hoc chyrographũ dedi cũ uotiuis donis, quæ meæ obseruantiæ gratique animi monumenta sunt, Beatæ Mariæ parenti præpotentis Dei, qui nos saluos uelit. Vides, ẽt Barbaros Lauretanæ Virginis opis expertes non esse. Narratur quoque in ijsdem annalibus, anno 1529. Bassam quendam Turcarum argenteam aræ uestem, margaritis insuper adornatam Lauretanæ Virgini donum misisse, Clemente Septimo Pontifice Maximo, ut intelligeremus, Lauretanam Virginem communem omnium gentium esse patronam, quicunque eius patrocinio uti uelit.

IVDÆIS quoq; opem suam Virginem non denegare, annales Lauretani Rieræ abundè perhibent. Narrant enim, sexagenarium hebrçum ob patratum grave quoddam facinus à Turcis comprehēsum, perpetuis addictum fuisse vinculis; & tandem ærumnis confectum, corporis salute desperata, ad animā cunctam suam cogitationem conuertisse, veniaque suorum peccatorum à Deo suppliciter postulata, Iesum Christianorum Messiam, & matrem eius Mariam religiosissimè adorare cœpisse, cumque noctu spei, & fiduciæ plenus cubasset, inquiete Christus ei apparuit, quem cùm ex specie, qua à Christianis coli solet, agnouisset, verum Deum, ac Messiam professus, etiam supplex in somnis adorauit: sed quid? statim ei Virgo Beatissima eximia pulchritudine, ac maiestate prædita præsto fuit, quæ Luciæ Virgini eius comiti iussit, vt hebræum catenis, quibus vinctus tenebatur eximeret, & reseratis carceris foribus, ad Portū deduceret, admonens illum, vt Oppidum Laureti in Piceno Italię Regione situm statim peteret, ibiq; Christiana sacramenta susciperet. At hebrçus euigilans Christi, & Mariæ eius matris auxilio permotus, & excitatus, nauicula, quam clemētissima Virgine hortante conscendit, per maria sua sponte incredibili celeritate delata, non sine diuino ductu, atque impulsu Anconam biduo ex Nazareth appulit, & illicò Lauretum pergens, ibi Christianis mysterijs instructus, ingenti & suo, & aliorum gaudio sacrum Baptisma religiosissimè suscepit. Erat hic hebræus origine Nazarenus, vir grauis, ac prudens, qui Nazareth habitabat in vico, vbi Lauretanæ Domus vestigia relicta fuerunt, cum ad Picenum per manus Angelorum deducta fuit, & Mariæ suę ciui semper fauebat, à qua tam magnam misericordiam deinceps est consecutus.

Gregorius Turonensis. Glycas.

DE filio alterius Iudæi narrant insigne miraculū Greg. Turon. lib. in gloriā plurimorum Martyrum c.8. & Glycas 4. p. annaliū, videlicèt puerum hebræum scholam condiscipulorum Christianorum eiusdem ætatis sequentem, vna cum illis sacram sancti corporis Christi communionem recepisse, quod cum patri retulisset, illicò in fornacem ardentem ab eodem hebræo patre, qui vitrum conflabat, proiectum fuisse, à qua nec à matre periclitantem puerum liberare conāte, nec à ciuibus, à clamoribus, lamentisque eiusdem matris eò concurrentibus extrahi potuit: verum remoto ab ore fornacis igne, puerum saluum, & flammis intactum inuenerūt, neq; aliter affectum, quàm si in mollissima pluma iacuisset: exortus populi clamor est lætantis, Iesum Christum laudantis, nefariumque Iudæum ad pœnas meritissimas reposcentis, quem in flammas iniectum ita ignis absorbuit, vt vix quicquam ex impijs ossibus remaneret. Interrogatus à Christianis puer, quo vel vmbraculo, vel vento sæuientis flammæ vim, & impetum arcuisset; illam matronam sibi adfuisse respondit, quæ in templo, vbi panem sacrum ipse gustarat, puerum pulchellum in sinu fouens visebatur. Illa, inquit, sua me palla contexit, à flammisque defendit: quod factum miraculosum, & Menna Patriarcha, & Iustinus Imperator summoperè mirati sunt. S. Ioannes Damascenus in orat. de Dormition. Virginis, & Simeon Metaphrastes 15. Augusti produnt, hebræū quendam deportantibus Apostolis corpus mortuum Beatæ Virginis, sanctissimo feretro impias manus coniecisse, & statim brachia, & manus amisisse; cum vero agnito scelere supplex desecta membra eidem Virginali corpori admouisset, ad pristinam sanitatem, & integritatem redijsse, eandemq; Virginem, & vulnerantem, & sanantem sensisse.

Damascenus. Metaphrastes.

CA-

CAPVT TRIGESIMVMSECVNDVM.

An interdum nonnullis existentibus in inferno aliquod leuamen à B. Virgine exhibeatur.

ILLVD in primis certū est, in inferno nullam esse redemptionem, vt canit Ecclesia in respōsorio officij mortuorum & etiam Dauid Psal. 6. nec aliquid pęnæ damni, vel sensus remitti posse quoad durationem, cum vtraq; æterna sit; cōtra Origenem. Certum præterea est, pœnam essentialem damnatorum non solum quoad durationem, sed ēt quoad intensionem, seu quoad gradum essentialem pœnarum, remitti non posse; redditur enim vnicuiq; secundum opera sua Apocal. 22. Illud autem, quod in hac parte videtur facere difficultatem, est modò examinandum, quia scilicet, reperiuntur nonnulla verba Patrum, ac sententiæ aliquorum Doctorum Scholasticorum, qui temperamentum aliquod, & mitigationem quandam interdum pœnis inferni concedunt. Inferni pœnæ quales.

BEATVS August. in Enchyr. c. 110. ita scribit. Quibus autem prosunt suffragia, aut ad hoc prosunt, vt plena fiat remissio, aut tolerabilior sit ipsa damnatio. Et c. 112. sic ait: Pęnas damnatorum certis temporum interuallis existimēt, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari, dummodò intelligatur in eis manere ira Dei, hoc est, ipsa damnatio. Verùm hic August. loquitur de animabus purgatorij, quæ ad temporalem carcerē damnatæ sunt iustè, eò quòd decesserint cum venialibus, aut cum debito temporali pœnarum. S. Chrysost. Hom. 32. Matthæum sic scribit. Nam si multæ barbaræ gentes vnà cum defunctis res eorum cremare solent: quantò æquius tu defuncto filio sua tradere potes, non vt in cinerem redigantur, sed vt gloriosum magis illum reddant; putas cum maculis inquinatum abijsse? da ipsi sua, vt illis se à maculis detergat; putas in iustitia ipsum decessisse? præbe ipsi sua ad mercedis, & retributionis adiectionem.

IDEM Chrysost. Hom. 69. ad populum Antiochenum, & Homil. 3. in Epist. ad Philippenses, post quam dixerat, pro defunctis, qui cum fide migrarunt orandum; subdit. Cathecumeni verò nec hac digni consolatione censentur, sed omni sunt tali suffragio priuati, præter vnum solum. Quod autem illud? Dare licet pro eis pauperibus, & ex hoc aliquid eis prestare refrigerationis. Vides hic Cathecumenos defunctos eleemosinis posse iuuari. Cathecumenus autem alius est à fideli, vt idem Chrysost. affirmat in cap. 3. Ioan. Hom. 24. non enim habet, inquit, idem principium, non eandem ciuitatem, non eundem parentem, non victum, non vestitum, non mensam, non castrum, non domum, nihil commune. Etenim terrena cathecumeni, cęlestia fidelis sunt: huic Christus Rex est, illi autem peccatum, & Diabolus: huic cibus Christus est, illi quod corrumpitur. Et rursus; huic vestis tinearum opera, illi autem Angelorum Dominus: huic terra, illi Cęlum patria. Itaq; cum nihil communicemus, quæ cum illis nobis cognatio? sed eandem matrem habemus, eodem parente nati sumus: lege eundem Hom. 3. ad Populum Antiochenum, vbi appellat Cathecumenum feram, fidelem verò hominem.

DAMASCENVS item in oratione de defunctis refert, ad intercessionem S. Gregorij Magni Traianum, Falconillam, & Theclam liberatos fuisse ex inferno; & addit ex Palladij ad Lausum historia, S. Machario aliquando percunctanti ex cranio arido cuiusdam idolatræ, an eis prodessent preces viuentium

rium, responsum fuisse in hæc verba. Quando pro mortuis offers preces, nos interim aliquid lenimenti sentimus; sed an hæ historiæ veræ sint, adhuc sub iudice lis est, licèt eas nos in lib. 1. de fuga disp. 1. q. 8. retulerimus.

AVRELIVS Prudentius in hymno de nouo lumine paschalis sabbati canit, in peruigilio Paschæ animas inferni à tormentis quiescere ob preces, & sacrificia à Christianis in illo frequentata; sic autem ait.

Sunt, & spiritibus sæpè nocentibus.
Pœnarum celebres sub Styge feriæ
Illa nocte, sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis.
Marcent supplicijs Tartara mitibus;
Exultatque sui carceris ocio
Vmbrarum populus, liber ab ignibus
Nec feruent solito flumina sulphure.

INNOCENTIVS Tertius idem videtur innuere in c. cum Marthæ, de celebratione missarũ, vbi inquit. Suffragia, quæ fiunt à fidelibus in Ecclesia, pro valdè bonis, actiones sunt gratiarum, pro valdè malis consolationes viuorum, explanationes verò, seu expiationes pro mediocriter bonis, & propitiationes pro mediocriter malis, tua discretio inuestiget. Vbi glossa in fine, pro mediocriter malis intelligit illos, qui mortalia commiserunt peccata, sed leuia. Scotus in 4. dist. 15. q. 1. ar. 2. & dist. 21. q. 1. quem sequuntur Riccardus, Gabriel, & Maior, affirmat, suffragia damnatis prodesse ad satisfactionem pœnæ remissi peccati, aut venialium; & probat, quia essentialis pœna damnatorũ non est pœna sensus, sed damni, quæ non respondet veniali, vel peccato mortali iam remisso; pœna autem sensus non potest congruere veniali, nisi temporalis, quæ terminum suum habeat in inferno: nec per hoc erit in inferno redemptio, quia hæc propositio intelligitur de redemptione illius peccati, pro quo quis est damnatus, quoniam debitum illius semper manet, nec vnquam commutatum fuit in debitum pęnæ temporalis; quæ tamen omnia falsa esse nos docuimus in lib. 2. de Anno Iubil. c. 44. nec inferni pena essentialis integratur solum ex pœna damni, sed ét ex pęna sensus, vt dicitur Matt. 25. *Ite in ignem æternum*, & similibus alijs in locis sacræ scripturæ.

Pęna inferni ex quibus constet.

PRÆPOSITIVVS Leodiensis Ecclesiæ Presbiter, in compendio suæ Theologiæ scripsit, damnatos ita posse suffragiorum multitudine iuuari, vt temporis progressu omni pœna immunes essent, non tamen in perpetuum, vt censuit Origenes, sed vsq; ad resurrectionem, in qua resumptis corporibus, iterum in æterna supplicia detrudentur, abiecta omni prorsus refrigerij, ac subleuationis spe: sed hæc sine vero fundamento affirmantur.

GILBERTVS Episcopus Pictauorum in lib. Theol. q. in ea fuit sententia, vt fidelium suffragijs pœnæ reproborum sine earum assumptione tollerentur ad eum modum, quo infinitæ proportionales partes à linea solent demi; à qua, licèt ipsa infinita non sit, infinitæ tamen partes absq; vlla eius consumptione subtrahi possunt. Verùm hęc metaphysica repugnat scripturæ, nec habet locum in inferno.

GVLIELMVS Antisiodorensis Episcopus in fine summę Theologicę existimat, suffragia damnatis non prodesse ad immutationem, vel refrigerium pœnarum, sed solum ad corroborationem, & confortationem patientis; dum.n. cognoscunt sibi à viuentibus suffragia porrigi, aliquam grauioris miserię occasionem sentiunt, cum videant, se nõ omnino abiectos esse, sed aliquam apud eos præsentium malorum commiserationem inueniri: Sed hęc nimis extrinseca, & metaphorica consolatio est.

AVGVSTINVS de Ancona in lib. de Potest. Ecclesiast. q. 34. art. 4. existimat

stimat, existentibus in inferno prodesse suffragia, vel indulgentias, non quantum ad pœnam essentialem, idest quantum ad pœnam damni, & conscientiæ vermem; sed quantum ad pœnam accidentalem, cum eorum socijs in vita per mala exempla, & opera non damnantur; vel quantum ad pœnæ sensus mitigationem, & præsertim si, dum vixerunt in corpore, bona Ecclesiæ sibi applicari meruerũt. At gratis hæc dicuntur, & procedunt ex zelo sine scientia.

S. Thomas 3. part. q. 52. art. 6. adeo damnatorum in inferno liberationem, vel eorum mitigationem pœnarum exhorret, vt nec per Christi passionem, nec per eius descensum ad inferos consolationem aliquam, vel liberationem à reatu pœnæ infernalis, degentes in eo consequutos fuisse affirmet. Idem habet in addit. q. 14. art. 5. & q. 74. art. 8. & sequentibus. Idem sentit Durandus dist. 45. q. 2. Antoninus 3. part. tit. 32. cap. 2. §. 2. Sotus eadem dist. q. 2. art. 2. Et ita certissimè tenendum est. Nimis enim præsumptuosum est, vt dixit S. Augustin. lib. 21. de Ciuit. cap. 24. dicere, cuiquam eorum supplicium æternum non futurum quos Deus ituros in supplicium dixit æternum; quod tàm extensiuè, quam intensiuè accipiendum est.

Passio Christi nihil profuit dãnatis finaliter in inferno.

ILLVD verò in hac quæstione. vt certissimum ponendum est, quod aliquod genus misericordiæ in damnatis vniuersaliter repræsentat, nimirum, quòd quantitas pœnæ damnatorum ex Dei misericordia, & intercessionibus B. Virginis citrà condignum taxatur, vt definit S. Thomas 1. part. q. 21. art. 4. ad 1. vbi inquit, quòd in damnatione reproborum apparet misericordia; non quidem totaliter relaxãs, sed aliqualiter alleuians, dum punit Deus citrà condignum: vbi lege Bagnes: & in additionibus q. 99. art. 2. ad 1. & S. August. 12. de Ciuit. cap. vlt. & in Psal. 24. Et probatur ex S. Iacobo in sua ep. can. c. 2. *Superexaltat autem misericordia iudicium*. Semel autem taxato pœna in nullo damnato, quamuis Christianus decesserit, & cum fide, à pijs misericordiæ operibus vnquam mitigabitur. Nec Orig. in opposita sententia, quam interdum sensit, vt in primo Periarch. c. 6. Hom. 13. & 14. in Lucam, & alibi, diu permansit, quia in Hom. 9. in Matthæi cap. 3. refert illam sententiam, nec tamen ei inhæret, nec eam approbat. Lege Picum in Apocal. q. 7. Soto idem dist. 45. q. 2. art. 2. & dist. 50. art. 1. conclus. 4. negat Origenem perstitisse in eo errore. Vide Sixtum Senensem lib. 5. Bibliot. c. 229. & lib. 6. c. 290.

Taxata pęna in damnatis finaliter numq; minuitur.

FATENDVM quoque est secundo loco, per intercessionem B. Virginis nonnullos à pœnis inferni ad vitam iterum reuocatos, media pœnitentia, liberatos fuisse. Ita legitur in dist. 3. speculi exemplorũ, exemplo 46. & apud Vincentium lib. 7. c. 116. Cum. n. quædam matrona in territorio Linionicensi, seu Lingonensi, licèt alias religiosè viueret, in eo defecerit, quòd facinus quoddam in iuuentute cõmissum, numquam in specie, sed tantum in cõmuni, ac generaliter confessori in Sacramento pęnitentiæ aperuisset, ac proindè postquam è vita discessit, à Demonibus ad flãmas infernalis ignis raperetur; illicò B. Virgo Iesum filium enixè exorauit, vt ab eiusmodi æternis pœnis eam liberam esse vellet, eò quòd, dum viueret, quotidiè coram eius imagine illam piè exorasset, ne ob tale peccatum damnationi addiceretur æternæ: annuit filius, & mulier vitæ restituta, occultum, ac tàm diu non propalatum peccatum integrè cum alijs confessa est, Virginisq; precibus iterum moriens in Cœli gloriam recepta fuit.

VINCENTIVS in speculo Historiali lib. 7. capit. 115. tom. 4. narrat quandam historiam de puero in vigilia Paschæ concepto, quem Dei genitrix eripuit ab inferno. Nã renuente vxore in nocte resurrectionis Dominicæ, vir rẽ habuit cum ea, quæ quòd insolens, & importunum tempus ad concipiendum esse cognosceret, post multas increpationes factas viro, sic tandẽ ad eundem locuta est: Quicquid in hac nocte à nobis fuerit operatum, sit maledictum, & Diabolo

man-

mancipatum; concepit tādem mulier, pepetitq; infantem visu mirabilem, & decore spectabilem ; in duodecimo verò ætatis suæ anno Diabolus puerum à matre petijt tamquam sibi oblatum, atq; promissum ; cumq; consilio Hierosolymitani Antistitis, ad quem iussu Romani Pontificis remedij causa accesserat, quēdam sanctissimum Eremitā vicinum adijsset; sic ille, perlectis Episcopi literis ad eum missis, iuuenem affatur. Attende frater pietatis Dei consilium, & Genitricis eius auxilium. Habet .n. Virgo Maria dominium super omnes spiritus malignos, & potest inferni seras aperire, & frangere interiores aditus ; obnixè igitur eam deprecemur, vt tibi subueniat. Itaq; die Dominicæ resurrectionis, quando iā rapiendi puerum terminus impletus erat, vir Dei pro iuuenis liberatione, quem in in vanum Diabolus expectauerat, cum lachrymis, & cordis contritione salutarem hostiam, vt solitus erat, obtulit; timens verò, puerum inter se, & altare constituit, quem de loco illo Diabolus parum ante pacem fugiens ad infernū rapuit. Sentiens igitur Sacerdos, iuuenem sibi ab hoste sublatum, ingemuit, & vt Virgo Virginum mater adolescenti succurrereret, fiduciam in mente habuit. Itaq; pia Virgo Maria subuenire non distulit, sed corpus, & animam pueri de inferno inferiori liberauit, restituensq; eum in loco, vnde sublatus fuerat, viri Dei mœrori satisfecit. Cumq; *Pax vobis* diceret vir beatus : *Et cum spiritu tuo*, respondit iuuenis à Dęmone liberatus: acceptaq; de manu eius communione sancta, narrauit ei quicquid de sua liberatione nouerat, & quòd multa millia in inferno reliquerat. Hactenus ex Vincentij speculo.

QVOD si Apostolis ex priuilegio concessum fuit, vt nonnullos Ethnicos, qui ad infernum iam descenderant, resuscitarent; quò sic ad vitam reuocati, peracta pęnitentia, iterum mortui salui fierent, vt scribit Aegesippus lib. 3. c. 2. & S. Th. in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. & Beatæ Agneti, vt filium Præfecti, quem Diabolus occiderat ob stuprū in Virginem tentatum, resuscitaret, vt narrat S. Amb. *ser. 90.* & S. Maximus ser. 2. nec non reliquijs B. Stephani, quæ puerulum ante baptismū mortuum excitarunt; cur matri Dei negandū erit, posse ex summo filij priuilegio portas inferi infringere, & quos voluerit ipse filius, ad vitā mortalē iterum reuocare? quò peracta pęnitentia, receptisq; dignè Ecclesiæ Sacramentis, ad cęlestes sedes tandē ex hoc mortali seculo transferantur. Profectò licèt interim huiusmodi homines puniti fuerint in inferno, secundùm eorū præsentem iniustitiā, prædestinati tñ absolutè fuerunt ad æternā salutem per huiusmodi medium miraculosum supra legē ordinariā, ex Dei benignitate, & B. Virginis intercessione, qui habent claues mortis, & inferni Apoc. 1. vt alibi exposuimus. Vide S. Tho. in quæstionibus de verit. q. 6. art. 6. ad 4. & Altisiodorensem lib. 4. in capite de damnatis, nec non Henriquez lib. 9. c. 16. & ea, quæ nos scripsimus in lib. 2. de Anno Iubil. c. 45. quo in loco ēt docuimus non solum ex limbo, vel ex Purgatorio, quosdam ad vitam reuocatos fuisse; sed etiam ex inferno, & ex statu damnationis, cum ad illum non essent tunc finaliter deputati, vt definit S. Th. in Additio. q. 71. art. 5. ad 5. Quocirca nec ratio prædestinationis, vel reprobationis variatur, sed firma, & immobilis perpetuò perseuerat.

Deipara quomodo habeat claues mortis & inferni.

QVOMODO autem Beatissimæ Virgini competat habere claues mortis, & inferni, seu abyssi, quod Ioannes in Apocal. de Christo propriè, ac primario pronunciauit, breuiter aperiendum est. Nec enim Dęmoni competit habere claues inferni, vel abyssi, cum ligatus vsque ad diem Iudicij in illum detrusus fuerit, Apoc. 20. vt Aug. lib. 20. de Ciuit. cap. 7. Per claues autē ex communi Doctorum interpretatione potestas significatur; ita Rupertus, Riccardus de Sancto Victore, Primasius, Ambrosius, Ansbertus, Pannonius, & alij super Apocalypsim. Nomine autem mortis, & inferni plura in scripturis significantur, circa quæ & Christum, & Deiparam claues, hoc est, potestatem habere demonstrandum

Nomen mortis & inferni quas acceptiones habeant in scripturis.

est.

est. Sumitur igitur primo loco mors in sacris literis pro dissolutione animæ,& corporis, vt notum est. Deinde pro peccato, vt docet Phylo libro de profugis, ex pendens illud, quod lex iubet, vt homicida voluntarius morte moriatur, similesque alias locutiones in sacris literis contentas; vbi ait. Cur non modo mori pronunciat, sed morte mori? quia videlicet mali, etiam si ad extremum pertingant senium, mortui sunt, quòd virtuti non viuant: probi verò etiam si seiungantur à corpore, in æternum viuunt. Quod enim peccatum mors sit; probari potest ex illo Ecclesiastici 15. *Ecce posui coram te vitam, & mortem, bonum & malum*. Eodemq; sensu dicitur Psalm. 113. *Non mortui laudabunt te Domine*. Caini impudentis fratricidæ mors nunquam in lege inuenitur, imò extat de illo hoc oraculum Genesis 4. Apposuit Dominus Deus in Cain signum, ne quis eum inuentum interimeret; cur ita? opinor, quia impietas malum est infinitum, quod semel accensum nunquam extingui potest, in quam quadrat illud Poeticum. Immortale malum nulla delebile morte. Hæc Phyl. De eodem genere mortis dicit Ezechiel c. 18. *anima, quæ peccauerit, ipsa morietur*; quod etiam de æterna damnatione intelligitur. S. Gregorius lib. 4. Moralium c. 17. explanans illa verba capitis tertij Iob, *obscurent eum tenebræ, & vmbra mortis*, scribit eiusmodi mortem peccatum esse, vt præ illo mors corporalis non mors, sed vmbra mortis appelletur. Vmbra, inquit, mortis mors carnis accipitur, quia sicut vera mors est, qua anima separatur à Deo; ità vmbra mortis est, qua caro separatur ab anima. Vnde rectè voce Martyrum per Prophetam dicitur Psal. 43. Humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis. Quos enim constat non spiritu, sed sola carne mori, nequaquam se vera morte, sed vmbra mortis dicunt operiri. Tertio accipitur mors pro ipsomet Diabolo, teste S. Gregorio loco citato. Vmbra, inquit, mortis etiam imitatio antiqui hostis accipitur. Ipse enim quia mortem intulit, mors vocatur, Ioanne attestante, qui ait Apocalypsis 6. *Nomen illi mors*. Per vmbram igitur mortis eius imitatio designatur, quia sicut vmbra iuxta qualitatem corporis dicitur, ità actiones iniquorum de specie imitationis eius exprimuntur; quo etiam sensu intelligitur illud Isaiæ 28. Percussimus fœdus cum morte, idest cum Diabolo. Quartò accipitur pro morte sempiterna Psal. 48. *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos*: atq; hæc dicitur mors secunda, nimirum comparatione mortis corporis, Apocalypsis 2. *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda*, & Apoc. 20. *Beatus qui habet partem in resurrectione prima. In his secunda mors non habet potestatem*. Postremò accipitur pro ea morte, qua quis peccato, & vitijs moritur, de qua loquitur Paulus ad Rom. 6. *Consepulti sumus per baptismum cum illo in morte*. Et ad Coloss. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. De his mortis generibus legendus est S. Ambr. libro de bono mortis c. 2. & S. August. lib. 13. de Ciuit. Dei c. 8. & 23. & lib. 3. de peccatorum meritis, & remissione c. 11.

HABENT igitur Christus, & Deipara claues mortis. Primo quia sicut Christus vitam potest dare, & eripere; *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem* Sap. 16. Deut. 32. Iob 31. 1. Reg. 2. ita Deipara morbos sanat, & vulnera, membra abscissa restituit, morborum, aut vulnerum vi iàm iàm morituros ab ipso interitus limine retrahit, ijs, qui veneno hausto periclitantur, succurrit, veneficiaué dissoluit, à latronibus liberat, itinerumq; periculis, à bestijs eripit, ab incendio seruat incolumes, è carcere, ac seruitute in libertatem vindicat, è supplicio capitali liberat, ac deniq; in præcipitio præstò est, depressisq; succurrit, nec non cæcitati medetur, & oculis, imò fami, & inopiæ prouidet, atq; huius vitæ bona suppeditat: quarum rerum omnium plura exempla collegit Ioannes Bonifacius lib. 3. de historia virginali.

SECVNDO dicuntur habere claues mortis, quia possunt à peccato liberare,

rare; Deipara enim ab hæresi, & errore deterret, in castitatis pugna non deest, Virginitatisq; cultores sua præsentia cohonestat, à desperatione liberat, à Dæmone vexatos curat, Diaboli laqueos rumpit, & pacta dissoluit, vt apud eundem, & alios manifestè constat.

TERTIO habent claues mortis, quoniam Dęmoni ad tentandum habenas laxant, & contrahunt, extraordinarijs sceleribus contaminatos admittunt, neminemq; se deprecantem aspernantur; & multos, anticipato remedio, à pœnis liberant sempiternis. Ad quod non solum potestatem, sed etiam imperium Virgo supra Dęmonem habet, cum caput eius contriuerit. Gen. 1. & super illud tamquam super Aspidem, & Basiliscum viriliter ambulat. Psal. 90.

QVARTO, quia Virgo potest supplicio sempiterno addicere; qui enim in Deiparam non credit, iam iudicatus est. Quid? quod multi suæ in colenda Virgine, vel indiligentiæ, vel imprudentiæ pœnas, aut salutares, aut non mortiferas penderunt; nonnulli verò offensæ Deiparæ capitales pœnas luerunt, & horribili genere mortis vitam turpissimam finierunt, quorum exempla exactè describit præcitatus Bonifacius lib. 5.

QVINTO, dicitur Deipara habere clauem mortis, quia potest vitam gratiæ nobis impetrare, per quam mors spiritualis fugatur; & etiam mortem peccatis radicitus inferre, iuxta illud quod canit Ecclesia. *Vitam præsta puram, &c.* Et iterum, *Tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.*

NON solum aũt mortis, sed & inferni, seu abyssi claues Deipara habere dicitur; licèt aliter quàm Christus, qui in abyssum personaliter secundũ animã descendit, ad Rom. 10. & in eo post mortem, & ante resurrectionem fuit; quod Virgini non contigit. Vnde sciendũ est, varias hoc nomen, *Infernus*, acceptiones habere in scripturis. Primò .n. infernus pro sepulchro accipitur Psal. 113. *Nõ mortui laudabunt te Domine, neq; omnes qui descendunt in infernũ*, idest mortui, & qui in sepulchris conduntur, laudes tuas non dicent, quibus viuentes ad te colendum excitentur: Iob 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt*; inter fęlicitates .n. iniquorum ea numeratur, vt citò moriantur, nec longa infirmitate discrucientur; sic Hierusalem Threno. 4. infęlicior dicitur Sodoma, quæ in momento subuersa est, ob longã obsidionẽ; & Psal. 72. de impijs dicitur, ꝙ *non est respectus*; seu, vt Pagninus vertit, nõ sunt ligamenta longæ infirmitatis *in morte eorum, sed firmamentũ*, hoc est fortitudo *in plaga eorũ*, quia moriuntur quasi sani, & robusti. Secundò accipitur pro Limbo Patrũ Psal. 15. *non derelinques animã meã in inferno, nec dabis sanctũ tuum videre corruptionẽ*. Quẽ locũ S. Petrus Act. 2. interpretatur de Christo, qui ad Limbũ Patrum secundũ animã descendit, vt dictum est. Et Gen. 42. *Deducetis canos meos cũ dolore ad inferos*; quo sensu S. Greg. lib. 12. Moral. c. 7. accipit illud Iob 14. *Quis mihi tribuat, vt in inferno protegat me?* Tertio sumitur pro loco dãnatorum Isai. 14. *Veruntamen ad infernum detraheris in profundũ Laci*, & Canticorũ 8. *Fortis est, vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*, idest, zelotypia, quæ cum riualem in rei amatæ possessione non sustineat, similis dicitur inferno. Ita intelligit hunc locum Glossa, dum inquit; sicut infernus æmulatio: quia Dei amor nullis hostium tẽtamentis à nostræ salutis cura reuocari potuit, sicut infernus nullis miserorum cruciatibus mitigatur, nec à seueritate suæ sententiæ mutatur: quantò austerior comparatio, eò acrior zelantis eos Domini commendatur affectus. Sed & alia pulchra similitudo in illis verbis insinuatur; sicut enim ignis ille tartareus quem semel corripit, perpetuò torquet; ita zelotypiæ furor, vbi alicuius animum occupauerit, nunquam extinguitur, aut remittitur. Postremò accipitur pro ipso Dęmone, teste Beda in commentarijs super Prouerbia, vbi scribit, sic accipi à plerisq; illud capitis trigesimi Prou. *Tria sunt insatiabilia, & quartum nunquam dicit, sufficit. Infernus; Os*

Nomen inferni varie accipitur in scripturis.

S. Gregorius.

vuluæ,

Vuluæ, Terra, quæ nunquam aqua satiatur, ignis verò nunquam dicit, sufficit. Quidam, inquit, Infernum interpretantur Diabolum, qui insatiabilis sit de seductione humana; vnde à S. Hier. in Psal. 107. Quæstionarius Domini, ad tentandos homines, illosq; exercendos, dicitur; & illud Iob 26. *nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni*: S. Greg. de Diabolo accipit lib. 17. Moralium cap. 12. Inferni inquit, & perditionis nomine Diabolum, omnesq; damnationis eius socios designauit. Deipara igitur iuxta has omnes acceptiones claues inferni habere dicitur. S. Gregorius.

ET primò, quoniã mortuos non solum ex feretro, sed ẽt ex sepulchro ad vitã reuocat. Secundo, quia nonnullas animas ex purgatorio, seu ex Limbo, dũ assumpta fuit ad Cęlũ, ipsa quoq; vt superius docuimus, eduxit. Tertiò, quia est Regina, & domina non solũ cęlestium, & terrestriũ, sed ẽt infernorũ. Vltimò quia omnis potestas Dęmonis in manu Deiparæ est, ipsa .n. semper fuit, est, & erit illius victrix, & triumphatrix, eiusq; auctoritatem pro sua voluntate laxat, & contrahit, prout humano generi expediens esse cognoscit: sed de his satis. B. Virgo claues inferni quomodo habeat.

CAPVT TRIGESIMVMTERTIVM.

In quo exponuntur illa verba: Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum: hi fuerunt illic.

PROPONIT, & prædicit in his verbis Dominus per Prophetã altissimã gentium vocationẽ; addens, ꝙ ẽt alienigenæ, Tyrij, Philistini, seu Palæstini cũ Aethiopibus, qui ante fuerant à vera religione alieni, & à Cappadocia in eas terras irruperant, atq, vt hostes veræ religionis se gerebãt, ad sacrũ fontẽ baptismi vocabuntur. Erant .n. hi populi vicini regioni Iudææ: ita exponit Euthymius: Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopũ; hi generati sunt illic; sic etiam Symmachus, & Aquila reddiderũt, nempẽ illic, nimirum in Ecclesia, per spiritualem baptismatis regenerationẽ nati sunt, vt dicitur 1. Petr. 1. *Renati sunt ex semine incorruptibili per verbum Dei viuentis, & permanentis in sæcula:* Notat Euthymius, quòd hæ duæ dictiones, Ecce, &, hi, iuxta idioma hebraicum superabundant: Ordo aũt, inquit, constructionis sic esse potest, Ecce hi generati sunt illic: & si quæris quinam sint hi? Ecce, inquit, alienigenæ, & Tyrus, & quæ sequuntur. De alienigenis dictum est in Psal. 82. Hæ autem gentes, quæ hic connumerantur, cęterarum omniũ, vt diximus, impijssimæ erant. Si igitur tam impiæ gentes Christo credituræ sunt, quantò magis omnes aliæ minus impiæ ẽt ei credent? Hæc ille egregiè & ingeniosè. Addit S. August. in hac re magnum esse Sacramentum. Iam, inquit, attendite Sacramentum magnũ, per eam illic Rahab, per quẽ illic Babylon, iã non Babylonia: caret.n. Babylone, & incipit esse Hierusalẽ. Diuiditur filia aduersus matrem suam, & erit in membris reginæ illius, cui dicitur, Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, cõcupiuit Rex speciem tuam. Nam vnde Babylon aspiraret ad Hierusalem, vnde & Rahab ad illa fundamenta perueniret, vnde alienigenæ, vnde Tyrus, vnde Populus Aethiopum? audi vnde, Mater Sion dicet Homo. Hæc ille. Lectio Chaldaica mirabilem verborum illorum, *hi fuerunt illic*, intelligentiam suppeditat, habet enim. Commemorant laudes tuas Aegyptij, & Babylonij his, qui sciunt te; Ecce Palæstini, & Tyrij cũ Aethiopibus, vbi Rex iste generatus est. Credentium.n. multitudo etiam Gentilium apud Sion cępit. Isa. 2. vt ẽt Septuaginta interpre-

Euthymius. S. August.

terpretantur. Hi omnes nati sunt illic: in Ecclesia scilicet renati sunt, non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum; nempè per spiritualem regenerationem in Baptismate 1. Petr. 1.

Gentium conuersio celerrima.

Eusebius Cęsariensis.

VERVM hoc in loco nonnulla notanda sunt. Primum conuersionem gentilium ad Christum celerrimam fuisse, & quotidiè magis vberiorem esse, quàm Iudęorum: ita testatur Eusebius Cęsariensis lib. 1. historiæ Eccles. c. 4. adducens illud Isaię 66. *Antequam parturiret peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale? & quis vidit huic simile? Nunquid parturiet terra in die vna? aut parietur Gens simul, quia parturiuit, & peperit Sion filios suos?* Prædicitur, inquit, hoc in loco illud, quod admiratione non solum Orbis terrarum est persequutus, sed etiam ipse Isaias dū narrat, videtur non posse satis admirari, nimirum post Christi Crucem intrà breuissimum tempus natum populum illum nouum præsignificatum à Prophetis, non in vno aliquo obscuro terræ loco, sed qui sese fuderit toto orbe terrarum, omnesq; nationes occupauerit, & temporis momento in lucem sit editus, cū hora vna quinq; hominum millia crediderunt; & vna cōcione prius tria hominum millia fuerunt regenerati: quæ etiam est expositio S. Ambrosij in exhortat. ad Virgines. Habet, inquit, filios Ecclesia sine partus dolore. Vnde de ea dicitur. Quis audiuit, si parturijt terra die vno? vno die terra non parturit, sed parturit gratia. Præclaram sanè sententiam, & Ambrosio dignissimā. Idem Isaias hanc Gentium conuersionem, pietatemq; magnificis verbis amplificat in c. 60. dicens, *Surge illuminare Hierusalem, &c.* Nec solum inferiorum hominum, sed etiam Regum, ac Principum; *& ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui*, quod etiam Ioan. in Apocal. cap. 21. dixit, loquens de Ecclesia, *Reges terræ afferent gloriam suam, & honorem in illam*, & iterum, *Afferent gloriā, & honorem gentium in illā.* Subiungit autem Isaias de Ecclesiæ maiestate. *Suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis: Et scies quia ego Dominus saluans te, & redēptor tuus fortis Iacob.* Quicquid enim magnū, quicquid opulentum, quicquid pretiosum gentes possidebāt, in vsum Ecclesiæ conuersum est. Mammilla quoq; Regum lactata est, cū amplissimis Regum, & Imperatorum priuilegijs, donationibusq; aucta, & locupletata, quasi ad Regū mammillas per amoris, fauorumq; magnitudinē admota, lac eorum suxit, hoc est quicquid pingue, & succulentum possidebant, eorum beneficio acquisiuit: sic vaticinatus fuit idem Isaias cap. 61. *Fortitudinē gentium comedetis, & in diuitijs eorum eritis admirabiles*, vt Septuaginta legunt, & c. 49. id singulariter expressit. *Hæc dicit Dominus: Ecce leuabo ad gentes manū meam, & ad populos exaltabo signum meum, & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt. Et erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* De celeritate verò circa gentium conuersionem, est illustre testimonium eiusdem Isaiæ cap. 60. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas*, & Habacuc 1. *Aspicite in gentibus, & videte, & admiramini, & obstupescite; quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cum narrabitur. Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram, & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua. Horribilis, & terribilis est ex semetipsa iudicium, & onus eius egredietur. Leuiores pardis equi eius, & velociores lupis vespertinis, & diffundentur equites eius: equites namque eius de longè venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum;* quæ verba Sanctus Paulus Act. 13. exponit de opere conuersionis Gentilium, vt rectè notauit Ribera in eundem locum citatum Abachuc, subdit enim ibidem Apostolus. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad Gentes; sic enim præcepit nobis Dominus. Posui te in lucem Gentium:*

vt sis

S. Ambros.

Isaias 60.

Principes Christi fidem suscipiunt.

Gentium opes in Ecclesiæ vsū conuersæ.

Isaias 61.

Isaias 60.

vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Audientes autem Gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini: & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Hactenus ibi.

AT verò ex Iudæis paucos, ex gentibus maximam multitudinem credituram fuisse in Christum, multa loca scripturæ ostendunt: & de Iudæis habetur testimonium Genes. 22. vbi Deus ad Abraham ita loquitur. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas Cœli, & sicut arenam, quæ est in littore maris.* Quo loco, vt vult Eusebius Cæsariensis lib. 2. demonstrationis Euãgelicæ c. quadragesimo, nomine stellarũ Iudæi conuersi ad fidẽ intelliguntur, quia stellæ paucissimæ sunt, cõparatione granorum arenæ maris, per quæ Iudæi perfidi significãtur. Cum duo, inquit, sint, quæ Abrahæ Deus respondens promisit de ijs, qui ab illo orituri erãt; vnum quidem, quòd futuri essent sicut stellæ Cæli; alterum verò, quòd tamquam arena maris; Dei quidem amici, quales fuerunt illi veteres, & Prophetæ, & Saluatoris nostri Apostoli, quibus ipse illud testimoniũ exhibuit, Vos estis lux mundi, luminibus cælestibus ipso splendore comparantur; reliqui verò terreni scilicèt, atq; in humum spectantes, arenæ similes habentur: quę multudo multò maior est, & describitur peritura. Quocirca huiusmodi Iudæi ad fidẽ Christi accedentes comparantur racemis in autumno in vineis relictis post vindemiã; qui paucissimi reperiri solent. Micheæ 7. *Væ mihi, quia factus sum* (loquitur Christus) *sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non est botrus ad comedendũ.* S. Hieron. Oseæ 9. in illis verbis, *quasi vuas in deserto inueni Israel, quasi prima poma ficulneæ, in cacumine eius vidi patres eorum*; putat eandem Iudæorum paucitatem ibidem Prophetam exaggerare. Frustra, inquit, volui iam vindemiatæ, & perditæ Ciuitatis quasi extremos racemos requirere, sed cum non sit botrus ad comedendum, saltem immaturas ficus, idest, grossos ficorũ in cibum sumere optaui: quasi diceret, non inueniens panem, præ famis magnitudine quisquilias, & furfures requisiui. Comparantur quoq; viti frondosæ, & siluescenti, ac luxurianti palmitibus in Idololatriæ cultu Oseæ 10. *Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei, secundum multitudinem fructus sui multiplicauit altaria, iuxta vbertatem terræ suæ exuberauit simulacbris.* Hebræi vertunt, vitis aquosa, inanis, & vacua, abundans frondibus, & folijs; sed fructibus carens, quoniã rari conuersi sunt ad Christum. Ex gẽtibus verò infinitam propemodũ multitudinem fidelium futurã esse ostenditur expresse Genes. 26. vbi Deus promisit Abrahæ futuram in Christo eius filio propagationem spirituală, vt S. Paulus docet ad Galatas 3. *Multiplicabo semen tuũ sicut stellas Cæli, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ,* & capite 13. *Faciam semen tuũ sicut puluerẽ terræ, si quis potest hominum numerare puluerem terræ, semen quoq; tuum numerare poterit:* eadem quoq; multiplicatio fidelium in gentibus prædicta fuit Isai. 53. dum dicitur, *generationẽ eius quis enarrabit?* idest quis poterit recensere multitudinem filiorum Messiæ, qui ab eo per fidem generandi sunt? quæ interpretatio est consona hebraico textui, vbi pro, *generationẽ*, legitur *Dor*; quæ vox multitudinem significat: licèt alij exponant & rectè verba illa de incomprehensibili Christi æterna, atque etiam de ineffabili temporali eius generatione. Huc spectant verba illa Cantic. 6. *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus*; & c. 7. *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis*; quæ propter innumerabilem copiam credentium ex gentibus, Ecclesiam significat, vt exponit Beda in eundem locum.

Ex Iudæis pauci ad Christum conuersi.

Michææ 7.

SECVNDO notandũ est, Populũ Gentilẽ ante conuersionem ad Christũ fuisse cęcũ, sicut Iudaicus fuit claudus. Vnde Michæę 14. Hierusalẽ appellat ciuitas claudicans, vbi docet Rupertus, Iacob Patriarchã in figurã Iudaici Populi altero pede claudicasse: id quod ẽt in eandẽ sententiam exposuit S. Greg. lib. 19.

Moralium cap.21. super illa verba Iob cap. 29. *Oculus fui cęco, & pes claudo*. Rectè, inquit, pôt cęco Gentilis populus, claudo autem Iudaicus comparari: Gentilis quippè quasi oculos non habuit, quia non recepta lege, nō vidit quò ire debuisset; at contra Iudaicus habens oculos, claudus fuit, quia legem quidē tenuit, sed in ea gressum recti operis non tetendit: aliàs.n. voce Domini dictum non fuisset, Psal 17. *Filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis*.

TERTIO notādum est, populum iudaicum calamo quassato; gentilem verò lino fumiganti comparari Isa.42. *Calamum quassatum nō confringet, & linum fumigans nō extinguet*: vbi S.Hier. Calamus, inquit, fractus, qui fuit antea vocalis, & laudes Domini concinebat, appellandus est Israel: qui quoniā impegit in angularem lapidē, imò cecidit super eum lapis, fractus est, cui qui inniti voluerit, pertundetur manus illius: qui.n. post aduentum Domini Euangelicæ doctrinę spiritum relinquens, in iudaicæ literæ morte requiescit, istius cuncta opera vulnerantur. Linum quoq; fumigans non extinguet, populum videlicet de Gentibus congregatum, qui extincto legis naturalis ardore, fumi amarissimi, & qui noxius oculis est, ac tenebrosæ caliginis inuoluebatur erroribus.

QVARTO notandum est, Christum relictis Iudæis summoperè Gentiles adamasse, cuius rei figuram egregiè refert, quod legitur Apoc. 10. *Et posuit pedē suum dextrū super mare, sinistrū aūt super terrā*; per mare populū Gentilem, per terram verò Iudaicum Pannonius, & alij interpretantur; & rectè, cùm dextrum pedem, hoc est prosperum, gratumq; affectum nunc Christus erga Gentilē populum demonstret; sinistrū verò, aduersum, atq; iniucundū erga Hebræos: sicut & Iacob in filiorū Ioseph benedictione, manū dextram super iuniorem, sinistram super maiorē posuit; sic Christus mutatis pedibus, dextrū super Gentilem populū, sinistrū verò desuper Iudaicū collocauit, cum antea res opposito modo se haberet. Quare Act.13. dicitur: *Vobis oportebat primū loqui verbum Dei: sed quoniā repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus*, iuxta illud Esa.49. *Posui te in lucem gentibus, vt sis in salutem vsq; ad extremum terræ*: rectè autem terra Iudaico populo attribuitur, cui dictum est, *bona terræ comedetis*; mare verò Gentili, qui instar maris errorum fluctibus iactabatur, in quod mare Christus superinduxit equos suos, hoc est Apostolos ad prædicandum gentibus, iuxta illud Habacuc 3. *Viā fecisti in mari equis tuis*, qui aquas multas, hoc est, Populos Gentiles conturbauerunt; quod enim in vulgata legitur, *in luto aquarum multarum*, Septuaginta habent, conturbantes aquas multas; quarè Sanctus Gregorius lib. 31. Moralium cap. 18. translationem Septuag. sequens ait, Misit Dominus in mare equos suos turbantes aquas multas; quietæ enim aquæ iacuerunt, quia humanæ mentes diu sub vitiorum suorum torpore sopitæ sunt: sed equis Dei mare turbatum est, quia missis sanctis prædicatoribus, omnę cor, quod pestifera securitate torpuit, impulsu salutiferi timoris expauit. Quoniam verò nostra translatio luti mentionem facit, id quoque explicauit Gregor. lib.34. mor. cap. 8. *Viam*, inquit, *fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum*, ac si diceret. Aperuisti iter prædicatoribus tuis inter doctrinas huius seculi, sordida, & terrena sapientes. Per lutum enim desiderium sordidæ voluptatis exprimitur, iuxtà illud Psalm. 68. *Eripe me de luto, vt non infigar*: Relicta igitur Synagoga, Gentilitas prædicationis rore, & diuinarum reuelationum illustrationibus, & Sacramentorum efficacissima gratia perfusa est. Sic S. Augustinus, & Sanctus Chrysostomus exponunt illud Iudicum 6. quòd ros prius in vellus Gedeonis, & deindè in aream descendit; per vellus Synagogam, per aream gentilitatem intelligentes: audi Chrysostomum: *Descendet sicut pluuia in vellus*, hoc est prædicatio in Synagogam: quando scilicet Christus sedebat, & docebat

cebat in templo, tunc pluuia in vellus descendit. Nam & Esai. cap. 45. prædixerat: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum*: sed postea relicto vellere, in aream pluuia infunditur, quoniam translatis sacrificijs à Synagoga, tota mundi area impleta est prædicatione Christi. Ad eundem modum exponit S. August. Idem inquit, Christus descendit sicut pluuia in vellus, cum adhuc area sicca esset: vnde etiam dixit Matth. 15. *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel*: & discipulis dixit Matt. 10. *In viam gentium ne abieritis: & in Ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Sed potius*, hoc est, primum, *ite ad oues, quæ perierunt domus Israel*. Cum dicit, & ite primum ad illas: ostendit, postea, cum esset iam area compluenda, ituros eos etiam ad alias oues, quæ non essent ex veteri populo Israel, de quibus dicit Ioan. 10. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere*. Sic pluuia descendit super vellus, sicca adhuc area: sed videmus iam gratia Christi siccam remansisse gentẽ Iudæorum, totumq; orbem terrarum in omnibus gentibus Christianæ gratiæ plenis nubibus cõpluit: vnde sequitur: *& sicut stillicidia stillantia super terram*, hoc est, non iam super vellus, sed super terram. Hæc ex S. Aug. super Psal. 71.

VLTIMO notandum est, Iudæos aliquando etiam dici gentes in scriptura, Sopho. 3. *Quia iudicium meum, vt congregem gentes, & colligam Regna*; quæ verba Ribera intelligit de Iudæis, super quos maxima Dei indignatio, & furor effusus erat propter peccatũ occisionis Messiæ, de qua re ad literam ibi sermo fit. Et iterum in Psal. 105. *ad lætandum in lætitia gentis tuæ, vt lauderis cum hæreditate tua*. Et Ezechiel. 36. *Deuoratrix hominum es, & suffocans gentem tuam, non necabis vltra*. In quibus locis semper est in hebræo, Gentium, & Gentes; & tamen ad literam sermo fit de Iudæis, vt legenti patet.

CAPVT TRIGESIMVMQVARTVM.

In quo exponuntur verba. Nunquid Sion dicet: homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus?

IN his verbis quarta dignitas Ecclesiæ describitur, in qua mysterium Incarnationis in hac Ecclesię Christianæ ciuitate factum explicatur: putat enim, & rectè Iacobus de Valentia in hunc Psalmum, vbi de ædificio Ecclesiæ agitur, septem dignitates illius à Dauide prædici.

ET PRIMO quòd Ecclesia ædificanda erit in populo Gentili, cuius rei figura fuit, quòd tẽplum Salomonis ædificatum fuit in possessione, seu prædio cuiusdam hominis Gentilis, Iebusæi nempe 2. Reg. cap. vlt. Secundò, quòd Christi Ecclesia ex parua erat in magnam amplianda, iuxta illud Canticorum 8. *Soror nostra paruula est, & vbera non habet; quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est? Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Ego murus; & vbera mea, sicut turris, ex quo facta sum corã eo quasi pacem reperiens*: Salomon .n. vt ambiret Templum intra ciuitatem, dilatauit eam, & ampliauit muro maiori. Tertio, quòd nemo salutẽ consequi poterat, nisi per Ecclesiã, eiusq; Sacramenta; constructo .n. altari à Salomone, cessauit pestilentia. Quarto, quòd mysterium Incarnationis in Christi Ecclesia perficiendum erat. Quintò, ꝙ Ecclesia per conuersos ex populo gentili ædificanda erat. Sextò, quòd magna fęlicitas, & lætitia in illa Ecclesia futura erat. Septimò, quòd Deus super alias oẽs congregationes eã dilexerit: quod Dauid in primo

versu cecinit. Explicatur igitur in hoc versiculo mysteriū Incarnationis tāquam incomprehensibile, ac admirabile, tum ratione sui, tum ratione circumstantiarum, & de eo breuiter quatuor mirabilia narrantur. Primum est, quòd Deus sit factus homo. Secūdum quòd Deus factus homo sit natus in mystica ciuitate Sion. Tertium, quòd ipse Deus altissimus factus homo fundauerat ipsam ciuitatem, in qua natus est; nam ista videntur contradictionem includere; nimirum, quòd ille, qui fundauit ciuitatem, in ea natus sit. Quartum, quòd quis possit alteri persuadere, vt hæc tria mirabilia crederet. Quæ quidem omnia mira exaggeratione pertractat S. August. lib. 22. de Ciuit. Dei c. 8. & 9.

EVTHYMIVS summam amabilitatem, ac suauitatē Ecclesiæ erga suos filios in his verbis agnoscit. Mater Sion dicet homo, sic .n. ille legit: ait aūt. Manifestè, ac palā prædicit, quòd ex quacumq; gente quis ingressus fuerit in Sion, dicet, quòd Sion mater est. Subintelligi enim debet dictio, est. Mater autem ideo appellatur Sion, quia regenerat, vt diximus: vel quia Christianorum, ac spiritualium dogmatū cibo fideles omnes veluti pia mater alit. Vel mater appellatur tamquam amabilis. Ea enim nihil suauius, aut amabilius est. Verè quippe amabilis est Ecclesia ijs, qui in eam ingrediuntur, eò quod ibi conuersatus est secundum carnem Christus Dominus, qui locum conuersationis suæ sanctificauit.

NVNQVID Sion dicet: homo, &c. Varia est huius loci lectio; apud Græcos.n. ferè omnes legitur, mater Sion dicet homo, quos etiam sequitur S. Augustinus in explicatione huius Psalmi: Hebræi, vt colligitur ex S. Hieronymo in suo Psalteriò ex hebræo conuerso, ita legunt. Ad Sion autem dicetur, vir, & vir natus est in ea. Vulgata verò nostra latina habet. *Nunquid Sion dicet, &c.* itaut Sion datiui casus sit, & sit sensus. Nunquid Sioni dicet, seu dicetur, multos in ipsius gremio regenerari quotidiè, ac fideles fieri, ipsamq; à Deo esse fundatam, & stabilitam? Causam vero discriminis inter has lectiones doctè aperit S. Hieronymus in Comment. in Psal. Grecè enim μήτοι σιὼν significat, *Nunquid Sion*; & μήτηρ σιών, significat Mater Sion. Septuaginta Interpretes transtulerunt quidem. Nunquid Sion dicet homo, sed multi, vt inquit S. Hieronymus, spreuerunt, nec intellexerunt, quid esset μήτοι σιὼν, & addiderunt, ρ, & legunt μήτηρ σιὼν & hoc propterea dicunt, quoniam sequitur, *homo, & homo natus est in ea*: Spreuerunt etiam ita debere dici. Mater Sion dicet homo, quoniam filius natus dicitur, proptereà errant in matris vocabulo. Addit S. Hieronymus: Sensus autem secundum hebraicam veritatem est. Nunquid Sion dicet, homo, & homo natus est in ea. Quod dicit hoc est, quis poterit nuntiare Sion? quis ei poterit nuntiare hominum, quoniam homo nascetur in ea, & ipse saluabit eam? Hoc est nullus hominum potest ei nuntiare; quia Sion saluetur in homine, qui in ea nascitur, & homo natus est in ea. Quis est iste homo? Addit secundò S. Hieronymus. Et ipse fundauit eam altissimus, Respondeant Arriani: quoniam dicunt altissimū solum Patrem esse, ecce hic de filio dicitur. Et ipse fundauit eam altissimus. Non dixit filius Dei, qui erat in principio apud Patrem; sed quid dixit? Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus; si autem altissimus dicitur, quantò magis Verbum Dei. Genebrardus scribit, hebraicè legi; & Sion dicetur, &c. quæ lectio planissima est, & omnem difficultatem euacuat.

RIBERA in cap. 2. Ioelis n. 4. meritò dicit, hunc locum esse difficillimum, & obscurissimum. Nunquid, inquit, Sion dicet, homo, & homo natus est in ea, idest magna multitudo hominum in ea progenita est; prophetat enim de populis gentium venturis ad Ecclesiam, ac si diceret, num tanta erit fęlicitas Ecclesiæ, vt possit ei ab aliquo dici. Multi homines in ea nascuntur per baptismum? Geminatio.n. alicuius vocis in scriptura multitudinē, significat, quando in eodē casu geminatur, vt Psal. 44. *Generatio, & generatio laudabit opera tua*, & similia.

RAYNE-

RAYNERIVS ita exponit: nunquid ipsi Sion, & Ecclesiæ dicet homo aliquis, quòd etiam homo Christus natus est in ea Ecclesia, & ipse Christus fundauit eam Ecclesiam in Apostolis, qui est altissimus Deus? Plana sanè expositio, quam sequitur Titelmannus, & Author incognitus.

IDEM Ribera in caput 1. Abdiæ n. 30. eleganter notat, in nostra translatione, illud, *nunquid,* interdum ita poni, vt per negationem respondendum sit, quemadmodum Pilatus dixit, Ioannis 18. *Nunquid ego Iudæus sum?* interdum verò ita poni, vt per affirmationem respondi debeat, vt 1. Reg. 26. *Cognouit autem Saul vocem Dauid, & ait: Nunquid vox hæc tua fili mi Dauid?* Et 2. Reg. 13. *Nunquid Amnon frater tuus concubuit tecum? Sed nunc soror tace, frater tuus est.* & cap. 14. *Nunquid manus Ioab tecum est in omnibus istis?* quod etiam accidit in hoc Psalmo. *Nunquid Sion dicet, homo, & homo natus est in ea?* cui interrogationi affirmatiuè respondendum esse docet S. Hieronymus ex versione hebræa, ac si diceretur? Ad Sion dicetur, homo, & homo natus est in ea, & sensus est. Num erit tempus aliquod ita fœlix, vt Sioni aliquis dicat, multi homines in te nascuntur? Vtiq; tale tempus adueniet. Solet etiam in scripturis pro affirmatione dici. Nunquid non? vt apud Abdiam c. 1. *Nunquid nō in die illa dicit Dominus, perdam sapientes de Idumea?* quo in loco ponitur, *Nunquid,* pro affirmatione cū particula non: hæc autem dictio, *Nunquid,* non est barbara, vt aliqui existimant, sed latina, & optimis Authoribus probata, vt Cic. in oratione pro domo sua. Nunquid igitur his bona Lentuli religioni obligauit? & 2. officiorū. Omnia nè officia perfecta sint? Nunquid officium aliud alio maius sit? & Ouidius.

Nunquid Achilleos inter fera prælia fidi,
Deseruit leuitas Authomedontis equos.

Nunquid, aliquando affirmatiuā aliquando negatiuā respōsionē desiderat.

Nunquid non barbara dictio sed latina.

CARDINALIS Sirletus in notis super Ps. apud Arias Montanū in libello de comunibus, & familiaribus hebraicæ linguæ Idiotismis censet, vtramq; lectionem, vt probabilē retinēdam esse μήτηρ, apud græcos, μήτοι apud latinos, sed re vera S. Hieronym. apertè loquitur, & illud ρ, additicium esse censet: testatur idē Sirletus se, nullum librum, vel interpretem apud græcos inuenisse, qui non legerent, μήτηρ σιών; & hanc lectionem ex latinis sequutum fuisse præter alios Beatum Ambrosium, vt licet videre in lib. 1. de fide ad Gratianum Augustum, & in oratione funebri de excessu fratris Satyri, & Cassiodorū in Psalmos; quam lectionem etiam hodie in publicis officijs sequitur Psalterium Romanum Vaticanum. Chaldaica Paraphrasis sic legit. Proinde Sion dictum est, Dauid est Rex Israelis, & Salomon filius educatus est intra eam, & Deus fundauit eam in sublimitate. Quæ verba eundem ferè sensum faciunt cum prædictis, & dictio illa, proinde, affirmatiuam responsionem includit.

Sirleti sentētia non probatur.

S. Hieronym.

CAPVT TRIGESIMVMQVINTVM.

Applicantur Deiparæ hæc verba: mater Sion dicet: homo, & homo natus est in ea, &c.

BEATVS Augustinus in expositione huius Psalmi ingeniosè quærit, quomodo in ea ciuitate, quæ per Sion significatur, Deus homo factus sit, & ipse eam fundauerit; ad hoc enim, vt in ea fieret homo operę prętium est, vt iam ciuitas fundata, & erecta esset: & quasi rem obscurissimam, & ad intelligēdum profundissimam dissoluens, intellige, inquit, si potes; eius expositio ita se habet. Ecce mater Sion dicet, homo, quis homo? Qui homo factus

Christus fundauit Virginem ratione diuinitatis, & natus est ex ea ratione humanitatis.

factus est in ea, in ea ipse factus est homo, & ipse eam fundauit. Quomodo in ea factus est, & ipse eam fundauit? Vt in ea fieret homo, iã fundata erat. Sic intellige, si potes; etenim Mater Sion dicet, sed homo. Mater Sion dicet, homo autẽ factus est in ea, ipse autẽ fundauit eã, non homo, sed altissimus, sic fundauit ciuitatem, in qua nasceretur, qũo creauit matrem, de qua nasceretur. Quid est hoc fratres? Quales promissiones, quantam spem tenemus? Ecce propter nos altissimus, qui fundauit Ciuitatem, mater dicit ipsi ciuitati, & homo in ea factus est, & altissimus eam fundauit. Quasi diceretur, vnde ista scitis? Cantabimus hæc oẽs, & cãtat homo in omnibus Christus. Homo propter nos; Deus ante nos. Sed quid magnum ante nos? Ante terram, & Cœlum, ante secula. Hic ergo homo propter nos factus est in ea, idest ipse altissimus fundauit eam. Vnde ista scimus? Dominus narrauit in scripturis populorum. Hactenus Augustinus, ex quo colligitur, quòd Christus ratione diuinitatis fundauit Ecclesiam, & ratione humanitatis natus est in ea: ita quoq; Tertullianus aduersus Praxæam, & Theodoretus.

Tria mirãda in Sion, Deus est operatus.

PORRO tria maximè miranda, & singularissima Dei opera in huiusmodi ciuitate peracta cõmemorat S. Bern. ser. 3. in vigilia Natalis Dñi. Tria, inquit, opera fecit omnipotens illa maiestas in assũptione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, vt talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terrã: coniuncta quippe sunt ad inuicẽ Deus, & homo, mater, & virgo, fides, & cor humanũ. Admirabiles istę cõiũctiones, & omni miraculo mirabilius, qũo tã diuersa tamq; diuisa ab inuicẽ, inuicẽ potuerũt coniungi. Inter aũt hæc tria opera tamquã primũ, & superexcellẽs est Verbi Incarnatio, in qua trinitas quędã agnoscitur. Verbũ.n. & anima, & caro in vnã conuenere personã, & hæc tria vnum, & hoc vnum tria non confusione substantiæ, sed vnitate personæ; vt.n. subdit Bern. summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit trinitatẽ, opus mirabile, opus singulare inter omnia, & super omnia opera sua. Singulariter igitur hoc in Psalmo Deus homo in spirituali Sion, hoc est Ecclesia Euangelica à Dauide ostenditur, dum dixit, *Homo, & homo*, non quippè vulgaris, infimus, vel communis, sed Deus homo, *natus est in ea*. Geminatio enim vocis aliquando significat dignitatem, & excellentiam personæ. Ita Gen. 22. *Abraham, Abraham*.

Geminatio vocis aliquãdo dignitatẽ importat.

SECVNDVM opus admirabile in Sion patratum, est Virgo, & Mater, coniunctio planè singularis, & incomprehensibilis. A seculo, inquit, Bernard. non est auditum, quòd virgo esset, quæ peperit; quod mater esset, quæ virgo permansit. Nunquam iuxta rerum ordinem virginitas, vbi fœcunditas prædicatur, nec fœcunditas, vbi virginitas integra conseruatur. Sola hæc est, in qua virginitas, & fœcunditas obuiauerunt sibi, ibi semel factum est, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum, quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem. In hoc opere mater Sion, hoc est Ecclesiæ, virgo, & mater apparuit: quam rem egregiè Ioannes Apocal. 12. descripsit, cum signum magnum in Cœlo apparuisse dicat, mulierem nempè amictam Sole, quę diuinũ Verbum absque vllo virginitatis detrimento concepit, ac peperit, tunc enim verè Maria sole amicta fuit, immò etiam circumamicta, seu vndequaque amicta, vt ex verbo Græco περιβεβλημένη habetur, cum Spiritus sanctus in eã superuenit, & virtus altissimi obumbrauit eam, cuius potentia eius virginitas non solum seruata, sed magis, ac magis vndequaque in mente & carne, in partu, post partum, & ante partum, intra vterum, & extra vterum sacrata, & perfecta fuit. Quare idem Bernardus egregiè inquit in eundem locum Apocal. Magna planè visio, rubus ardens sine combustione: magnum signum mulier illęsa manens amicta sole: non est rubi natura, opertum vndiq; flammis, manere nihilominus incombustum; non mulieris potentia, vt sustineat solis amictum, non est virtutis humanæ, sed nec Angelicę quidem; sublimior quædam necessaria est: *Spiritus*

ritus Sanctus, inquit, *superueniet in te*, & tamquam respondeat illa. Quoniam Spiritus est Deus, & Deus noster ignis consumens est. Virtus, ait, non mea, non tua, sed altissimi obumbrabit tibi. Nihil itaq; mirum, sub tali vmbraculo, talis etiam à muliere sustineatur amictus. Quàm familiaris ei facta es Domina, quàm proxima, immò quàm intima fieri meruisti: quantam inuenisti gratiam apud Deum! in te manet, & tu in eo; & vestis eum, & vestiris abeo; vestis enim eum substantia carnis, vestit ille te gloria suæ maiestatis: vestis solem nube, & sole ipse vestiris. Hęc ille. Eandem Mariæ virginitatem per amictum solis intelligit, & benè Ambr. Ansb. in Commentarijs in Apocal. atque etiam Pann. Haymo, & Cœlius, qui sic ait, Tunc amicta sole fuit, quando virtus altissimi eam obumbrauit, illumq; intra vterum concepit, qui intra omnia, extra omnia, super omnia, & infra omnia incomprehensibilis existit. Quocirca in conceptu Christi rectè B. Virgo mons vmbrosus vocatur Abachuc cap. 3. *Deus ab austro veniet, & sanctus de monte vmbroso*, hoc est à B. Vigine virtute altissimi obumbrata. Præterquam quod ipsa Verbi incarnatio est quædam veluti diuinitatis obumbratio, ut docet Athanasius in serm. de Sanctiss. Deipara. Quid igitur mirum, si matrem suam Christus fundauit, protexit, muniuit, & obumbrauit, cum de Spiritu Sancto conceperit? & eius uirtute mater effecta fuerit?

TERTIVM admirabile opus in Sion factum, inquit Bernardus, est fides, & cor humanum, quæ tertia coniunctio est forsitan tam fortis, quam prima, & secunda; licèt ambabus inferior sit, mirum enim est, quomodo cor humanum his duobus fidem accommodauit, quomodo credi potuit, quòd Deus homo esset, quòd Virgo manserit, quæ peperisset: sicut ferrum, & testa iungi non possunt, sic & hæc duo nequeunt commisceri, si non misceat glutinũ Spiritus sancti: sed ò mirum, in Sion apparet creatura, quæ est item mater Creatoris, cõspicitur Dei ancilla simul, & mater eius, videtur itẽ, & creditur eadem mater, & virgo post partũ, in partu, & ante partũ. Profectò nisi eam fundasset in his gratijs, & prærogatiuis altissimus, nec virgo esset, nec mater, immò nec ancilla Dei.

INTER has autem coniunctiones, quas exposuimus, prima est excellens, secunda excellentior, tertia verò excellentissima. Singulæ verò eminentiã Deiparæ declarant.

AVDI Bernardum. Primam auris audiuit, sed oculus non vidit; quia auditum est, & creditum vsque in fines terræ magnum illud pietatis Sacramentum, sed tamen oculus, Deus, non vidit absque te, quomodo te intra virginei ventris angustias humano corpori coniunxisti. Secundam oculus vidit, quia se fœcundam, & virginem illa singularis Regina conspexit, quæ cõseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo; cognouit & Ioseph non minus testis, quàm custos tantæ virginitatis. Tertia in cor hominis ascendit, quod cum factum est, creditum est, cum magis oraculo, quàm oculo credimus; cum quæ dicta, vel facta sunt tenemus firmissimè nullatenus dubitantes. Subdit Bernard. pulchras inter has coniunctiones differentias. In prima, inquit, conspicitur quid nobis tribuerit Deus, in secunda per quale medium, in tertia cognoscitur propter quid Deus hæc omnia nobis dederit, itaut semper verè dicatur, *Mater Sion dicet, homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eã altissimus*. Dedit tibi Christum, sed per Mariam, subdit Bernardus, & Mariam, & Christum, propter tuam sanitatem; natus est enim Christus remedium, quoniam ex Deo, & homine medicamentum confectum est, quod sanaret omnes nostras infirmitates; remedium autem hoc datum est homini per Mariam, per quam homo accepit quicquid habet; & quia mater est, genuit nobis Deum, quia vero uirgo est, exaudita est in causa totius humani generis pro sua reuerentia: nec solum debuit esse uirgo, sed etiam mater, ut benedictus fructus uentris eius esset mundi precium: sicut autem in prima

est

est remedium, sic in secunda adiutorium, quia nihil nos Deus habere uoluit, quod per Mariæ manus non transiret; in tertia autem est meritum, quia cum hæc firmiter credimus, iam meritum habemus, & in fide sanitas est, quia qui crediderit, saluus erit.

FVNDAVIT eam altissimus: benè inquit Euthymius, hæc uerba apposite connecti cum proximè præcedẽtibus; *homo, & homo natus est in ea:* quod ad Christi generationẽ pertinet, qui intra Ecclesiæ terminos natus est: Christus inquã, qui uerus homo fuit, & qui integrã humanitatis dignitatẽ seruauit: uerũ ne nudũ hominẽ putares, sed Deũ pariter, & hominem cognosceres, addidit. *Et ipse fundauit eã altissimus,* & ille, inquit, qui in ea natus est, ut homo, idẽ ille ab initio eã fundauit, ueluti terræ, & Cœli creator, qui altissimus est tamquã uerus Deus.

SVNT nonnulli recentiores, qui in his uerbis, & alijs subsequentibus putant, à Propheta describi in Dei ciuitate diuersas hominũ conditiones, qui omnes nobiles sint: sic scribit Ioannes Lorinus in c. 3. Act. Apost. In eadẽ ciuitate Dei sunt Rahab, hoc est, Aegyptij, alienigenæ, hoc est, Philistæi, Tyrus, & Populus Æthiopũ, & Sion dicet, seu dicetur, *Homo, & homo natus est in ea,* hoc est, uir, & uir, idest, & multi, & omnes clari, quos Dominus narrabit, idest numerabit, ac recensebit in scripturis populorum, & principum. Nobilis censendus est, qui nihil habet de uitæ rusticitate, sed est superna cõuersatione conspicuus, ut ait Gregorius in cap. 9. primi Regum; nobilitas enim ex sanguine profecta corruptibilis est, uera, quæ uirtute Dei conseruat imaginem, ut scribit Nazianzenus orat. 11. & 28. nec casu contingit, sed electione uoluntatis acquiritur, ut habet alter Gregorius Nissenus orat. in Thaumaturgum; è cõtrario degeneres nobilium filij, Aethiopium filij uocantur à Deo, Amos 9. Principes Sodomorũ, & Gomorrhæ populus, Isai. 1. Chananæi, Amorrhæi, Cethæi, Ezech. 16. & à Paulo non ueri, sed solo cognomine Iudæi, ad Romanos 2. & Ioannes Baptista reprehendit eos, qui gloriabantur de genere Abrahæ Matt. 3. Et Christus exprobrauit illis, qui iactabant se filios se esse eorum, qui Prophetas occiderunt. Matth. 2. & Ioannis 8. Atque hæc omnia benè quidem, sed parum ad literam scribit Lorinus.

DIDACVS Stella in c. 13. Lucæ aliqua non contemnenda de uocatione gentium dicit, exponens superiora uerba. *Memor ero Rahab, & Babylonis scientium me. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum, hi fuerunt illi.* Per Rahab intelligitur Ægyptus ab Ægypto Rege fratre Danai ita denominante, vt ait Manethon Aegyptius in libro de Regibus Assyriorum: per Babylonem vrbs illa celebris, quã Semiramis incredibili magnitudine extruxit, vt ait Archilosus in libro de temporibus, quæ euersa fuit per Cyrum, & Darium, qui annis duobus simul regnauerunt, deinde solus Cyrus, vt asserit Metasthenes Persa in libro de iudicio temporum. Per alienigenas possunt intelligi cultores Italiæ: fuit enim regio illa possessa in initio à gente Phoenicia, & Saga sub Iano, vt ait Porcius Cato in originibus, & postea coluerunt eam & Archades alienigenæ, vt ait Marsilius Lesbius in libro de origine Italiæ. Possunt etiam per alienigenas intelligi Philistæi, quoniã sic eos Hebræi vocare solebant. Est loci illius sensus, intra Ecclesiam meam, dicit Deus, non solum gentem vnam concludã, sed multas, & varias; memor enim ero Aegyptiorum, & Babyloniorum, quos afferam ad Ecclesiam meam, qui me scient, cum me anteà non cognouissent, & non solum hi, sed etiam Palæstini, Tyrij, & Aethiopes, hi in Ecclesia mea inuenientur, quam ex omnibus gentibus, linguis, & populis congregabo. Hæc ille.

Manethon Aegyptius.

Marsilius Lesbius.

QVOD autem subditur, *ipse, qui natus est in ea, fundauit eam altissimus;* clarius explicatur Ecclesiastici 24. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* O sanè vnicum, ac singulare munus; *fundauit eam altissimus;* est enim Deipara petra deserti nulla humana industria exculta, sed à Spiritu Sancto dumtaxat

diui-

diuinitus fœcundata, de qua sine manibus. i. absque vlla viri opera abscissus est ille lapis, de quo fit mentio Daniel. 6. idest Christus. Ita Guer. ser. 2. de Annunt. Domini. Emitte, inquit, Domine Agnum de petra deserti, idest abscinde petram de petra; sanctum, & inuiolabilē, sancta, & immaculata proferat Virginitas. Habes igitur, quomodo natus in ea fuerit, qui fundauit eā; qui enim formauit Mariam, in ea per humanitatem, & carnis assumptionem requieuit, & ex ea natus est, qui omnium opifex, & conditor est. *Fundauit eam altissimus.*

AD extremū huius capitis pro perfecta expositione verborū, *homo, & homo natus est in ea*, notandum est, sex reperiri in scripturis ciuitates altissimi. Vna est realis, & materialis, in qua re ipsa natus est filius Altissimi, & hæc est Bethleem. Altera originaria, & hæc fuit Sion, quæ dicitur Ciuitas Christi ratione parentū suorum; Dauidis, Salomonis, & aliorū, qui regnauerūt in Sion. Tertia est B. Virgo, in qua, & ex qua carnē sumpsit, & in ipsa Deus homo, & homo. i. verè, & propriè homo natus est: geminatio enim eiusdē vocis interdū veritatē, & proprietatē significat in scripturis, vt Ps. 115. *Ego seruus tuus, ego seruus tuus*, i. verè, & propriè seruus tuus, *& filius ancillæ tuæ.* Quarta est Ecclesia, in qua secundū humanitatē Deus natus est: cœpit. n. Ecclesia ab Abel, vt īfra dicemus. Quinta, & vltima iuxta sensum moralē est anima iusti, Ioa. 14. *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: quia scilicet in ea Deus habitare dignatur per gratiam. Addi potest sexta Ciuitas, in qua conceptus, & educatus fuit Christus, & hæc fuit Nazareth, vt patet Lucæ cap. 4. *fac & hic in patria tua.*

Sex altissimi Ciuitates.

CAPVT TRIGESIMVMSEXTVM.

Dominus narrabit in scripturis populorum, & Principum: horum, qui fuerunt in ea.

NE quis existimet, has ciuitatis Dei excellentias, & dignitates casu euenire, Propheta, seu Spiritus sanctus per illū in his verbis omnem Ecclesiæ Christi præstantiam, fideliumq; multitudinem, nec non eorum finem supernaturalem, atque media, quibus ille comparatur, in sacris literis, ac præcipuè in nouo testamento expressas, & exaratas fuisse testatur, ad Christianorum consolationem, atque doctrinam, & vt certa spes futurorum in Ecclesia perpetuò habeatur, ac proinde dicit; *Dominus narrabit in scripturis populorū, &c.* Vbi Euthymius sic scribit. A Prophetarum scripturis Christus omnia docebit, quæ ad se pertinent. Ait. n. Lucas, *& traditus est ei liber Esaiæ Prophetæ; & explicato libro, inuenit locum, vbi scriptum erat. Spiritus Domini super me, cuius gratia vnxit me, euangelizare pauperibus misit me*, & quæ sequuntur; huiusmodi igitur Prophetarum scripturam, populorum scripturam appellat, & scripturam principum eorum, veluti, quæ & Iudæorum populis, & eorum principibus data erat, & illarum propria erat apud eos possessio, qui in ea generati sunt, hoc est, qui nati, & conuersati sunt in Sion. Sic ille.

Dignitates Ecclesiæ non casuales existunt.

Euthymius.

Quę sint scripturę populorū.

ALIA lectio habet apud S. Hieronymum; Dominus numerauit, vel numerabit, scribens populos, vel in scribendo populos; iste natus est ibi. Ducitur enim metaphora à pastore, qui oues numerat, vel à duce, seu à Rege, qui recenset, & conscribit exercitum, seu milites, vel etiam à præceptore, qui discipulos habet in nomenclatura, ac si Propheta diceret: solus Deus, in cuius scientia omniū fideliū numerus descriptus est, prædestinatorū, & vocatorū dignitates narrare, vel dinumerare pōt, nec solū vulgariū hominū, sed ēt Principum, non quidē omniū, sed eorum, qui in Christi Ecclesia fuerūt, seu futuri sunt; sępè. n. apud

Pro-

Prophetas,vt notissimũ est,præteritum pro futuro vsurpatur,ad certitudinem,& firmitatẽ prophetiæ demonstrandã:ad hãc expositionẽ videtur alludere S. Hieronim in suo Psalterio ex hebreo conuerso,vbi sic habet. Dñs numerauit scribens populos;ipse natus est in ea semper. S. quoque Augustinus huiusmodi versiculi sensum sic eleganter exponit.Dominus narrauit in scripturis populorum, & principum.Quorum principum?Horum,qui facti sunt in ea;Principes, qui facti sunt in ea,in ea facti sunt Principes,nam in ea antequam fierẽt.Principes, abiecta mundi elegit Deus,vt confunderet fortia.Nunquid Princeps piscator?Nunquid Principes publicanus?Princeps planè;sed quia facti sunt in ea.Quales isti Princeps venerunt de Babylone? Principes credentes de seculo. Principes venerunt ad Vrbem Romam,quasi caput Babylonis, non ierunt ad templum Imperatoris,sed ad memoriam piscatoris.Vnde enim isti Principes? infirma mundi elegit Deus,vt confundat fortia: & ignobilia elegit Deus, & quæ non sunt tanquam ea,quæ sunt,vt ea,quæ sunt,euacuentur.Hoc facit, qui erigit de terra inopem,& de stercore exaltat pauperem.Vt quid erigit?vt collocet eum cum principibus,cum principibus populi sui.Magna res,magnum gaudium, magna lætitia.Postea venerunt in hanc ciuitatem & oratores,sed non venirent,nisi præcederent piscatores.Magna hæc,vbi hæc? nisi in illa ciuitate Dei, de qua gloriosissima dicta sunt.Hactenus Augustinus.

S. Hieronym.

S. Augustinus.

SIXTVS Senensis lib.2.Bibliot.mentionem facit de hac scriptura populorum,quasi sit liber quidam per se distinctus ab alijs: sed fallitur, quia vulgata habet, *in scripturis*,nempè Prophetarum,& aliorum, vt Euthymius dicit. S. Basilius in scholijs sic scribit ex Symmacho. Dñs numerabit scribẽs populos. Hic natus est illic;qui namque commorantes in ea populos conscribere dignatur,secundum humanam naturam in illa natus est,Dominus existens,& Deus. Hanc connumerationem etiam Dominus tradidit,vbi ad Apostolos dixit,*vestri etiam capitis capilli numerati sunt*. Et hanc quoque conscriptionem discipulis manifestauit dicens.Nolite gaudere,quòd dæmonia vobis subijciuntur;sed magis in hoc gaudete,quòd nomina vestra scripta sunt in Cœlis.Sic ille,

S. Basilius.

HEBRÆI, vt refert Sixtus loco citato, legunt; Dominus numerauit scribens populos,ipse natus est in ea semper;quod Iudæi sic exponunt. Tanta erit populorum multitudo futura in Hierusalem,vt solus Messias, in cuius scientia scriptus est omnium Iudæorum numerus,eam dinumerare possit;vtpotè qui in ea vrbe natus est ad regnandum in ipsa semper,& sine fine. Verum hæc expositio nimis coarctata est,& ideò dicendum est cum Titelmanno, & Genebrardo, hunc esse legitimum sensum,mysterium Incarnationis,de quo actum est in præcedenti versu,nemo mortalium ipsi Sioni dicere,vel persuadere, & ex humanis libris narrare poterit, sed tantum Dominus in scripturis ad populorum vtilitatẽ ab eo traditis,& in Principum Ecclesiæ, hoc est Apostolorum prædicationibus reuelabit.Similiter Ecclesiæ præstantia tanta erit,tantaque multitudo fidelium in futura Hierusalem Christiana,vt solus Dominus,in cuius scientia scriptus est omnium credentium numerus,eam narrare,vel numerare possit.

Certitudo sacræ scripturæ à Spiritu Sancto dictante.

S. Augustinus.

SED hic aliquis quæret, à quonam populi Christiani certitudinem habeãt sacrarum scripturarum.Et breuiter respondendum;non ab ipsis auctoribus, vel particularibus scriptoribus, sed ab ipso Spiritu sancto dictante, & ab Ecclesia Catholica proponente. Ita docet S. Augustinus lib. contra Epist. fundamenti cap.5.& lib. de vtilitate credendi cap. 14. ad quam etiam pertinet iudicare de legitimo, & vero sensu sacræ scripturæ, vt docet idem Augustinus lib.1.contra Cresconium cap.33. & epist. 118. Quod nec etiam hæretici negare ausi sunt, vt Caluinus lib.4.cap.1.§.5. & Bren. in confessione Vuittembergensi cap. de scriptura,qui confitetur,Ecclesiam habere ius testificandi de vera scriptura, &

etiam

etiam interpretandi veram scripturam. Ecclesia enim est prior scriptura, fuit enim Ecclesia ante scripturam in omni statu, tam Euangelico, quam Mosaico, & ipsi data est scriptura à Deo, & ipsa eam alijs tradit, & explicat, vt docet, & definit Conc. Trid. sess. 4. decreto 1. & 2. & olim docuit Conc. 3. Carthaginense c. 47. & Laodicenum Conc. cap. 59. ac postremò Florētinum in institutione Armenorum. In scriptura verò nullum est verbum frustratorium, & omnia ad fidē pertinent, nec in ea error aliquis esse potest, cum à Spiritu sancto sacris scriptoribus, etiam quoad verba, quibus vsi sunt, dictata fuerit, iuxta illud Pauli 2. ad Thimot. 3. *Omnis scriptura diuinitus inspirata.* & 2. Pet. 1. *Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines*: nihil enim aliud est scriptura sacra, nisi Verbum Dei immediatè reuelatum, & scriptum, Deo ipso dictante, & mouente scriptores ad ea scribenda, quæ in sacris libris canonicis continentur; scripturæ verò sacræ sine traditionibus, seu sine verbo Dei non scripto, nec sunt simpliciter, & absolutè loquendo necessariæ, nec sufficientes Ecclesiæ, vt egregiè demonstrat Cardin. Bell. lib. 4. de verbo Dei non scripto, c. 4. & seq. & nos alibi, præsertim in libro de Anno Iubilæi. Quid? quòd scriptura sacra à non sacra per se sola traditione discernitur, quos enim Ecclesia libros, vt sacros, & canonicos approbat, hi dumtaxat, vt sacri, & authentici habentur, vt docet S. Aug. lib. contra epist. Fundamēti c. 5. ubi clarè asserit, se Euangelio nō crediturū, nisi Ecclesia id præciperet. Quocirca Serapion, ut refert Eusebius lib. 6. historiæ c. 10. quædā falsò Petro inscripta reijcit, quia per traditionem acceperat, Petrum nihil tale scripsisse; & Clemens Alexandrinus c. 11. docet ex traditione à senioribus accepta, quæ sint uera Euāgelia: Origenes item c. 18. ex traditione, inquit, didici de quatuor Euangelijs, quòd hæc sola, &c. Lege eundem Clementem in lib. de Paschate, ut refert idem Eusebius lib. 6. cap. 11. & eundem Origenem in cap. 6. epist. ad Romanos, & hom. 5. in librum Numerorum, ubi perpulchra de Ecclesiasticis traditionibus scribit: quemadmodum etiam S. Basilius lib. de Spiritu sancto c. 17. & S. Athanasius in lib. de decretis Nicænæ Synodi: & est doctrina S. Pauli ad Galath. 1. *Si Angelus de Cœlo aliter euangelizauerit vobis, &c.*

Ecclesia est prior scriptura sacra.

Conc. Trident. Carthaginense Laodicenum. Florentinum.

Scriptura sacra à nō sacra quomodo discernatur.

S. August.

Clemens Alex.

Origenes.

NEC ueritati, aut certitudini sacræ scripturæ ullo pacto officit, quòd nulli, neque Historici, neque Poetę ueteres illius mentionem fecerint, etenim Aristæus apud Iosephum lib. 12. Antiquit. cap. 2. & Eusebium lib. 8. præparat. Euang. cap. 1. Ptolomæo Regi de hoc miranti respondit, diuinam hanc scripturam esse, atque ab ipso Deo datam; quocirca, si qui prophanorum hominum eam attingere uoluerint, eos continuò à Deo percussos resilijsse. Theopompus quoque ut idem affirmat, cum aliquid diuinorum uoluminum greca oratione ornare uoluisset, illico quadā mentis agitatione diuinitus immissa, uehementer perturbatus, ab incepto opere desistere coactus fuit. Theodorus verò Tragędiarum scriptor, cum decreuisset quædam verba diuinæ scripturæ ad fabulam quandam transferre, luminibus captus, orbatusq; fuit: sic Deus repentina calamitate insignem temeritatem repressit, vt cæteri discant, prophanatores sacræ scripturę seuerè à Deo puniri. Quam rem, prospiciens Conc. Trid. sess. 4. sub iuris, & arbitrij pœnis per Episcopos infligendis ad tollendam huiusmodi irreuerentiam, & contemptum, omnino prohibet. Ioan. Gerson. p. 1. cons. 5. de auctoritate Ecclesiæ, & sacrarum scripturarum nonnulla dicit, quæ hoc in loco afferenda, & corrigenda esse duximus, sic verò loquitur. Quamuis ab initio militantis Ecclesiæ, quæ componebatur ex Apostolis, & immediatis successoribus, nouiter, & certitudinaliter à Christo doctis de multis, quæ non sunt scripta, plus esset credendum authoritati talis Ecclesiæ, quam Euangelio cuicumq; priusquam esset ab ea receptum, vel authorizatum: nihilominus post approbationem, & authorizationem quatuor Euangeliorum per dictam Ecclesiam, plus esset creden-

Prophanatores sacræ scripturę seuerè à Deo puniuntur.

Gersonis dictū de Sacræ scripturę authoritate exponitur.

L dum.

dum Euangelio, quàm alteri cuicumque humanæ auctoritati. Hæc ille. Quę postrema verba, si de pura humana authoritate intelligantur, vera sunt, sed ad rem non faciunt; si autem per humanam authoritatem, totius Ecclesiæ potestatem significet, quod forte ille censuit, falsa sunt; quoniam authoritas Ecclesię non est authoritas humana, sed authoritas Dei, & Euangelij, nec potest in fide errare. Adde quòd potestas Ecclesiæ, quæ in Summo Pontifice, & cæteris Pastoribus hodie existit, eadem est cum illa, quæ in Petro, & cæteris Apostolis fuit, eique æqualis, cum sit illa ipsa, quam Christus instituit: & quatuor Sacrosancta Euangelia, cæterasque scripturas canonicas approbauit; sicut etiam hodie approbat, ac proponit.

RECTE autem in Psalmo dicitur; *Dominus narrabit in scripturis populorum, &c.* vt excludantur gentilium Deorum narrationes: est enim sacra scriptura ipsis Dijs Gentilium antiquior, vt demonstrat Tertullianus in Apologetico cap. 19. & 20. & S. August. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 37. & 38.

Tertullianus. S. Aug.

CAPVT TRIGESIMVM SEPTIMVM.

In quo proponuntur explicanda, quæ ex diuinis scripturis, quæ ex historijs probatis, quæ ex ecclesiasticis traditionibus, quæ ex Concilijs, & decretis Summorum Pontificum habeamus de Beata Virgine.



ARRAVERVNT mihi iniqui fabulationes, sed non, vt lex tua. Psal. 118. Ea intercedit differentia inter diuinam, & humanam historiam, quòd hæc, cum fallaci, & mendaci hominum testimonio nitatur, merito leuissimæ fabulationi comparatur; illa verò, quòd diuino principio hæreat, columnæ, & firmamento veritatis 1. ad Tim. 3. quinimò quicquid scribitur, vel traditur huic sacræ narrationi contrarium, omnino falsum, mendacijsque refertum necessario existimandum est. Quarè Euthymius eundē Psalmi locum sic legens. Narrauerunt mihi garrulitates ἀδολεσχίας, sed non vt lex tua, hunc in modum scribit. Narrauerunt mihi dogmatum quorundam nugacitates legi tuæ contrarias, vel ij, qui legem tuam interpretabantur, narrauerunt mihi garrulitates, legi tamen consonum aliquid non dicebant. Hæc ille. Has nugas, & ineptias, quæ secularibus literis continentur, seu etiam peruersa, & vaniloqua hæreticorum dogmata rectè S. Hieronymus in suo Psalterio ex hebræo conuerso, foueas appellat. Foderunt, inquit, mihi superbi foueas, quæ non erant iuxtà legem tuam. Quid enim aliud sunt hæreticorum, & politicorum scholæ, nisi foueæ, idest insidiæ contra legē Christi structæ, atq; paratæ? Rectè Paulus Colossenses monuit cap. 2. epist. ad eos scriptæ. *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.* & prima ad Timoth. 4. *Ineptas, & aniles fabulas deuita.* Notat autem S. Aug. in eundem Psal. 118. has politicorum, & Hereticorum fabulationes cum quadam delectatione coniunctas esse; quemadmodum etiam S. Paulus ait ad Rom. 16. *Per dulces sermones seducunt corda innocentium.* Sic autem legit Augustinus. Narrauerunt mihi iniqui delectationes, sed non ita, vt lex tua Domine: eas sic transferre voluerunt interpretes nostri, quas Græci, ἀδολεσχίας vocāt, quod vsque adeo vno verbo nequaquam dici latinè potest, vt aliqui delectationes, aliqui fabulationes eas dicerēt, vt nō immeritò accipiatur esse quidem illas exercitationes, sed in sermone cū quadam delectatione. Has verò habent

Hæreticorū, & politicorū scholæ foueę appellantur.

S. August.

Digitized by Google

bent in diuersis sectis,ac professionibus,& literę seculares, & Iudaeorum, quae *deuterosis* nuncupantur, continentes praeter diuinarum canonem scripturarum millia fabularum;habet eas & haereticorum vana,atque errabunda loquacitas. Hos omnes iniquos intelligi voluit,à quibus sibi narratas dicit ἀδολεσχίας idest, exercitationes delectabiles verbis, sed non, inquit,vt lex tua Domine, quia me in ea veritas,non verba delectant.Haec Augustinus. Fabulationes & delectationes in sermone,quę nam sint?

S. AMBROSIVS sic legit; Narrauerunt mihi iniusti exercitationes, sed non sicut lex tua Domine. Quem versum ita ingeniosè exponit. Benè optat,iudicium sibi fieri de persequentibus,qui non solum opera iusti impedire, verum etiam fidem superflua narratione subuertere conati sunt. Etenim quasi fabulae cuiusdam naenias narratas sibi dicit ἀδολεσχίας, hoc est, superfluas loquacitates. Narratores enim superflui sicut hirundines disputationis suauitatem loquacitatis continuatione corrumpunt,vt Aristotelis sententia est. Superflua igitur loquitur haereticus,qui non loquitur veritatem, non loquitur secundum legem. Qui autem fundatus in lege est,nouit à veris falsa discernere spiritualis eruditione doctrinę,hęretica ab Euangelicis dogmata separare.Ideoq; ne multi decipiantur,iubetur à Domino tacere peccator; *Peccatori enim dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas?* Conticescat igitur perfidia, quae tramitem veritatis tenere non nouit, quae Dei praecepta non seruat. Cur enim per os suum assumunt peccatores Euangelium veritatis,in quorum ore veritas non est? omnia autem praecepta Dei veritas.Christus autem veritas; non ergo est Christus in disputationibus perfidorum,qui dicit perfido.*Os tuum abundauit nequitia,& lingua tua concinnauit dolum*. Lingua enim, quae vult asserere mendacium, dolum vtiq; nectit assertis.Sed huiusmodi fur est, & cum fure concurrens; multi enim fures sunt,qui verbum Dei non ad vtilitatem suam furantur, & rapiunt, sed ad fraudem,& patrimonium quoddam coelestium scripturarum in sua furta detorquent,adulterina sibi compendia colligentes,dolo magis, quàm veritate quaesita. Sed hi sunt,qui miscent aquam vino, tamquam caupones pessimi, adulterantes verbum Dei, & in sincerum proferentes quicquid perfido, & tamquam ebrio ore deprompserint;& ideò aliena loquuntur à lege. Vnde eos bene Propheta refutat, atque reprehendit, sciens quid praescripto legis acceperit. Hactenus ex Ambrosio. Loquacitates superfluae q̄ sint. Haeretici adulterāt verbū Dei

NIL exactius cōtra haereticos dici potuit, qui nedum in Sāctos & in Christi ministros, sed etiam in ipsum Christum Dominum, eiusque matrem fabulationes, immò impuritates,& obscoena conuicia,corruptis Euangelij sententijs, reiectis Ecclesiae traditionibus, immutatis,mutilatisq; historijs, impudenter effutiunt. Alij enim erroris,imbecillitatis, ignorantiae, immò etiam dubitationis in fide,seu infidelitatis notam Virgini impingunt; alij negligentiae grauissimae eam incusant;alij virginitatis votum emisisse negant, immò nec virginem fuisse affirmāt; alij eius intercessionem,adorationem,miracula, & maternam dignitatem obscurant Verum abunde hi redarguuntur ex his,quae *Dominus narrauit in scripturis populorum;*ex nouo inquam,& veteri testamento ad doctrinam,& consolationem credentium conscripto, ad Rom. 15. Redarguuntur item ex sacris traditionibus Apostolorum,& Patrum;denique ex probatis,certisq; historijs, vt nihil desit in Catholica schola eorum, quae ad haereticos,peruersosq; homines confundendos necessaria,& opportuna sunt: sed iam singula prosequamur. At vetera primo proferamus. Scripturę populorum Haereticos redarguūt.

CAPVT TRIGESIMVMOCTAVVM.

Quæ potissimum ex veteri testamento habeantur de Beata Virgine.

VIT Deipara prænuntiata in plerisq; locis veteris testamenti, Ac primum ex c.3. Genes. famosum illud testimoniũ afferamus. *Inimicitias ponã inter te, & mulierẽ,* quod solum inter oẽs mundi mulieres de Beata Virgine verificatur: ita S. Cypr. lib. 2. testimoniorũ aduersus Iudæos c.9. S. Leo ser. 2. de Nati. Christi, Rupertus in Genes. Serapion apud Lippomanũ in eundẽ locum Genesis, Author libelli de viro pfecto, quod opusculum habetur inter opera S. Hier. tom. 9. epist. 7. qui de hac re in hunc modũ egregiè scribit. Mater itaq; Domini nostri Iesu Christi in illa iam tunc muliere promissa est. Hæc inimicitijs opposita est serpentis. Ponã, inquit, inimicitias inter te, & mulierẽ: nõ certè pono dicit, ne ad Euam hoc pertinere videretur. Verbum promissionis est, quod transmittitur in futurũ: Ponam, inquit, inimicitias inter te, & mulierem. Illam vtiq; mulierẽ, quę Saluatorem parturiat; non quæ generet fratricidam. Ponam, inquit, inimicitias inter te, & mulierem, idest suscitabo mulierem, quæ repudiata facilitate credendi, non solum te non audiat, si aut suauitatem pomorum pro adapertione monstraueris oculorum, aut Dijs similem esse promiseris, sed etiam ipso Gabriele deferente verbum, rationem de promissionis exigat nouitate dicẽdo. Quemadmodum erit istud, quoniam virum non cognoui? illã vtiq; quam ad iussionem Angeli pudor aureus tremefecit, fidei tamen ardor, & constantia labi nesciã ad inquirendam rationem reddidit audacẽ, & quæ aduenienti præstitit de pudore, quod tacuerit, hæc promittenti de admiratione non cessit; nam & sollicita de eo, quod annuntiabatur, exquisiuit. Deniq; & Angelus non infidelitatẽ redarguit, vt in Zacharia; sed instituit de diuinę operationis nouitate dicẽs: Spũs sãctus superueniet in te, & virtus altissimi obũbrabit tibi: & plura alia in hãc sententiam.

S. quoq; Cyprianus eleganter ita loquitur. Ponam inimicitias inter te, & mulierem, non dicit pono, ne ad Euam pertinere videretur, sed ponam inimicitias inter te, & mulierem, idest, suscitabo mulierem, quæ repudiata facilitate credendi, non solum te non audiat, sed ipso etiam Gabriele deferente verbum, rationem de promissionis exigat nouitate dicendo. Quomodo fiet istud, &c. Quæ eadem verba Author de viro perfecto à Cypriano est mutuatus.

VERBA verò S. Leonis hæc sunt. Deus omnipotens, & clemẽs statim vt nos diabolica malignitas veneno suę mortificauit inuidię, prædestinata renouandis mortalibus suę pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignauit, denũtians serpẽti futurũ semen mulieris, quod noxij capitis elationẽ sua virtute conteret, Christum, s. in carne venturum, qui natus ex Virgine violatorem humanæ propaginis incorrupta natiuitate dãnaret. Hęc ille. Notabiliter verò dicitur, inimicitias plurali numero, quoniã nulla alia est mulier, pręter Deiparã, quę oẽ genus inimicitię exerceat in Dęmonẽ, nimirũ quoad peccatũ originale, mortale, & veniale. Itẽ in cõceptione, natiuitate, annũtiatione, vita, morte, & post mortẽ; denique quot illa virtutes obtinuit, tot cum Dęmone inimicitias contraxit, non vnum dumtaxat, sed omnes sathanicos spiritus superando. Quare rectè Sãctus Bernard. homil. 2. Super Missus est, ait. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & si adhuc dubitas, an de Maria dixerit, audi, quod sequitur; ipsa conteret caput tuum; cui hæc seruata victoria est, nisi Mariæ? ipsa procul dubio caput con-

contriuit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra, quàm de mentis superbia deduxit ad nihilum. Sic Bernardus.

SECVNDO, ex lib. Numerorũ c. 24. testimonium proferamus. *Orietur stella ex Iacob, consurget Virga, seu homo*, vt legunt Origenes, S. Hieronymus, & S. Ambrosius, *de Israel*; hanc stellam Beatam Virginem significare tradidit Petrus Damianus ser. 2. de Natiuitate Beatæ Virginis, vbi sic ait. Hodie nata est Regina mundi, fenestra Cœli, ianua Paradisi, tabernaculum Dei, stella maris, scala cœlestis, per quã supernus Rex humiliatus ad ima descendit, & homo, qui prostratus iacebat, ad superna exaltatus ascendit. Hodie apparuit stella mundi, per quam Sol iustitiæ illuxit mundo, illa videlicet, de qua per Prophetam dicitur. *Orietur stella ex Iacob, & exurget homo de Israel.*

ANASTASIVS Synaita in Hexameron lib. 4. idem sic scripsit. Quartus autem dies, in quo perfectus fuit Sol, qui significat Christi incarnationem, significat, quòd bonorum omnium perfectio tunc apparebit, cum ex lucida stella, nempè Virgine, ortum fuerit astrum lucidissimum ex Iacob, habẽs luciferam stellam præcurrentem Magos offusos tenebris, quæ hoc indicat.

ALBERTVS Magnus in cap. 1. Lucæ eandem tradit significationem. Illa. n. illuminata & illuminatrix, inquit, quid diceret, nisi quod mundo lucẽ pareret? Processit in dicto quasi aurora consurgens, solẽ conceptura supernũ. Quid verò stella orta ex Iacob dicto suo panderet, nisi solẽ de stella nasciturũ, vel lucis æternæ radiũ sine omni sua corruptione mundũ illuminaturũ? & infra. Stellam te proba poli, ducens nos ad portũ tutum, & quietum post tot tẽtationũ iactationes. Nobis. n. in te lux noua oriri visa est, & sol nouus in conspectu, & fons paruus, & humilis gratię tuę creuit in fluuiũ maximũ, & humiles exaltati sunt, & deuorauerunt inclytos, qui hactenus de sua gloriabantur deiectione. Hester. 11.

FVIT præterea prænuntiata Psal. 18. sub nomine thalami, ex quo sponsus procedit, vt exponit Ecclesia in officio Nat. Christi: quare S. Epiph. in ser. de laudibus S. Mariæ inquit. Et pater misit arrhabonem de Cœlo Spiritum sanctum, qui præparauit Virginem vnigenito filio cœlesti sponso; quam pater dilexit, filius inhabitauit, Spiritus sanctus percupiuit. Ipsa est. n. sponsa, & thalamus, & ex ea sponsus procedit Christus virgineum habens indumentum, iuxta suauẽ Dauidis Prophetę cantionẽ, *in sole posuit tabernaculũ suum, & ipse tamquã sponsus procedens de thalamo suo.* Idem docet S. Aug. lib. 1. de consensu Euangelistarum c. 30. Tamquam sponsus processit de thalamo suo, idest coniugatum Verbũ carni humanæ processit de vtero Virginis. S. Hieron. in expositione Psal. 18. eandẽ interpretationem satis luculenter ponit, sic scribens. Sponsus Verbum patris, sponsa caro humana, cum qua de thalamo processit, idest, de vtero Virginis.

S. August.
S. Hieron.

FVIT quoq; præsignificata sub nomine Reginæ Ps. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate*; ita S. Athanas. in Euangelio de sanctissima Deipara, eundem locum de eadem in Cœlo regnante exponit, atq; etiam Arnoldus Carnotensis in opusculo de laudibus Virginis, qui floruit tempore S. Bernardi; sic etiã Petrus Damianus in serm. de Assumpt. Deiparæ, & Hugo Victorinus lib. 3, eruditionis Theologicæ cap. 125. Necnon Ildephonsus ser. 1. de assumpt. Virginis. Hodiè, inquit, collocatur in throno à dextris Dei, sicut canitur in Psal. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate virtutum. Quòd si Reginam Cœli Gentiles, immò ẽt interdũ Iudæi, dixerunt Lunã, illamq; coluerunt, Hierem. 7. ubi lege Hieronymum; quantò magis à nobis illa hoc nomine censenda est, quæ nõ solũ sub pedibus Lunã habet, sed ẽt Sole amicta est, & diadema Stellarum duodecim in capite gestat, Apocalyp. 12.

S. Athanasius.
Arnoldus Carnotensis.
Petrus Damianus.
Hugo Victorin.
Ildephonsus.

DICITVR item B. Virgo Tabernaculũ, Ps. 17. *Posuit tenebras latibulũ eius, in circuitu eius Tabernaculũ eius*: vbi Hiero. Latibulũ, inquit, se ipsum dixit in scri-

turis, in circuitu eius tabernaculum eius, Christus in Maria, quasi sponsus in thalamo, & corpus Mariæ, quasi tabernaculum; tenebras dicit, eò quòd nobis obscura est incarnatio, vel natiuitas eius. Iterum Psal. 45. *Sanctificauit tabernaculũ suum altissimus*; quẽ locũ S. Th. 3. p. q. 27. art. 2. & Method. serm. de Purificat. de B. Virgine intelligunt: hæc autem sanctificatio debet esse singularis, & congrua tabernaculo Dei, de quo Psal. 88. dicitur, *thronus eius, sicut sol*, quod de Virgine exponit Damascenus lib. 4. c. 15. & Petrus Damianus serm. de Assumpt. dicens, ideo Virginem comparari soli, quia ita lucet inter sanctos, sicut sol inter stellas.

S. Thomas. Methodius.

Cur B. Virgo soli comparetur.

DICITVR præterea Terra, Isa. 45. *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*, & Psal. 84. *Veritas de terra orta est, idest*, Christus ex Virgine, vt Augustinus in eundem Psal. & 2. de Gen. contra Manichæos, & serm. 110. de tempore, terrã repromissionis Virginem appellans; & Hieronymus in c. 53. Isa. terram sitiẽtem eandem virginem nuncupat, & sicut primus Adam de terra virginea, & intacta formatus fuit, ità & secundus Adam.

S. August.

S. Hieron.

DEINDE dicitur Ciuitas Dei Ps. 86. vt superius exposuimus. Arca Psal. 131. *Tu, & Arca sanctificationis tuæ*. Vnde Ecclesia canit, *Ventris sub Arca clausus est*; ita Ambr. ser. 80. Bonauent. in speculo Mariæ c. 9. & latini Patres sæpissimè. Sub figura quoq; mulieris fortis longissimus sermo fit de ea Prou. 31. vt S. Bern. in ser. de Nat. Mariæ, & alij: sub nomine quoq; domus Prou. 9. de ea dicitur; *Sapientia ædificauit sibi domum*: ita Bern. ser. 20. de Assump. & ser. 90. ex paruulis: nec non sub nomine Cedri, Platani, Oliuæ, & similium, Ecclesiastici 24. & sub nomine Virginis Isa. 7. Virgæ Isa. 11. Nubis leuis Isa. 19. postremò, omissis alijs ferè infinitis epithetis, sub nomine fœminæ Hierem. 31. *Fœmina circundabit virum*; nullum enim volumen, seu liber veteris testamenti reperitur, qui mentionem B. Virginis sæpius non contineat, & præsertim libri Prophetarum, & Psalmorum, quod solerti concionatori facillimum erit inuestigare, atque exponere.

In veteri testamento frequentissima fit mẽtio de B. Virgine.

CAPVT TRIGESIMVMNONVM.

Quæ in nouo testamento habeantur de Beata Virgine.



IN nouo verò testamento multa habentur de Deipara expressa; vt quòd fuerit diu Nazareth, Lucæ 1. quòd salutata ab Angelo, ibidem; quòd consenserit Incarnationi faciendæ, ibidem: quòd votum perpetuum virginitatis ante incarnationem emiserit; quòd Elisabeth visitauerit, quòd donum prophetiæ habuerit, Lucæ 1. quòd ferè tribus mensibus cum Elisabeth manserit, quòd his elapsis, in domum suam, hoc est, Nazareth reuersa fuerit Lucæ 1. quòd canticum virginale *Magnificat*, in Dei laudẽm coram Elisabeth cecinerit. Ibidem. Quòd profecta fuerit cum Ioseph in Bethleem. Lucæ 2. & in Aegyptum Matth. 2. Quòd in Bethleem peperit Christum. Lucæ 2. Quòd inuenerit Christum in templo, Lucæ 2. Quòd interfuerit nuptijs, in Chana Galilææ. Ioan. 2. Quòd Cruci astiterit, & Apostolo Ioanni commendata fuerit. Ioann. 19. Quòd post Christi resurrectionem cum Apostolis manserit, orauerit, & in eodem loco Spiritus sancti charismata in die Pentecostes cũ illis, licèt abundantius, receperit. Actor. 2. Quòd Ioannes eius curam susceperit post Christi mortem, Ioannis 19. denique quòd ex semine Abrahę, familia Dauid, & ex Tribu Iuda descẽderit Matth. 1. & alia huiusmodi.

QVOD

QVOD verò attinet ad virtutes, præ cæteris hæ commemorantur. Fuit enim *illa* fide diues, Lucæ 1. Ioan. 2. quod etiam innuitur Pro. 31. Spe plena Ioan. 2. quod etiam indicatur Ecclesiast. 24. Amore, beneuolentia erga homines, & charitate perfecta, Lucæ 1. Ioan. 2. & 19. quod idem habetur Ecclesiast. 2. Virgo perpetua Matth. 1. Luc. 1. idem quoque Genes. 3. vt inferius explicabimus, Num. 24. Psalm. 18. 44. 45. 84. 86. 131. Prouerb. 31. Cantic. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Eccles. 24. Isai. 7. 11. 19. 45. Hierem. 31. Exod. 3. Iudic. 6. Exech. 44. Daniel. 2. *Humilis* Luc. 1. Actor. 1. Misericors Ioan. 2. Prudens, & modesta Luc. 2. Pia, & benigna Luc. 1. Fortis Ioan. 19. quod idem legitur Prouerb. 31. Sapiens Ioan. 2. & Prouerb. 31. Pauper, ac patiens Matth. 2. Luc. 2. Ac denique sanctimonia, religione, ac virtute omnes, tam Angelos, quàm homines præcellens Luc. 1. quod item significatur Prouerb. 31. Ecclesiast. 24. quæ omnia virtutum genera in singulis versiculis sui Cantici Deiparam indicasse, ostendimus satis abundè in lib. 1. Commentariorum nostrorum in Magnificat cap. 24. Creuit autem quotidie Deipara in omnium virtutum genere per actus meritorios, non enim in vanum laborabat; atque etiam in fide indies incrementa accepit, non quantum àd certitudinem, & firmitatem, sed ad dilatationem, & extensionem quandam, cum multa successu temporis nouerit, quæ prius non nouerat, vt infra magis declarabimus; hunc verò fidei progressum in Virgine fatetur quoque Origenes Hom. 20. in Lucam, licèt Trinitatis mysterium, nec non diuinitatis Christi, eiusque Incarnationis, & officij Saluatoris munera semper eximia fide cognouerit, nihilque vnquam ignorauerit eorum, quæ ad huiusmodi mysteria spectabant, vt benè Tol. in cap. 1. Lucę Annota. 82. scribit.

B. Virgo vsque ad mortem creuit in omni virtutum genere.

Fidei progressus qualis in B. Virgine.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

Quæ præcipua ex traditionibus de Beata Virgine habeantur.

EX Traditionibus autem multa de Beata Virgine narrantur.

PRIMA Traditio habet, Deiparam tam in Ecclesia militante, quàm in Ecclesia triumphante ab initio seculi adoratam fuisse; sancti Angeli enim à principio suæ creationis Christum fide cognouerunt, & eundem ab exordio beatitudinis in Verbo intuiti sunt; etenim ad eorum statum maximè spectabat Regem, & caput suum agnoscere, & consequenter eiusdem Christi matrem, ea pręcipuè ratione, quòd hęc eorum domina, & regina perpetuò futura erat. Adde, non esse incredibile tam perfectum Dei opus, quale est B. Virgo, ab aliquo Beato, & maximè à Sãctis Angelis in Verbo nunc, & ab initio visum fuisse, ac videri, cum visio beata non recipiat augmentum, vel mutationem, vt etiam indicauit S. Th. 3. p. q. 30. art. 2. ad 3. vbi ex S. Maximo docet, Angelos nouisse futuram Incarnationẽ ambigendum non esse. Latuit autem eos inuestigabilis Domini conceptionis modus, qualiter totus in genitore, totus manebat in omnibus, nec non & in virginea cellula. S. verò Bernardus Hom. 1. in Missus est, & ser. 4. & 5. de Assumpt. Angelis accõmodans verba illa: *quæ est ista, quæ progreditur, &c.* quasi inquirentibus de persona sibi ignota, quod etiam fecit Lauren. Iustin. serm. de Annun. est interpretandus cum S. Th. loco citato, hęc verba intellexisse de cognitione quoad omnes circunstantias, non autẽ quoad mysterij substantiam, & personam Verbi incarnatam.

Angeli ab initio beatitudinis Matrem Dei agnouerunt.

S. Thomas. S. Maximus.

S. Bernardus interpretandus

tam. Ex quo amplius infertur, quòd sicut Christus ēt, vt homo, vel fide creditus, vel clarè in Verbo visus, statim ab Angelis est adoratus, atq; illis ex Maria nasciturus secundū carnē repręsentatus, & propositus à Deo fuit in eorū creatione, ad Hebręos 1. *& cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit; & adorent eum omnes Angeli Dei*; & Psal. 96. *Adorate eum omnes Angeli eius*; quæ verba Euthymius intelligit, nō solum de obsequijs exhibitis ab Angelis Christo in deserto, & in ascensione; verum etiā in eius Incarnatione, ac Natiuitate: sic etiam Beata Virgo cum primum sanctis Angelis est cognita, fuit ab eis adorata; cognita enim fuit ab eis, vt Dei mater, & omnium domina, ac proinde vt adoratione digna. Vnde Damascen. orat. 1. de Natiu. Beatæ Mariæ, & 2. de Assumpt. inquit. Decet Dei matrem ea, quæ sunt filij, possidere, & ab omnibus adorari: Quod non obscurè ostendit Ecclesia, quæ vtitur illis verbis in laudem ipsius B. Virginis; *Adorate Deum omnes Angeli eius in Aula sancta eius*: & Dauid Psal. 28. *& 95. Adorate Dominum in atrio sancto eius*; aula verò, & atrium Dei Deiparam esse omnes Patres vnanimiter exponunt.

Traditio Ecclesiastica, cuius initium ignoratur vsq; ad tēpora Apostolorū est reuocanda ex S. Augustino.

IN Ecclesia autem militante cultus Virginis semper viguit, & antiquissimus probatur: quoniam sic habet vniuersalis cōsensus, & traditio Ecclesiæ, cuius initium ignoratur, quod teste S. August. lib. 4. de Baptismo c. 24. certum indicium est, vsq; ad Apostolorum tempora illam esse reuocādam. Atq; ita Patriarchæ, & Prophetæ, à quibus, & præcognita, & prædicta fuit, ante Christi aduētum illam in veneratione habuerunt, vt ex Hieronymo, & alijs Patribus superius à nobis citatis cōstat; post Christi verò aduentum, ēt dum inter mortales viueret, ab omnibus fidelibus, qui illam cognoscebant, in summo honore est habita, vt ex Epistolis Ignatij ad Ioannē Euangelistā, & ex antiquis historijs certum est. Deinde cum in Cęlum assumpta fuit, varijs diebus festis in memoriā, & honorem ipsius ab Ecclesia institutis decorata fuit: & nulli dubium, festum Annuntiationis ab Apostolis institutum esse, vt ex Hom. sanctorum Patrum in eo die habitis plenè constat, vt Augustini, Athanasij, & Andreæ Hierosolymitani, & ex Leone Papa epist. 4. c. 2. & ex Conc. Tolet. 12. c. 1. De his festiuitatibus plura diximus lib. 2. Cōmentariorum nostrorū in Magnificat c. 22. dubio 9. nec est opus illa hoc in loco repetere. Addit S. Antoninus p. 4. tit. 15. c. 24. §. 3. quòd queādmodum in Ecclesia octo sunt solemnitates Deo in solū eius cultum dicatæ, Trinitatis, Pentecostes, Natiuitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, & Corporis Christi. Ita quoq; tot sunt vniuersales festiuitates in Virginis honorem eidem Deo consecratæ. Hanc eandem traditionem virginei cultus testantur antiquissima templa, & aræ Deo in honorem Beatæ Virginis consecratæ, quarum prima inter primas est cellula conceptionis Christi, olim apud Nazarethum, nunc in Piceno in nostra Ecclesia Lauretana posita, ab ipsis Apostolis Deo in Virginis honorem consecrata. Miracula verò, quæ ibidem Deus in dies copiosissimè operatur, hanc veritatem abundè confirmant, de qua re fusissimè actum est à nobis in lib. 6. de anno Iubilæi, & nonnulla paulo inferius addentur, sicut etiā plurima in alijs nostris operibus sparsa reperiuntur.

Festum Annunciationis ab Apostolis institutum.

Octo Festiuitates Dei, & octo Festiuitates Virginis in Ecclesia.

SECVNDA Traditio, quòd Virginis cōceptio fuerit orationibus à Deo impetrata, licèt ex viri, & fęminæ cōmixtione carnali ad modū aliorum hominum fuerit concepta; ita Epiphanius Heres. 78. in fine, & 79. circa mediū, vbi expressè inquit. Tametsi historia Mariæ, & traditio habent, dictum esse patri ipsius Ioachim, in deserto vxor tua concepit; non tamen quòd sine coniugio, neq; sine semine viri hoc factum sit; & ibi damnat hæresim Collyridianā, quæ aiebat, Mariam humanæ naturæ prorsus fuisse expertem. Plura habet Epiphan. orat. de laudibus Virgin. in tom. 7. Bibliot. Damasc. lib. 4. c. 15. & orationibus de B. Virgine, & Andreas Hierosolym. orat. de dormitione Deiparæ, & Germanus Constantinopo-

Epiphanius.

Andr. Hierosol.

nopolitanus orat. de oblatione Marię in templū, Greg. Niss. orat. de sancta Christi Natiuit. Simeon Metaphras. & alij, qui historiā de Beata Virg. scripserunt: nec vacat mysterio, quod Damascenus narrat, nomina parentū, Anna nimirū, & Ioachin, mysteriosa fuisse. Anna. n. gratiam, seu misericordiā, Ioachin verò, Dominus firmabit, seu suscitabit, interpretantur; ad significandū illos genituros fuisse filiam, per quam Deus, & misericordiā suscitaret, & gratiam confirmaret. Adde, Annam sterilē fuisse, & vitam sine prole vsq; ad senectutem produxisse, & orationibus conceptionē Virginis impetrasse, vt supradicti Auctores citati scribunt; id quod idem Damascenus etiam orat. 1. de Natiuit. Mariæ non obscurè indicat: decuit enim, vt ad summum miraculum via per miracula sterneretur, & vt in fabricanda Virgine gratia naturā iuuaret, ac præueniret, & vt parentes Virginis ad talem fructum suscipiendum se se desiderijs, & orationibus disponerent.

Annæ, & Ioachim nomina mysteriosa.

TERTIA Traditio, quòd diuinitus fuerit Deiparæ conceptio parentibus prænunciata, ita apertè habetur apud S. Gregorium Nissenum in orat. de sancta Christi Natiuitate, vbi dicitur, Annam, cum prolem à Deo postularet, nutu diuino fuisse confirmatam; quæ verba vsurpat Nicephorus lib. 2. c. 3. vbi ex Hippolyto Portuensi huiusmodi historiam refert. Damascenus item loco citato loquēs de B. Anna, ait, Quemadmodum prisca illa Anna, cum sterilitatis morbo laboraret, per orationem, ac promissionem Samuelem procreauit: eodē modo hæc & per obsecrationem, & promissionem Dei genitricem à Deo accepit, vt ne hæc quoq; cuiquā ex illustribus matronis cæderet. Idē habetur in lib. de Natiu. Marię inter opera S. Hieronymi posito. Epiphan. quoq; contra Collyridianos, & Andreas Cretensis in serm. de Dormitione Deiparæ, atq; etiam Sancta Brigitta in suis reuelationibus lib. 1. c. 9. & serm. Angel. c. 7. idem innuunt. Quod si conceptio Isaac Genes. 21. & Ioannis Baptistæ Luc. 1. fuit parentibus diuinitus nunciata, verisimile quoq; est, parentes Virginis hac gratia non caruisse.

Gregor. Nisse.

Damascenus.

Epiphanius.

QVARTA traditio, quòd nomen Mariæ diuinitus reuelatum fuerit; si enim Abrahæ nomen filij sui Isaac reuelatum fuit Genes. 17. & Zachariæ nomen Ioannis Baptistę; multò magis Mariæ nomen Ioachino, & Annæ, imò etiam ipsi Elisabeth, vt notauit Ambrosius in cap. 1. Lucæ. Vnde idem Ambrosius lib. de institutione Virginis cap. 5. dixit; Vnde, & speciale Maria Domini hoc nomen inuenit, quod significat Deus ex genere meo, hoc est, ex meo sanguine, ex mea carne, ex meis visceribus, & vtero generatus. Hæc eadem traditio habetur in citato libro, seu sermone, qui S. Hieronymo tribuitur de Natiu. B. Virginis. Et si Sybillæ, & Hebræi ante Christum hoc augustissimum nomen vaticinati sunt, vt testatur Damascenus serm. de ijs, qui in fide hinc migrarunt; quantò magis Marię parentibus reuelatum esse, affirmandum est? Galatinus libr. 7. Arcan. cap. 13. scribit, ex Rabbi Haccados in illis verbis Isai. 9. *Multiplicabitur eius Imperium:* pro quo Hebręi legunt; Ad multiplicandum Imperium, vbi ad litteram fit sermo de Messia; hęc duo nomina contineri. *Miriam Sarah*, idest Maria Domina, vt indicaretur nomen matris Messię, & eius imperium æquè multiplicandum, ac principatum Messię. Est autem hoc nomen Marię etiam Angelis ineffabile; qua ratione Gabriel alloquens Virginem Luc. 1. non dixit, *Aue Maria*, sed *Aue gratia plena*; ob reuerentiam enim Virginis non est ausus nomen eius, tanquam ineffabile statim proferre, quamuis ex colloquio Virginis deinde familiarior redditus, tandem dixerit. *Ne timeas Maria*, vt optimè Viegas in cap. 12. Apoc. sect. 1. scripsit: vnde Idiota in lib. contemplationum suarū de Virgine cap. 5. cum ea loquens, sic ait. Dedit tibi Maria tota Trinitas nomen, quod post nomen filij tui est super omne nomen, vt in nomine tuo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Hoc nomen super omnia sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illumi-

Deus ex genere meo quomodo Christus.

Idiota.

illuminat cęcos, penetrat duros, vngit agonistas, iugum Diaboli extrudit. Tantæ virtutis, & excellentiæ est, vt ad eius inuocationem Cœlum rideat, terra lætetur, Angeli congaudeant, Dæmones contremiscant, & infernus conturbetur. Dicitur Prouerb. 20. *Lucerna Domini, spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris:* Sic etiam dicere tibi possumus, lucerna Dominæ, idest, Mariæ, quæ doctrix, & magistra maris interpretaris; spiraculum hominis, quia peccator per te respirat in spe veniæ, & gratiæ. Hæc ille. Nec huiusmodi vis ex nuda triũ syllabarum compositione, siue ex mera vocali huius nominis prolatione pẽdet, cum & aliæ mulieres Mariæ sint appellatæ, inter quas fuit ciuis quædam Hierosolymitana, mulier tam scelesta, vt filium suum necarit, teste Iosepho lib. 7. c. 8. de bello Iudaico; sed ex ratione personæ ipsius Deiparæ, cui hoc nomen cęlitus est applicatum, sanè energiam quandam singularem, diuinamq; virtutem matri Dei congruentem, hoc nomen Mariæ continere, omnes, qui illud inuocãt, experiuntur: lege Canisium lib. 1. Mari. c. 1. & Annales Lauretanos, nec non Albertum in Missus est.

Mariæ nomen ex persona Deiparæ vim continet salutarem.

QVINTA Traditio. Beata Virgo à peccato originali immunis fuit. Hæc traditio non est de fide, nec hactenus decreta est ab Ecclesia, & ideo non est omninò certa, & indubitata, vt plures aliæ: immo hodie minus est certa in Ecclesia Catholica, quam eius assumptio in Cœlum. Verum nemini dubium, Ecclesiam in rebus, & veritatibus fidei declarandis, & proponendis in dies crescere, Deo propitius, ac vberius eam illuminante, & docente, prout populorum vtilitas postulat, & ad hæreticorum peruersa, nouaque dogmata retundenda necessitas, & opportunitas existit, vt docet Sanctus Thomas 2.2. q. 1. art. 7. & 10. atque etiam q. 174. art. 6. nec non B. Gregorius hom. 26. in Ezechielem, & Gerson. Alphab. 15. lit. q. & Cordubensis lib. 1. q. 44. Quocirca quæ interdum prius opinata, & dubia inter Doctores erant, solet Ecclesia facere indubitata. Sic olim ante Concilium Viennen. dubitatum fuit, an habitus in iustificatione essent infusi, permissumque fuit liberè in hac re opinari; at ipsum Concilium Viennense sub Clemente Quinto, vt habetur in Clementina prima de summa Trinit. & fide catholica, definiuit esse infusos, & hodie iterum res definita est, vt de fide in Conc. Trident. sess. 6. c. 7. & Canon. 3. & 11. quod etiam in Catechismo Romano in tract. de sacramento Baptismi habetur: sic etiam multæ propositiones hodie censentur hæreticæ, de quibus assertores non notabantur censura hæresis ante Ecclesiæ definitionem, vt Orig. Lactan. & Abbas Ioachimus, in cap. Damnamus, de summa Trinit. Vide S. Tho. 1. p. q. 32. art. 4. & ibi Caietanum. Nec tribuendum vllo modo Virgini peccatum veniale, vt olim à nonnullis factum fuit; quod tamen hodie post Concilium Tridentinum est hæresis expressa ei tribuere. Re vera vsq; hodie articulus iste de immaculata Virginis conceptione nõ est definitus ab Ecclesia, vt patet ex Erravag. Sixti Papæ Quarti de reliquijs, & ven. san. & ex Conc. Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali, licèt ibidem Concilium appellet eandem Virginem immaculatam, & Sixtus Quartus eius conceptionem miram vocet. Nec attendenda sunt decreta Concilij Basileen. cum Concilium Canonicum non sit, vt constat ex actis eius, & ex Concilio Lateranen. sub Leone Decimo sess. 10. Quamuis idem Basileense Concilium non simpliciter definiat, hunc articulum esse de fide; sed asserat esse pium, consonum fidei, & scripturæ, vetetque doceri contrarium, quam vltimam partem Sixtus Quartus, Concilium Tridentinum, & Pius Quintus retractarunt, & adhuc inculpatè opinari permittunt, quòd neutra opinio verbo Dei apertè repugnet. Posset tamen Ecclesia definire, & declarare, B. Virginem immunem esse à peccato originali, atque id sacris scripturis non esse contrariũ, vt multi pij, doctissimique viri, etiam ex ordine Prædicatorum, definitum iri sperant.

S. Thomas. S. Gregorius. Gerson.

Dubia Ecclesia reddit indubitata. Habitus in iustificatione infunduntur.

Conceptio B. Virginis mira.

sperant. Vide Sotum lib. 1. de natura, & gratia c. 9. Quare falsò Cano lib. de locis c. 4. & lib. 7. c. 3. concl. 4. & lib. 12. c. 21. & Caietanus in opusc. c. 5. timentes contrariam decisionem, negant, esse dogma pertinens ad definitiones fidei. Sicut etiam posset Ecclesia hoc festum conceptionis sub præcepto constituere; licèt hactenus tale præceptum impositum non sit; habet .n. Ecclesia potestatem præcipiendi actum pium, & religiosum, qualis est celebratio festiuitatis cõceptionis Mariæ, si expedire iudicauerit, vt benè docet Suarez to. 1. li. 2. de Relig. c. 8. Porrò apud Græcos festũ hoc ante mille annos fuisse celebratum, scribit Galat. lib. 7. de arcan. script. c. 4. & constat ex eorum Calendario antiquissimo, & ex ser. Leonis Imperat. & Georgij Nicomed. de conceptione Beatæ Mariæ.

Festũ Conceptionis non est de præcepto.

S. Bernardus affirmat epist. 174. quòd suo tempore apud quasdam priuatas Ecclesias in Gallijs celebrabatur, & tempore S. Thom. vt ipse refert 3. part. q 27. a. ad 3. idem à nonnullis Ecclesijs colebatur, non tamen à Romana, licèt vsum præfatarum Ecclesiarum toleraret. Græci verò hanc solemnitatem celebrant, non eadem die, qua Latini, sed postridie, hoc est die nona Decembris, vt videre est in quarto tomo Bibliot. sanct. Quod euidenter constat ex eorum Calendario, & alijs Authoribus à Baron. adductis in Martyrologio. Est autem hic dies proximus, seu contiguus illi diei, in quo Domus Virginis ex Dalmatia in has regiones Recanatensium in Piceno sanctorum Angelorũ ministerio trãslata fuit, vt in nostro libro de fuga ante Horatium Tursellinum notauimus. De tempore autem, quo cœperit apud Latinos huiusmodi celebritas agi, dicendum videtur, quòd ante quingentos ferè annos, vt ex Epistolis Bernardi ad Canonicos Lugdun. colligitur, qui eis indignatur quòd absque auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, obtentu cuiusdam priuatæ reuelationis nouam induxerint celebritatem, de qua iudicium Romanæ Ecclesiæ omninò expectandum erat: hæc autem reuelatio à Petro in Catal. lib. 1. c. 42. Sancto Anselmo Episcopo Cantuariensi tribuitur, qui ante Bernardum vixit, & anno Domini 1109. obijt; sed re vera, vt Baronius notat, non Anselmo, sed alij, qui paulò ante Anselmũ vixit circa annnum Domini 1070. Elpino nempè, seu Elsino Anglo Abbati tribuenda est, qui Gulielmo Normannorũ Duce regnante in Anglia, dum in magna maris tempestate periclitaretur, diuinã quandã visionem habuit, in qua monitus fuit de huiusmodi festiuitate celebranda, & in fidei veritatis testimonium, miraculum est subsecutum. Fuit igitur hoc festum primò in Anglia celebratũ, cui rei fauet opusculum à S. Anselmo, vt fertur, scriptum in laudem Conceptionis Virginis, vbi dicitur, non esse verum amatorem Virginis eum, qui hoc festum nõ celebrat. Ecclesia deinde Lugdunensis illud recepit, non sine tamen controuersia; tandem Romana Ecclesia celebritatem hanc ante 200. annos generaliter amplexata est; & de mandato, ac decreto ipsius officium conceptionis editum, & indulgentiæ singulares impertitæ fuerunt ijs, qui idem officium recitant, vel audiunt, & idem festum colunt, quod nouissimè Concilium Tridentinũ, & Pius Quintus decretis, & constitutionibus firmarunt; & cum consuetudo vniuersalis Ecclesiæ, quæ auctoritati cuiuscumq; Doctoris, vt dicit S. Th. 2. 2. q. 10. art. 12: & 3. p. q. 68. art. 10. præferenda est, omninò recipienda sit, sequitur, vt hæc traditio, saltem quantum ad mysterij substantiam, firma, & indubitata sit. Hinc sequitur, Kemnitium omninò errasse, dum asserit, tempore Petri Lombardi ignotam fuisse opinionem de immaculata Virginis conceptione; tempore enim Anselmi, qui antiquior fuit Petro Lombardo, hæc opinio nota erat, vt colligitur ex Comment. Anselmi in c. 5. posterioris ad Corin. Errat deinde idem Kemnitius, dum dicit, Lombardum fuisse primum, qui disputare cœpit, Beatam Virginem in cõceptione Christi ab omni peccato, atque etiam à fomite liberatam; nam ante Lombardum tam insignem puritatem tribuerunt Virgini, Anselmus lib. 2. Cur Deus homo,

Quo tempore festum Conceptionis cœperit celebrari.

Consuetudo vniuersalis Ecclesiæ præferenda est authoritati cuiuscunque Doctoris.

Errores Kemnitij confutantur

homo, c.16. & lib. de concept. Virginali, c.18. & Augustinus lib. de Natura, & gratia c.36. imò ante Christi conceptionem fuisse iam gratia plenã testatur Angelus Luc. 1. Errat tertio idẽ kemnitius dum astruit, festũ conceptionis celebrari cœpisse post tempora S. Tho. vel eius ætate; Bernardus .n. qui centum annis S. Thom. præcessit, in epist. 174. meminit huius festi, & Sãctus Anselmus, qui annis ferè ducẽtis eodẽ S. Tho. fuit antiquior; sed de his satis. De hoc mysterio habetur quoq; reuelatio facta S. Brigittæ lib. 1. c. 9. & lib. 6. c. 49. & 55. ad quam eneruandam Caietanus, vt benè notat Suarez, ex Antonino 1. p. Theol. titul. 8. c. 2. ait, cõtrarium fuisse reuelatum sanctæ Catherinæ Senensi. Séd neq; Anton. neque alij, dum scripserunt vitã B. Catherinæ, huius reuelationis meminerunt, sed tunc inuenta videtur, quando necessaria visa est ad minuendam auctoritatem festi conceptionis. Accedat huc, à Iulio Secundo, à Leone decimo, & Alexandro Sexto fuisse probatam, ac priuilegijs munitam Religionem in Ecclesia iam institutam in honorẽ immaculatæ cõceptionis, in cuius regula c. 3. dicitur, animam Virginis à primo instanti suæ creationis fuisse sanctam: lege Compendium Mendicantium, verbo communicatio §. 18. & conceptio. §. 10. 12. & 13.

Religio in honorem Conceptionis Virginalis instituta.

HVIC traditioni fauent innumera Sanctorũ testimonia, quæ apud Suarez tom. 2. q. 27. disp. 2. legenda sunt; fauet quoq; vniuersalis ferè Ecclesiæ consensus, & applausus, tam sapientiũ, ac doctissimorũ virorum, quàm insipientium, hoc est vulgariũ hominum, paucis exceptis: multæq; rationes, ac congruentiæ ex sacris scripturis petitæ, quas nos alibi adduximus, & ab eodẽ Suarez elegantissimè explicantur. S. Th. in 1. dist. 44. q. vnica art. 3. ad 3. asserit, B. Virginem tantam habuisse puritatem, vt ab actuali, & originali peccato fuerit immunis, quod idem videtur innuere in 1. dist. 17. q. 2. art. 4. dicens, illam sub Deo habere maiorẽ puritatẽ, quæ inueniri potest; quãuis in alijs locis secus loquatur. In 3. verò p. q. 27. art. 2. ad 3. dicit, quòd, licèt Romana Ecclesia conceptionem B. Virginis non celebret; tolerat tñ consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum celebrantium: vnde talis celebritas non est totaliter reprobanda; quæ verba rectè scripta sunt pro eo tempore, quo S. Tho. ea scripsit; hodie tñ Ecclesia Romana festum illud sub nomine conceptionis celebrat, vt ex dictis patet, nec solum tolerat, sed et approbat consuetudinem omnium Ecclesiarũ illud festum celebrantiũ, imò inuitat ad celebrandum illud per indulgentiarum concessionẽ, quare talis celebritas est ab omnibus, vt pia, ac religiosa totaliter amplexãda. Porrò S. Th. & alij S. Patres, & Doctores contrariꝫ sententiꝫ si hodie viuerent, non est, dubiũ, quin et ipsi libentissimè hanc sententiã amplecterentur. Neq; in hac re plura à nobis adducenda sunt, cum à citatis Authoribus copiosissimè articulus conceptionis Virginis disputetur, qui omninò, ac primario resoluitur in sanctitatẽ Virginis, consequenter verò in circunstantiã temporis, vt piè creditam; & cũ Pontifices huiusmodi festum approbant, declarant se probare dumtaxat sententiam illam, quantum ad circunstantiam tẽporis, vt piam, & probabiliorem: nec reuelationes adductæ sunt adeò certæ, indubitatæ, & sufficienter propositæ, vt ad certam fidem faciendã hactenus sufficiant; licèt sine alijs nouis reuelationibus explicitis posset Ecclesia sua auctoritate cũ assistentia Spiritus Sancti, crescente maximè communi consensu Ecclesiæ, hãc veritatem definire: quæ definitio haberet respectu nostri vim diuinꝫ reuelationis propter infallibilem Spiritus Sancti assistentiam eidem Ecclesiæ à Christo promissam: interim certum est, ex festi celebratione, vt sic propositi, non posse tantam haberi certitudinem, quanta esse solet in alicuius Sancti canonizatione. Neq; enim habitæ sunt ab Ecclesia disputationes ad hunc articulum definiendum, & decidendum, licèt quamplurimæ habitꝫ sint, & habeantur à priuatis Doctoribus ad disputandum.

S. Thomas dictum declaratur.

Articulus Conceptionis in quo consistat.

Quanta sit hodie certitudo in Ecclesia circa festum Conceptionis.

NON est inconueniens, imò maximè scripturis congruens concedere Virgi-

Virginem, prout in sua causa, idest in Adamo existebat, & ex lumbis eius tanquam filia decidenda, in eo peccasse; *in quo*, inquit Paulus, *omnes peccauerunt*, ex vi naturalis propagationis, imò etiam in vtero Annæ matris ante animationē, peccato obnoxiam fuisse concedere vitiosum non est; sed in sua persona, dum anima corpori infunderetur, de facto ex filij benignitate, & redemptione, per gratiam præseruatam fuisse à morte animæ, quis iure negabit? Sicut enim potuit Deus seruare illam à morte corporis, sic etiam à morte animæ. Ad quid enim vltro concedunt aduersarij, Virginem eodem die, quo concepta est, fuisse sanctificatam, nec vllo tempore fuisse in peccato, nisi tantum per vnicum instans? hoc profectò est refugium quoddam rationi minimè consentaneum: si eodem instanti, quo creati sunt Angeli, etiam mali, & primi nostri Parentes, qui erant peccabiles, gratiam iustificantem Dei dono habuerunt, cur non & Virgo, quæ Dei munere peccare non poterat? Quòd si fides inclinat ad huius mysterij substantiam, nimirum, quòd Virgo statim concepta, quamprimum fuerit sanctificata, hoc enim omnes concedunt; cur circunstantia temporis, vel vnius instantis, id sine vlla forti ratione retardabit? Nec tota Ecclesia potest errare, dum festum Conceptionis celebrat absque vlla conditione, iubente Papa; sicut etiam errare non potest, dum hanc Hostiam à Catholico Sacerdote propositam, iubet adorari absque conditione, vt dicit S. Thomas 2. 2. quæst. prima, artic. 3. ad 4. & nisi probetur rationabilis causa dubitandi, vt benè dicit Caiet. ibidem, nullo periculo homo se exponit adorando absolutè, quoniam humano more certitudinem habet, & hæc sufficit homini: similiter Ecclesia iubet hanc literam, prout in omnibus Biblijs vulgatis latinis habetur, pro authentica haberi, vt definitur in Concilio Tridentino session. quarta, ac proinde illius sensum esse à Spiritu Sancto dictatum, & omninò retinendum esse. Quidam dicunt, illud apud Matthæum cap. 27. *Quod dictum est per Hieremiam Prophetam*, non reperiri, nisi apud Zachariam cap. vndecimo, tamen dictum hoc, vt nonnulli asserunt, cum partim sumatur à Hieremia c. 32. vt inquit Chrysostomus citatus à S. Thoma in Catena, & partim à Zacharia cap. vndecimo; sub nomine dignioris, & notioris Prophetæ, intelligitur simul, & Zacharias. Sed re vera in illo cap. Hieremiæ de hac re non agitur. Ribera in cap. vndecimo Zachariæ num. 34. negat desumptum esse à Zacharia: lege Eusebium libr. 10. in quarta demonstratione; vbi dicit, errore, & negligentia librariorum pro Zacharia positum esse Hieremiam, vel certè ab Hebraìs ex malitia deletum id esse à libro Hieremiæ. S. Hieronymus in Matthæum, quem sequitur Iansenius cap. 140. & Suarez tom. 2. disput. 34. section. 1. putant, Euangelistam non posuisse nomē Hieremię, sed simpliciter vocabulum Prophetæ; ab aliquo autem additum nomen Hieremiæ in margine, & postea irrepsisse in textum in aliquibus codicibus; nō enim in omnibus latinis habetur, sicut nec in Syriaco: & hanc sententiam sequitur Maldonatus, & Baronius in appen. ad annum Christi 34. lege Augustinum lib. 3. de consensu Euangelistarum cap. 7. Atque hæc postrema sententia nobis placet præ cæteris, cum minora habeat incommoda: & quoniam antiquissima est huiusmodi controuersia, nec in Sixti Quinti Biblijs vlla mutatio, siue correctio facta est, omninò est vulgata lectio retinenda.

An Virgo in primo parente peccauerit.

Etiam vnum instans repugnat puritati Mariæ.

Hostia consecrata absque cō ditione est adoranda.

Locus Matthæi c. 27. exponitur

B. BRIGITTA libro sexto, cap. 55. in quodam colloquio cum Deipara reuelationem accepit, in qua exponitur causa, quare hæc tam diù veritas latuisset. Mea, inquit, conceptio non omnibus nota fuit, vt enim legem scripturæ necessitatem hominibus imponentem lex naturalis antecessit, quæ liberā cuique in ijs, quæ ad externum vnius Dei cultum spectarent, dabat optionem; ita diuino actū consilio est, vt mei multis esset ambigua conceptio, quo quanto liberius cuiusque

Reuelatur diuinitus B Brigittę dies conceptionis celebrādus.

M

iusque in me studium esset in hac re profitenda, tantò ei me præberem gratiorem. Aderit tamen ille dies, in quo veritas elucebit. Hæc ex Brigitta. Ecclesia enim est quasi aurora consurgens Cantic. 6. & quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem. Illud in hac re vehementissimum est argumentum, quòd dū Virgo concipitur, & generatur, non homini, sed Deo præparatur habitatio, quocirca opus grande esse debet, & singulari gratia cunctas rationales, & angelicas creaturas excedente, decet esse ornatum; & non solum in vtero Annæ matris sanctificatum, quod etiam alijs concessum est; sed etiam in exordio eius conceptionis benedictum, & Dei priuilegio à labe peccati præseruatum, iuxta illud, quod de templo a Salomone construendo, dicitur, 1. lib. Paralip. 29. *Opus grande est; neq; enim homini præparatur habitatio, sed Deo*. Quonam pacto Deo? si in primo momento animationis eius culpa, & Dæmon eam occupauit? Horrent aures audire, matrem Dei fuisse aliquando Diaboli mancipium, & eam, quam Deus osculatus est osculo oris sui, amplexatam à Diabolo fuisse, vel minimo temporis momento; quæ enim conuentio Dei cum Belial, & lucis ad tenebras?

SEXTA Traditio refert, Deiparam natam fuisse sub Herode primo Rege extraneo Iudæorum, anno decimo quarto eius Imperij, sexagesima quarta hebdomada Danielis, & sub Cæsare Augusto anno vigesimo secundo Romæ regnante: ab orbe verò condito termillesimo nongentesimo quadragesimo septimo; ab Vrbe septingentesimo trigesimo octauo; à transmigratione Israelitarum in Babylonem quingentesimo septuagesimo sexto; à reditu de Babylone annis quingentis, & sex: & ante Christi Natiuitatem quindecim, vel sexdecim ad summum annis. Ita Abulensis in cap. secundo Matthæi, quæst. 91. & Nicephorus ex Euodio lib. secundo Historiarum cap. 3. Canisius libro primo Marialis cap. vndecimo. Estque communis Scriptorum consensus. Baronius in apparatu sic scribit. Ex prædictis igitur dicere necesse est, incidisse sacratissimum diem Natalem Dei genitricis Mariæ sub Consulatu Furnij Nepotis, & Iunij Silani, anno ab Vrbe condita septingentesimo trigesimo septimo, Augusti Imperatoris à Triumuiratu vigesimo sexto; Olympiade centesima nonagesima, anno tertio; nam Christum Dominum natum esse sub Consulatu Lentuli, & Messallini, suo loco demonstrabimus. Ac subinde refelluntur, qui post sequentem annum sub Consulatu Liuij, & Pisonis eam natam esse tradunt. Hæc ille. Nata est igitur sexta mundi ætate exordiente, octaua die Septembris apud Nazareth. Protulit sanè omnis ætas mundi superior virum vnum, & mulierem vnam, eximios, insignes, & naturæ donis, ac virtutum genere præcellentes; in prima enim ætate Adam, & Eua corpore, & animo pulcherrimi, omniumque scientiarum, & virtutum genere ornati conditi fuere: in secunda Noè, & vxor eius à Deo præseruati ab aquarum diluuio ad humanum genus conseruandum, & multiplicandum: in tertia Abraham Pater fidei, & omnium credentium parens à Deo institutus, & Sara, de cuius ætate, moribus, & sepultura ob eius præstantiam, inter omnes mulieres primo fit mentio in scripturis. In quarta Moyses Deo familiarissimus, Legislator, Rex, & Pontifex, nec non Maria Prophetissa eius soror: in quinta Dauid, & Abigail fuerunt præcipui. At sexta ætas, quæ omnium fuit fœlicissima, incomparabiles Christum Deum, & hominem, ac Mariam eius genitricem protulit. Quemadmodum enim hæc sexta ætas, quæ à Messia vsque ad finem mundi protrahitur; alias mundi ætates annis, & duratione superat: ità quoque gratia, donis spiritualibus, virginitatis honore, cæterisque virtutibus, nec non præstantissimis hominibus, inter quos Christus Saluator Mundi, & Maria eius mater principem (nemine discrepante) locum

Sexta Mundi ætas, omnium celeberrima.

locum obtinent, qui mundi spiritualis, hoc est Ecclesiæ in postrema ætate exordiũ fecerunt, sicut primi parentes sexta die procreati mũdi corporei, & tẽporalis. Habet autem hæc sexta ætas, quæ ab Apostolo ad Romanos capite decimo tertio, dies appellatur, auroram, solem, seu meridiem, & vesperam. Aurora huius splendidissimi diei Euangelici Virgo Mater fuit, tunc enim mundo tenebris circunfuso illucescere cœpit sexta eius ætas, cum Maria veluti aurora exorta est iuxta illud Canticorum 6. *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra, vt luna, electa, vt sol:* quæ verba Rupertus de Virginis Natali interpretatur libr. sexto in Cantica. Quando, inquit, nata es ò Virgo Beata, tunc vera nobis aurora surrexit; aurora prænuncia diei sempiterni; quia sicut aurora finis est præteritæ noctis, & diei sequentis initium: sic natiuitas tua finis dolorum, & consolationis fuit initium, finis tristitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium. Quando autem Spiritus Sanctus in te superuenit, & filium Virgo concepisti, & Virgo peperisti, tunc fuisti pulchra, vt luna: sicut .n. luna lucet, & illuminat luce non sua, sed ex sole concepta; sic tu hoc ipsum, quod tam lucida es, non ex te habes, sed ex diuina gratia; quando autem de hoc mundo assumpta, atq; ad æthereum thalamum translata es, tunc es electa, vt sol. Hæc Rupertus. Illud autem est in hac re præclarum, & admirandum, quòd sol ex vtero istius auroræ prodierit, & ex ea tanquam ex quodã Oriente sol Christus fulgentissimus ortus fuit, qui est etiam meridies ecclesiasticæ huius ætatis, sicut etiam illius vespere tempus Antichristi, & extremi iudicij, post quod æternum sequetur sabbathum, hoc est quies æterna omni fine, & vespere carens.

Sexta mundi ætas, cur dies ab Apostolo dicatur.

Rupertus.

NATA est autem Beata Virgo mense Septembris, in quo prima quoque Eua formata fuit, vt veteri mundo nouus aliqua ex parte sapientissimè responderet: in eo quoque mense festum tabernaculorum Hebræi agebant in typum Christianorum, qui hoc etiam tempore festum diuini Tabernaculi, & templi Dei animati, hoc est Virginis peragunt; de qua re Damascenus oratione prima de Natiuitate sic loquitur. Virgo templum Dei sanctum, quod pacis princeps Salomon, id est Christus construxit, & habitauit; non auro, & inanimis lapidibus ornatum, verùm auri loco spiritu fulgens, pro lapidibus autem pretiosis margaritam ingentis pretij Christum habens, &c. Item, Cedat, inquit, Moysis, & Abrahami tabernaculum viuo, & ratione prædito Dei tabernaculo, id est Virgini, &c. de quo etiam Dauid Psalm. 45. cecinit, *sanctificauit Tabernaculum suum altissimus*.

OCTAVO verò die mensis Septembris Mariam Dei matrem ortam esse, non solum Latini, sed etiam Græci testantur: ita Sanctus Gregorius in Antiphona, & sacramentario, vbi etiam annotat specialem præfationem de eodem festo; ita Petrus Damianus, qui tres sermones in eodem festo habuit, nec non Sanctus Ildephonsus libro de Virginibus, & Ordo Romanus de diuinis officijs, S. Bernardus, & alij. inter Græcos verò Sanctus Ioannes Chrysostomus, Proclus, Damascenus, Andreas Cretensis, & alij; quibus omnibus addenda est Beata Brigitta, cui hoc festum Natiuitatis Deiparæ colendum reuelatũ fuit, libro primo cap. 9. & lib. 6. cap. 49. & 55. & Petrus in Catalogo lib. 8. cap. 51. refert, cuidam religioso viro de eo celebrando diuinam reuelationem factam fuisse: alias quoq; reuelationes de hac re referunt Henricus, Bonauentura, & Marsilius, & Titelmannus in cap. secundo Ioannis: quod etiam Annales Lauretani confirmant, in quibus legitur, in eodem die Natalis Virginis noctu frequentissima lumina cœlitus immissa, vndequaque circum Sanctam Cellulam conspici solita: lege Baptistam Mantuanum in historia Ecclesiæ Lauretanæ, qui fuit primus, qui huiusmodi historiam in lucem edidit.

S. Gregorius.

S. Bernardus.

Annales Lauretani.

Baptista Mantuanus historiã Lauretanam scripsit.

SEPTIMA Traditio est, Beatam Virginem tribus tantum annis in domo parentum exactis, fuisse anno tertio ætatis suæ in templo præsentatam, ibique mansisse diuinis laudibus, & altissimis contemplationibus assidue incumbendo per annos vndecim, nempè vsque ad desponsationem suam; ita dicit Ambrosius in lib. 2. de Virginibus, illis verbis; soli Deo vacās, & forma virtutis effecta; erat enim locus in templo Salomonis Virginibus deputatus, vt refert Iosephus lib. 8. antiquitatum cap. 3. & Ambrosius loco citato, quod colligitur ex 2. Machabeorum cap. 3. & ex cap. 38. Exodi, & ex 4. Regum 11. & Lucæ 2. cum autem Virgo conuenientem expleret ætatem, annos nempè quatuordecim, & iam decimum quintum ageret, sacerdotes non ad paternam domum, vt nuptui traderetur, parentibus fortè iam extinctis, remiserunt; sed communi consilio, diuinaquè inspiratione decreuerunt eam desponsare viro ex eadem familia, & tribu ad eius virginitatem custodiendam idoneo, Iosepho nempè: ita Gregorius Nissenus Homilia de Christi Natiuitate, Damascenus libro 4. de fide cap. 15. Nicephorus ex Euodio libr. 1. cap. 7. & libr. 2. cap. 3. Andreas Cretensis oration. de Dormitione Virginis, & Simeon Metaphrastes oratione de ortu Virginis. Indicat etiam Origenes tract. 26. in Matthæum, & Theophil. Matth. 23. & alij Authores supracitati: & sic desponsata viro suo Iosephi, in domum paternam Nazareth se recepit, in qua ab Angelo salutata fuit. Vide quæ circa id scripsimus libr. 6. de anno Iubilæi cap. 11. & Baronium in Apparatu.

S. Ambrosius.

Deipara iam nupta ex templo Nazareth in paternam domũ se recepit.

HINC sequitur alia traditio, nimirum Beatam Virginem habuisse actualem vsum rationis in primo instanti conceptionis, & sanctificationis suæ. Ita expresè docent S. Bernardinus Senensis serm. 51. de Beata Virgine cap. 2. art. 1. & Caietanus 3. part. quæst. 27. artic. 3. & Viguer. in institutionibus cap. 5. §. 3. versic. 9. Si enim Ioanni Baptistæ concessum fuit vti ratione temporè suæ sanctificationis in vtero, vt certum est ex illo Lucæ 1. *exultauit infans in gaudio in vtero meo*, quicquid Iansenius cap. 4. contra omnes Patres dicat; cur non etiam Deiparæ? imò etiam hunc vsum rationis cum actu perfectæ fidei, & charitatis semper in ea durasse asserendum est, contra Caietanum cũ eodẽ Bernardino, & Dionysio Carthusiano in prima parte vitæ Christi §. 2. & Antonino prima parte historiali titul. 4. c. 6. §. 10. vbi dicit, loquens de Virgine in templo oblata, nihil illi tunc defuisse ad perfectam ætatem, & iam tunc ascendisse mente ad quindecim gradus perfectionis, in quindecim Psalmis cantici graduum significatos. Fuit igitur absq; dubio acceleratus vsus rationis Virgini in ijs, quæ ad Dei, & Christi cognitionem spectabant, non solum in infantia, vt tradunt Gregorius Nissenus oratione de Christi Natiuitate, & Damascenus lib. 4. fidei cap. 15. Euodius loco citato, & alij; sed etiam in vtero matris Annæ, vt probatum est. Multum autem differt in hoc Virgo à Christo, quoniam Christus habuit ab instanti suæ conceptionis plenum vsum liberi arbitrij, seu rationis in clara Dei visione, & facultate vtendi omni scientia, & in omni materia pro suo arbitrio, atq; adeò in tali vsu rationis, quo posset perpetuò vigilare, & omnem inferiorum potentiarum motum prçuenire; de quo vsu videtur S. Th. tertia parte, quæst. 27. art. 3. loqui; Deipara verò habuit facultatem vtendi ratione tantum in ijs, quæ ad Dei, & Christi cognitionem pertinebant, vt optimè scripsit Suarez tom. 2. in 3. p. S. Tho. disp. 4. sect. 7.

Vsus lib. Arbitrij in Deipara permanens etiã in vtero Annæ.

B. Virgo aliter quàm Christus habuit vsum rationis in ventre Matris.

OCTAVA Traditio, Deipara vitauit omne peccatum, etiam veniale. Hæc est certissima traditio, & de fide; vt definitur in Concilio Tridentino sess. 6. Canon. 23. & colligitur ex Lucæ 1. *Aue gratia plena*: habuit enim Deipara plenitudinem gratiæ in summo, seu in excellentia; & cum aliquibus sanctis com-

communicata fuerit gratia confirmationis in bono, ita vt sine peccato mortali vitam transegerint, debuit hæc, vt illos transcenderet aliquo singulari dono, & diuino priuilegio, etiam venialis peccati labe carere: ita Sanctus Thomas 3. parte quæstion. 27. artic. 4. & ibidem Med. Canis. lib. 1. Marial. cap. 10. Orig. Hieronym. sæpè, Riccardus de Sancto Victore, Brigitta 3. reuelatio. cap. 8. Galatin. lib. 7. de Arcan. cap. 2. 4. & 11. & melius cap. 5. probat idem fateri Rabinos, & Mahometh in Alcorano cap. 75. Vega lib. 14. in Tridentinum, cap. 18. cum Anselm. & Bernard. Sixtus lib. 5. Bibliothec. cap. 104. & lib. 6. cap. 38. nu. 136. Cordub. lib. 1. quæst. 44. fol. 355. Soto lib. 1. de natura, & gratia cap. 4. Doct. in 3. distinct. 3. vbi Durandus quæst. vltima, Gabr. quæst. 1. Iustin. quæst. 136. ad Gen. & plenissimè S. Augustinus de natura, & gratia cap. 36. & lib. 5. contra Iulianum cap. 9. fuit enim Deipara in vtero sanctificata, & confirmata in bono, etiam quoad venialium euitationem, quod alijs Sanctis datum non fuit.

Confirmatio B. Virginis in bono, etiam ab instanti suæ conceptionis euitationem à venialibus complexa est.

NONA Traditio est, Beatam Virginem toto illo tempore, quo versata est in templo, accepisse cibum ministerio Angelorum: ita S. Bonauētura, vt supra diximus, docet lib. meditationum vitæ Christi cap. 3. & Georgius Archiepiscopus Nicomediæ in oratione de Virginis oblatione; & Cedrenus in Compendio Historiarum, & Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus, & Andreas Cretensis Achiepiscopus Hierosolymitanus in oratione de Dormitione Virginis: quod quidem beneficium, etiam Paulo primo Eremitæ concessum fuisse longo vitæ tempore legimus: nec vllo pacto Beatæ Virgini negandum est, eo præsertim tempore, quo vitæ contemplatiuæ penitus incumbebat, ne vel minimum de illius cura remitteret, quo corpori necessaria pararet. Addit Ambrosius lib. 2. de Virginibus, sæpè Angelum inusitatam speciem præseferentem in cella apud templum, puellam inuisisse, & sacros sermones familiariter cum ea habuisse. Quare nec illi apparitionum diuinarum gratia, vt Ambrosius loquitur, tunc etiam defuit: indubitatum quoq; est, toto illo tempore Beatam Virginem ardentissimis desiderijs, & frequentissimis orationibus aduentum Messiæ in mundum ad humanum genus redimendum postulasse, maioriq; amore, merito, atq; efficacia, quàm omnes superiores Sancti, atq; Prophetæ; cum eos perfectione gratiæ, & sanctitatis longè, lateq; superaret.

S. Ambrosius.

DECIMA Traditio est, quòd Beata Virgo hebraicis litteris à teneris annis operam dederit, diuinamque sapientiam a Spiritu Sancto, à filio, & etiam ab Angelis nonnunquam acceperit, nunquam verò ab hominibus. Et verò quòd hebræam linguam calleret, docent Gregorius Nissenus serm. de Natiuitate, & Sophronius serm. de Assumptione, qui dicunt, illam à tenera ætate sanctam linguam didicisse, & quandiu vixit in templo, lectioni sacrarum scripturarum, & earum meditationi operam dedisse; quod etiam asserit Andreas Hierosolymitanus serm. in salutatione Deiparæ. Verisimile, inquit, est, ipsam & de clara stirpe natam, & Dauidis filiam, haud ignaram diuinorum, quæ in diuinis habentur, oraculorum fuisse; id enim exigebat ratio vitæ contemplatiuæ, quam sibi, vt optimam partem elegit, cuius munera sunt lectio, meditatio, & contemplatio rerum diuinarum: lege quoque Cedrenum in Compendio, & Metaphrastem; licèt interdum in lana, in lino, in bysso, & in serico se se diligenter exercuerit, sacerdotumque vestes ornare didicerit; & inconsutilem tunicam, si Euthymio credimus in Matthæum, ibidem quoque aptauerit: Sabellicus lib. 2. exemplorum cap. 4. & 9. & lib. 3. cap. 4. ex veterum traditione affirmat, ocij, negocijque rationem ita Virginem constituisse, vt à prima luce ad tertiam diei horam rebus diuinis operam daret, inde ad meridiem puellare aliquod opus exerceret, & lanificio vacaret, interdum mox à cibo, qui parcissimus

Literas à quibus didicerit B. Virgo.

Actiuæ, ac contemplatiuæ vitæ ratio in Deipara.

mus Virgini fuit, sacram scripturam legeret, cui reliquam diei partem tribuebat. Noctis ēt horas, temporaq; sanctè ac piè distribuit, atq; ita se gessit, vt momēta ipsa numerare, atq; expendere videretur. Quare S. Aug. ser. 6. de Natiuit. egregiè sic eam alloquitur. Recole Maria propheticam lectionem, neq; enim te scientia potest diuinorum præterire librorum, quæ ipsam plenitudinē paritura es Prophetarum. Ambrosius lib. 2. de Virginibus. Tunc minus sola esse videbatur, cum sola esset. Nam quomodo sola, cum tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Orig. Hom. 6. in Lucam, dicit Mariam fuisse turbatam in salutatione Angeli, quia nunquam legerat, ad alium quempiā similem factum esse sermonem. Habebat, inquit, legis scientiam, & Prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognouerat. Habes igitur, Virginem literas hebraicas superstite etiam patre Ioachino perdidicisse. Verum post Christi incarnationem dubium non est, ab illo singulariter illuminatā, & instructā fuisse, vt pluribus docet Rupertus lib. 1. in Cantica, quod ēt confirmat Ambrosius lib. de institutione Virginis c. 14. vbi sic scribit. Verè autem aluus ille Mariæ erat crater tornatilis, in quo erat sapientia, quæ miscuit in cratere vinum suū, indeficientem piæ cognitionis gratiam diuinitatis suæ plenitudine subministrans. Idem docet Anselmus in Hom. super Euangelium Lucæ 10. *Intrauit Iesus in quoddā Castellum*, his verbis. Christus, vt dicit Apostolus 1. ad Corinth. 1. & ad Colossenses. 2. est Dei virtus, & Dei sapientia, & in eo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, & Christus est in Maria, ergo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei sunt in Maria. Ab Angelis verò, ac præsertim à Gabriele nonnulla de diuinis mysterijs didicisse constat ex Euang. Lucæ c. 1. & S. Bernard. Hom. 4. in Missus est, inquit, Gabrielem annuntiasse Virgini conceptionem Elisabeth, quia decuit, vt ab Angelo potius, quàm ab homine mysterium disceret, ne mater à consilijs filij aliena videretur; & vt ipsa rerum tempus, & ordinem melius tenens, scriptoribus, & prædicatoribus Euangelij reseraret veritatem, quæ & plenè de omnibus à principio cęlitus fuerat instructa mysterijs. Anselmus quoq; in lib. de excellentia Virginis c. 7. ait per spiritum veritatis fuisse altius, ac profundius edoctā, quam Apostolos. Leo ser. 1. de Nat. Christi: eloquio, inquit, discit angelico.

Ab hominibus quoad substantiam mysteriorum nihil accepit B. Virgo.

Ab hominibus verò, ēt à Simeone, & Zacharia nihil accepit, si de substantia mysteriorū fidei, & perfecta eorum intelligentia loquamur, cum à Spiritu Sancto singulariter præuenta fuerit; quare nec decuit, nec oportuit illam à puro homine aliquid didicisse; & quoniam non omnium circunstantiarum exactam à principio simul habuit cognitionem, vt superius diximus, non est inconueniens cum Suarez concedere, aliquā illarum ministerio hominum interdum accepisse. Nec obstat, Mariam verba Simeonis contulisse in corde suo Luc. 1. & 2. nā ex illis nihil didicit, cum mysteria incarnationis, & redemptionis contineant, quæ Virgo nō ignorabat; sed illa audiendo verba, occasionem sumpserit etiam, atq; etiam diuina mysteria contemplandi; pleraq; tamen multorum effectuum experimento, & obseruatione Virginem didicisse negari non potest, cum Christus in scientia experimentali etiam creuerit Luc. 2. Vnde Bernar. Hom. 4. in Missus est, ait, soli datum est nosse, cui datum est experiri: & Anselmus de excellentia Virginis c. 7. multa in se non solum simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat de mysterijs Domini N. Iesu Christi,

S. Bernardinus.

& S. Bernardinus ser. 15. de festiuitatibus Virginis, non solū per diuinam reuelationem, sed ipso experimento asserit didicisse.

Antoninus.

Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 17. §. 1. Vidit, inquit, & experta est, se concepisse non opere humano, & se peperisse paruulum cum virginitatis honore. Quare Albertus inde concludit, B. Virginem habuisse de mysterio incarnationis cognitionē, quę est super fidem.

S. Augustinus.

S. Augustinus quoq; in lib. de Assumpt. Virginis cap. 7. inter alia scribit, Virginem ex his, quæ acciderunt in conceptione, natiuitate, & alijs mysterijs Christi in

sti in dies liquido cognouisse, quòd talia obsequia non nisi Deum decerent: lege quoque Athanasium in serm. de sanctiss. Deipara, vbi dicit, per signa, & effectus Virginem Verbum incarnatum etiã cognouisse eo modo, quo nos per actiones vitę cognoscimus euidenter animã nostrã; quod rectè declarat Suarez to. 2. disp. 19. sect. 2. in 3. p. S. Th. Experiebatur. n. in se euidenter multa opera miraculosa, conceptionem sine viro, subitam prolis animationem in vtero, exultantem partum sine dolore, Angelorum ministeria, Magorum, ac Pastorum aduentum: in mente verò, ac voluntate mirificos ardẽtissimi amoris affectus cum summa animi exultatione, quę omnia vltra reuelationes cælestes, quibus illuminata erat, certam illam moraliter reddebant, Deum esse illorum operum auctorem, ac Gabrielem sibi vera nuntiasse, & verum Deum in vtero se concepisse. Vnde rectè exclamauit Elisabeth; *Beata, quæ credidisti, quoniam perficiētur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Lucæ 1. Tantoperè verò Deipara in Dei cognitione profecit, vt Apostolos, & Theologos omnes in Ecclesia etiam futuros superauerit. Ita Anselmus lib. de excellentia Virginis cap. 7. licèt, inquit, Apostoli per reuelationẽ Spiritus sancti edocti fuerint in omnem veritatem; incomparabiliter tamẽ, eminentius, ac manifestius ipsa per eum spiritum veritatis illius veritatis profunditatem intelligebat, & per hoc multa eis per hanc reuelabantur, quæ in se non solum simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat. Quocirca Sancti eam sæpè vocant Apostolorum magistram. Ignatius epist. 1. vocat nostrę religionis magistram, & Bern. serm. 4. super Missus est, Euangelistarum illuminatricem, ac pręsertim Ioannis Euangelistæ, de quo Ambrosius lib. 1. de institutione Virginis cap. 7. dicit, mirum non esse, præ cæteris fuisse locutum mysteria, cum ei præstò esset aula cœlestium Sacramentorum. Et Eusebius Emissen. serm. de Assumpt. Virginis: ipsa, inquit, non solum secundum humanitatem, sed etiam secundum diuinitatem, & contemplari, & plus omnibus cognoscere meruit.

S. Athanasius. S. Anselmus. S. Bernardus. Eusebius Emiss.

EX dictis sequitur, B. Virginem habuisse per accidens infusam eam cognitionem rerum naturalium, & moralium, quæ ad perfectam intelligentiam scripturarum, & ad perfectionem doctrinæ Theologicæ, nec non ad suadenda, explicanda, & penetranda fidei mysteria, & consumatam prudentiam, rerumque agendarum cognitionem illi fuit necessaria, aut expediens: Neq; enim per se, vel proprio labore, atque industria huiusmodi rerum naturalium notitiam acquisiuit, cum curiosum, & indecens fuisset in Virgine his rebus studere, & ex professo operam dare; ergo verisimile est, huiusmodi cognitionem naturalium maiori ex parte dono à Deo accepisse. Si enim Salomoni id diuinitus datũ fuit, cur non & Virgini? eo præsertim tempore, & modo, quo secundum ordinem diuinæ sapientiæ, & iuxta cõditionem, & statum eius vitæ conueniens fuit, vt benè sentit Suarez loco citato sect. 4.

Naturalium cognitionem quo modo habuerit B. Virgo.

VNDECIMA traditio, Deipara contraxit matrimonium cum Ioseph ante Verbi incarnationem. Ita fert communis Patrum, & Theologorum cõsensus, & ex textu Euangelij Lucę 1. id necessario colligitur: erat enim Virgo ante Angeli salutationem iam desponsata, quæ desponsatio matrimonium verum, & ratum significat: hac enim ratione Ioseph vir eius dicitur, Lucæ 1. & illud; *Voluit occultè dimittere eam*, rem hanc penitus declarat; non enim dimittitur, nisi propria vxor. Deniq; Angelus id apertè affirmauit, dicens. *Ioseph fili Dauid*, vt legitur Matthæi cap. 1. *noli timere accipere Mariam coniugem tuam*. Coniux enim vocatur, vt inquit S. Augustinus lib. 1. de Nupt. & concup. cap. 11. ex prima fide desponsationis, quam ibidem vocat vinculum coniugale, & fidele coniugium, quod etiam asserit S. Hieronymus contra Heluidium.

PRÆTEREA asserendum est, tempore cõceptionis Christi Mariam, & Ioseph in eadem domo cohabitasse, quicquid Abulẽsis Matth. 2. post quæst. 33. dixerit,

Abulẽsis refellitur.

dixerit,& Caietanus, quibus videtur fauere Anselmus Matthęi 1. exponens illud; *Noli timere accipere Mariam*, nuptiali scilicet conuentu, & assidua cohabitatione,& idem asserit,exponens illud,*cum nollet eam traducere*, scilicet, in domum suam,& assiduam cohabitationem; vera tamen traditio est, tempore Annuntiationis iam cohabitasse in eadem domo, atq; id Euangelio maximè consonum est;ad quid enim voluit occultè dimittere eam,nisi simul habitassent?nemo enim dimittit,quam non accepit,& qui dimittit fatetur acceptam, vt inquit S.Ambr.lib.2.in Lucam in principio,& illud,*accipere*,non intelligitur quãtum ad vinculum,hoc enim iam actum erat,sed vt Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus,& Euthymius exponunt,illis verbis admonetur Ioseph,vt sponsam, quam domi habebat,& proposito,& animo dimiserat,domi retineat, quasi diceret,noli timere eam accipere, hoc est, tecum illam habere, & cum illa simul viuere,& cohabitare. Quare abiecto omni timore, & suspicione, propositũ illi mutandum esse,significatur. Lege Gregorium Nyssenum in orat.de Christi Natiuitate,Epiphanium hæres.78.Chrys.homil. 4.in Matth.Gregorium hom. 26. in Euãg.Augustinum epist.54.serm.16.de verbis Domini,& ser.15.de Natiuit. Iustinum Dial.contra Trypho.Ambrosium de institutione Virginis cap.5.

DVODECIMA traditio perhibet, B.Virginem Angelum nuntiantem in externa specie humana,& sensibili ei apparentem in sua substantia cognouisse: ità Athanasius in lib.quæst.ad Antiochum quæst. 12. vel alius Auctor illius operis:& quamuis S.Thomas 3.p.quæst.30.art.3.ad primum,neget ratione status viæ Deiparam Angelum per essentiam vidisse; tamen illum loqui de lege ordinaria hominum viatorum censendum est, vt optimè inquit Suarez tom. 2. disput.9.sect.2. Negari enim nequaquam potest, hanc visionem homini viatori à Deo communicari posse,cum visio diuinæ essentiæ ex Dei priuilegio,etiam ex sententia S.Thomæ,interdum Paulo,& Moysi viatoribus communicata sit. Legimus propterea,nonnullos Sanctos Patres,Virgines potissimum, Angelos, vel animas clarè, & in sua substantia vidisse,cur id ergo Beatæ Virgini negandum est? præsertim in mysterio, & die Annuntiationis, in quo Angelus nobiliori modo, quàm antea Virgini apparuit ad grauissimum mysterium,nunquã in terris hactenus auditum, nuntiandum. Athanasius eam addit rationem, quia decuit Beatam Virginem perfectius videre Angelum, quàm antiquos Patres, cum illis apparebant.

Dictum S. Thomę declaratur.

NEC obstat,B.Virginem fuisse turbatam,vel cogitasse,qualis esset eius salutatio, si enim clarè Angelum vidisset, eum verè sanctum, ac Dei nuntium agnouisset,& cõsequẽter turbationi,ac timori nullus locus relictus fuisset. Quoniam huius turbationis ratio non ex debilitate, vel necessitate naturæ petenda est,nec ab aliqua motione indeliberata pręueniẽte rationem; nec ab aliqua falsa apprehensione, & imaginatione profecta est,cum huiusmodi imperfectiones nullo modo Virgini sint tribuendæ ob dignitatem maternitatis diuinæ, ad quam vocabatur:quemadmodum contigit Zachariæ,Lucæ 1.super quem timor irruit;idest,præuenit,& præoccupauit ipsum;atq; etiam Daniel,qui cap.10. de se ipso dixit: *Nõ remãsit in me fortitudo,sed species mea mutata est in me, & emarcui,neque habui quicquam virium.* At B.Virgini aliter accidit, quæ cum tanta animi moderatione,& constantia turbata fuit, vt simul cogitaret, qualis esset ista salutatio;quocirca egregiè S. Bernardus Homil. 3. inquit, turbata est, sed non perturbata,turbata est,& non est locuta,sed cogitabat,qualis esset ista salutatio. Quod turbata est, verecũdię fuit virginalis: quod non perturbata fortitudinis,quod tacuit,& cogitauit prudentię. Quare turbatio illa fuit rationabilis quædã admiratio,& prudens timor ortus ex attentissima cogitatione,& ponderatione eorũ,quę audiebat,& videbat; quod Suarez confirmat ex signo,quando enim

Turbatio Marię in Annũtiatione qualis fuerit

Maria turbata, sed non perturbata.

do enim Angelus dixit; *Ne timeas Maria*, fugatus est omnis timor, ac magna animi quiete reliquas partes legationis audiuit, & prudenter respondit; *quomodo fiet istud?* causa verò, & radix huius turbationis fuit, vel verecundia virginalis, vt Bernardus dixit, & S. Ambr. lib. 1. in Lucam, & lib. 1. de offic. cap. 18. & lib. 2. de Virginibus in principio, quamuis enim Deipara solita esset angelicas habere reuelationes, non tamen externas, & in sensibili specie viri, vt scribit S. Hieron. epist. 7. ad Lætam, dicēs, ideò forsitan timore perterrita est, quia virum, quem non solebat, aspexit, & epist. 22. ad Eustochium. Quæ hominem formidabat, cum Angelo loquebatur intrepida; vnde lectio græca. Quæ cum vidisset turbata est: uel dici quoq; potest, ex inusitata, blāda, & suaui salutatione Virginem motam fuisse, vt explicat Eusebius Emissenus homil. in Missus est, in fer. 4. Quatuor temporum Aduentus; vnde Damascenus ad vtramq; causam respiciens, dixit. Ita comparata eras, vt ad te nullus viri accessus pateret: testis est metus ille, in quē ex inusitato Angeli eloquio incidisti. Aliam causam assignat S. Tho. in 3. par. q. 30. art. 3. quòd cum Virgo esset summè humilis, nihil tam magnificum de se cogitabat, quare in admirationem eorum, quæ ab Angelo ei dicebantur, rapta, *cogitabat qualis esset salutatio:* quam etiam causam tangit Ambrosius vbi supra, dicens: Salutationis nouam formam mirabatur, nusquam .n. erat lecta, vel audita: & clarius Orig. homil. 6. in Lucam, dicens, salutationem nouam, & peregrinam eam terruisse: lege Hieronymum, seu Sophronium ser. de Assumpt. & Petrum Chrysologum ser. 140. Quod autem nonnulli dicunt, Virginē turbatam fuisse, quia dubitaret, an nuntians esset bonus, vel malus Angelus, improbabile est, & omninò falsum; certa enim fuit, etiam à principio salutationis, bonum fuisse Angelum, habuit enim illa spirituum perfectam discretionem, cum iam ante Angeli aduentum esset gratia plena. Quòd si Zacharias bonum Angelum nouit à principio, cur non, & Beata Virgo, quæ multis nominibus Zachariam antecedebat? Quamuis aliter dicat Bern. serm. 3. super Missus est. Quid autem ageret Deipara, cum Angelus ad eam ingressus est, licèt in scripturis de hac re testimoniū non habeamus, certa tñ traditione habetur, Angelū nēpè eam orantem inuenisse: sic Ber. hom. 3. de B. Virgine, & verisimile est, locum illum Isa. 8. præ manibus in sua meditatione habuisse; *Accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium,* Prophetissa enim erat ipsa Virgo, accessus Angeli nuntiantis ingressus; conceptio, & partus, conceptio, & Natiuitas Christi Spiritus sancti opera effecta: atque etiam alium locum Isa. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet, &c.* & illum Isa. 11. *egredietur virga de radice Iessei &c.* credendum enim est, Deum, qui eam formauerat, & elegerat in matrem, cunctasq; illius actiones mirabili prudentia disponebat, mentem eius in perfectissimam, & altissimam contemplationem excitasse tunc temporis, quando conceptura erat Dei filium, & efficienda Dei mater; & valde consentaneum videtur rationi, eam diuinum hoc mysterium aduentus Dei tunc considerasse, nihil tamen de se tale ob profundissimam suam humilitatem cogitasse, aut suspicatum esse. Ita rectè Toletus, quicquid in hac re scripserit Maldonatus, negans, vllam Ecclesiasticā huius rei esse traditionem, & sine vitio curiositatis id quæri non posse, & sine maiori temeritatis vitio definiri; & addit, tunc non fuisse ociosam, nec in re, quę non maximè deceret Virginem occupatam. Sed quid? cum noctu annuntiatio facta fuerit, certè vel Virgo tunc dormiebat, quod concedere stultissimum est, vt asserit Simon Cassianus, vigilantem enim, inquit, Virginem inuenit, quæ nec adhuc membra in quiete collegerat; vel orabat, ut Ambr. Bern. & alij.

S. Ambros.

Eusebius Emis.

S. Thomas.

Cōtra Bernard.

Contra Maldonatum.

TRADITIO quoque in hac re illa est non contemnenda, quòd Angelus clauso ostio cubiculi, in quo salutatio facta est, ingressus fuerit: ità Ambrosius lib. 2. de Virginibus, & lib. 1. officiorum cap. 12. Sola inquit, in domus penetralibus

S. Ambrosius.

ralib.sine comite,quicquid dixerit Andreas Hierosolymitanus,qui putat,aperto clam ostio intrasse: quocirca nec Iosephum in eodem cubiculo tunc præsentem fuisse,asserédum est,quod non obscurè colligitur ex verbis Lucæ, *& ingressus Angelus ad eam*,significans,eo in cubiculo tunc solam Virginem fuisse: lege Eusebium Emissenum in hom.de B.Virgine,Bedam, & alios; sicut enim in Natiuitate Christi,cum Virgo eum peperit,Ioseph non adfuit,vt B. Brigittæ reuelatum fuit; sic etiam,cum eum concepit,credere dignum est;quod etiam confirmatur ex verbis, quæ Lucas scribit in Angeli discessu, *& discessit Angelus ab ea*,de ea enim dumtaxat Euangelista mentionem facit.

Ioseph nec in Annuntiatione, nec in partu Mariæ adfuit.

DECIMATERTIA traditio est, B.Virginem in hac vita eleuatam interdũ fuisse ad videndũ clarè diuinam essentiam breui tempore.Hæc assertio colligitur ex sententia grauissimorum Authorum,qui affirmant,hanc traditionem esse certam;ita Dionysius Richelius super Dionysium Areopagitam de cęlesti Hierarchia art.18.& Gerson Alphabeto 88.lit. Q. & Vbertinus Casalius lib.1.arboris vitæ Crucifixi c.9.circa fin.& Villanoua Archiepiscopus Valentinus in ser.de Resurrectione,& Medina 3.p.q.27.art.5.in fi.Hanc traditionem, & veritatẽ insinuat S. Cyprianus agens de die Natiuitatis Christi in ser. de eadẽ Natiuitate, in quo die dicit,abundantiorẽ datam fuisse Virgini gloriam,qua Christi præsentia intus, & extra frueretur: & clarius Rupertus lib.13. in Cantica in ea verba:*Oculi tui columbarum*,dicens, Virginẽ raptam esse in tertiũ Cęlũ,& vidisse arcana mysteria,quę non licet homini loqui,perfectius,& excellẽtius,quã Paulũ.S.quoq; Antoninus 4.p.tit.15.c.17.§.1.fortè inquit,in ipso conceptu, vel partu illi datũ est ad horam,vt videret mysterium huiusmodi,vt in patria,sicut Paulus vidit Deum in raptu. Et affert in huius rei confirmationem verba illa Ber.hom.4.in Missus est;illi soli datũ est nosse,cui datũ est experiri,& illa alia: vt qui soli patri notus est,sit & illi: cui ẽt assentit Albertus Magnus in suo Mariali.Duæ aũt coniecturæ hanc traditionem persuadent;prima,quoniam omnia priuilegia gratiæ alijs concessa,perfectiori, & abundantiori modo Virgini fuerunt collata;hæc.n.vniuersas alias creaturas supergressa est.Prou.31.Paulo vero,& Moysi secundũ probabilem sententiam,dum viuerẽt,id concessũ fuit. Secunda ob singularem maternitatis diuinæ dignitatẽ, ob quam piè satis creditur euectam fuisse,vel die Natiuitatis Christi,vel in die Resurrectionis,vel alijs tẽporibus opportunis iuxtà diuinæ sapientiæ dispositionem, ad diuinam essẽtiam videndam.Nec vnius Athanasij testimoniũ huic veritati obstat,qui in serm. de sanctissima Deipara negat,in die Incarnationis Virginem vidisse Verbũ,prout in se est;& in quæstionibus ad Antioch.q.12.id videtur negare de toto tempore vitæ eius; hoc enim posterius testimonium prorsus incertũ est.Athanasij verò sententia in hac re,ut minus probabilis, postponenda est sententiæ Cypriani, & aliorum,qui paulò ante sunt citati,& rationibus iam expositis.

S. Cypriani dictum probatur.

Albertus Magnus.

DECIMAQVARTA traditio,B.Virgo extra Verbũ,seu per cognitionem abstractiuã habuit quã plurimas,& uarias reuelationes,per quas multas res, & mysteria fidei cognouit; ac in primis diuinũ decretũ suæ prædestinationis, & exaltationis super Angelos in Cęlo.Hęc traditio probatur primò, quoniam hoc beneficiũ,& diuini amoris ostensio,& domesticæ familiaritatis cũ Deo cõuersatio omnibus ferè hominibus,qui singulari dono sanctitatis excelluerunt, cõcessum est,& præcipuè uirginibus,& uitã contẽplatiuã sectantibus, ut ex sanctorũ Historijs patet;multò igitur magis B. Virgini concedendum est. Secundò probatur ex dictis Sanctorum.Anselmus lib.de Excellentia Virginis c. 7. affirmat, accepisse Virginem ea hora,qua filium concepit,suæ prædestinationis,& super omnes choros Angelorum exaltationis certam, atq; indubitatam reuelationẽ, quod etiam confirmat Damascenus orat.1.de Dormit.Deiparæ. Probatur tertio,

S. Anselmus.

Damascenus.

tio, quoniam Christus non solum post resurrectionem, ante ascensionem in Cœlos, eam frequenter visitauit, ac reuelationibus illuminauit; sed etiam post ascẽsionem, vt docet Rupertus lib. 3. in Cantica, & eleganter Laurentius Iustinianus serm. de Assumpt. dicens, neq; Angelica tantum, verum etiam filij iugiter visione, ac colloquio exultauit; illi enim cœlestis visio debebatur, cui incomparabilis gratiæ inerat plenitudo. Hinc deniq; Andreas Cretensis serm. de Assumpt. Virginem vocat fontem, qui non possit exhauriri, diuinarum reuelationum. Rupertus. Laur. Iustin.

DECIMAQVINTA traditio, quòd donum linguarum habuerit, etiam ante Pentecostẽ: ita docet Albertus in Mariali, c. 155. & S. Antonin. in Sũma Theologica c. 19. §. 8. & Suarez 3. p. q. 37. disp. 20. sect. 2. vbi scribit, huiusmodi dono vsã fuisse Deiparã, & in Magorum adoratione, & in peregrinatione in Ægyptũ, & quando fideles ex varijs nationibus ad eam confluebant, tum pietatis causa, tũ vt ab ipsa magis instruerentur, ac in fide confirmarentur. Vnde Athanasius ser. de Deipara dicit, Virginẽ omnibus gratijs abundasse; nec mirum, cum hoc donũ linguarũ, non solum fidelibus, qui Euangelij præcones futuri erant, sed etiã alijs credentibus ferè communiter tribueretur, vt patet Act. 8. & 9. idem de alijs donis gratiæ gratis datæ dicẽdũ est, quicquid dixerit Caietanus 3. p. q. 27. art. 5. Contra Caietanum.

DECIMASEXTA traditio fert, B. Virginem, dum in Ægypto versaretur, in balsami horto, qui iacet inter Heliopolim, & Babyloniam, ex paruo fonte, sed vbere paruulum Iesum pluries lauisse, eiusdemq; panniculos mũdasse, & super lapidem ibidem existentem exiccasse, ex quo fonte multa emanant miracula: ita Brochardus in descript. Terræ Sanctæ par. 2. cap. 4. refert. Iãsenius in cap. 11. suæ concordiæ scribit, locum illum, in quo Sancta Virgo in Ægypto habitauit, ingenti Ecclesia decoratum fuisse, & ab ipsis etiam Saracenis adeò venerari, vt ibi lampadem perpetuò ardentem in memoriam illius conseruent. Vide alia de hac re apud Baronium tom. 1. Annalium. An autem eundo, & redeundo asino vecta fuerit, licèt probabile sit, incertum tamen est; cum tamen visitauit Elisabeth, certum est, pedibus iter confecisse, vt colligitur ex Euangelio Lucę cap. 1. in illis verbis, *exurgens Maria abijt in montana cum festinatione*.

DECIMASEPTIMA traditio est, B. Virginem à Christo immediatè baptizatam fuisse: ita Euthymius in c. 3. Ioannis. Scribunt, inquit, quidam Apostolorum temporibus proximi, quòd Christus Petrum, & Virginem matrem baptizauerit; ita quoq; Albertus de laudibus Virginis cap. 81. Turrecremata in capit. Quando, de cõsecr. dist. 4. Lindanus in Panopl. cap. 81. Canisius lib. 1. Mari. c. 9. Nicephorus ex Euodio lib. 2. Historiæ cap. 3. dum autem Euodius dicit, Christũ tantummodo Petrum baptizasse, non excludit Virginem, sed alios Apostolos, vt explicauimus in lib. 2. de Anno Iubilæi cap. 7. itaq; vt ex eodem Euodio colligit Card. Bellarm. lib. 1. de Romano Pontifice cap. 23. Christus ex mulieribus solam Virginem matrem suam, ex viris solum Petrum baptizauit; atq; hæc traditio certissima est, scilicet Virginem non solum fuisse baptizatam, quod nonnulli incautè tantum probabile esse dixerunt, vt refert Canisius; sed etiam à Christo Domino sacro lauacro perfusam esse tunc temporis, cum primum cæteri credentes baptizari cœperunt, immò ante cunctos alios; ita enim ratio honestissimæ congruitatis conuincit, vt quæ prius, & magis præ cæteris dilecta fuit, communium Sacramentorum beneficijs ante alios particeps esset. Et si baptizauit Petrum omnium credentium patrem, quod etiam Clemens testatur apud Sophronium in prato spirituali cap. 76. & in quinto Stromatum, seu Hypotyposeon, cur non Mariam suam, & omnium fidelium matrem? Euthymius. Albertus Mag. Turrecremata. Clemens Alex.

DECIMAOCTAVA traditio est, Mariã Christo portãti crucem occurrisse: ita S. Bonauentura in lib. meditat. vitæ Christi cap. 77. & Sãcta Brigitta lib. 1. reuelat. cap. 10. & Suarez 3. p. q. 46. disput. 36. sect. 2. putat, verisimile esse, & ali- S. Bonauentura

quo

quo modo ex Euang.colligi. Deipara enim fuit pręsens, quando Christus flagellatus est,& quando portauit crucē,& quando fuit crucifixus: & licèt hoc postremum tantum habeatur ex Euang.nihilominus, quia rumor passionis Christi per Ioannem, vel per alios potuit ad Virginem perferri, statim ac comprehensus est; verisimile tamen est, multò ante,quàm damnatus esset ad mortem, Virginem exiuisse domo,vt eum videret;vehementi enim amore, & dolore angebatur;non ergo fuit difficile,vt audita sententia mortis,statim ad locum supplicij properaret, & in via vel illi occurrerit, vel expectarit, vt eum conspiceret,vt ait Suarez: non tamen putandum est, Virginem inter illas mulieres fuisse,quæ occurrentes Christo,illum non compassione supernaturali,sed quodam humano affectu flebant,existimantes, Chistum coactè pati,& quasi imbecillem se defendere non posse; non intelligentes causam mortis,nec peccatum eorum, qui eum occidebant,quibus Christus dixit;*Nolite flere super me, sed super filios vestros*;neque enim talis existimatio in Virginem cadere poterat: ita animaduertit Leo Papa serm.10.de passione;Solet,inquit,infirmior sexus etiam pro ijs, qui digni sunt morte,ad lachrymas moueri,&c.

Leo Papa.

DECIMANONA traditio est circa constantiam Virginis in passione filij: toto.n.tēpore passionis filij,& præsertim,dum astaret filio in cruce pendēti, nec animo,nec corpore concidisse,nec vllo perturbationis,seu internæ,seu externæ, nec vllo spasmi genere affectam fuisse,licèt grauissimè doleret,certa traditio est; ex Patribus,ex ratione,& ex Euangelio deducta; quicquid nonnulli authores, quos inferius declarabimus,vel refellemus,dicāt.Fuerunt aliqui,qui fatuè affirmarunt,B.Mariam adeò vehementem dolorē passam fuisse, ut cum Christo verè mortua fuerit,licèt posteà resurrexerit;est hæc profectò fabula, cum gladius Christi,nempè mors eius ideò dicatur secundum phrasim scripturæ animā Virginis pertransisse,non quòd eā interfecerit, sed quia summo dolore eam affecerit:ita Ambr.Beda,Oecumenius,Euthymius Lucæ 2.Damasc.lib.4.c.15.Cassiodorus in Ps.104.Paulinus ad Augustinum,& Aug.ad illum epist.58.&59.Greg. Nissenus orat.2.de Resurrectione,Rupertus 13.in Ioannem, Bern.in ser.signum magnum,&c.Epiphan.hæres.78. expressè dicit, Virginē non esse passam eam mortem tempore passionis Christi.Alij verò dixerunt,gladium Christi animam Virginis pertransisse,quia ità illā affecit,vt extrà se ferri,& spasmum pati eam coegerit,& sic videtur sentire S.Bern.in Opusc.de Lamentatione Virginis, vel auctor illius,& Laurentius Iustinianus de triumphali Christi agone circa finē; Bonauētura lib.de vita Christi p.2.c.64.& 70.Dionys.Carthus.in c.19. Ioan.& Sixtus Senēsis lib.6.annotat.126.sed firma stat traditio posita,quòd Virgo nullum passa sit spasmū,nullum corporalem defectum cum perturbatione sēsuum, seu cum languore,& contractione membrorum, & similia: esset enim hæc magna imperfectio derogans admodum excellenti gratiæ Virginis;quocirca in ea actione passionis non solùm summam constantiam Virgo ostendit, sed etiam actum summæ obedientiæ,& charitatis erga homines exercuit: ità Ambrosius de obitù Valentiniani, qui nec fleuisse illam affirmare audet:stantem, inquit lego; flentem non lego:& Anselmus de excellentia Virginis,cap.5.ait,gladium mortis Christi animam Virginis penetrasse, quia tanto dolore illam affecit, vt nisi speciali Dei gratia, & fauore confortaretur, viribus prorsus deficeret. Hæc autem Virginis constantia orta fuit ex magna fide,quam tunc habuit,ex qua profecta est magna fortitudo, & patientia,quam tunc ostendit; quod etiam asserit Bernardus in concione super illud,*stabant autem iuxtà crucem*:lege quoq; Ambrosium de instit.Virg.cap.7.& epist.82. contextus autem Euangelij hāc traditionem conuincit,cum Ioannis cap.19.dicatur; *Stabant autem iuxtà crucem Iesu,Maria mater eius,&c.* in quibus verbis cognoscitur constantissimus Beatæ

Fabula de gladio Mariā interficiente refellitur.

B. Virgo spasmū in filij passione non fuit passa.

Virginis

Virginis amor erga filium,plenus fide,& fortitudine;nec enim timuit, vel erubuit,etiam dum esset cognita mater,publico in loco,omnibusq; conspicuo,dum filius crucifigeretur,astare: ratio verò id quoq; persuadet,quoniã Deipara semper habuit dominium plenissimum suorum actuum,motuum,& potẽtiarum,nec non mentem diuinæ voluntati summè conformem;semperq; eximia modestia ornata fuit, nec aliquid indecorum, dissonum, vel indecens in sua persona permisit. Quare S. Antoninus 4.p.Theolog.tit.15.c.41.§.1. rectè dixit, stabat verecunda, modesta, lachrymis plena,doloribus immersa, ità tamen diuinæ voluntati conformis,quòd (vt Anselmus ait) si oportuisset ad implendam secundum rationem voluntatem Dei,ipsa filium in cruce posuisset,atque obtulisset;neque enim minoris fuit obedientiæ,quàm Abraham.S.Bonauentura in 1.distinct.48. quæst.vlt.loquens de Virgine, quę voluntariè offerebat filium pro hominibus, dum in cruce penderet, inquit; quo actu & Deum & homines sibi maximè deuinxit.Lege etiam Abulensem quæst.14.prologi Matthæi, & Gersonem tracta. 2.de cantico decachordo. Quòd si aliqui graues authores ad exaggerandum Virginis dolorem,interdum spasmum,vel aliquid simile illi tribuerũt;exponendi sunt de vehementi dolore,non de spasmo propriè dicto, qui imperfectionem maximam importat.Nec opuscula adducta certum habẽt authorem, nam liber ille de lamentatione Virginis inter incerta Bernardi opera ponitur, & Dial.de passione Anselmo adscriptus ualde doctis hominibus suspectus est,cũ non redoleat stylum Anselmi, & multa contineat, quæ nec grauitate,nec doctrina illius digna videtur,vt optimè dicit Suarez tom.2.disp.41.sect.2. & magis per exaggerationem locuti videntur, & præcipuè concionatores. Picturæ verò illæ,quæ ex vulgi opinione introductæ sunt, nullam fidem certam faciunt. Pari ratione asserendum est,B.Virginem in depositione corporis Christi de cruce maximam constantiam demonstrasse,quicquid vulgares,& inferioris notæ concionatores ad auram popularem captandam populis significent,atq; proponant. De materia spasmi optimè scripsit Caietanus in opusculo de eadem re, & nos etiã aliqua diximus lib.2.de anno Iubilæi c.29. Interim monendi sunt concionatores, atq; pictores,ne ea in re proponenda facti ueritatem excedant. Porrò B.Virginem collegisse sanguinem,& aquam,quæ è Domini latere fluxerat in cruce, ex antiquioribus monumentis recitat Metaphrastes 15.Augusti, qui & hæc insuper addit,ut etiam refert Baronius tom.1.Annal.Dicũt hi, qui de his rebus tractarunt,eam ab initio usq; ad finem se fortiter,atque constanter gessisse, honestè quidem,& non indecorè vtentem motu animi; factis etiam ostendentem, se esse matrem,sed matrem omninò illius,qui amico mortuo ostendit amorem,& motum animi certis finibus continuit;mortuumque videns filium, eo motu animi vsa est,vt oportuit;quin etiam in eo de cruce deponendo maternis manibus inseruiuit,& clauos,qui extrahebantur,in sinu suo accepit, & membra illius amplexa est;partim quidem vlnis adstringens, partim quidem suis lachrymis plagas emundãs;deinde tota toti corpori circunfusa.Ecce tibi ab omni sęculo prę-finitum mysterium ad finẽ vsq; venit,ò Domine,placida voce dicit; & Iosepho in manu tradens sudarium,ait, Tibi autem deinceps curæ erit, vt sepolturæ tradas,hocq; eum honestè componas,myrrha condias,& ei iusta facias. Hæc ille. Non me latet,in tragædia,quę Christus patiens inscribitur,alios affectus in sanctissima Deipara expressos reperiri;sed hoc opus non Gregorij Nazianzeni,sed Apollinaris Laodiceni esse,docti viri existimant, nec magnam authoritatem ei tribuunt: vide Baronium tom.1.Annalium supra citato.

B. Virgo sanguinẽ,& aquam ex Christi latere fluentem collegit, atque seruauit.

VIGESIMA traditio, quòd ante Christi resurrectionem vidua remanserit, & Ioseph eius sponsus mortuus fuerit: ita Epiphanius Hæres. 78. Vincen. serm. de S. Ioseph, Petrus Comestor cap. 38. suæ Historiæ, & certa traditio

B. Virgo ante morte Christi vidua remãsit.

ditio est fundata in Euangelio, quòd ante passionem Christi obierit; cum Christus in cruce Ioanni Virginem commendauerit, si enim tunc vixisset S. Ioseph, illi, & non alteri Virgo commendata fuisset. Ioann. 19. Lege Petrum Nannium in scholijs adiectis Epistolæ 79. Ambrosij; quicquid in hac re scripserit Auctor de operibus Cardinalibus, & Augustinus ser. 81. de tempore.

Nō iuit B. virgo ad Sepulchrum cum alijs mulieribus.

VIGESIMA PRIMA traditio, quòd Deipara non venerit ad sepulchrum cum alijs mulieribus ad vngendum corpus Christi mortuum: ita S. Bernardus in tractatu de passione Domini cap. 2. vbi dicit, Deiparam nō fuisse officiosam circa corpus Domini defunctum, quia de fide resurrectionis eius erat certissima, vt optimè etiam affirmat Abulensis Parad. 82. & in omnibus mysterijs à Spiritu sancto abundè edocta, & instructa. Vide Suarez 3. p. quæst. 28. disput. 5. sect. 4.

Christus post suā resurrectionem primo B. Virgini apparuit.

VIGESIMA SECVNDA traditio habet, quòd Christus post resurrectionem suam primò Virgini apparuerit; ità apertè affirmant hi patres, Ambros. lib. 3. de Virginibus, Sedulius lib. 5. Paschalium carminū, Anselmus de excellentia B. Virginis c. 6. Bonauentura in meditationibus c. 87. Rupertus lib. 7. de diuinis officijs c. 25. Indicant verò Nyssenus orat. 3. de Resur. & Nazian. orat. 42. & in traged. de Christo patiente Author illius, Simeon Metaphrastes in orat. de vita, & dormitione Deiparæ; atq; hanc esse antiquam traditionem in Ecclesia à maioribus acceptam, docet idem Rupertus ex processionibus, quæ fiunt in ipsa die Dominica Resurrectionis, in quibus prima statio, & salutatio fit ad B. Virginem, vt patet in Missali Romano; quocirca rectè omnes scriptores, & concionatores Catholici, qui hanc quæstionem attingunt, vnanimiter id docent. Vide Suarez tom. 2. in tertiam partem S. Thomæ quæst. 50. disput. 49. sect. 1. & quæst. 27. disp. 5. sect. 4. dicit, quòd B. Virgo post Christi sepulturam domi manserit, & ibi gloriosum filij aduentum expectauerit, eiusque ibidem ante omnes alios conspectu frui meruerit.

Apostolos adorandū in Cęnaculo B. Virgo congregauit.

VIGESIMA TERTIA traditio, quòd Maria cōgregauerit Apostolos ad orandum, & illos ad orationē incitauerit in Cœnaculo: ità indicant Chrys. hom. 3. in Acta, & Oecumenius Act. 1. quod certè saltem eximio suæ humilitatis exemplo ibidem exhibito fecisse, negari non potest; cum infimum locum in eo cœtu orantium obtinuerit, vt Lucas, Act. 1. refert. De qua re lege Bernardum in ser. de verbis Apocal. 12. Signum magnum.

Orauit pro Diuo Stephano dū lapidaretur.

VIGESIMA QVARTA traditio, quòd rogauerit pro S. Stephano, quamdiù eius lapidatio durauit. Qui enim loca sancta describunt, quales sunt Brochardus in itinerario, 1. par. c. 7. & 45. Christianus Adrichomius, Ioannes Zuallardus, Ioannes Ceuerius de vera Cruce, Noè Brances, Michael Ausingus, Hieronymus Gratianus lib. 1. vitæ S. Ioseph cap. 4. quod & omnes peregrini testantur, faciunt mentionem lapidis, super quo tandiù B. Virgo pro Stephano Deum precata est, quandiù durauit lapidatio: quod idem Ioannem cū ipsa fecisse tradunt; sed non solum pro Stephano, sed etiam pro Paulo, qui vestimenta lapidantium Stephanum custodiebat, orauit, pro quo etiam Stephanum orasse certum est, vt patet Act. 7. lege Fulgentium serm. de S. Stephano, & Augustinum serm. 92. de diuersis.

B. Virgo de rebus fidei, & legis Euangelicæ suam sententiā priuatim tulit.

VIGESIMA QVINTA traditio, quòd Deipara cōsulta de lege veteri abroganda, priuatim sententiam tulit, vt tradit Rupertus lib. 1. in Cantica: & licèt Concilio non adfuerit, nec palam, nec publicè votū decisiuū dederit, tamen & in hac, & in cæteris quęstionibus, quę ad eā de rebus agēdis, vel etiam de mysterijs fidei, & Verbi incarnati deferebantur, consulentibus illam Apostolis, & toto conuentu, tamquam magistra magistrorum, certam dabat responsionem, quā Apostoli omninò sequebantur; mulieri. n. permittitur priuatim aliquos do-

mestica

mestica admonitione instruere, non publicè docere in Ecclesia, vt S. Thomas 3. par. quæst. 55. art. 1. ad 3.

VIGESIMASEXTA traditio, Deipara post filij ascensionē potissimū vitæ contemplatiuæ operam dedit, nec nō loca sacra, in quibus Christus mysteria sacra perfecit, frequentissimè visitauit, ibiq; pro peccatorū salute lachrymas fundens, suos labores, studia, ac preces pro humani generis conuersione offerebat: ità ex Hieronymo colligitur in epist. Paulę, & Eustochij nomine ad Marcellā scripta, vbi Marcellā ad loca Palæstinę sacra inuisenda ad Marię imitationē prouocat. Ergo ne, inquit, erit illa dies, quādo nobis liceat speluncā Saluatoris intrare? in Sepulchro Domini flere cum sorore, flere cum matre? Crucis deinde lambere lignum, & in Olivueti monte cum ascendente Domino, voto, & animo subleuari? & Sophronius in citato sermone de Assump. ait. Beata Virgo Maria, quamuis in spiritu iam esset, tamen dum in carne vixit, carnalibus mouebatur sensibus; & ideò quàm sæpè locorum recreabatur visitationibus; & quē genuerat, mentis complectabatur amplexibus. Et rursus: fortassis ergo præ nimio amore in loco, quo sepultus Christus dicitur, interdum habitasse eam credimus: quatenus pijs pasceretur internus amor obtutibus: hic namque locus medius est hinc inde constitutus, vt adire posset ascensionis eius uestigia, & locum sepulturæ, ac resurrectionis, & omnia, in quibus passus est, loca inuisere: non quòd iàm uiuentem quæreret cum mortuis, sed ut suis consolaretur aspectibus: lege Vincentium, Antoninum, Dionysium, Guarricum, Ildephonsum, & alios locis citatis. Guarrici verò verba, quę scribit in ser. 4. de Assumpt. Virginis, nullo pacto sunt prætermittenda; sic autem se habent. Maria sic se Martham exhibuit in cura pueri nutriendi, vt nihilominus Mariæ partes executa credatur in studio verbi cognoscendi. Maximè tamen postquam idem filius ascendit, vbi erat prius, mater absoluta omni sollicitudine temporali, sanctoq; spiritu, quem præter singulares illas conceptus sui primitias, communiter cum Apostolis acceperat, plenius illuminata; gaudebat nimirum vacare, & videre, quoniam Iesus est Deus; visio prorsus ineffabilis gaudij, summæq; delectationis, omnibus, qui diligunt Iesum: sed præ omnibus illi, quę genuit Iesum. Rectè autem Richelius lib. 2. de laudibus Virginis art. vlt. scribit, Marię conuersationem ante obitum filij longè variam fuisse ab ea, quam exhibuit post eiusdem filij in Cœlum ascensionem; eidem enim iam glorificato cum noua quasi gloria se se cōformauit, vt totus mundus illi magis, magisq; vilesceret, ipsaq; rebus cœlestibus ineffabiliter inhiaret, nihil amans, aut cupiens, aut admittens extra dilectum, vnicumque filium, ad quem tota suspiraret, suam conuersationem in Cœlis potius, quàm in terris habens defixam: sæpè illud Canticorum repetens, *Dilectus meus mihi, & ego illi*; cuius rei testimonium Dionysij Areopagitę solum sufficeret, qui cum ad Mariam venisset, & non tam formam corporis, quàm morum sanctitatem, & perpetuum in ea splendorem, quasi diuinum cerneret, hoc dixisse fertur: Nisi de filio tuo mihi esset reuelatum, facilè crederem, alium præter te non esse Deū. Porrò nihil in terris vel spectabilius, vel venerabilius erat Maria: ita Hubertinus lib. 4. de vita Saluatoris, & Carthus. super Dionys.

Quid egerit B. Virgo post Christi in Cœlos ascensionem.

VERVM præter supplicationes, atque preces, quibus semper erat intenta, pœnitentiæ operibus, & potissimum ieiunijs sæpè Virgo vacabat, vt proinde in Ignatiana Epistola, religionis nostræ, & pœnitentiæ magistra vocetur; non habuit tamen contritionem absolutè, vel sub conditione, quasi de scrupulosa conscientia peccari, cum semper certa esset de propria innocentia, Angelo ei reuelante, ipsam esse plenam gratia: ità benè Henriquez in sum. lib. 4. cap. 25. Quamuis vsa fuerit dominica oratione, dicendo nō pro se, sed pro corpore fidelium, *Dimitte nobis debita nostra*; vt benè Tolet. in Lucæ cap. 11. Vacabat quoq;

Qua ratione in B. Virgine admittenda sint opera pœnitentiæ.

susceptioni quotidianæ Sacramenti Eucharistiæ, vt probauimus alibi; si enim id frequētabāt Apostoli, cęteriq; fideles oēs in primitiua Ecclesia quotidiè, vel frequenter, multò magis Deipara hanc sanctam consuetudinem obseruauit.

Opera misericordiæ spiritualia quomodo exercuerit.

SATIS quoq; sollicita fuit Deipara, vt omnibus ad eam aduentantibus opem suam consilio, exhortatione, admonitione, nec nō obiurgatione si opus esset, conferret; vnde in Epistolis Ignatij ita legimus: Miseris enim, & afflictis illa cōdolebat coafflicta, neq; segniter subueniebat, humilibus deuota, quę & deuotis deuotius, vt vetus interpres transtulit, humiliaretur, omnium quidem operum pietatis apud fideles ministra. Quocirca rectè B. Brigitta in suis libris scriptū reliquit, quòd fuerit magistra Apostolorum, confortatrix Martyrum, doctrix confessorum, clarissimum speculum virginum, cōsolatrix viduarum, in cōiugio viuentium saluberrima monitrix, atq; omnium in fide catholica perfectissima roboratrix, cuius demū verbis, exēplis, studijs, ac operibus honestissimis effectum sit, vt innumerabiles Iudęi, ac Ethnici ad Christi fidem conuerterentur. His studijs, & actionibus vltra cōtemplationes Deipara operā dabat: hac enim de causa post ablatum filium diù in terris superstes permansit, ut quàm plures ad meliorem uitam adduceret, simulq; Apostolos, & fideles in officio confirmaret; & ideò inquit Eusebius Emissenus in Euangelio de festo Assumptionis, Mariam, ut sapientissimam matrem, omnia uerba in corde suo contulisse, nobisq; conseruasse, & memorię commendasse, ut tādem ipsa docente, narrante, atq; nuntiante scriberentur, & uniuerso mundo prędicarētur, cunctisq, nationibus communicarentur: Hæc ille. Duplex enim tempus habuit Maria, ut benè animaduertit Rupertus in c. 2. Matthæi, nimirum tacendi, & loquendi; quandiù, inquit filius hominis manere debuit minoratus paulò minus ab Angelis, ferè tandiù fuit B. Virgini tempus tacendi, & tādiù tacuit, tandiù in silentio fuit, uelut hortus conclusus; ubi autem gloria, & honore coronatus est filius hominis, resurgendo, & in Cœlos ascēdendo, ubi sedet ad dexteram Patris, tunc eidem B. Virgini tempus fuit loquendi, & hoc amicis, idest, sanctis Apostolis, & talia loquendi, qualia prius portare non potuisset: vbi venit spiritus veritatis, primus quidem, & princeps ipse illos omnem veritatem docuit, sed & ipsa B. Virgo testimoniū suæ vocis adhibuit, & taliter locuta est auribus fidelibus, vt proinde rectè dicat, dilectus eius Deus. *Fauus distillans labia tua, mel, & lac sub lingua tua; emissiones tuæ, paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Hæc ille. Atque simili ratione non improbabiliter à nonnullis asseritur, post filij Ascensionem Deiparam exercuisse gratiam miraculorum, & sanitatum, quod tamen à nobis alibi disputatum fuit, & præsertim in opere de fuga lib. 1. disp. 1. quæst. 2. dubio 4.

ILLVD quoq; obseruatione dignum est, quod quēadmodū Apostoli vniuerso terrarū orbi leges dederunt, q nullus tēporalis Monarcha facere vnquam potuit, neq; enim Romani Monarchæ Persis leges dare potuerunt, neq; Persæ Romanis, teste S. Io. Chrysost. in Psal. 44. ita etiam omnibus totius mundi populis sanctitatem, virtutem, ac sapientiam Deiparæ incessanter prædicarunt.

Post Christi ascēsionē in mōte Sion, & in domo S. Ioānis B. Virgo habitauit.

VIGESIMASEPTIMA traditio; Deipara post Christi Ascēsionem, dū virgo, & vidua esset Hierosolymis, vt plurimū ad Sanctā Sion, & in Ioannis domo habitauit: ita Nicephorus lib. 2. Hist. Eccl. c. 21. licèt Sophronius in serm. de Assump. Virginis sine fundamento dicat, non longè à sepulchro Domini interdum deguisse. Patres verò, qui in Synodo Ephesina interfuerunt, ad Clerum, populumq; Constantinopolitanum scribunt, Ephesiorum vrbē interdum cum Ioanne Euangelista habitasse, immò etiam in Asiam eodē Apostolo comite profectam fuisse, licèt in sacris literis id non reperiatur, in quo sensu intelligēdus est Epiphanius hæres. 78. cōtra Antidicomarianitas. In Epistolis Ignatianis, Maria legitur scripsisse, se vnà cum Ioanne Antiochiam profecturam. Veniam, inquit

cum

cum Ioanne te,& qui tecum sunt,videre;Ignatium.s.qui Antiochiæ potissimum floruit. Verum,vt aliquandiù apud Ephesios illa vixerit,certum tamē est, posteà Hierosolymam reuersam esse,ibiq; obijsse,vt omnes præfati Patres testantur.

VIGESIMA OCTAVA traditio est,quòd B. Maria sēper fuerit virgo: ita Card.Bellar.lib.4.de Verbo Dei,c.1. & c.9. & hanc traditionē benè dicit esse de fide,& tāquam fidei dogma recipi ab vniuersa Ecclesia,licèt,vt ipse asserit,perpetua virginitas Mariæ nō inueniatur in diuinis literis expressa, sicut etiā,quòd sint tantum quatuor Euangelia in Ecclesia Catholica,& numerus librorum canonicorū,& similia. Quę assertio nobis omninò placet,eo excepto,quod perpetua virginitas B. Virginis in scripturis expressè nō habeatur; censemus.n. B.Mariam post partū,sicut etiā ante,& in ipso partu perpetuam virginitatē coluisse,& id non solū certa traditione,sed explicitè tam in veteri,quā in nouo testamento haberi;& probatur primo ex Ezech.44. *Porta hæc clausa erit, & vir nō transibit per eā.quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam*; quā prophetiam licèt Orige.hom.14. super Ezech. secundū sensum allegoricū,vt solet, qui nec S.Hier.displicet,intelligat,& interpretetur de sacra scriptura per Christum elucidata;cognitio.n.scripturarū,quæ per portam significatur,clausa fuit, quousque Princeps.i. Christus eas aperuit: tamen vt ibidem S. Hier.affirmat, nec non in Dialogo 2.contra Pelagianos,in ea prophetia secundū sensum literalem fit sermo de intemerata virginitate Deiparæ: Pulchrè, inquit,quidā portā clausam,per quā solus Dñs Deus Israel ingreditur,& Dux,cui porta clausa est,Mariam Virginē intelligunt;quæ & ante partū,& post partum virgo permāsit.Etenim tempore,quo Angelus loquebatur;*Spiritus sanctus superueniet in te,& virtus Altissimi obumbrabit tibi:quod autem nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*:& quando natus est,virgo permansit æterna,ad confundendos eos, qui arbitrantur,eam post Natiuitatē Saluatoris habuisse de Ioseph filios ex occasione fratrum eius,qui vocantur in Euangelio, super quam quæstiunculam Romę aduersus Heluidium illius temporis Hæreticum in adolescentia non grandem librum scripsisse me noui.Eandem expositionem habet S.Ambr.lib.de insti. Virginis ad Eus.c.6.Quæ est,inquit,hæc porta nisi Maria? ideò clausa quia virgo. Porta igitur Maria, per quam Christus intrauit in mundum, quando virginali fusus est partu,& genitalia virginitatis claustra non soluit,mansit intemeratum septum pudoris,& inuiolata integritatis durauere signacula, cū exiret ex Virgine.Et multò luculentius c.7.Bona,inquit,porta Maria,quæ clausa erat,& non aperiebatur,transiuit per eam Christus,sed non aperuit:est enim & porta vētris, vnde ait Iob Sanctus c.3.*Intenebrescant stellæ noctis illius,quia non conclusit portas ventris matris meæ*: est ergo & porta ventris,sed non omnis clausa semper; verùm vna sola potuit manere clausa,per quam sine dispendio claustrorum genitalium Virginis partus exiuit.Ideo ait Propheta;*Porta hæc clausa erit, & non aperietur,& nemo transibit per eam*,hoc est nemo hominum, *quoniam Dominus*, inquit,*Deus Israel transibit per eam,eritque clausa*; idest & post trāsitum Domini erit clausa,& non aperietur.Hæc porta ad orientem aspiciebat, quoniam verum lumen effudit,quæ generauit orientem, peperitq; solem iustitiæ. Audiant ergo imprudentes: clausa, inquit,hęc porta est,quæ solum recipit Deum Israel. Denique non est aperta.Audiant Prophetam dicentem. Non aperietur,eritque clausa,hoc est,non aperietur ab eo,cui desponsabitur; non licebit enim,vt aperiatur, per quam Dominus transibit, & post eum, inquit, erit clausa, hoc est non aperiet eam Ioseph,quoniam dicitur ei: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuā,quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est*. Porta ergo clausa virginitas est.Idem scribit Ruffinus Aquileiensis Presbyter in expositione symboli Apostolorū,quę falsò sub nomine S.Cypriani circūfertur. Partus,inquit,ipsius

B. Maria sēper fuit Virgo, & quomodo id in scripturis habeatur.

Ezechiel.44.

Maria porta vētris clausa.

mirabilem modum Ezechiel Propheta ante formauerat, Mariam portam Domini nominans,per quã.s. Dominus ingressus est mundum. Dicit ergo hoc modo: Porta aũt,quæ respicit ad Orientẽ,clausa erit,& non aperietur, & nemo trãsibit per eã,quoniam Dñs Deus Israel transibit per eam, & clausa erit. Quid tã euidens dici de conuersatione,seu,vt alias legitur, consecratione Virginis potuit? clausa fuit in ea virginitatis porta,per ipsam introiuit Deus Israel, & per ipsam in hunc mundũ de vtero Virginis processit: & in æternũ porta Virginis clausa,seruata virginitate,permansit.Idẽ affirmat S.Aug.ser.2.in Natiuit. Dñi. Porta,inquit erat clausa,& non est aperta,& quasi interrogaretur,cur aperta nõ esset,adiecit:quia Dñs transibit per eam.Porta clausa, idest, signaculũ pudoris, immaculatæ carnis integritas,non enim est violata partu,quæ magis est sanctificata conceptu. Ita quoq; per hanc orientalem portam Deiparam alij Patres intellexerunt,vt S.Epiph.ser.de laudibus Virginis Mariæ,S.Chrys.tom.3.hom. de Ioan.Baptista,S.Ioannes Damasc.lib.4.fidei Orthod.c.15.& orat. 1. de Mariæ Natiuitate,& oratione item 1.de Mariæ dormitione, Maximus hom.2. de Natiuitate Domini,Hesychius Presbyter Hierosolymitanus homil. 2.de laudibus Mariæ, & pleriq; alij,& idem S. August.serm.14.de Natiuitate,& S.Ambr. epist.81.& Alphonsus Tostatus Parad.1.cap.33.

Cur Maria dicatur porta orientalis, & quoties apud Ezechielẽ

EST autem hic animaduertendum,ter dici à Propheta,Deiparam orientalem portam fore clausam: *Conuerti me*,inquit,*ad viam portæ, quę respiciebat ad Orientem,& erat clausa: & dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit,non aperietur,& vir non transiet per eam, eritq; clausa Principi*; vt significaretur, illam fuisse Virginem,non solum in partu contra Iouinianos,vt refert Aug.in lib. de hæresibus,sed etiam ante partum contra Ebionem,& Cherintum, vt refert Irenæus lib.1.aduersus Hæreses cap.25. Tertullianus in lib. de carne Christi, & Epiphanius hæres.28.sed etiam post partum contra Heluidium,aduersus quem disputat S.Hieronym.vno integro libro. Dicitur autem porta orientalis Deipara,quoniam,vt exponit S.Ambrosius in libro de institutione Virginis ca.7. generauit Orientem,peperitq; solem iustitię Christum Deum nostrum:Hoc dumtaxat testimonium in præsenti loco adducimus,cũ præ cæteris, quæ afferri possent,luculentissimum,& firmissimum sit.

Præcipua quædã scripturæ loca de Marię perpetua virginitate.

SIGNIFICATVR aũt huiusmodi ꝑpetua virginitas implicitè in multis locis scripturæ,& præter superius adducta,hæc sunt cõmemorãda.Gen.3.vbi Deus minatur serpenti nõ viri fętũ aliquẽ,sed fœminæ caput ipsius contriturũ. Quẽ locũ Cyprianus obseruat,& virginei partus prædictionẽ admirabilẽ in eo esse contendit lib.2.testimoniorũ aduersus Iudæos.Eodẽ referri illa potest diuina promissio, *De fructu vẽtris tui ponã super sedẽ tuã*, Ps.131.Quæ verba Tertull. lib.3.aduersus Marcionẽ premit,ac Mariæ vterum, quæ Dauidica futura esset, intelligit.August.in eiusdẽ Psalmi enarratione.De fructu,inquit, ventris,quia de fœmina natus est Christus,quò vir non accessit.Simeon, si Nicephoro Eccles.hist.c.12. & Cedreno lib.1.in cõpendio historię credimus; cum in illũ locũ Isa.7.*Ecce Virgo concipiet*,incidisset, de vaticinij veritate cœpit ambigere, hæsitanti bonitas diuina succurrit,viroq; cætera recto legis obseruatori dubitationẽ sustulit,nempè Dei potẽtiæ nihil esse difficile, Messiæ diuinitatem exigere, vt eius mater virgo sit,nulloq; maris interuentu chara Dei soboles generetur; quę cum docilis illa mẽs celeriter arripuisset, Virginem amabat,cogitabat, expectabat,quæ salua pudoris integritate Emanuelem editura esset in lucem. Quin & ipse rerum molitor,ac prouisor Deus Simeoni fore promisit, vt non ante diem obiret extremũ,quam Isaiæ id oraculum re ipsa compleri, perficiq; vidisset, ac Virginis ipsum filiũ oculis inspexisset. Cyrillus Hierosolymitanus Cathechesi 12.argumentum sumit ex primo homine de terra ficto, & Eua ex Adami costa

educta

educta, & ex vetulæ, ac sterilis Saræ partu, ad probandum virginalem fœtum Deiparæ. Aut enim, inquit, vtrumque inficiandum est, aut vtrumq; concedendum: ita quoq; Galatinus lib. 2. de Arcanis cap. 2. & lib. 7. vbi refert, Rabinos ex multis locis Isaiæ secundum sensum literalem intellectis, hanc veritatem ostendere; ex eo numero Barachias fuit, Iodannus, Hayuadus, Huma, Chaldæus Paraphrastes, & Ionathan Vsilielis filius, vir maximi nominis apud Hebræos. S. Augustinus serm. 14. de Natali Domini ad vrgendos Iudæos incredulos his vtitur argumentis. Lex sine graphio in tabulis diuinis excisa est, Aaronis virga refloruit, vtraq, res Virginis sine viro partum adumbrauit, & nimirũ hanc habet vim panis ille in solitudine, quẽ nullus seuit agricola, fons signatus, hortus conclusus, mons, rubus, vellus Gedeonis, partus virginalis symbola fuere preclara. Iam Isaiæ radix de terra sitiente, Hieronymo interprete lib. 14. in Isaiam, nihil aliud significat, nisi Christum ex Virginis vtero prodeuntem. Hoc sibi voluit illa eiusdẽ Isaiæ nubes agilitate prædita, vt Ambrosio c. 19. de institutione Virginis c. 13. & c. 32. videtur, quæ idcirco leuis dicitur, quòd Dei mater coniugij põdus, molestiasq; nescierat. Hæc est illa femina virum circũdans apud Hieremiam; quẽ virum Deum à Virgine conceptum, S. Bernardus Hom. 2. in Missus est exponit. Maria Danielis ille mons est, vnde sine manibus, Irenæo lib. 3. aduersus hæreses c. 28. teste, lapis exciditur. Ille autem ventus ab Osea prædictus, à deserto perflans, Hieronymo lib. 3. in Oseam explanante, Christus est, qui ex Virginis aluo prodiuit, quæ deserti nomine significatur; propterea quòd nihil ibi solertia humana conseuit; etenim Virgo eum edidit, qui se in Canticis campi florem, & lilium conuallium appellauit. De quo ita Rupertus cap. 1. libr. 1. Comment. in Cant. est verè Christus flos campi, & lilium castitatis, quia puer mundissimus, & præ filijs hominum forma speciosus, flos in tali campo exoriẽs, qui nec aratro scissus, neque sarculo defossus, neque manu hominis satus; tamen florem tulit medicamentum animarum, cui nihil potest comparari. Verùm hæc, quæ mysticam, & subobscuram Virginis significationem referunt, missa faciamus.

S. August. rationes pro Mariæ virginitate.

EX nouo verò testamento eadem veritas palam constat, Matthæi 1. & Lucæ 1. ex illis verbis Isai. 7. ab Euangelistis repetitis. *Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, &c.* & rursus ex illo Lucæ; *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Spiritus Sanctus, &c.* in his enim verbis propositum perpetuæ virginitatis Mariæ ostenditur, vt testatur S. Augustinus lib. de Virginitate cap. 4. & indicat serm. 14. de Natiuitate, & Bernardus serm. 4. de Assumptione, & Hom. 4. in Missus est, & Anselmus in illud Euangelij, *Intrauit Iesus in quoddam Castellum*, Lucæ 10. vbi ponderans dicta verba Lucæ affirmat, Virginem miratam fuisse, quia certissimè sciebat, nunquam se virum cognituram; & in libro de excellentia Virginis cap. 4. indicans votum Virginis, dicit, Deiparam virginitatem suam Deo consecrasse, atque etiam Beda lib. 1. in Lucam cap. 1. & Gregorius Nissenus Hom. de sancta Christi Natiuitate. Vide quoque Tolet. in cap. 1. Lucæ Annot. 96. & 111. qui hanc veritatem ex ipsis verbis Mariæ ostendit. De facto autem fuisse semper virginem, & nunquam virum cognouisse, ostenditur expresè ex verbis Christi Ioan. 19. *Mulier ecce filius tuus; & Ecce mater tua, & ex illa hora accepit eam Discipulus in sua*; hoc est in suam custodiam, & tutelam, ac si sua res, & mater esset; neque enim Christus assignasset Ioanni illam loco matris, si in viduitate perseueratura non fuisset, atq; etiam in continua virginitate: Virginem enim virgini commendauit; sicut enim in sepulchro Christi nemo ante, nec post iacuit, præter Christi corpus in triduo ob eius reuerentiam, sic, imò multò magis, id fieri debuit in vtero virginali: quare rectè S. Augustinus lib. 4. de Trinitate confert hunc vterum Virginis illi sepulchro,

Explicitè Virginitas Mariæ etiam perpetua habetur in scriptura noui testamenti.

mirabilem modum Ezechiel Propheta ante formauerat, Mariam portam Domini nominans, per quã. s. Dominus ingressus est mundum. Dicit ergo hoc modo: Porta aũt, quæ respicit ad Orientẽ, clausa erit, & non aperietur, & nemo trãsibit per eã, quoniam Dñs Deus Israel transibit per eam, & clausa erit. Quid tã euidens dici de conuersatione, seu, vt alias legitur, consecratione Virginis potuit? clausa fuit in ea virginitatis porta, per ipsam introiuit Deus Israel, & per ipsam in hunc mundũ de vtero Virginis processit: & in æternũ porta Virginis clausa, seruata virginitate, permansit. Idẽ affirmat S. Aug. ser. 2. in Natiuit. Dñi. Porta, inquit erat clausa, & non est aperta, & quasi interrogaretur, cur aperta nõ esset, adiecit: quia Dñs transibit per eam. Porta clausa, idest, signaculũ pudoris, immaculatæ carnis integritas, non enim est violata partu, quæ magis est sanctificata conceptu. Ita quoq; per hanc orientalem portam Deiparam alij Patres intellexerunt, vt S. Epiph. ser. de laudibus Virginis Mariæ, S. Chrys. tom. 3. hom. de Ioan. Baptista, S. Ioannes Damasc. lib. 4. fidei Orthod. c. 15. & orat. 1. de Mariæ Natiuitate, & oratione item 1. de Mariæ dormitione, Maximus hom. 2. de Natiuitate Domini, Hesychius Presbyter Hierosolymitanus homil. 2. de laudibus Mariæ, & pleriq; alij, & idem S. August. serm. 14. de Natiuitate, & S. Ambr. epist. 81. & Alphonsus Tostatus Parad. 1. cap. 33.

Cur Maria dicatur porta orientalis, & quoties apud Ezechielẽ

EST autem hic animaduertendum, ter dici à Propheta, Deiparam orientalem portam fore clausam: *Conuerti me*, inquit, *ad viam portæ, quę respiciebat ad Orientem, & erat clausa: & dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transiet per eam, eritq; clausa Principi*; vt significaretur, illam fuisse Virginem, non solum in partu contra Iouinianos, vt refert Aug. in lib. de hæresibus, sed etiam ante partum contra Ebionem, & Cherintum, vt refert Irenæus lib. 1. aduersus Hæreses cap. 25. Tertullianus in lib. de carne Christi, & Epiphanius hæres. 28. sed etiam post partum contra Heluidium, aduersus quem disputat S. Hieronym. vno integro libro. Dicitur autem porta orientalis Deipara, quoniam, vt exponit S. Ambrosius in libro de institutione Virginis ca. 7. generauit Orientem, peperitq; solem iustitię Christum Deum nostrum: Hoc dumtaxat testimonium in præsenti loco adducimus, cũ præ cæteris, quæ afferri possent, luculentissimum, & firmissimum sit.

Præcipua quædã scripturæ loca de Marię perpetua virginitate.

SIGNIFICATVR aũt huiusmodi ꝑpetua virginitas implicitè in multis locis scripturæ, & præter superius adducta, hæc sunt cõmemorãda. Gen. 3. vbi Deus minatur serpenti nõ viri fętũ aliquẽ, sed fœminæ caput ipsius contriturũ. Quẽ locũ Cyprianus obseruat, & virginei partus prædictionẽ admirabilẽ in eo esse contendit lib. 2. testimoniorũ aduersus Iudæos. Eodẽ referri illa potest diuina promissio, *De fructu vẽtris tui ponã super sedẽ tuã*, Ps. 131. Quæ verba Tertull. lib. 3. aduersus Marcionẽ premit, ac Mariæ vterum, quæ Dauidica futura esset, intelligit. August. in eiusdẽ Psalmi enarratione. De fructu, inquit, ventris, quia de fœmina natus est Christus, quò vir non accessit. Simeon, si Nicephoro Eccles. hist. c. 12. & Cedreno lib. 1. in cõpendio historię credimus; cum in illũ locũ Isa. 7. *Ecce Virgo concipiet*, incidisset, de vaticinij veritate cœpit ambigere, hæsitanti bonitas diuina succurrit, viroq; cætera recto legis obseruatori dubitationẽ sustulit, nempè Dei potẽtiæ nihil esse difficile, Messiæ diuinitatem exigere, vt eius mater virgo sit, nulloq; maris interuentu chara Dei soboles generetur; quę cum docilis illa mẽs celeriter arripuisset, Virginem amabat, cogitabat, expectabat, quæ salua pudoris integritate Emanuelem editura esset in lucem. Quin & ipse rerum molitor, ac prouisor Deus Simeoni fore promisit, vt non ante diem obiret extremũ, quam Isaiæ id oraculum re ipsa compleri, perficiq; vidisset, ac Virginis ipsum filiũ oculis inspexisset. Cyrillus Hierosolymitanus Cathechesi 12. argumentum sumit ex primo homine de terra ficto, & Eua ex Adami costa

educta, & ex vetulæ, ac sterilis Saræ partu, ad probandum virginalem fœtum Deiparæ. Aut enim, inquit, vtrumque inficiandum est, aut vtrumq; concedendum: ita quoq; Galatinus lib. 2. de Arcanis cap. 2. & lib. 7. vbi refert, Rabinos ex multis locis Isaiæ secundum sensum literalem intellectis, hanc veritatem ostendere; ex eo numero Barachias fuit, Iodannus, Hayuadus, Huma, Chaldæus Paraphrastes, & Ionathan Vsilielis filius, vir maximi nominis apud Hebræos. S. Augustinus serm. 14. de Natali Domini ad vrgendos Iudæos incredulos his vtitur argumentis. Lex sine graphio in tabulis diuinis excisa est, Aaronis virga refloruit, vtraq; res Virginis sine viro partum adumbrauit, & nimirũ hanc habet vim panis ille in solitudine, quẽ nullus seuit agricola, fons signatus, hortus conclusus, mons, rubus, vellus Gedeonis, partus virginalis symbola fuere preclara. Iam Isaiæ radix de terra sitiente, Hieronymo interprete lib. 14. in Isaiam, nihil aliud significat, nisi Christum ex Virginis vtero prodeuntem. Hoc sibi voluit illa eiusdẽ Isaiæ nubes agilitate prædita, vt Ambrosio c. 19. de institutione Virginis c. 13. & c. 32. videtur, quæ idcirco leuis dicitur, quòd Dei mater coniugij põdus, molestiasq; nesciebat. Hæc est illa femina virum circũdans apud Hieremiam; quẽ virum Deum à Virgine conceptum, S. Bernardus Hom. 2. in Missus est exponit. Maria Danielis ille mons est, vnde sine manibus, Irenæo lib. 3. aduersus hæreses c. 28. teste, lapis exciditur. Ille autem ventus ab Osea prædictus, à deserto perflans, Hieronymo lib. 3. in Oseam explanante, Christus est, qui ex Virginis aluo prodiuit, quæ deserti nomine significatur; propterea quòd nihil ibi solertia humana conseuit; etenim Virgo eum edidit, qui se in Canticis campi florem, & lilium conuallium appellauit. De quo ita Rupertus cap. 1. libr. 1. Comment. in Cant. est verè Christus flos campi, & lilium castitatis, quia puer mundissimus, & præ filijs hominum forma speciosus, flos in tali campo exoriẽs, qui nec aratro scissus, neque sarculo defossus, neque manu hominis satus; tamen florem tulit medicamentum animarum, cui nihil potest comparari. Verùm hæc, quæ mysticam, & subobscuram Virginis significationem referunt, missa faciamus.

S. August. rationes pro Mariæ virginitate.

EX nouo verò testamento eadem veritas palam constat, Matthæi 1. & Lucæ 1. ex illis verbis Isai. 7. ab Euangelistis repetitis. *Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, &c.* & rursus ex illo Lucæ; *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Spiritus Sanctus, &c.* in his enim verbis propositum perpetuæ virginitatis Mariæ ostenditur, vt testatur S. Augustinus lib. de Virginitate cap. 4. & indicat serm. 14. de Natiuitate, & Bernardus serm. 4. de Assumptione, & Hom. 4. in Missus est, & Anselmus in illud Euangelij, *Intrauit Iesus in quoddam Castellum*, Lucæ 10. vbi ponderans dicta verba Lucæ affirmat, Virginem miratam fuisse, quia certissimè sciebat, nunquam se virum cognituram; & in libro de excellentia Virginis cap. 4. indicans votum Virginis, dicit, Deiparam virginitatem suam Deo consecrasse, atque etiam Beda lib. 1. in Lucam cap. 1. & Gregorius Nissenus Hom. de sancta Christi Natiuitate. Vide quoque Tolet. in cap. 1. Lucæ Annot. 96. & 111. qui hanc veritatem ex ipsis verbis Mariæ ostendit. De facto autem fuisse semper virginem, & nunquam virum cognouisse, ostenditur expressè ex verbis Christi Ioan. 19. *Mulier ecce filius tuus; & Ecce mater tua, & ex illa hora accepit eam Discipulus in sua*; hoc est in suam custodiam, & tutelam, ac si sua res, & mater esset; neque enim Christus assignasset Ioanni illam loco matris, si in viduitate perseueratura non fuisset, atq; etiam in continua virginitate: Virginem enim virgini commendauit; sicut enim in sepulchro Christi nemo ante, nec post iacuit, præter Christi corpus in triduo ob eius reuerentiam, sic, imò multò magis, id fieri debuit in vtero virginali: quare rectè S. Augustinus lib. 4. de Trinitate confert hunc vterum Virginis illi sepulchro,

Explicitè Virginitas Mariæ etiam perpetua habetur in scriptura noui testamenti.

pulchro, vt qui vnigenitus in Cœlis erat Patris, vnigenitus quoq; in terris esset matris; sicut autem Christus perpetuam coluit virginitatem, ita quoq; cõgruum fuit, vt & mater Virgo esset perpetua, quæ ẽt in hoc mirificè Dei Ecclesiam, quæ virgo perpetua est, repræsentat, vt ait S. Greg. in Psal. 4. pœnitential. dicens; sicut Dei mater Christum peperit virgo, & post partum virgo permãsit incorrupta: ita mater Ecclesia filios Dei sine dolore generat, & Virgo semper illibata perseuerat. Peccarunt hac in re Antidicomarianitæ, vt referunt Epiphanius hæres. 78. & Augustinus libro de hæresibus c. 56. & similiter errauit Heluidius, contra quem S. Hieronymus scripsit, vt superius diximus, quos Concionator poterit, non solum ex ipsa certissima traditione ecclesiastica, sed ẽt ex dictis vehementissimè confutare, & ex ijs, quæ scribit Suarez tom. 2. disp. 5. sect. 3. Quòd si locum Ezechielis citatum proferant, meminerint verba illius, non posse accommodari templo materiali Iudæorum; nulla .n. erat in eo talis porta, quæ Principi esset clausa, per quam Dominus Deus ingressus est, vt egregiè notauit Hieronymus à Sancta fide lib. 1. contra Iudæos c. 4. necesse est igitur, hanc portam esse matrem Messiæ, per quam Christus in hunc mundum ingressus est. Notat autem Abulensis, quòd Deipara non solum fuit virgo ante partũ, in partu, & post partum, quoniam nõ fuit cognita, ante, vel post, vel in partu à viro, sed præcipuè quoniam sicut claustra eius virginalia non fuerunt aperta ante partum, sic nec in partu, nec post partum, nõ .n. fuit in ea minus miraculum, quòd eius claustra virginalia non fuerint aperta, quàm quòd conceperit sine semine virili: ita in c. 2. expositionis super verba illa; *Ecce Virgo concipiet*.

Ecclesia Virgo perpetua, sicut Christus, & Maria.

Nota contra Heluidium.

Nota ex Abulensi.

VIGESIMANONA Traditio est, Mariam suam mortem diuina, seu angelica reuelatione præcognouisse, ac alijs prædixisse: ita Simeon Metaphr. in orat. de Virgine, & Nicephorus lib. 2. cap. 21. qui addunt, palmam tunc ab Angelo accepisse; sic etiam Damascenus indicat in sermon. de Dormitione Virginis, quocirca hæc verba, vel similia dixisse refert, quasi vltima sub mortem ab ea dicta. In manus tuas, fili, commendo spiritum meum, suscipe tibi charam animã, quam conseruasti alienam ab omni reprehẽsione. Meum corpus tibi trado, & non terræ; custodi saluum, quod tibi placuit habitare, & cum natus esses, conseruasti virgineum. Tu me ad te transfer, vt vbi es tu, fœtus meorũ viscerum, ego quoq; tecum degam. Ad te .n. propero, qui ad me ventitasti citrà vllam spatij distantiam. Quæ verba indicant quoq; Deiparam suæ resurrectionis proximæ spem certam, ac firmam reuelationem habuisse; & hæc omnia à filio accepisse, existimandum est. Quare Damascenus sic Iesum allocutum eam esse testatur. Veni benedicta Mater mea in requiem meam, audi, surge propinqua mea, pulchra inter mulieres. Ecce hiems præterijt, venit tempus putationis. Pulchra es propinqua mea, & macula non est in te. Odor vnguentorũ tuorum super omnia aromata. Est .n. regula certa S. Bernardi, quicquid Deus alijs Sanctis, etiam minimis concessit, matri non esse denegandum; atqui constat ex S. Gregorio lib. 4. Dialogorum multis Sanctis Deum in morte apparuisse, eosq; confortasse, & consolatum fuisse, ergò Mariæ multo magis, idest concedendum.

Maria Virgo diuinitus obitum suum præsciuit, & alijs nunciauit.

TRIGESIMA Traditio est, Deiparam obijsse sine dolore, ac sine infirmitatis grauamine, vel labore: hæc est certa traditio ab Hugone Victorino supra allegato probata, & ante illum à Damasceno orat. 2. de Dormitione Virginis; id quod ratio suadet, quoniam sine libidine concepit, caruitque semper omni deordinata concupiscentia: in morte item filij omnes dolores, & quos in partu, & quos in morte habere potuisset, ex ratione communis humanæ conditionis, complexa est. Nonnulli Authores dicunt, nulla causa naturali, sed sola Dei volũtate, & iussu, eius animã à corpore separatam fuisse, sicut in scriptura dicitur etiam, Moysen esse mortuum. Dixit enim Deus Deuteron. 32. *Ascende in montem*

Obijt B. Virgo absque vllo dolore, uel infirmitate.

in montem, & morere ibi, & cap. 34. subditur; *mortuusque est Moyses seruus Dei in mõte Moab, iubente Domino:* quo etiam modo mortuus dicitur Ioannes Euangelista, teste Nicephoro lib. 2. cap. 42. lib. 1. cap. 35. vbi dicit, Ioannem mortuum fuisse eo modo, quo Dei genitrix. Sed re vera dubium esse non potest, & Ioannem Euangelistam, & Dei matrem mortuos fuisse ob defectum dispositionum naturalium; quibus cessantibus, & finem naturalem habentibus, ex totali remissione temperamenti naturalis, caloris, &c. anima amplius in corpore absque miraculo conseruari non potest; quem modum moriendi innuunt historiæ supracitatæ, cum de Virgine dicant, ad summam ætatem peruenisse, & de Ioanne ad vltimam senectutem. Quocirca rectè inquiunt Canisius, Suarez, Henriquez, & alij, quòd quamuis B. Virgo non fuerit mortua vi alicuius morbi corporalis, obijsse tamen vi amoris, & ardẽtissimi desideri videndi filium, nec non vehementia intentissimæ contemplationis: ita quoque B. Brigitta lib. 6. c. 62. Carthusianus de laudibus Virginis lib. 4. art. 3. & Albertus in Mariali. Fieri enim potest, vt mens tanta efficacia, & fauore in his actibus occupetur, & sensim corpus ità destituatur, vt eius dispositiones remittantur, ac deficiant, & sic ob earum defectum non possit anima vlterius in corpore conseruari; quo etiã modo Christus, si morte violenta extinctus non fuisset, longa senectute iam confectus obijsset. Ceterum si præ dolore, & vehementi passionum motione, & acerbitate nonnulli moriuntur, cur non etiam præ dulcedine contemplationis? sic sponsa dicebat Cantic. 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*; & iterum Cant. 8. *Fortis est vt mors dilectio.* Vnde Guerr. serm. 2. de Assumptione Virginis in eius persona, sic ad Angelos loquitur. Vt minus miremini languorem meum, amore langueo; langueo plus impatientia amoris, quàm passione doloris, plus vulnerata charitate, quàm grauata infirmitate. Filiæ Hierusalem. i. Angeli nuntiante dilecto, quia amore langueo; ipse nouit, quomodo meo medendũ sit languori. Hæc ille. Vt. n. inquit S. Greg. quod mors agit in corporeis sensibus, hoc agit dilectio in affectionibus mentis. Quod autem apud Isidorum lib. de vita, & morte Sanctorũ c. 28. & apud Ambrosium, & Bedam Luc. 2. legitur, Deiparam martyrio extinctã fuisse; nullo modo probabile est, cum nulla historia, nulla traditio, nullaq; probabilis auctoritas id confirmet, imò contrarium insinuent, cũ testentur, illam ad summã ætatem peruenisse. Quod aũt dixit Simeon; *Tuã ipsius animã pertransiuit gladius*; de corporali eius morte nequaquã accipiendũ esse, superius ostensum est. Moyses verò iussu Dei mortem gustasse dicitur, quòd ex defectione caloris naturalis, aut primigenij humoris, quem radicalem appellant, cum ad annum centesimum vigesimum peruenerit, interierit.

Cant. 2. & 8.

TRIGESIMA PRIMA Traditio est, Virginem anno suæ ætatis septuagesimo secundo obijsse; ita Epiphanius Presbiter Constantinopolitanus in ser. de Deipara, vt refert Turrianus lib. 2. pro Epist. Pontificum cap. 16. & Andreas Cretensis Patriarcha Hierosolymitanus serm. de Dormitione Deiparæ, dum ait, Virginem ad summam ætatem peruenisse, & Cedrenus in Compen. Historiæ, Turrianus item loco citato; & Canisius: quamuis hic illam referat, non autem definiat lib. 5. Mar. cap. 3. & nouissimè Suarez to. 2. in 3. part. q. 37. disp. 21. sect. 2. Qui omnes postremi authores cum Cæsare Baronio lib. 1. Annalium anno Christi quadragesimo octauo, id probant satis efficaciter ex testimonio Dionysij cap. 3. de diuinis nominibus, vbi de sancto corpore Beatæ Virginis agens, & non de sepulchro Christi, aut de domo Ioannis, in qua Christus cęnauerat, sic ait. Nam & apud ipsos diuino spiritu plenos Pontifices nostros, cum & nos (vt nosti) & plerique ex sanctis fratribus nostris ad contuendum corpus illud, quod auctorem vitæ, Deumque ceperat, conuenissemus; aderat autem, & frater Domini Iacobus, & Petrus supremum decus, & antiquissimum

B. Virgo annũ agens septuagesimum secundũ ex hac vita migrauit.

Theo-

Theologorum columen, vbi post contuitum placuit, vt infinitè potentè diuinæ virtutis bonitatem Pontifices laudarent omnes, quisq; pro captu suo. Hæc illè. Quæ Dionysij verba, præcipuè, corpus illud, quòd Auctorē vitæ, Deumq; ceperat, quæ grecè sic leguntur θεοδόχου σώματος. Hilduini, & Matthæi Galeni sententiā admonēt omninò esse reijciendam; σῶμα .n. in consuetudine græci sermonis non dicitur, nisi de rebus, quæ animatę sint, aut fuerint. Quòd si quando tribuitur inanimatis, id vno ex his tribus modis fit. Primò metaphoricè, quo pacto tribuimus latera naui, pedes tripodi, arbori comam, corpus exercitui, & regno. Secundo physicè, idest in physicis disputationibus, in quibus de corporis affectionibus, & præcipuè de motu Philosophi disserūt. Tertiò mathematicè, corpus .n. in ea scientia dicitur, quod triplicē habet dimensionem, longitudinē, latitudinem, profunditatē. Quamquā neq; in hac significatione Græci Geometræ ferè vnquam vtuntur nomine, σῶμα sed adiectiuo, στερεὸν, cui nō subintelligunt substantiuum, σῶμα sed σχῆμα idest figurā. Sic .n. Gellius lib. 1. c. 20. figurarū, inquit, quæ σχήματα Græci appellant, genera sunt duo, planum, & solidum: hæc ipsi vocant ἐπίπεδον, καὶ στερεόν. Cum igitur in Areopagitæ verbis nullus videatur esse metaphoræ locus, neq; physico sermoni, neq; vlli mathematicæ mensuræ, mirū est, q̀ Hilduinus, & Matthæus Galenus à consueta, & propria vocis, σώματος, significatione, quæ non nisi corporis est animalis viuentis, aut mortui, tantopere recesserint, & Σῶμα alter sepulchrū, Ioannis domū alter interpretatus sit. Quod factū fortasse ab illis est altera ex his duabus causis: siue quia mendosum codicē nacti pro Σώματος alter Σήματος. (Σῶμα enim sepulchrum est) alter δώματος quippe cum δῶμα domum significet, scriptum inuenerint; siue quia vetus aliqs Dionysij Scholiastes vocē illam, Σῆμα, interpretans, eiusq; afferēs ethymologiā Σήματος, vel δώματος margini, aut inter lineas, quod deinde ex margine, aut interlineari illo spatio in aliorum Dionysij verborū locum glossema irrepserit. Est quippe, vt nonnulli volunt, à veteribus illis Græciæ nomenclatoribus, Σῶμα dictum quasi Σῆμα quòd scilicet corpus sit quoddā animæ sepulchrū; siue quia antiquā illā, & antiquatā opinionem sequerentur illorum, qui animas è Cœlo in terrena corpora detrudi, & quodammodo tumulari affirmarunt; siue quia (quod quidem dici tutò potest) vt in tumulo corpus, sic in corpore animus clauditur, & latitat. Neq; rursus incongruum est dicere, appellatum à veteribus esse Σῶμα, quasi δῶμα. quia scilicet corpus sit quædam habitatio, & Domus animæ. Quod & S. Paulus 2. ad Corinth. 5. visus est comprobasse, cum ait; *Scimus enim, quoniā, si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, &c.* Et ex innumeris Græcorum scriptorum locis id maximè confirmat Hexameter ille à Seuerino Boethio allatus lib. 4. de consolatione philosophica prosa 6.

2. Corinth. 5.

Ἀνδρὸς ἱεροῦ σῶμα δυνάμεις οἰκοδοῦσι.

Quem nescio quis apud ipsum sic interpretatus est.

Viri sacri corpus virtutes ædificauere.

Hæc placuit hoc loco addidisse, ne Matthæus Galenus, & Hilduinus, viri alioquin nōn indocti, omninò delirasse viderentur. Sed neque illud omittendum est, vocem θεοδόχου non esse eam, quæ Deiparam propriè significet: θεοτόκον enim non θεοδόχον, Deiparam Græci exprimunt. Sed Dionysius, θεοδόχου adiectione Virginei illius corporis non tam partum indicare voluit, quàm conceptum, quem ipsa quoque admiratur, & laudat Latina Ecclesia, dum canit; *Quem Cœli capere non poterant tuo gremio contulisti.* Est quippe vox θεοτόκος ducta à θεὸς, Deus, & Δέχομαι capio, & verti posset, si latinus id sermo pateretur, Deiceps. Confirmant opinionem hanc nostram Maximus Abb. in schol. Iuuenalis Episcopus Hierosolymitanus apud Nicephorum lib. 2. Historiæ capit. 21. 22. & 23. vbi eius orationem de ea re coram Marciano Augusto habitam

recitat;

recitat, & verba illa Dionysij de eodem corpore Deiparæ ad mentem Dionysij explicat, cui interpretationi etiam ipse Nicephorus subscribit: ita quoq; Damascenus in serm. de Dormitione sanctissimæ Deiparæ, Andreas Cretensis, & Epiphanius Presbyter in serm. de eadem, Metaphrastes die 15. Augusti, Euthymius in sua historia à Ioanne Damasceno citata, Glycas in 3. p. Annaliũ, atq; etiã S. Thom. & Albertus Magnus verba Dionysij exponentes. Quod est .n, in vniuerso globo creaturarum corpus illud, quod intra se Deum, & auctorem vitæ suscepit, nisi Deipara? Quomodo ædes Ioannis receperunt auctorem vitæ magis, quam domus Marci, vel locus nuptiarũ in Chana Galilæę? vel deniq; alius, in quo Christus, vel eius mater versati fuerint? certè Dionysius loquitur de illo corpore, quod intimè intra se ita auctorem vitæ, Deumq; receperat, vt eum genuerit, atq; pepererit. Multò minus Anastasij in præfatione ad Carol. admittenda est explicatio, qui verba Dionysij interpretatur de carne Christi diuinitatem continente. At eo tempore, quo Christus crucifixus est, & ex mortuis resurrexit, nec Dionysius, nec Paulus eius præceptor ad fidem venerãt. Porrò apud omnes bonos auctores tam Græcos, quàm Latinos, nil aliud intelligitur per corpus, quod auctorem vitæ, Deumque receperat, hoc est, Christum, nisi Deipara; ad quod corpus intuendum Apostoli cum alijs, inter quos erat B. Dionysius, cõuenerunt: at Dionysius, vt ex Actis Apostolicis colligitur, & præcipuè ex c. 17. non venit ad fidem Christi, nisi decem, & octo annis elapsis à Christi morte; quod tempus fuit quinquagesimus secundus annus ab eius natiuitate; cum Paulus Athenas non antea venisset, vt habetur ex Actis Apostolicis cap. 18. & tunc B. Virgo vltra sexagesimũ sextũ annũ vitæ agebat, vt cõstat, additis annis, quos habebat, cum peperit Christum. A conuersione verò Dionysij vsque ad aduentum eius Hierusalem, aliquot anni fluxerunt, septem nempè; nec enim Paulus post Dionysij conuersionem Hierosolymam reuersus est, nisi quinquagesimo septimo anno à Christo nato, gestis nẽpè illis, quæ narrantur in Actis à cap. 18. vsque ad vigesimum primum. Quo annorum spatio conuentus ille Apostolicus absq; miraculo, vt Turrianus, & Baronius probabiliter asserunt, suaui dispositione diuinæ prouidentiæ ad funus Virginis cohonestandum, factus fuit; quo etiam tempore Roma Petrus Hierosolymam redijsse creditur expulsus à Claudij edicto: Atqui quinquagesimus septimus annus Christi coincidit cum septuagesimo secundo ætatis B. Virginis, si quindecim anni addantur, quos agebat cum peperit Christum; quocirca Virgo post Christi ascensionem annis viginti quatuor vixit; in cuius rei memoriam corona, quæ in honorem Virginis recitatur, septuaginta duas Salutationes angelicas continet, si ritus antiquus illam recitandi attendatur. Lege Compendium Mendicantium, verbo, indulgentia plenar. §. 11. Non me latet, varias de tempore obitus Virginis fuisse Scriptorum sentẽtias; alij enim sexaginta tres annos vitæ illi tribuunt, alij quadraginta nouem tantum; sed hi omnes omninò falluntur; hæc enim postrema sententia non conuenit, imò aduersatur Historiæ Lucæ, vt inquit retractans Beda in cap. 8. Actorum: illa verò repugnat certæ historiæ Dionysij conuersionis, vt dictum est.

Variæ de Virginis Mariæ mortis tempore Auctorũm sententiæ.

Atque hæc ratio temporum congruit cum reditu Petri Romam, initio Imperij Neronis; qui fuit annus nonus post primum recessum eius ex Vrbe Romana, quo anno obijt Virgo; post cuius obitum, & exequias Petrus initio, vt dixi, Imperij Neronis Romam redijt: ita Turrianus lib. 2. cap. 16. versus finem, de Canon. Apostolorum: quo etiam tempore intermedio Concilium illud Hierosolymitanum Petrus cum reliquis Apostolis, & Iacobo fratre Domini super cessatione legalium habuit non multo ante Virginis dormitionem. Quæ de huiusmodi quæstione, quemadmodum etiam de alijs consulta, priuatim respondit, vt superius dictum est. Errauit in hac re Abulensis, qui in cap. 17. Matthæi quæst. 13.

ad 1.

ad 1. dixit, omnes Apostolos, dum in Iudæa habitarent, Iacobo Hierosolymorum Episcopo quodammodo subditos fuisse; eumq; illis, etiam Petro, maiorem extitisse: & in Concilio isto id, quod fecerunt Apostoli, atq; Ecclesia tota, non à Petro, sed ab illo definitiuè pronunciatum, velut totius Ecclesiæ organo, & quolibet alio ex assistentibus maiore: est erroneum, ac temerarium hoc dictum, cum certum sit, & de fide Actorum 15. Petrum in Concilio illo primum locutum fuisse; *Surgens Petrus, dixit ad eos; viri fratres, &c.* Ita etiam S. Hieronymus docet Epist. 89. & Petri sentētiam Iacobus, Minor nempè, qui erat Hierosolymitanus Episcopus, omnesq; alij sequuti sunt; ita ex contextu Actorum colligitur ibi; *tacuit autem omnis multitudo*, expleto Petri sermone, & post Petrum *Barnabas, & Paulus narrauerunt, quanta Deus fecisset signa, & prodigia in gentibus per eos;* completaq; Pauli, & Barnabæ narratione, respondit Iacobus dicens, *viri fratres, &c.* vbi vides Iacobum non primo, sed tertio loco loqnutum fuisse; omnesque suo silentio approbasse quod Petrus dixerat, eiusq; auctoritati acquieuisse; neq; enim, vt ait Turrianus 2. contra Magdeburgenses c. 5. silentium factum est ad audiendum Paulum, quasi prius omnes confusè locuti fuissent: id quoq; docet Hieronymus in Epist. ad Augustinum, quæ est 11. inter Epistolas Augustini, & Theodoretus in epistola ad Leonem de eadem re sic loquitur. Paulus præco veritatis, tuba sanctissimi Spiritus ad magnum Petrum cucurrit, vt ijs, qui Antiochiæ de legalibus institutis contendebant, ab ipso adferret solutionem: & Chrysostomus Hom. 3. in Acta, loquens de Petro, ait. Meritò primus omnium auctoritatē vsurpat in negocio, vt qui omnes habeat in manu; ad hunc .n. dixit Christus; & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Verùm sicut annuente Petro, Barnabas, & Paulus loquuti fuerant, sic etiam Iacobus Episcopus loci, Petro annuente, suam protulit sententiam, quasi ex officio, quid ea in re sentiret, proferens. Nec vrget verbum illud, *Ego iudico*, cum non pro iudiciaria sententia ibi sumatur, sed pro sua particulari opinione, & iudicio, vt benè aduertit Caietanus ibidem, dicens; *Ego iudico*, idem esse, quod iudicium meum est; non .n. inquit, proferebat sententiam in iudicio, quia nondum erat facta conclusio cōmunis, quæ subiungitur post verba Iacobi. Quo sensu intelligēda sunt verba Chrysostomi, dum dixit. Quid est iudico ego? idest cū potestate dico esse scribendum illis, non .n. dicere voluit, Iacobum sententiam protulisse, quasi præeminentem potestate, hoc enim Petro competebat; sed quod prorsus sentiret, cum auctoritate, ac serio, vel præceptiuè scribendum esse decretum. Quod autem Iacobus pronunciauit, à toto Concilio, ac primùm à Petro approbatū fuisse, verba, quæ sequuntur omninò conuincunt, cum subdatur: *Tunc placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia, &c.* & iterum in decreto. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*; & iterum in titulo decreti; *Apostoli, & seniores fratres, &c.* Hæc contra Abulensem, & Caluinum lib. 4. instit. cap. 6. num. 7. Quod autem addit Abulensis, maiorem Petro, dum in Iudæa habitaret, Iacobum extitisse; stultum est asserere, nec indiget confutatione; præsertim inter Catholicos. Constat igitur, Virginem ad summam ætatem peruenisse, sicut etiam Ioannem Euangelistam, qui ad vltimam senectutem deuenit, vt inquit S. Hieronymus in Commentarijs in Epistolam ad Galat. c. 6.

Apostoli Beatæ Virginis funus curarunt.

TRIGESIMA secunda traditio est, Mariæ post mortem illicò funus pium, & exequias religiosas ab Apostolis, cæterisque astantibus fidelibus exhibitas fuisse: ita Nicephorus lib. 2. histor. Ecclesiast. cap. 23. Iuuenalis, Damascenus; Glycas locis citatis, & Metaphrastes, Andreas Cretensis, & alij: in hoc autem funere preces, & Psalmorum cantus, cerei ardentes, nec non flores, cæterique honores ab Apostolis adhibiti fuere. De eodem item funere agit copiosè Dionysius in loco citato de diuinis nominibus, vbi contestes adhibet, Petrum nempè, Ia-

pè, Iacobum fratrem Domini, aliosque Apostolos, & excellentes viros, inter quos numerat Thimotheum, ac Hierotheum, quibus omnibus placuit corpus Deiparæ, immensa Dei summi bonitate electum ad carnem ex eo suscipiendã, laudare, illudq; laudationis munus certatim omnes obierunt. Nec in eo miracula defuisse, testatur Andreas Cretensis in ora. de Virginis Assumptione, introitum enim Mariæ in mundum, & exitum ab eo Dominus singulari modo, & eximia prouidentia custodiuit, magnisque priuilegijs decorauit, quicquid in hac re Centuriatores obstrepant, quos copiosè confutat Canisius lib. 5. sui Marialis cap. 3. in fine. Non audemus hic inserere ea, quæ de cingulo Virginis relicto Thomæ, vel cęlitùs ei tradito, nec de loco vbi Angelus Virgini nunciauit eius Assumptionem, vel similia; cum à Gelasio, Beda, & alijs eruditis viris hæc inter Apochripha, à quibus omninò nobis abstinendum esse duximus, recenseantur.

TRIGESIMA tertia traditio habet, quòd Beatæ Virginis corpus post eius mortem verè sepultum fuit, incorruptum item, atq; integrum in sepulchro permansit vsque ad eius gloriosam resurrectionem. Quamuis enim D. Hieronymus, Eusebius, Sozomenus, & Theodoretus commemorantes celebriora sepulchra, & loca sancta Hierosolymitana, sepulchri huius mentionem non fecerint; Damascenus tamen, Andreas Cretensis, & Simeon Metaphrastes non solum scribunt, statim post mortem corpus Virginis fuisse in sepulchro repositum, sed etiam magnis miraculis fuisse à Deo illustratum. Beda libr. de locis sanctis capit. 6. huius sepulchri meminit, & in eius loco Ecclesiam extructam esse dicit. Addit Brochardus in descriptione Terræ sanctæ 1. part. cap. 7. §. 47. post cladem Hierosolymitanam sepulchrum hoc multo tempore latuisse, ac deinde apparuisse. In libr. de Assumptione Virginis, qui D. Hieronymo tribuitur, dicitur, hoc sepulchrum existere in valle Iosaphat inter montes Sion, & Olíueti propè sepulchrum sancti Ioseph, vt etiam scribit Beda, & ita vsque hodie traditio perseuerat, vt testantur illi, qui sacra loca Hierosolymitana inuisunt, qui locum sepulchri Virginis se cernere affirmant, & ex eo lapillos decisos reportant, quos Christiani venerantur.

Corpus B. Virginis in tumulo mansit planè incorruptum.

TRIGESIMA quarta traditio; corpus Deiparæ per triduum in sepulchro mansit, in quo triduo Apostoli, excepto Diuo Thoma, cæterique Discipuli ad Virginis monumentum perseuerarunt, Hymnorum carmina ab Angelis decantata audientes: ita Damascenus oratione secunda de Dormitione Deiparæ ex antiqua traditione refert, & Andreas Cretensis in simili oratione, nec non Iuuenalis Hierosolymitanus apud Nicephorum libro secundo, capit. 23. vbi refert non sine diuino consilio factum esse, vt funeri Virginis Apostolus Thomas defuerit, cumque paulo post Hierosolymam venisset, sacrum tumulum, vbi corpus Virginis positum fuerat, reseratum fuisse, vt à sancto Apostolo, & videri posset, & adorari; non tamen fuisse repertum, sed sola sepulchralia linteamina aptè loco commodo composita; quæ & ipse (inquit Nicephorus) & qui cum eo aderant, cum veneratione exosculati, incredibilique voluptate, odorisque suauitate repleti; sepulchrum quidem ad pristinum conformant modum, miraculum autem ipsum, quasi per manus posteris traditum, ad nos quoque transmiserunt; Hæc ille. Quod autem per triduum manserit in sepulchro corpus Deiparæ verisimile est, cum per omnia, quantum decens, & congruum est, fuerit Mater filio quàm simillima.

Triduo B. Virginis corpus mansit in sepulchro, adstantibus Apostolis, & cantantibus Angelis.

TRIGESIMA quinta traditio habet, quòd Deipara post triduum è tumulo resurgens corpore, & animo in Cœlũ assumpta fuerit: certa traditio est contra nonnullos, qui censuerunt resurrexisse, & assumptam fuisse in Cęlum quadraginta diebus post eius mortem, .i. vigesima tertia Septembris: mors verò

Post triduum B. Virgo ex tumulo resurrexit & anima simul cum corpore in Cœlum assumpta est.

O creditur

creditur contigisse 15. Augusti, ita sensit Beda, qui in Martyrologio duas ponit Virginis assumptiones; vnam 18. Kalend. Septembris, quæ intelligitur de sola anima; alteram 9. Kalen. Octobris, quæ intelligitur de anima, & corpore. Verùm Ecclesia hanc duplicem festiuitatem non agnoscit; quicquid Antoninus dicat tertia parte, titul. 19. capit. 11. in fine: militat quoque hæc traditio aduersus illos, qui censent, eodem die Beatam Virginem mortuam esse, & resurrexisse, ac in Cœlum ascendisse, cum Ecclesia hæc omnia eodem die celebret; quæ tamen coniectura debilis est; quamuis enim anima Deiparæ, statim ac Virgo obijt, in Cœlum ascenderit, ac Deum clarè viderit, quod de fide est, vt ex certissimis principijs fidei, tanquam notissimum facilè probari posset; cum sine vlla macula, ac debito pœnæ, & diuinarum gratiarum plenitudine cumulata à corpore discesserit, tamen eius corpus triduo illo in sepulchro quieuisse ad filij imitationem, & humanæ naturæ ostensionem operæpretium fuit; nec solum id, vt verisimile, sed etiam vt necessarium affirmandum est: nec etiam Virgo diuinæ fuit naturæ, mortisque expers, vt Collyridiani Hæretici censuerunt, quos refert Epiphanius in Panar. Hæres. 78. & 79. cum verè mortua, & sepulta fuerit, & ex hoc sæculo migrauerit, vt confitetur Ecclesia vniuersalis in Collecta secreta Missæ de Assumptione, quamuis in scripturis nihil de eius morte, vel sepulchro habeatur, vt Epiphanius loco citato notauit; post triduum verò ab eius morte ad gloriosam, & immortalem vitam corporis, & animæ resurrexisse, atque in Cœlum ascendisse, certa, & vniuersalis totius Ecclesiæ traditio est, vt constat ex Athanasio in sermone de sanctissima Deipara, & ex libris Augustini, Hieronymi, vel Sophronij de Assumptione: licèt nonnulli dubitent, opuscula illa Athanasij, vel Augustini esse, quod tamen non est reuocandum in dubium propter Ecclesiæ auctoritatem, quæ sub eorum nomine illa recipit; habentur deinde indubitata testimonia Damasceni, Andreæ Cretensis, Iuuenalis locis citatis, Anselmi de excellentia Virginis capite octauo, Bernardi, Laurentij Iustiniani in sermonibus de Assumptione, Ruperti libro sexto in Cantica, Riccardi Victorini in Cantica capite 42. Hugonis Victorini libro tertio eruditionis Theologicæ capit. 125. vbi inter Beatæ Virginis priuilegia ponit, quod sine dolore mortis obijt, quodque cum corpore in Cœlo viuit, & ad dexteram filij singulariter sedet, Psalmista testante, *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*. Item D. Thomas tertia part. quæstion. 27. articulo primo, & opuscul. octauo, Bonauentura in speculo Mariæ capite secundo, Antoninus prima parte Histor. titul. sexto capite tertio, Gerson Alphabeto 14. & consentiunt Scholastici in tertio distinction. tertia. Potest quoque idem probari ex inscriptione Romani Martyrologij, ac Missalis, & ex officio illius diei, vbi sæpè dicitur Beatam Virginem assumptam fuisse in Cœlum, quod non de Assumptione solius animæ, sed de assumptione totius compositi intelligendum est; tum quia assumptio localis propriè, & in rigore, vt bene dicit Suarez tomo secundo disputation. 21. section. secunda, refertur ad corpus; tùm etiam quoniam aliorum Sanctorum animæ ad Cœlum pergunt, & tamen Ecclesia nullius assumptionem celebrat, & confitetur, sed solum transitum, migrationem, aut natalitium diem. Multis verò coniecturis, ac rationibus efficacibus ad rem moraliter persuadendam vtitur D. Augustinus in libro de Assumptione Mariæ, qui sine vllo prorsus scrupulo est Augustini, vt dicebamus, quicquid Erasmus temerariè aliter sentiat, licèt sermonem illum vndecimum de Sanctis non esse Augustini vltrò concedamus, cum in eo citetur Isidorus Gregorio Magno æqualis. Prima autem eius ratio est, si voluit Christus integrum Mariæ Virginitatis seruare pudorem, cur non voluit incorruptam à putredinis seruare fœtore? dicat ergo

Pulchræ D. Augustini rationes pro Assumptione B. Virginis.

qui

qui cognouit sensum Domini, & qui consiliarius eius fuit: nunquid non pertinet ad benignitatem Domini, Matris seruare honorem, qui legem non soluere venerat, sed adimplere? lex enim, sicut honorem matris præcipit, ita inhonorationem damnat: qui enim in vita præ cæteris illam gratia sui conceptus honorauit, pium est credere singulari salutatione, eam in morte, & speciali gratia honorasse. Rursum paulo post. Christus in Cœlos ascendit, carnem, quam de matre suscepit, super astra transuexit, honorans omnem humanam naturam; sed multo magis maternam: si igitur natura matris est filius, conueniens est, vt sit & filij mater, non quantum pertinet ad æquam administrationem, sed quantum pertinet ad eandem reciprocam substantiam, vt homo de homine, caro de carne, mater à filio, filius à matre non ad vnitatem personæ, sed ad vnitatem corporalis naturæ, & substantiæ. Sic Augustinus. Hoc autem argumentum egregiè confirmat ab vnitate omnium fidelium cum Christo: si vnitatem potest facere gratia sine proprietate specialis naturæ, quantò magis vbi gratiæ vnitas, & corporis est specialis natiuitas? De his autem, qui per gratia vniuntur Christo, dixit iterum Christus. *Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum*. Vnde infert Augustinus; si igitur eos secum habere vult, & hoc potest, qui omnia potest, quid æstimandum est de matre, vbi digna sit haberi, nisi in præsentia filij? Rursum à dignitate, & præstantia naturæ ipsius Beatæ Virginis sic argumentatur. Tanta sanctificatio, qua mater Dei fuit, dignior Cœlo est, quàm terra. Quoniam thronum Dei, thalamum Domini, domum, atque tabernaculum Christi dignum est ibi esse, vbi ipse est; tam preciosum thesaurum dignius est Cœlo seruari, quàm terra; tantam integritatem meritò incorruptibilitas, non putredinis aliqua resolutio sequitur; illud ergo sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit, & diuinam naturam humanæ vniuit, non amittens quod erat, sed assumens quod non erat, vt Verbum caro, hoc est, homo fieret, escam vermibus traditum in communi sorte putredinis, & futurum de vermium puluere, quia sentire non valeo, dicere pertimesco. Moxque aliud ex scripturis sanctis argumentum adfert. Dicit Christus, *vbi ego sum, ibi & minister meus erit*, si hæc est generalis sententia omnium per fidem, & bonam operationem Christo ministrantium; quantò magis quodammodo, & specialius est Mariæ? Mariam namque operis exhibitione, & fidei rigidissima veritate ministram fuisse Christi, omnis, qui sanè sapit, intelligit; si ergo ibi non fuerit, vbi Christus ministros suos esse vult, vbi erit? & si ibi erit, nunquid æquali gratia? & si æquali gratia, vbi æqua Dei censura, quæ vnicuique reddit secundum sua merita? si ergo merito Mariæ viuenti præ omnibus donata est gratia, mortuæ erit minuenda? Absit. Quia si omnium Sanctorum mors est pretiosa, Mariæ sanè pretiosissima, quam tanta comitata est gratia, vt mater Dei dicatur, & sit. Concludit autem Augustinus firmis his rationibus motus, quicquid Erasmus, quem omnis decor Virginis vrit, mussitet, in hæc verba. Consideratis igitur his vniuersis, vera ratione confitendum censeo, Mariam in Christo, & apud Christum esse: in Christo, quia in ipso viuimus, mouemur, & sumus: apud Christum gloriosè ad æternitatis gaudia assumptam, bonitate Christi honoratius susceptam cęteris, quàm hic gratia honorauit præ cęteris, nec vsq; ad communẽ humilitatem esse adductã post mortẽ, putredinis videlicet, & vermis, & pulueris, quæ suum, & omniũ genuit Saluatorem; in cuius si potestate est, Sanctorum de capite capillum non perire, est & illam anima, & corpore integram posse seruare. De cuius potestate si nullus dubitat Ecclesiasticorum, quin possit Matrem sine corruptione in perpetuum seruare. cur dubitandum est, voluisse, quod attinet ad tantæ benignitatis gratiam? Si elegit diuina voluntas, sola gratia inter crepitantes vehementium ignium flammas, non solum

Mariæ mors pretiosissima.

contra Erasmũ

O 2 puero-

puerorum corpora seruare illęsa, verum etiam ipsa vestimenta seruare inusta; cur abnuat in matre propria, quod elegit in veste aliena? Ionam seruare in ventre ceti præter naturalem vsum voluit incorruptum, sola misericordia; Mariam incorruptam præter naturam non seruabit gratia? seruatus est Daniel ab intemperatissima fame leonum, non seruanda est Maria tantis dotata meritis dignitatum? Nec cuncta, quæ diximus, quia naturam non seruasse cognoscimus, in Mariæ integritate plus potuisse gratiam, quàm naturam non dubitamus: & alia quam plurima in hanc sententiam prosequitur August. quæ ēt attingit Damascenus loco citato. Et profectò si mirabilis est Deus in Sanctis suis, vt ēt supra condignum honoret, quomodo non erit mirabilis in matre sua, vt pro eo quod dignum, ac conueniens est, eam sublimet? si de omnibus Sanctis dicitur Psal. 138. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est Principatuss eorum*; quomodo Mater Dei nimis honorificata non erit, eiusque Principatus, & gloria super cęteros confortata? Si de omnibus verum est, quod Apostolus dixit, *si compatimur, & glorificabimur*, ad Romanos 8. certè Beata Virgo, quæ plus cæteris omnibus Christo compassa est, siue quia mater filio, siue quia ipsi Cruci astitit penè sola, siue quia sic astitit, vt doloris gladius animam eius pertransierit, plus cęteris omnibus glorificata credi debet. Si necessariò verum est, quod Christus dixit, Lucæ 14. *Omnis, qui se humiliat exaltabitur*, certè hæc Beata Virgo, qua nihil fuit humilius, maximè & super oēs exaltata, meritò credetur. Hæc enim cum mater Dei futura ab Angelo nuntiaretur, humillimè respondit; *Ecce Ancilla Domini*. Lucæ 1. Quod si etiam de Sanctis verè dicitur: *custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur*. Psalm. 33. quomodo corpus Deiparæ in eius sepulchro, nec seruatum, nec custoditum fuit? Quòd si relatio historiæ Euthymij libr. 3. cap. 40. de Iuuenale Hierosolymitano Episcopo, qui fuit tempore Chalcedonensis Concilij, licèt illa à Baronio tomo primo Annalium, anno Christi 48. reijciatur, esset vera, nil amplius in hac re desiderari posset. Refert ille, vacuum Beatæ Virginis loculum cum vestimentis, quæ inerant, fuisse tunc Hierosolymis Constantinopolim translatum, & Marciano Imperatore, atque Pulcheria eius coniuge, in æde Beatæ Virginis in Blachernis reconditum. Quonam igitur beatissimum illud corpus euectum, & deportatum esse potuit, nisi in Cœlum? Si verò huiusmodi relatio non est admittenda, illud saltem, quod Beda agens de locis sanctis dicit, ambiguū esse non pōt, nimirum suo tempore sepulchrum Beatæ Virginis vacuū Hierosolymis cerni. Sanè illud compertissimū est, in terris nullas partes, nullasq; reliquias, vel minimas Virginalis corporis reperiri: ostenduntur quidē vestium, velaminum, & indumentorū eius fragmenta, nec nō lactis, & capillorū eius partes aliquæ; nequaquā verò ossium, vel aliarum corporis partium. Sed quid? multa corpora Sanctorū resurrexisse, & cum Domino in Cęlū ascendisse, certa fides est, Matthæi 27. qua igitur fronte id negabitur corpori Matris Dei? Nec valet dicere, in scripturis id non legi, cum nec omnia de ipso Christo literis exarata fuerint. Ioannis 21. Quocirca quæ ab antiquissimis traditionibus accepta sunt, vel à vetustissimis Patribus narrantur, aspernanda non sunt, sed magna veneratione amplexanda. Non me fugit, Abulensem Matthæi 22. quæst. 230. affirmare, hanc esse probabiliorem opinionem, & Caietanum opusculo de conceptione, dicere, esse hanc piam sententiam, atque ēt Sotum in 4. dist. 43. nec non Canum lib. 12. de locis cap. 11. dicere, petulantem temeritatē esse hoc negare, sicut etiā Corduba lib. 1. quæstionū Theologicarum quæst. 17. quamuis Catharinus lib. 4. contra Caietanū, & in opus. de conceptione conetur ostendere, esse de fide. Sed licèt in scriptura Canonica id non habeatur, nec ab Ecclesia decreto, vel constitutione id hactenus definitum sit: habetur tamen huius rei sufficiens traditio, quæ infallibilem facit fidem;

Traditio Ecclesiæ indubitatā facit fidem.

& reddit

& reddit hunc articulum credibilem nimis, & ab Ecclesia ad eius libitum absque vlla contradictione esse maximè definibilem; sicut etiam asserere sanctificationem Beatæ Virginis in vtero Annæ matris, vt inquit S. Thomas 3. part. quæst. 27. art. 1. imò maiorem certitudinem habet hæc assertio de corporali assumptione Beatæ Virginis in Cœlum, quàm illa, quæ asserit, eandem esse conceptam absque peccato originali; est enim vniuersalior, & ab omnibus fidelibus, nemine excepto, sapientibus, & insipientibus firmiter recepta, ac minores difficultates habens.

TRIGESIMA SEXTA traditio est, quòd eodem die, quo resurrexit, in Cœlum assumpta est: cuius dicti illa ratio assignatur, & benè, quòd nulla alicuius dilationis occasio dabatur, sicut in Ascensione Domini fuit. Maria eodem die resurrexit & assumpta est

TRIGESIMA SEPTIMA traditio. Deipara corpore, & anima ascendēs maximo honore, ac plenissimo Angelico comitatu in Paradisū introiuit: ita Patres constanter asserunt, imò ēt addunt, vt supra diximus, ipsummet Christum cum ingenti gloria, & gaudio Virgini obuiam venisse, & illam secum in proprium thronum gloriæ ab alijs Beatis distinctum deduxisse. Ita Athanasius sermone de sanctissima Deipara, Sophronius epistola de Assumptione Virginis, Damascenus oration. 1. de Dormitione Virginis in fine, & orat. 2. per totum, S. Anselmus de excellentia Virginis cap. 8. Antoninus 1. parte Histor. tit. 6. c. 3. §. 1. & Canisius lib. 5. de Deipara c. 3. & sequentibus: quod etiam optima ratione confirmari potest, quoniam si Christus eius filius Mariæ matri morienti apparuit, quem gratulanter illa aspexit, cum in eius manibus esset iam iam animam reddittura, quod etiam Stephano paulò ante mortem concessum fuit Act. 7. quanto magis illam in Cœlos deducendo, comitatum fuisse, est asserendnm? Et si corpora Sanctorum non sine Christo comite in Cęlum euecta sunt, cur non & Mariæ matris? vt de ea verè dici possit, quod legitur Cantic. 1. *Introduxit me Rex in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur in te:* Vnde Cantic. 8. dicitur; *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens innixa super dilectum?* lege Rupertum lib. 17. de gloria Trinitatis, & processione Spiritus Sancti c. 13. & Andream Cretensem de Dormitione Deiparæ. Cum magno honore, & comitatu Angelorum assumpta.

TRIGESIMA OCTAVA traditio. Post suum obitū per multas apparitiones Deipara sese plerisque ostendit: apparuit Damasceno, & dexteram illi restituit, sicut rogauerat; ita Io. Patriarcha Hierosolymitanus in historia refert, atque etiam Canisius in lib. 5. cap. 19. Apparuit deinde Sancto Hildephonso Episcopo, & vestem ei donauit, vt refert Sigebertus in Chronico, nec non Iulianus Pomerius, & Rodericus Archiepiscopus Toletanus, & Ioannes Vasæus Brugensis. Apparuit præterea Ruperto Germano Abbati Tuitiensi, cum enim esset rudis ingenio, & parum idoneus ad sacra discenda, opem Virginis implorauit, vt docile ingenium sibi præberet, & diuinorum intelligentiam: cui nocte Virgo apparens promisit, & præstitit, quod ille tantopere cupiebat, tamque excellenti gratia scientiarum illustratus fuit, vt inter Germanos Theologos eminuerit, & similem ætas illa non protulerit, qui viuus, & mortuus multis claruit miraculis, vt testatur Trithemius in libro de Monasterio Hirsaugiensi. Apparuit etiam Vdoni Magdeburgensi, qui per Mariam obtinuit scientiæ donum; sed eius monitis resistens, seuerè punitus fuit, cum enim peccandi finem non faceret, in grauissimum iudicium Dei incidit, & horrendo mortis genere turpissimam vitam finiuit: ita Nauchlerus in Chronico, generat. trigesima quarta. Apparuit deinde simul cum Ioanne Baptista, & Euangelista Abbati Cyriaco viro sancto, qui grauiter ab ea reprehensus fuit, quòd libros Nestorij, licèt ignoranter, domi suæ seruaret; rogauit enim ille, vt in cellam suam intraret, cui respondit Deipara, Habes intra cellam tuam inimicum Beata Virgo post suum obitū multis apparuit. Nestorius cum suis libris inimicus Mariæ.

meum, & me illud ingredi cupis? & restituto codice sancto Hesychio Presbytero Hierosolymitano, à quo mutuo acceperat, sanitatem, quam perdiderat, recepit; qui ambo libros duos illos Nestorij à toto volumine præcisos flammis vltricibus tradiderunt: ita narratur in Prato spirituali c. 46. Grauiter quoq; punitur hospes ab apparente Maria, quòd blasphemos conuiuas tulisset, vt refert Nicephorus lib. 18. histor. Ecclesiast. c. 33. vbi etiam narratur, compotatores Mariam impiè proscindentes, recta ad Inferos perpetuò excruciandos missos fuisse. Moscus quoq; Euiratus in suo Prato c. 47. refert, Heliopoli, quæ Phœnicis est ciuitas, mimum Gaianum nomine, cum in Theatro sanctam Dei Genitricem blasphemasset, ab apparente Deipara iterum, atque iterum monitum, grauiter punitum fuisse, truncatis manibus, & pedibus ad populare exemplum. Apparuit deinde Sancto Martino, vt refert Sulpitius in eius vita, nec non Gregorio Thaumaturgo, teste Gregorio Nisseno in eius vita, Ioanne Euangelista comite. Item Musæ puellæ, vt scribit Gregorius Magnus lib. 4. Dialogorum c. 17. Cyrillo item Alexandrino, in gratiam cum Chrysostomo illum redire faciens, vt narrat Nicephorus lib. 14. c. 28. Adfuit quoq; Deipara filio cuiusdam Iudæi in medio ignis ardentis ob odiũ fidei Christianæ proiectũ, illum è medio flãmarum eripiens, vt supra diximus, quo miraculo quã plures Iudæi ad fidẽ Christianam cõuersi sunt: ita narrat Gregorius Turonensis in lib. de gloria plurimorũ Martyrum c. 8. & Glycas 4. par. Annalium. Apparuit deinde Ioanni Patricio Romano, & Liberio summo Pontifici, exposcens ab eis, vt in spatio per niuem miraculosè designato, Ecclesiam Romæ in Exquilino monte in suum honorem excitarent: ita Antoninus in 4. p. Summæ tit. 15. quod miraculum vniuerso Orbi, etiam hodie ex se ipso compertissimum est. Petrus Antonius Beuterus in Chron. Hisp. c. 23. narrat apparitionem antiquissimam Virginis adhuc viuentis Iacobo Apostolo in Hispania factam. Apparuit etiam Sancto Siluestro Abbati institutori Congregationis Siluestrinorum, eiq; Eucharistiam proprijs manibus ministrauit, vt narrat Andreas Iacobi Fabrianensis in eius vita lib. 2. c. 17. Fulbertus quoq; ægrotus singularem à Virgine sibi apparente consolationem accepit: ita Vincentius lib. 25. c. 15. in opere Historiali. Architectus Constantinopoli ex Mariæ apparitione didicit, qua ratione in templo Constantiniano columnæ erigendæ essent: ita Gregorius Turon. lib. de gloria plurimorum Martyrum c. 8. & Zonaras lib. 3. Annalium; simile quid legitur apud Metaphrastem in orat. de vita, & exitu Deiparæ de templo Virginis in Blachernis apud Græcos omnium celeberrimo. Postremò Paulus Secundus pestilentia ereptus, ex apparitione Deiparæ in æde Lauretana, summũ Romani sacerdotij fastigium mox se adepturum accepit, atq; ideo statim nouo templo ædem sacram decorare incepit. Ad extremum Sixtus Quintus, dum Lauretana Ecclesia, primo Episcopo extincto, vacaret, ex apparitione Virginis, cui ille deuotissimus erat, successorem elegit, vt viuæ vocis oraculo nobis exposuit. Multa alia recentiora in hac parte dicenda essent, sed illa apud Ioannem Bonifacij, qui Historiam Virginalem eruditè confecit, legenda sunt.

Blasphemi in Maria reijciẽdi

Apparet Maria Sixto Quinto.

TRIGESIMANONA traditio. Deipara colitur in Ecclesia à fidelibus cultu Hyperduliæ tantũ, Damasc. ora. 1. de Natiu. Mariæ, & ora. 2. de Assumpt. & lib. 4. c. 15. Athanas. ser. de sanctiss. Deipara, Anselm. de laudibus Virginis c. 8. August. ser. 35. de Sanctis, Bernard. ser. 1. de Assumpt. Chrysologus ser. 146. S. Tho. & Theol. suis locis. Nullius verò Sanctorum, excepta Virgine, duo dies festi sub præcepto seruantur, vt notauit Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. c. 9. hoc .n. quasi in singulare signum excellentiæ adorationis Hyperduliæ Virgini reseruatum est; imò nullum festum Sanctarum mulierum ex generali præcepto seruatur, nisi Deiparæ, vt ibidem Suarez.

Duos dies festi sub præcepto Mariæ tantum reseruantur.

CVA-

QVADRAGESIMA traditio. Habet Beata Virgo in Cœlis regnans aureolam etiam martyrij, quamuis enim re ipsa martyr non fuerit; tamen martyribus æquipollet ob magnitudinem doloris, quem apud Crucem perpessa est, immò plus quàm martyr dicitur,& verè, quoniam hęc in anima, Martyres verò in corpore passi sunt: ita apud Hieronymum in ser. de Assumpt. Ildephon. ser. 2. Assumpt. Anselmum orat. de laudibus Virginis,& lib. de excellentia Virginis c. 5. Bernard. serm. Signum Magnum, Sabellic. lib. 2. cap. 4. & 9. Canis. lib. 4. Marial. cap. 28. Supplem. Gabriel. 4. S. Thom. in 4. dist. 49. q. 4. art. 3. dub. 2. Viguer. ca. 14. §. 3. Ver. 2. Ephrem orat. ad Virg. Lauren. Iustinian. de Triumphali Christi agon. cap. 21. Ambros. & Bedã in id Lucæ 2. *tuã ipsius animam doloris gladius pertransibit*, & ibi Iansen. Isid. de vit. Sanctorum cap. 68. Beuxam. in harmon. Euang. Dam. lib. 4. cap. 15. Ant. 4. p. tit. 15. cap. 41. §. 1. facit Brigit. lib. 1. reuelat. cap. 10. Lodulph. 2. p. de vita Christi cap. 64. & Suarez quęst. 37. dub. 2. §. 4. At dum Abul. in Matth. 17. quæst. 20. & Soto dist. 49. q. 5. art. 2. negant, fuisse martyrem; intelliguntur eo modo, quo falsò quidam aiunt, finijsse vitam martyrio violento. Adde ꝙ dilectio Dei in martyribus minuebat cruciatum, atq; dolorẽ, minus enim præ vehementia amoris sæpè quæ patiebantur, sentiebant; at in Virgine amor filij augebat compassionis dolorem, nec dilectio minuit passionis vehementiam, sed auxit: ità Gregorius hom. 3. in Euangelia.

Maria quomodo martyr prædicanda.

Amor filij augebat dolorem in Matre.

QVADRAGESIMA PRIMA traditio habet, Mariã rectè depingi cum Angelis, cum aurea corona, & in medio Apostolorum: mos est antiquissimus Christianorum imaginem Deiparæ cum ornatu, & elegantia in tẽplis proponere, vt spectatores cognoscant heram à serua, & matrem, ac dominam à vulgaribus fœminis discant distinguere; illamq; vnam, quæ inter mulieres omnes benedicta floret, ac regnat, specialiter venerandam: constat, imagines B. Virginis S. Lucam pinxisse, quarum meminit Theodorus lector, qui ante mille annos floruit, lib. 1. Collectaneorum, Nicephorus lib. 14. Hist. cap. 2. & Simeon Metaphrastes in vita S. Lucæ, & has non minus congruum est ornare, & benè cultas, & decoratas proponere, quam ipsa templa, quicquid Caluinistæ, & Lutherani, Vuiclephistæ, & Petrobrusiani garriãt. Si enim Dominus voluit apud Hebræos tabernaculum ornatissimum, vt constat Exod. c. 25. 26. 27. & seq. & Num. 7. & 1. Paralipomenon c. vlt. & penult. & lib. 2. c. 3. 4. 5. quomodo ei ingratus erit omnis pretiosus cultus, & illustris ornatus, qui Deiparæ, qui viuum tabernaculum Dei est, in eius imaginibus offeratur? sic Isaiæ 60. vaticinatum fuit, *Gloria libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo*. Gregorius Nyssenus orat. in Theodorum dicit, templum Sancti Theodori magnificentissimum, & ornatissimũ picturis, & sculpturis fuisse: & hoc ad gloriam sancti maximè pertinere. Quòd si Cherubin imagines aureæ super arcam in templo collocatæ iussu Dei esse debebant, Exod. 25. & 3. Reg. 6. quantò magis Deiparę, quæ arca viuens Dei est, imagines, atq; picturæ auro, gemmisq; preciosis adornari conuenit? Certè Tertullianus in lib. de pudicitia ante medium, bis testatur in sacris calicibus Ecclesiæ Catholicæ, qui vt plurimũ aurei, vel argẽtei sunt, Christũ depictum fuisse in forma Pastoris ouem errantem suis humeris reportãtis ad ouile. Damasus quoque in vita Siluestri scribit, Constantinum in loco, vbi fuerat baptizatus, posuisse agnum ex auro purissimo; ad dexteram agni statuam argenteam Saluatoris, ad leuam autem, statuam argenteam S. Io. Baptistæ; in Ecclesia autem ipsa Lateranensi posuisse imagines argenteas Saluatori, Apostolis duodecim, & Angelis quatuor: qua igitur ratione damnari poterit, si imagines Deiparæ, vel argenteæ, vel concinnè ornatæ, & eleganter decoratę proponantur? certè ornatus ille pictoris, vel artificis, principatum, dominium, atque imperium super cæteras crea-

S. Lucas imagines Mariæ depinxit.

Decet Sanctorũ imagines ornare.

creaturas ostēdit;colores etiam exquisitè,& apposité ab artifice suis locis positi, quid aliud referunt,nisi eximias B.Virginis virtutes?S.Basilius in orat.in Sāctū Barlaam in fine, in ipsa concione ostendit imaginem Sancti Barlaam alicubi in templo depictam,& ait,gaudere se, quòd melius pictores expresserint manum eius pro Christo combustam,quàm ipse oratione descripserit. Abeo,inquit,fortium Martyris factorum pictura à vobis superatus. Gaudeo tali vestræ fortitudinis victoria hodie victus. Video manus ad igneā luctam exactius à vobis descriptam;video luctatorem in vestra imagine illustrius depictū. Gregorius Nyssenus orat.in Theodorum,initio.Oblectatur,inquit,dum ædem, vt templū Dei, & magnitudine structurę, & adiecti ornatus decore splēdido elaboratum intuetur,vbi & faber in animalium figuram lignum formauit,& pictor induxit etiam flores artis in imagine depictos,fortia facta Martyris,repugnātias,cruciatus,efferatas,& immanes Tyrannorum formas, impetus violentos, flammeam illam fornacem,beatissimam consummationem Athletę certaminum,præsidis Christi humanæ formæ effigiem; omnia nobis tamquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat,coloribus artificiosè depingens,certamina,atq; labores Martyris nobis expressit, ac tamquam pratum amenum, & floridum templum ornauit; solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui, maximèque prodesse.Hęc ille.Sic etiam pictorum elegans ornatus,& sculptorum proportionata, ac cōgrua rerum elaboratio,immò etiam ministrorum imaginis,vel statuę artificiosa compositio, vestitus,gemmarumque corona apposita, ac vestimentorum splendor,ingentes virtutes in re,quæ repræsentatur,demonstrat,atq; declarat.Quis igitur,nisi inimicus, hoc religiosissimum studium non laudabit in Mariæ imaginibus,vel picturis?Nonnè ars imitari debet naturam? Natura B.Virginis est sanctitas,puritas,modestia,pulchritudo,& summa animi,& corporis venustas;quid igitur vitij erit,hæc omnia repræsentare, quantum fert ars humana in eius statua,vel imagine?Sed quid?Mariam rectè depingi cum Angelis, quis iure negabit,si in mentem reuocet, Virginem à Gabriele summoperè veneratam fuisse,quando præcipuè honorificentissimis verbis illam salutauit?est commune Angelorum studium in obseruanda, & honoranda Maria, obsequia illi quasi æmulando in vita,in morte,immò etiam hodie post mortem, dum in Cœlis regnat,præstare contendunt; cum eorum sit Regina, dicente Propheta Psal.44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate.* Sed iterum scripturis agamus:nonne à Ioanne Apocal. 12.dicitur, mulierem in Cœlo apparuisse,in cuius capite corona stellarum duodecim posita est? coronauit Assuerus Hester in Reginam,nonnè & Christus suam matrem in Angelorum, & hominum,immò & totius mundi dominam, principem, & imperatricem? Decenter igitur Maria non solum cum Angelis astantibus; sed etiam cum aurea corona effingitur: quòd autem pictores Mariam in medio Apostolorum sedentem locent, præsertim dum historiam festi Pentecostes exprimunt, id ea ratione illos agere,sciendum est, ut ei honoratiorem locum concedant, cum eam semper Apostoli tamquam communem matrem,& magistram agnouerint; quid enim est nobilius Dei Matre?quid splendidius ea,quàm splendor elegit,teste Ambrosio lib.2. de Virginibus? Si Virgo est honoratior Cherubin, & superior Seraphin, vt inquit Chrysostomus in lyturgia;si eadem est super omnem creaturam honorata,vt loquitur Damascenus lib.3.cap.12.Qua ratione vitio vertēdum erit,si in medio Apostolorum statuatur? Non me fugit,in Actis Apostolicis vltimam post Apostolos numerari, Act.1.sed quę per humilitatem,cum prima esset, omnium nouissima facta est, meritò deinde prima super omnes alias creaturas constituta declaratur.Narrat S.August.lib.1. de consensu Euangelistarum cap. 10.suo tempore passim inuentas fuisse imagines Christi inter Petrum, & Paulum

lum depictas; quid igitur obstabit, si matris Christi imagines inter eosdem statuantur, cum honor matris ad filium referatur? Quare ex huiusmodi antiquissimis picturis deprehenditur, quantus honor Beatæ Virgini debeatur. Nicephorus lib. 14.c.2.scribit, Pulcheriam Augustam posuisse in templo, quod Constantinopoli ipsa extruxerat, imaginem B.Mariæ, quam à Hierosolymis ad eam miserat Eudocia, summoque honore illam prosequutam fuisse.

QVADRAGESIMA SECVNDA traditio habet, rectè sub titulo, & nomine B.Mariæ societates, congregationes, & religiones institui, & à Papa approbari; sicut enim sub nomine, & titulo Sanctissimæ Trinitatis, vel Spiritus sancti, atque etiam sub nomine Iesù ritè sodalitates, & congregationes religiosæ instituuntur; ita quoque sub nomine B.Mariæ institui nil vetat, vt de facto multæ in Dei Ecclesię erectę, & approbatæ inueniūtur, vt Carmelitanorum, Seruitarum, Fratrum de Mercede, & similiū, qui sub peculiari protectione Deiparæ, Deo, & eius matri inseruiunt, cum & ipsa omnis status religiosi, etiam quoad tria uota substantialia coriphæa fuerit.

QVADRAGESIMA TERTIA traditio habet, B.Virginem in die Iudicij nihil esse passuram. S.Hilarius in Ps. 118. litera *Gimel*, interpretans illa verba Lucæ 2. *& tuam ipsius animam pertransibit gladius*, exponit, gladium hūc esse seueritatem diuini iudicij, quam subitura est Beata Virgo in die Iudicij; cuius uerba sunt hæc. An cū ex omni ocioso uerbo rationē simus præstituri, diem iudicij concupiscimus, in quo nobis est ille indefessus ignis obeundus, in quo subeunda sunt illa grauia expiandæ à peccatis animæ supplicia? Beatæ Mariæ animam gladius pertransiuit, vt reuelentur multorum cordium cogitationes; si enim in Iudicij seueritatem capax illa Dei Virgo vētura est, quis audebit à Deo iudicari? Hęc ille. At verò hæc doctrina nequaquam est recipienda; quamuis.n. B.Virgo ad iudicium ventura sit, atque etiam in illo iudicanda quoad prolationem sententiæ, seu iudicium approbationis, vt vocant, vt ex generalibus testimonijs scripturæ, Matthæi 25. 2.ad Corinth.5.& alijs conuincitur; nihilominus neq; iudicio discussionis, quod in illa locum habere non potest, cum ab omni peccato prorsus expers, & immunis fuerit, subijcietur; nec vlla iudicij seueritate, dolore, vel afflictione erit afficienda, cum plena sit omni gratia super omnes creaturas, & mater ipsius iudicis, & omnium iudicandorum Regina, & domina. Adde, quòd ipsa B.Virgo cum Apostolis duodecim specialem participationem quandam iudiciariæ potestatis consecutura est; si enim id Apostolis conceditur, multò magis Deiparæ, vt optimè concludit Suarez tom.2.in 3. p. S. Tho. disp. 57.sect.4.& 7.lege quoq; Toletum in cap.2.Lucæ, annot.56. Gladius autē ille, qui animam Virginis non sine dolore pertransijt, nec vltimum Christi iudicium, nec ignem illum, quo omnes probandos esse, dicit Apostolus 1. ad Corin. 13.intelligimus; sed ingentes dolores, quos ex filij passione apud Crucem pertulit, vt communiter omnes Patres exponunt.

MVLTÆ aliæ traditiones cōmemorari possēt, sed nobis allatę in hac parte sufficiāt; paucas alias legas apud Henriquez lib. vlt. de fine hominis.c.10.n.7.

EST autem obseruandum cum Abulense in cap.14.Matthæi, q.13.de Beata Virgine in nouo testamento pauca scripta fuisse, multa verò de Ioanne Baptista: licèt enim Deipara fuerit miris virtutibus plena, vt quam Spiritus Sanctus abundè perfuderat; non referuntur tamen de illa ab Euangelistis nisi ea, quæ erant necessaria, vel vtilia ad Christi historiam; sola enim ea, quæ ad Christum pertinent, & quæ pro necessitate factorum Christi scribi oportebat, ab Euangelistis narrata sunt; ipsi enim non de Maria, sed de Christo historiam texebant: vita verò Ioannis non propter eius sanctitatem scripta fuit, sed ad vitam Christi ostendendam, & vt testimonium perhiberet de lumine, Ioannis 1.

CA-

CAPVT QVADRAGESIMVM PRIMVM.

Quænam ex Concilijs de B. Virgine habeantur.

X primo Cōcilio Apostolorum Hierosolymis habito, cuius fit mentio in Actis Apost. cap. 15. Primò illud secundùm nonnullos Doctores refertur, quòd Deipara illi Cōcilio præfuit, quòd tamen nobis non probatur. Illud interim, vt certum alibi posuimus, de materia tractanda in eo Concilio consultam fuisse, & priuatim cōsulentibus Apostolis respondisse, cuius sententiā illi omninò sequuti sūt; fuit igitur Deipara tamquam magistra magistrorum, etiā à primo conuentu Apostolorum consulta. lege Rupertum lib. 1. in Cantica.

SECVNDO habetur ex conuentu illo Apostolorum, in quo Symbolū fidei viua voce, non scriptura aliqua confecerunt, explicitis verbis, Mariam esse matrem Dei ex Spiritu Sancto concipientem, ac Virginem. lege S. Augustinum serm. 2. Dominicæ Palmarum, vbi Symboli partes cuique Apostolo attributas narrat; & Beatum Maximum, & Venantium Fortunatum in expositione eiusdem Symboli.

TERTIO ex Concilio primo Niceno, in quo interfuit B. Athanasius habetur, quòd à 318. Patribus Mariæ maternitas diuina vnanimiter exposita, & acclamata fuit; in hoc Concilio interfuit etiam Constantinus Imperator Magnus, vt ex actis illius Concilij patet.

QVARTO ex Concilio Ephesino habetur, quòd Patres aduersus Nestorium præclarissima condiderunt decreta ad tuendam dignitatem B. Virginis, ac tam multa alia egregia de laudibus Virginis in eo dicta sunt, vt vix aliquid addi posse videatur.

QVINTO ex Concil. Chalced. habemus, quòd 630. Patres contra Eutychen, & Dioscorum miras laudes Virginis ediderunt, lucidius quæ in Ephesina Synodo à ducentis Episcopis decreta fuerant, declarantes, & potissimum ea, quæ Virginitatem Mariæ concernebant.

SEXTO ex quinta Synodo generali habetur, quòd Beatissima Virgo à 165. Episcopis summoperè celebrata fuit, præsertim in Canon. 2. 6. & 14.

SEPTIMO ex sexta Synodo generali habetur, quòd 290. Patres multa ad B. Virginem spectantia decreuerunt, & præsertim in actione 11. vbi dicitur. Ex inuiolabili namq; & virginali sanguine sanctæ, & immaculatæ Virginis Mariæ Verbum verè factū est incarnatum, & veraciter homo, & in vtero virgineo deportatus, & tempus expleuit legitimi puerperij, & per singula naturalia, & peccatum non trahentia nobis omnibus similis factus, nostramque non dedignatus passibilem vilitatem; nascitur Deus humano corpore, similiterq; habitu, animam rationalem, & incorpoream habens, & Virginem generantem conseruat. Theotocon eam propriè, & veraciter demonstrauit.

OCTAVO habetur ex septima Synodo generali, quæ fuit secunda Nicena, quòd Patres 350. in actione prima intemeratam Deiparam appellauerunt.

NONO ex octaua Synodo generali, quæ fuit quarta Constantinopolitana, habetur de B. Virgine honorifica mētio, dum mysterium Incarnationis Dominicæ exactissimè explicatur.

DECIMO ex Concilio Constantiensi, Florētino, atque etiam Basileensi, magnificæ laudes de B. Maria habentur.

VNDECIMO, & vltimò, in Concilio Tridentino magna priuilegia

Deiparæ mirificè proponuntur, & præsertim sess. 6. Canon. 23. & sess. 5. in decreto de peccato originali.

ESSENT postremo loco in hac parte commemoranda ea, quæ à Patribus in eorum scriptis de laudibus B. Virginis cumulatissimè narrantur, sed hoc esset nunquam finire. Legat, qui voluerit, ea, quæ ex illis, varijs in partibus Commentariorum nostrorum super Canticum Virginale, Magnificat, attulimus; & præsertim legendum est caput 25. libri primi, vbi distinctè Patres, qui in singulis seculis floruerunt, & de B. Virgine laudabiliter scripserunt; narrantur.

NEC solum liber scripturæ Mariæ excellentias prædicat, sed etiã liber creaturæ, de quo Paulus ad Rom. 1. dixit, *inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Enarrant profectò Cœli gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum; Cœlum, inquit Euthymius, istud tantum, quod videtur, sufficiens est, atque idoneus doctor ad demonstrandam factoris sui magnificentiam; quam, & gloriam Dei, & opera manuum eius appellauit. Verùm addamus nos non solum Dei, & Christi magnificentiam declarare, sed etiam Matris Dei virtutes, & prærogatiuas cumulatissimè demonstrare; est enim illa post Christum omnium creaturarum finis, & Domina; atq; ex hoc mundo elementari, immò etiam Angelico, ex mixtis deinde, ex mineralibus, ex gemmis, ex ipsis deniq; meteorologicis, eorumq; qualitatibus multæ eximiæ Virginis proprietates declarantur, vt concionatoribus notissimum est. Sed quid? ipsamet Virgo liber grandis ab Isaia dicitur cap. 8. quod in ea diuinitatis caracteres, vmbræ, & lineamenta, vt dixit Athanasius in serm. de Sanctissima Deipara, impressa sint, immò à Damasceno orat. de dormitione Mariæ, liber nouus dicitur, in quo inenarrabili modo Deus Verbum citra omnem manus operam inscriptus est. Quæ autem à scripturis, à Doctoribus, à Concilijs egregiè de Maria dicta sunt, ea, & plura alia Deipara in se ipsa tamquam in compendio, & Breuiario quodam cœlesti absolutissimè continet, adeo, vt verum sit dicere, Dominus narrabit in scripturis populorum, & Principum horum, qui fuerunt in ea.

CAPVT QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

In quo exponitur vltimus versus, Sicut lętantium omnium habitatio est in te.

IN hoc postremo versu significat Propheta duplicem lætitiam, ac pacem, quam fideles in Ecclesia Catholica habitantes consequuntur; alteram in hac vita, pacem nempè cordis, quam illis Deus tribuit, nec mundus dare, nec auferre potest: alteram in futura, quæ superat omnem sensum, & intelligentias nostras, hoc est huius sæculi. D. Hieronymus in Comment. quærit, cur Propheta dixerit; *Sicut lætantium*, cum potuisset dicere, Lætantium omnium habitatio est in te, & respondet, in hoc sæculo neq; perfectam pacem, neq; perfectam consolationem esse, quod etiam innuit Propheta in alio Psalmo 105. *Facti sumus sicut consolati*, & Dominus Matth. 15. *Beati, qui flent, quoniam ipsi ridebũt*. Lætitia enim nostra, hoc est, huius sęculi, nõ est certa lætitia, sed quasi lætitia est. Quærit iterum, cur dicat, *habitatio est in te*; vt hæreticos vtique reprehendat, qui ab Ecclesia Catholica discesserunt, nec in ea habitant; videte, inquit quid dicat, vt aliquis nunquam recedat ab Ecclesia. Perbellè D. Augustinus legit; tamquam iucundatorum habitatio omnium in te; hoc, inquit, facit, qui erigit de terra inopem, & de stercore exaltat pauperem: Vt quid erigit? Vt collocet eum cum prin-

principibus, cum principibus populi sui. Magna res, magnum gaudium, magna lætitia. Et paulò post. Tamquam iucundatorum habitatio omnium iucundatorum in hac Ciuitate, in peregrinatione ista conterimur. Habitatio nostra, iucunditas sola. Peribit labor, & gemitus, transeunt orationes, & succedunt laudationes. Ibi ergo habitatio iucundatorum, non erit gemitus desiderantium, sed lætitia perfruentium. Et infra; habitabimur, & habitabimus iuxtà illud Psal. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine.

EVTHYMIVS ita legit; Quàm lætantium omnium habitatio est in te. Dictio, quam, in modum confirmantis est posita. Verè, inquit, ò Sion in te est habitatio omnium spiritualiter lætantium. Dictio autem, omnium, tametsi vniuersalem sermonem reddit, apud hebræos tamen frequentissimè ità ponitur, vt non tam vniuersos, quàm multos significet.

B. Hieronymus in Psalt. ex hebræo conuerso sic eleganter transtulit; & cantabunt quasi in choris omnes fortes mei in te: illud autem, fortes, vt rectè Titelmãnus animaduertit, videtur deprauatum, nec legendum esse, fortes, sed fontes. Verbum enim hebraicum, quod hic ponitur, significat scaturigines, aut etiã interdum modulationes è pectoris alacritate velut scaturientes.

QVOD si ad Virginem (vt par est) hæc postrema verba dirigamus, vtiq; cognoscemus, ea ad maximam Beatissimæ Virginis laudem spectare; adeò enim pulchra, & Deo chara fuit, vt omnes gratiarum fontes, immò ipsa etiam Dei viscera in eam per amorem transfusa fuisse videantur. Lectio autem illa secundum hebraicam veritatem; cantores quasi in choris, mirificam quandam Virginis laudem indicat, dum virtutes omnes in ea tanta consensione, ac coniunctione connexas esse ostendit, vt sine vlla perturbatione, vel dissonantia suauissimo concentu, & exultatione perpetuas laudes, quasi per Choros distributas Deo concelebrent, hæc enim verba; *Sicut lætantium, &c.* Ecclesia de B. Virgine intelligit, subdẽs, Sancta Dei genitrix. & pulchrè: *quid enim videbis,* inquit Salomon Canticorũ 7. *In Sulamite, nisi choros castrorum?* quid verò choris cum castris, nisi quia virtutes, quæ in alijs Sanctis propter pugnam semper erant in acie expeditæ, in Virgine propter securitatem castra in choros vertentes, summopere lætabantur in via, & magis, ac magis lætantur in patria.

CAPVT QVADRAGESIMVM TERTIVM.

In quo tractatur dubium. An in Cœlo lætantes habitent in adiutorio B. Virginis, & quomodo in eius protectione commorentur.

ET est quærere; quam lætitiam, quale gaudium, quæ bona hauriant beati in Cœlo a Deipara; nec hic loquimur de Angelis, de quibus superius actum est, sed de hominibus beatis, & quantum ad animam, & quantum ad corpus. D. Bonauentura in speculo Mariæ, cap. 8. egregia de Beatissima Virgine scribit, quæ etiam ad rem propositam declarandam mirificè iuuant. Quia Dominus, inquit, potentissimè tecum est, ideo & tu es potentissima secum, potentissima es per ipsum, potentissima apud ipsum, ità vt verè dicere possis illud Ecclesiastici 24. *In Hyerusalem,* hoc est in Cœlo, *potestas mea;* & re vera si in terris ergà mortales potentissima fuit, cur non etiam in Cœlo ergà beatas, æternas, & immortales animas? & accomodans illud Ruth. 3. *Benedicta es à Domino filia, quæ priorem misericordiam, posteriori superasti;* Magna, inquit, ergà

ergà miseros fuit misericordia Mariæ adhuc exultantis in mundo, sed multò maior ergà miseros est misericordia eius iàm regnantis in Cœlo. Vnde pro splendore prioris misericordiæ fuit pulchra, vt Luna; pro splendore posterioris misericordiæ est electa, vt Sol. Nam quemadmodum Sol Lunam superat magnitudine splendoris, sic priorem Mariæ misericordiam superat magnitudo posterioris. Addamus nos, misericordiam, ac benignitatem Mariæ erga iam triumphantes in Cœlo & hanc, & illam superare, cum in Cœlis apud filium existat terribilis, vt castrorum acies ordinata; *Equitatui enim meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea*, inquit Salomon Canticorum 1. vtique in Cœlis, vbi cum triumphantibus Deipara triumphat, & eorum omnium, qui palmam victoriæ gestant antesignana effecta, tamquam pulcherrima inter mulieres, hoc est, inter cæterorum hominum animas, gloriosissimo, maximoq; splendore emicat. Adest Regina in accubitu suo; nunquid nardus diuinitatis, Deipara nempè, odorem suauissimæ misericordiæ suæ non dabit? Quis inquit Bernardus, misericordiæ tuæ, ò benedicta, longitudinem, & latitudinem, & sublimitatem, & profundum queat inuestigare? longitudinem sanè ergà mortales, dum viatrix esset; latitudinem circa eosdem, dum est in patria assumpta; sublimitatem erga eos, qui laborant in purgatorio; profundum verò erga eos, qui simul cum ea regnant in Cœlo. Quocirca rectè D. Bernardus serm. 98. inquit: De tua plenitudine ò Beata Virgo, accipiunt vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam, deniq; filij persona carnis humanæ substantiam, vt non sit, qui se abscondat à calore eius. At etiam iustos in gloria ab ea lętitiam non minus, quàm Angelos, & exultationem accipere affirmandum est. Sed plura Mariam influere in homines beatos, quàm in Angelos, ostendendum est, cum magis illis, quàm istis affinis sit; quod egregiè D. Bonauentura in eodem libro cap. 12. explanat, tractans illa Gabrielis verba; *Benedicta tu in mulieribus*, benedicta inquam, propter plenitudinem gratiæ in te venerandæ, benedicta propter multitudinem misericordiæ per te præstandæ, benedicta propter celsitudinem personæ ex te incarnandæ, benedicta propter magnitudinem gloriæ super te cumulandæ. Et post multa quærens, quomodo verè sit benedicta Maria propter magnitudinem glorię suę, respondens, accommodat illi verba Ezechielis 3. *Benedicta gloria Domini de loco suo*. Gloria, inquit, Domini est Gloriosa Mater Domini; quæ verè benedicta est propter gloriam, quam habet de duplici loco suo. Benedicta inquā de loco, quo filius eius apud ipsā requieuit in vtero. Benedicta est de loco, in quo ipsa apud filium requiescit in Cęlo. Vterq; enim locus dignissimus est, ex D. Bernardo, nec in mundo dignior locus reperitur Virginalis vteri thalamo, in quo filium Dei Maria suscepit; nec in Cœlis regali solio, quo Mariam filius eius sublimauit. Benedicta igitur est Maria propter gloriam suam sublimissimam dignitate, copiosissimam immensitate, stabilissimam perpetuitate, cui rei illud Psal. 64. applicās; *benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, ingeniosè animaduertit, quòd triplex annus in scripturis reperitur, æquanimitatis, seueritatis, & benignitatis. Primus est annus exultantium in mundo, habetq; dies, ac noctes, hoc est, bonos, & malos, qui simul in hoc mundo sunt. Secundus est annus eiulantium in inferno, & hic habet solas noctes, idest, solos peccatores, noctibus obscuriores, & tot noctes in hoc anno reperiuntur, quot sunt peccatores in inferno. Tertius annus habet solos dies, hoc est, solos bonos, diè clariores, & tot sunt dies in eo, quot sunt iusti in Cœlo: In primo boni, & mali æquanimiter tolerantur: In secundo mali seuerissimè cruciantur: In tertio boni benignissimè coronantur, cuius benignitatis anni corona est benedicta Maria Virgo. Ipsa inquit, certè est corona omnium dierum huius anni, quia ipsa est corona omniū sanctorum Cęli, corona enim super caput poni solet; sic Maria quasi super capita omnium sanctorum locata est,

Cant. 1.

D. Bernardus.

Magis influit Maria in homines beatos, quā in Angelos. D. Bonau.

Psal. 64.

Triplex annus in scripturis optimè Mariæ accōmodatur ex D. Bernardo.

P. sicut

sicut testatur B. Hieronymus, dicens; Exaltari meruit super choros Angelorum,& peruenit vltra,quam nostræ humilitatis est natura. Filius certè Mariæ est summa sanctorum corona: Maria verò corona sub corona. Atq; ità in omnes beatos influit gaudium,& exultationem de beatitudinis corona, & præmio accepto ob merita sui filij,eiusq; intercessionem iuxta illud Prouerb. 31. De fructu manuum suarum plantauit vineam,non solum Ecclesiæ militãtis, sed etiam triumphantis,iuxtà illud Bernardi: Angelicarum generationum numerus per filium à me genitum reintegratus est, & hominum generatio per Adam maledicta,per benedictum fructum ventris mei ad æternam beatitudinem regenerata est, & quemadmodũ lignum vitæ ad cõseruandam vitam naturalem in terrestri Paradiso collocatum fuit;sic Christus,& Deipara ad conseruandã vitam æternalem in cęlesti Paradiso: sunt autem duodecim fructus huius diuini ligni, vt dicitur Apocal.22. cuius duodecimus est,vt placet D.Bonauenturæ,& B.Anselmo, gloriam æternam fouere,ac conseruare; recipiunt quoq; animæ iustorum à Deipara in Cœlo multas illuminationes, ac reuelationes, multaq; alia cęlestia dona,quæ humanum superant intellectum.

Quid corpus Deiparæ in corpora Beatorum influat.

VERVM quid caro gloriosa Deiparæ,seu eius corpus influat, & influet in corpore iam beato,vel beatificando,facile est explicare; vestitus enim deauratus Deiparæ, quo circundata ad dexteram filij astat, teste Psalm. 44. summum splendorem, ac fulgorem, quo corpus Deiparæ beatum refertum est,significat, vt communiter Doctores exponunt super eundem Psal.Hunc beatorũ oculi corporei intuentes congratulantur Virgini, & vehementius,quàm Petrus, dicunt; *bonum est nos hic esse*, omnemque gloriam, & honorem,quem à Christo receperunt,diuinamq; adoptionem, & filiationem, ac familiaritatem Diuinæ Virgini post Christum acceptam referunt, iuxtà illud ad Ephesios 1. *Cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo,& conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu*: Suppeditat quoque corpus Deiparæ beatis memoriam laborum,quos pro generis humani salute sustinuit,dum viueret,ob quos ingentes gratias ei referunt, iuxta illud Canticor. 1. *Introduxit me Rex in cellaria sua, exultabimus,& lætabimur in te,memores vberum tuorum*. Duæ erant columnæ ante porticum Templi collocatæ, quæ summam pulchritudinem & insigne ornamentum ei afferebant. 3. Reg. 7. & 2. Paral. 3. & 4. ità in Ecclesia triumphante Christus,& Maria,vt exponit Beda in cap. 3. Apocal. Quòd si de quolibet sancto in Cœlo commorante verificatur illud; *faciam illum columnam in templo Dei mei*, quantò magis de Deipara,quæ sicut in statu viæ fuit columna firmissima per fidem,recta per æquitatem, erecta per intentionem, sublimis per contemplationem,& prætereà alios sustentans verbo consolationis,suffragio orationis,exemplo actionis,vt inquit Riccardus de S.Victore: sic etiam in statu gloriæ est columna firmissima, triumphantem Ecclesiam condecorans, & multitudinem electorum suo splendore, eminentia,& proceritate lætificans; est Deipara in Cœlo tamquam vexillum,& monumentum gloriæ Christi; est omnium prædestinatorum habitatio, quoniam,vt rectè ait Ansbertus, multitudo electorum cum Christo in vtero Virginis prædestinata descendit,iuxtà illud Apocal. 3. *scribam super eum nomen Ciuitatis Dei mei, Hierusalem noua, quæ descēdit de Cœlis*;& ab eodem vtero exaltata ad Cœlum Deipara, originaliter dependet. Est.n. Virgo,ob Christum filium eiusq; merita fons,& origo gratiæ, & gloriæ vel certè Christi, qui etiam vt homo gratiam,& gloriam prædestinatis concedit, ità vt rectè acclamandum sit: Lætantiũ omnium nostrum habitatio est in te sancta Dei genitrix. Tu enim es aula,& atrium Deitatis, tu es cęleste viridarium, ac Paradisus supernus in quo Deus ipse, nec non omnes Beati iucundissimè spatiantur.

CA-

CAPVT QVADRAGESIMVM QVARTVM.

In quo ponitur epilogus eorum, quæ dicta sunt.

SEPTEM igitur dignitates Ecclesiæ Christianæ, atque Catholicæ in hoc Psalmo describuntur.

PRIMA est, quod nõ est fundata super lapides mortuos, hoc est, super Idololatriam, & inanem cultum falsorum Deorum; sed supra montes sanctos, nimirum viuum, & verum Deum trinum, & vnum, nec non super alios viros sanctos, ac viuida fide, & charitate præditos.

SECVNDA, quod Christus plus diligit Ciuitatem istam, quàm veterem Synagogam, cum illam sibi desponsauerit.

TERTIA, quod omnes Patriarchæ, Prophetæ, Euangelistæ, nec nõ alij scriptores tam prophani, quam sacri præclara, ac gloriosa dixerint, ac scripserint de hac Ciuitate.

QVARTA, quod hæc Ciuitas omnes mundi nationes recipit, atque complectitur.

QVINTA, quod fundator huius Ciuitatis est Deus ipse altissimus, quiq; in ea natus est, Dei filius ciuis eius est ratione humanitatis.

SEXTA, quod in hac Ciuitate promulgatum, & nunciatum fuerit Euangelium per Principes quosdam simplices, hoc est, Apostolos, per quos totus mundus fidem recepit.

SEPTIMA, quod finis huius Ciuitatis est summa fęlicitas, & habitatio illorum omnium, qui in cęlesti gloria sine vlla tristitia, perpetuò in Dei visione lætantur, ac proinde est hæc Ciuitas via, & tamquam medium ordinatur ad illam.

EX his sequitur, inanem, & omninò falsam esse spem Iudæorum, qui post primum, & secundum templum, tertium templum expectant, esse ædificandum, cum à Deo reprehendantur Hieremię 7. in illis verbis: *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, templum Domini, templum Domini, templum Domini est*: fuit quidem per Salomonem ædificatum primum Domini templum, & secuncundum reędificatũ per Zorobabel, & Aggęum, & Zacchariam, & Malachiam, nusquam verò tertium reędificabitur, vt hebręi inaniter expectant.

SEQVITVR secũdò, falsam, & omnino despiciendam esse alteram eorũdem Iudæorum sententiam, qui terrenam quandam Ciuitatem per Messiam in Monte Sion constituendam expectant: nec enim hæc Ciuitas Dei esse potest, cum conditiones, quas hic Propheta describit, nequeat obtinere, in arcto enim, & angusto loco huiusmodi ciuitas situata est, nec comprehendere potest omnes populos Aethiopum, Scytharum, Babyloniorum, & omnium nationum, & linguarum, nec potest esse habitatio omnium lætantium, &c.

SEQVITVR tertiò, hęreticos omninò falli, ac decipi, qui extra Catholicam Ecclesiam versantes, & diuagantes, diabolicam quandam ciuitatem in imis inferorum partibus fundatam, ac super arenam effluentem ædificant, cui nullatenus conditiones, ac proprietates Ciuitatis Dei competunt, sed contrariæ.

CAPVT QVADRAGESIMVM QVINTVM.

Peroratio Auctoris ad Virginem ex Psalterio Virginali D. Bonauenturæ ferè collecta.

FVNDAMENTA gratię,& gloriæ in anima iusti sũt diligere Christum,& Mariam eius Matrem, in eaq; dilectione vsq; in finem Deo dante fortiter perseuerare.

FVNDAMENTA ęternæ vitę in anima iusti, sũt cũ omni puritate, ac sanctitate gloriosa scribere, & canere de Maria iuxtà illud: Qui elucidant me, vitã æternam habebunt.

FVNDAMENTVM firmũ æternæ salutis est habitare in adiutorio Matris Dei, & in protectione ipsius cõmorari.

ANNVNCIARE merita eius lætificat intellectum,& imitatio operum eius exhilarat Angelorum choros, qui quærit gratiã eius, agnoscetur à Ciuibus sanctorum,& domesticis Dei,& qui habuerit characterem nominis eius, annotabitur in libro vitæ. Distillatio dulcoris tui, ò Virgo beatissima, oblectat animas Sãctorum,& infusio charitatis tuæ super mel dulcissimum. Irradiatio gloriæ tuæ dilucidat intellectum,& lux miserationum tuarum perducit ad salutem. Fons bonitatis tuæ inebriat sitientes,& aspectus faciei tuæ retrahit a peccato. Scire,& cognoscere te, est radix immortalitatis,& enarrare virtutes tuas est via salutis.

O DOMINA, illuminatio mea sit splendor faciei tuæ,& serenitas gratię tuæ refulgeat menti meæ. Exalta caput meum,& ego psallam, psalmum nomini tuo decantabo. Ne auertas faciem tuam à me, quia speciem, & decorem tuum à iuuentute mea concupiui, Te amaui,& exquisiui, Regina Cœlorum, misericordiam tuam,& gratiam tuam ne subtrahas à seruo tuo. Confitebor tibi in nationibus,& thronum gloriæ tuæ honorificabo. Tu mater omnium beatorũ, gaudium plenum post Deum, omnium supernorũ ciuium solatiũ, Te decet hymnus, Domina nostra in Sion, laus,& iubilatio in Hierusalẽ. Benedictionem omniũ gentium dedit tibi Dominus, laudẽ,& gloriam ante conspectũ populorũ. Benedixit te Dominus in misericordia sua,& Thronũ tuum constituit super ordines Angelorum. Gratiã,& decorẽ posuit in labijs tuis,& pallio gloriæ induit corpus tuũ; coronam radiantem posuit in capite tuo,& virtutũ monilibus te decenter ornauit. O vos filij hominũ si verè vtiq; iustitiã loquimini, iustitiæ,& misericordiæ honorate Reginã. Ad laudem.n.& gloriam pertinet Saluatoris, quicquid honorificum suæ impensum fuerit genitrici. Rosę martyrũ te circundãt ò Regina,& lilia virginũ ambiunt thronum tuũ: laudate eam simul astra matutina, concentũ illi facite omnes filij Dei, Glorificate eam Cęli,& terra, mare,& flumina, ac fundamẽta orbis; laudate eam omnes gentes, glorificate illã omnes populi, quoniã confirmata est sup nos misericordia eius, & benignitas illius permanet in æternũ. Labia Angelorũ enarrant sapientiã eius,& omnes ciues cęlici canunt laudẽ eius, qui elucidãt eam, vitam æternã habebunt. Labia.n. iusti erudiunt plurimos, qui autẽ indocti sunt, in cordis egestate morientur, qui vero abscondunt frumenta, maledicẽtur in populis; benedictio autẽ super caput vẽdentiũ maledicti, qui vel vnum talentum accipiunt,& ex malitia, seu torpore terram fodientes, abscondunt pecuniã, & dona Domini sui; benedicti verò qui non solum vnũ, sed etiã duo, vel quinq; talenta accipiunt,& operantes in eis, alia duo, vel quinq; lucrantur, omni .n. habenti dabitur,& abundabit; ei .n. qui non habet,& quod videtur habere, auferetur ab eo, Matth. 25. Seruus.n. inutilis, & piger in tenebras exteriores, vbi erit fletus,& stridor dentium, eijciendus erit. O Domina, ò Regina, fateor, nonnulla talenta tradidisti mihi, vtinam alia,& alia superlucratus sim, vt in extremo vitę meæ iucundissimam illam vocem filij tui audire valeam. Euge serue bone,& fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Amen.

FINIS.

IN EVNDEM

PSALMVM LXXXVI.

DISPVTATIONES TRES.

DE ORIGINE, DISCRIMINE, ET VSV IVRISDICTIONIS SPIRITVALIS, ET TEMPORALIS.

AVCTORE EODEM RVTILIO BENZONIO Romano Episcopo Lauretano, & Recanatensi.

PRAEFATIO.

FVNDAMENTA EIVS IN MONTIBVS SANCTIS.



MINENTISSIMVM montium situm etiam in sacris litteris potestatem Iurisdictionis non solùm spiritualis, sed etiam temporalis congruè significare, alibi à Nobis copiosissimè demonstratum est. Sicut enim Mons altitudine ceteras terræ partes excellit (est namq; mons terræ tumor altissimus, & quasi ab eminendo mons dicitur) ita Iurisdictio inter alios præeminere facit, & per illam quis in gradu superioritatis constituitur; ita ut supra se non habeat superiorem, vel æqualem, vt dicit D.Thom. in 4. dist. 18. q. 2. art. 3. q. 1. & alibi. Quocirca rectè Ezech. 18. iuxta hebraicam lectionem, excelsa montes dicuntur; vt etiam Michææ 1. *Et calcabit super excelsa terræ.* Et Amos 4. *Gradiens super excelsa terræ.* Vbi ad literam (vt D.Hieronymo placet) per excelsa terræ, Principes, & sublimiores Potestates intelliguntur; Et Zachariæ 6. *Ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, & montes, montes ænei.* Vbi etiam lege eundem Hieronymum: & Apoc. 17. Montes septem, septem Regna, Iurisdictionesq; etiam secundum sensum literalem interpretatur Rupertus, Aymo, & alij in eundem locum. Et Isaiæ 41. *Ego posui te, quasi plaustrum triturans, triturabis montes, & comminues, & colles quasi puluerem pones, ventilabis eos, & ventus eos tollet.* Quæ verba etiam de Principū potestate accipienda sunt, Chaldæus enim habet: *Consumet Regna.* Atq; huiusmodi mōtis significatio indicatur, 2.Cor. 10. *Destruentes omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiã Dei.*

Cur montiū nomine iurisdictio significetur.

CAPVT QVADRAGESIMVM QVINTVM.

Peroratio Auctoris ad Virginem ex Psalterio Virginali D. Bonauenturæ ferè collecta.



VNDAMENTA gratiæ,& gloriæ in anima iusti sunt diligere Christum,& Mariam eius Matrem,in eaq; dilectione vsq; in finem Deo dante fortiter perseuerare.

FVNDAMENTA æternæ vitæ in anima iusti,sunt eā omni puritate,ac sanctitate gloriosa scribere, & canere de Maria iuxtà illud;Qui elucidant me, vitā æternam habebunt.

FVNDAMENTVM firmū æternæ salutis est habitare in adiutorio Matris Dei, & in protectione ipsius cōmorari.

ANNVNCIARE merita eius lætificat intellectum,& imitatio operum eius exhilarat Angelorum choros,qui quærit gratiā eius, agnoscetur à Ciuibus sanctorum,& domesticis Dei,& qui habuerit characterem nominis eius,annotabitur in libro vitæ.Distillatio dulcoris tui, ò Virgo beatissima, oblectat animas Sāctorum,& infusio charitatis tuæ super mel dulcissimum. Irradiatio gloriæ tuæ dilucidat intellectum,& lux miserationum tuarum perducit ad salutem.Fons bonitatis tuæ inebriat sitientes,& aspectus faciei tuæ retrahit a peccato.Scire,& cognoscere te,est radix immortalitatis,& enarrare virtutes tuas est via salutis.

O DOMINA, illuminatio mea sit splendor faciei tuæ,& serenitas gratiæ tuæ refulgeat menti meæ,Exalta caput meum,& ego psallam, psalmum nomini tuo decantabo.Ne auertas faciem tuam à me, quia speciem, & decorem tuum à iuuentute mea concupiui, Te amaui,& exquisiui, Regina Cœlorum,misericordiam tuam,& gratiam tuam ne subtrahas à seruo tuo.Confitebor tibi in nationibus,& thronum gloriæ tuæ honorificabo. Tu mater omnium beatorū,gaudium plenum post Deum,omnium supernorū ciuium solatiū,Te decet hymnus,Domina nostra in Sion,laus,& iubilatio in Hierusalē. Benedictionem omniū gentium dedit tibi Dominus,laudē,& gloriam ante conspectū populorū.Benedixit te Dominus in misericordia sua,& Thronū tuum constituit super ordines Angelorum. Gratiā,& decorē posuit in labijs tuis,& pallio gloriæ induit corpus tuū;coronam radiantem posuit in capite tuo,& virtutū monilibus te decenter ornauit. O vos filij hominū si verè vtiq; iustitiā loquimini,iustitiæ,& misericordiæ honorate Reginā,Ad laudem.n.& gloriam pertinet Saluatoris,quicquid honorificum suæ impensum fuerit genitrici. Rosę martyrū te circundāt ò Regina,& lilia virginū ambiunt thronum tuū:laudate eam simul astra matutina,concentū illi facite omnes filij Dei, Glorificate eam Cęli,& terra,mare,& flumina,ac fundamēta orbis;laudate eam omnes gentes,glorificate illā omnes populi,quoniā confirmata est sup nos misericordia eius, & benignitas illius permanet in æternū.Labia Angelorū enarrant sapientiā eius,& omnes ciues cęlici canunt laudē eius, qui elucidāt eam,vitam æternā habebunt, Labia.n.iusti erudiunt plurimos, qui autē indocti sunt, in cordis egestate morientur, qui vero abscondunt frumenta,maledicētur in populis; benedictio autē super caput vēdentiū.maledicti,qui vel vnum talentum accipiunt,& ex malitia,seu torpore terram fodientes, abscondunt pecuniā, & dona Domini sui; benedicti verò qui non solum vnū,sed etiā duo,vel quinq; talenta accipiunt,& operantes in eis,alia duo,vel quinq; lucrantur,omni .n. habenti dabitur,& abundabit;ei.n. qui non habet,& quod videtur habere, auferetur ab eo, Matth. 25, Seruus.n. inutilis, & piger in tenebras exteriores,vbi erit fletus,& stridor dentium,eijciendus erit. O Domina,ò Regina, fateor,nonnulla talenta tradidisti mihi, vtinam alia,& alia superlucratus sim,vt in extremo vitę meæ iucundissimam illam vocem filij tui audire valeam. Euge serue bone,&fidelis,quia super pauca fuisti fidelis,supra multa te constituam,intra in gaudium Domini tui. Amen.

FINIS.

IN EVNDEM

PSALMVM LXXXVI

DISPVTATIONES TRES.

DE ORIGINE, DISCRIMINE, ET VSV IVRISDICTIONIS SPIRITVALIS, ET TEMPORALIS.

AVCTORE EODEM RVTILIO BENZONIO
Romano Episcopo Lauretano, & Recanatensi.

PRAEFATIO.

FVNDAMENTA EIVS IN MONTIBVS SANCTIS.



MINENTISSIMVM montium situm etiam in sacris litteris potestatem Iurisdictionis non solùm spiritualis, sed etiam temporalis congruè significare, alibi à Nobis copiosissimè demonstratum est. Sicut enim Mons altitudine cęteras terræ partes excellit (est namq; mons terræ tumor altissimus, & quasi ab eminendo mons dicitur) ita Iurisdictio inter alios præeminere facit, & per illam quis in gradu superioritatis constituitur; ita ut supra se non habeat superiorem, vel æqualem, vt dicit D. Thom. in 4. dist. 18. q. 2. art. 3. q. 1. & alibi. Quocirca rectè Ezech. 18. iuxta hebraicam lectionem, excelsa montes dicuntur; vt etiam Michęæ 1. *Et calcabit super excelsa terræ.* Et Amos 4. *Gradiens super excelsa terræ.* Vbi ad literam (vt D. Hieronymo placet) per excelsa terræ, Principes, & sublimiores Potestates intelliguntur; Et Zachariæ 6. *Ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, & montes, montes ænei.* Vbi etiam lege eundem Hieronymum: & Apoc. 17. Montes septem, septem Regna, Iurisdictionesq; etiam secundum sensum literalem interpretatur Rupertus, Aymo, & alij in eundem locum. Et Isaiæ 41. *Ego posui te, quasi plaustrum triturans, triturabis montes, & comminues, & colles quasi puluerem pones, ventilabis eos, & ventus eos tollet.* Quæ verba etiam de Principū potestate accipienda sunt, Chaldæus enim habet: *Consumet Regna.* Atq; huiusmodi mōtis significatio indicatur, 2. Cor. 10. *Destruentes omnem altitudinem extollentem se aduersus scientia Dei.*

Cur montiū nomine iurisdictio significetur.

Vbi per altitudinem Apostolus omnem potestatem siue iurisdictionis, siue doctrinæ, ac sapientiæ aduersus Deum elatæ intelligit. Est autem congrua proportio, & analogia inter eminentiam montium, & celsitudinē Iurisdictionis præcipuè ecclesiasticæ. Quemadmodum .n. in Montibus Deus præbet speciem suæ potentiæ; sic Ecclesia in suis iurisdictionibus quanta, & qualis sit ostenditur. In montibus mirabilis maiestas, atq; potestas authoris naturæ cernitur; splendor verò, & virtus Ecclesiæ eximia in facultatibus supernaturalibus à Christo illi donatis effulget. Sunt montes quasi columnæ Cœli, Iob. 26. sic iurisdictiones, & auctoritates Ecclesiasticæ Christianæ Reipublicæ validissima fulcimenta. Fumigant montes, dum à Deo igne cœlesti, aut iaculato fulmine tanguntur; ita Ecclesiasticæ iurisdictiones, dum suprema auctoritate in impios exercentur. Commouentur montes, & conturbantur, dum Deus per illos suam iram in homines ostendit; sic quoque dùm Ecclesia censuras profert in hostes, atque rebelles, phialas suæ iræ in terras effundit, quò mortales terreantur, commoueantur, & resipiscant; & quemadmodum, dùm lex in Monte Synai ferebatur, montes in modum ceræ liquescentis, & diffluentis ob ignis præsentiam e cęlo demissi, diffluere, atque liquescere videbantur; ita dùm Christi Ecclesia profert in delinquentes sententias censurarum, excommunicationis, suspensionis, & interdicti, omnis eius auctoritas, atque potestas ardere, ac fluere per ignis vorantis impetum videtur, ad instar ceræ, quæ igni admota liquescit; adeo vt omnes terræ habitatores, si Deum, vt par est, timeant, commoueri, ac contremiscere necesse sit. Habuit Synagoga æreos Montes, Zachar. 6. Eosdem habet & Ecclesia Christi, hoc est, insuperabiles, & fortissimas iurisdictiones in verbo Christi fundatas. Montes priscis temporibus sacri omnes habebantur, eorumq; cacumina Deo dicata censebantur, iuxta illud Psal. 94. *Quoniam in manu eius sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipsius sunt.* Sic omnis Ecclesiastica iurisdictio non ab hominibus, neque per homines, sed tanquam verè à Christo Deo, & homine emanans religioso cultu, pijssimaque obedientia colenda, & veneranda est. Et quemadmodum montes, & colles antiquitatis, & diuturnitatis, ac longissimi, & antiquissimi temporis sunt symbolum, Prouerb. 8. Habacuc. 3. Sic etiam omnem Ecclesiasticam iurisdictionem non nouam, vel recentem; sed antiquam, atq; ipsi Christo Ecclesiæ institutori coęuam esse, catholicè confitendum est.

Auctores, qui de iurisdictione tractant.

HVIVS rei argumentum prosequuntur, licèt non plenè, hi auctores; Diuus Thomas 1. part. quæst. 96. Et opusc. 20. lib. 3. cap. 9. & in 2. dist. 44. quæst. 1. art. 3. Ioannes Gerson part. 1. de origine iuris, & legum, consid. 13. Ioannes Capistranus de Papæ, & Concilij, siue Ecclesię auctoritate, Alphonsus Aluarez de iure, ac potestate Roman. Pontif. Imperat. Reg. ac Episcop. Antonius Pagani de ordine, Iurisdictione, & residentia Episcoporum, & de iurisdictione Ciuili, Franciscus Vargas in responso de Episcoporum iurisdictione, & de Pontif. Max. Auctoritate, Fridericus Martinus disputat. de iurisdictione Sæcularium Iudicum, Ioannes Gillottus de iurisdictione, & Imperio, Ioannes Longouallius in tract. de iurisdictione, Valentinus Forsterius de iurisdict. Roman. primordio Vrbis, &c. Durand. de origine Iurisdict. Cardinalis Caietanus in opusc. de institut. Roman. Pontif. & Petrus Bertrandus de origine, & vsu iurisdictionum, siue de spirituali, & temporali potestate, qui tractatus habetur tom. 4. Bibliothecæ Sanctæ, Augustinus de Ancona lib. de potest. Ecclesiæ, Sanderus de visibili monarchia, Cardinalis Bellarminus lib. de Roman. Pontif. de laicis, & alijs in locis, Victoria relect. de potest. Ecclesiast. & Ciuil. & relect. de Insulanis, Soto in 4. sent. dist. 25. q. 2. art. 1. & dist. 28. & lib. 4. de iust. & iur.

& iur. Cardinalis Turrecremata de potest. Papæ lib. 2. cap. 113. & in Summa de Eccles. lib. 2. cap. 116. Conradus Brunus de ditione Imperij Rom. cap. 6. Nauar. in cap. Nouit de iudicijs, Antoninus 3. par. tit. 22. cap. 5. Albertus Pighius de Ecclesiast. Hierarch. cap. 5. Cordubensis in silua quæst. Theol. Ioann. Parisiensis Dominicanus de potestat. seculari, & spirituali, Castaldus in tract. de Imperat. Michael Vulcoronus de regimine mundi, Petrus de Monte lib. de Monarch. Cardinalis in Can. Cum ad verum. dist. 95. Oldradus consil. 83. Albericus in l. Benè à Zenone. C. de quadrien. præscript. & alij quamplurimi. Quare nos etiam, vt alibi promisimus, occasione sumpta à primi huius psalmi versiculi verbis, sequentes disputationes instituendas esse non ab re putauimus.

VNIVERSAM verò hanc de iurisdictione materiam in tres disputationes secuimus, neque enim ob eius prolixitatem, atque etiam difficultatem breui quodam tractatu, seu compendio comprehendi potuit.

ERIT igitur prima Disputatio. De origine, ac principio iurisdictionis spiritualis, & temporalis; atque hæc quinque quæstionibus absoluetur.

IN prima quæstione huius disputationis tractatur difficultas illa fundamentalis, & ardua. An Regnorum terrenorum constitutio, & diuisio sint immediatè à Deo.

IN 2. disputabitur, vtrum præter potestatem laicam, vel secularem sit necessaria, vel expediens alia potestas iurisdictionis ad bonum regimen Populi.

IN 3. quærendum est. An iurisdictio spiritualis sit antiquior temporali iurisdictione.

IN 4. quæritur, quænam sit primaria radix, & immediatum fundamentum iurisdictionis spiritualis, & temporalis.

IN 5. disseretur. An sit vtile disputare de potestate Ecclesiastica; vel temporali.

SECVNDA Disputatio erit. De discrimine, & differentijs spiritualis, & temporalis iurisdictionis; & hæc septem quæstiones complectitur.

IN prima ponuntur differentiæ inter temporalem, & spiritualem iurisdictionē.

IN 2. quæritur. An vtraque iurisdictio spiritualis, & temporalis in eodem subiecto, seu persona existere possit.

IN 3. agitur de ordine, & subordinatione iurisdictionis spiritualis, & temporalis ad inuicem.

IN 4. tractatur de effectibus vtriusque iurisdictionis spiritualis, scilicet & temporalis.

IN 5. quæritur. An potestas politica sit bona, & Christianis licita.

IN 6. ostenditur iurisdictionem, seu dominium in impijs esse posse.

IN 7. disputatur. An Principi, vel Magistratui Christiano liceat leges condere, iudicare, punire, bella gerere, & ea, quæ ad religionem pertinent, tractare.

TERTIA Disputatio erit de vsu, & exercitio iurisdictionis spiritualis, & temporalis, & in ea viginti quæstiones pertractantur.

IN prima quæritur. An Ecclesiæ competat exercitium, seu vsus iurisdictionis temporalis.

IN 2. An Ecclesia ab initio habuerit forum externum iudiciale.

IN 3. An Christus vltra spiritualem, tradiderit Petro potestatem temporalem in vniuersum Orbem, & quomodo.

IN 4. An Ecclesia exercuerit semper vsum dictæ potestatis spiritualis.

IN 5. An per peccatum amittat homo iurisdictionem, & potestatē, & vsum eius.

IN 6. An regimen Ecclesiasticum in Christi Ecclesia sit Monarchicum.

IN 7. An Ecclesiasticum regimen sit aliquo modo penès Principes seculares.

IN 8.

ATQVE hæc est summa, seu Index eorum, quæ in proximis quæstionibus disputanda sunt. Iam ad ipsum certamen alacriter, ac viriliter descendendum est.

DISPVTATIO PRIMA.

De origine, ac principio Iurisdictionis spiritualis, & temporalis.

QVAESTIO PRIMA.

An Regnorum terrenorum constitutio, & diuisio sit immediatè à Deo.

PARTEM affirmatiuam persuadent, primò verba illa Deuter. 32. *Quando diuidebat Altissimus gentes; quando separabat filios Adam constituit terminos Populorum iuxta numerũ filiorum Israel.* Euthymius aliter legit. *Quando diuidebat Altissimus gentes, quomodo dispersit filios Adam, statuit terminos gentium iuxtà numerum Angelorum Dei, & factus est pars Domini Populus eius Iacob.* Regnorum igitur constitutio, & diuisio à Deo immediatè est.

SECVNDO Dan. 2. *Ipse mutat tẽpora, & ætates, transfert Regna, atq; constituit.* Et paulò post. *Deus cæli Regnũ, & fortitudinẽ, & Imperium, & gloriam dedit tibi.* & inferius. *In diebus autem Regnorum illorum suscitabit Deus cęli Regnũ, quod in æternum non dissipabitur.* Item Psalm. 21. *Quoniam Domini est Regnum, & ipse dominabitur gentium.* & Ecclesiast. 17. *In vnamquamque gentem præposuit*

fuit rectorem. Igitur ipsemet Deus constituit, & diuidit Regna. Item Psal. 4. *Constitues eos Principes super omnem terram*. Ergò sicut spiritualium, ita quoq; temporalium Regnorum, & Principum Deus ipse est auctor, & institutor; *Domini est enim terra, & plenitudo eius, &c.*

TERTIO, Quoniam Deus constituit Adam Imperatorem, & Dominum totius orbis Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, &c.*

IN contrarium est, quòd Regnum constituitur ex Ciuitatibus, Ciuitates autem ex vicis, vici autem ex domibus, vt docet D. Thom. in 14. cap. Ioannis lectio. 1. Ergò cũ domus non sint immediatè à Deo constitutæ, cõsequenter nec vici, nec Ciuitates, nec Regna; cum immediatè tantum primos parentes in primæua omnium rerum creatione formauerit, & hominem solum primò in Paradiso voluptatis collocauerit, vt operaretur, & custodiret illum. Adde quòd rerum, & dominiorum diuisio iure gentium introducta est, vt affirmat Sotus lib. 4. de iustit. & iur. q. 3. art. 1. concl. 3. non igitur immediatè à Deo. D. Augustinus lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 1. ait; Prorsus diuina prouidentia Regna constituuntur humana. Idem repetit cap. 11. & 21. eius libri. Non igitur immediatè à Deo, sed eo sinente, & permittente, deinde ab hominibus constituta sunt; hoc enim ad diuinam prouidentiam spectare dicitur, nempè quod non fortuita, vel fatali causa, sed ex Dei, & hominum voluntate contingit.

AD huius quæstionis dilucidationem.

DICO primò. Adã fuit à Deo immediatè totius orbis Dominus, & Imperator constitutus: sic illum appellat D. Chrysostomus in Genes. hom. 21. Deus constituit Adam Principem omnium visibilium, & hoc est ad Dei imaginem esse factum. Die quo, inquit, fecit Adam, secundum imaginem Dei fecit illum, hoc est Principem illum constituit omnium visibilium. Hoc enim est secundum imaginem, secundum rationem Dominij, & Principatus. Nam sicut omnium Deus principatum habet, super omnia tam visibilia, quàm inuisibilia, omniumque conditor, & opifex est; sic & cum formauit rationale hoc animal, voluit omnium visibilium præfectura insigne esse. Hæc ille. Propter hanc rationem Dominij dixit Dauid de homine Psal. 8. *Gloria, & honore coronasti eum*. vbi Euthymius ait. Gloria, quia ad imaginem, & similitudinem Dei factus est; honore, quia omnia ei subiecta sunt animalia. Et iterum. Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, &c. hoc est, vt idem Euthymius ibidem exponit, elegisti eum in Regem totius creaturæ.

Adã fuit à Deo immediatè constitutus orbis totius Dominus.

NONNVLLI legunt, vt D. Chrysostomus in eundem Psalm. notat; Gloria, & auctoritate coronabis ipsum, & fecisti, vt haberet potestatem operũ manuum tuarum; Et subdit. Quænam autem ea sunt? terrenum illi datum imperium. Et multa alia pulchra in hanc sententiam. Et Psal. 48. dicitur. *Homo cum in honore esset*, hoc est, in dominio, & dignitate Imperij, *non intellexit*. Quæ verba D. Chrysostomus explanans sic scribit. Hic mihi videtur deinceps Propheta deplorare, quòd animal rationis particeps, cui fuit traditum Regnum in terris, eò declinauerit, vt esset non minus vile, & abiectum, quàm bruta. Et Euthymius super eundem Psal. sic loquitur. Comparatus est, hoc est, collocatus cum illis. Nam cum ratione à Deo donatus esset, imperatumque ei fuisset, vt rationis sceptro vsus, brutis omnibus dominaretur, ipse abiectis proprij regni insignibus, sese inter pecora constituit. Vnde D. Hieronymus in Psalterio ex hebræo conuerso eleganter sic vertit. Et homo in honore non commorabitur, & assimilatus est iumentis, & exæquatus est, hoc est, parem illis se fecit. Et iterũ inferius. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis, & silebitur, hoc est similis factus brutis, quæ silent, & muta sunt, expertia orationis, &

nis, & rationis, nec non stolida. Quare vt nonnulli ex Rabinis dicunt, in ea dignitate, & honore Adam non pernoctauit, sed à Paradiso expulsus in hoc miseriarum loco suo honore, & ornamentis exutus; foris noctem duxit. Præterea Genes. 1. *Dominamini piscibus maris*: fuissetque hoc genus dominij commune omnibus hominibus, qui in statu innocentiæ extitissent: sequitur enim naturalem conditionem, & ordinem, secundum quem homo irrationabilibus dominatur, vt inquit D. Augustinus lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 15. Basilius hom. 10. in Hexameron, & terrenarum rerum Principem Adam vocat, atque etiam Ambrosius lib. 6. Hexamer. & Damascenus lib. 2. de fide orthodoxa cap. 11.

Adam in statu innocentiæ etiã in omnes homines imperium habuit.

SECVNDO. Dico Adam in statu innocentiæ, tanquam primum parentem, non solum in bruta, & irrationabilia, vt dictum est; sed etiam in cunctos alios homines mundi dominium habuisse; licèt hoc genus dominij ad posteros, eiusque primos successores in eodem statu innocentiæ translatum non fuisset.

HOC dictum probatur. Primò etenim sicut primo Angelo cæteri omnes Angeli ex ordine naturæ subiecti erant, & in illos dominium quoddam, & principatum ipse habebat, sic primo homini congruum est, cunctos alios posteros subiectos fore.

SECVNDO, Quoniam Adam fuit radix, & origo sanguinis omnium hominum posterorum, & principium essendi omnibus inferioribus; ergo omnium posterorum cura, & gubernatio ad illum principaliter pertinebat. Quantò enim quis habet magis rationem principij, tanto principalius eorum cura ad illum spectat, qui ex eo descendunt. Quocirca suprema, ac potissima erga illum à descendentibus obseruantia, & reuerentia, & obedientia debetur, vt diffusè probauimus in lib. nostro primo de fuga disp. 1. q. 9. In familia enim primò Patri pietas, & obedientia iure naturæ ante alios debetur. Atque hoc genus dominij vniuersale, fuit proprium Adæ, vt ex se patet, licèt id expresse in sacra pagina non legatur.

In statu innocẽtiæ fuisset imperium ciuile.

DICO Tertiò. In statu innocentiæ fuisset quorundam hominum in alios homines imperium, non quidem seruile, sed ciuile, & liberale.

D. Thomas.

HOC dictum egregiè probat Pererius in Commen. in Genes. tom. 1. lib. 4. disp. de imperio hominis in animalia ante, & post peccatum. Quod etiam affirmat, & probat D. Thom. 1. par. q. 96. art. 4. & 2. 2. q. 164. art. 2. in corpore, & ad p. & in 2. sentent. Explico: Hominis dominium in homines duplex est. Alterum in seruos, quod coactum, & violentum, acerbum, & inuoluntarium est, subditisque odiosum, ac onerosum, quod planè totum ad commodum dominantis refertur; atque hoc cum sit naturæ repugnas (hæc enim æqualiter se habet in omnibus indiuiduis) & à peccato originem trahat, nequaquam in statu innocentiæ fuisset. Alterum verò dominium est in liberos, qui sua sponte vnum aliquem, vel plures elegerunt, à quo, vel à quibus secundum præscriptas leges regerentur, atque gubernarentur, quod ad bonum publicum, & subditorum dirigitur, quod sanè in statu innocentiæ fuisset: sic iusti viri alijs imperant, vt docet Augustinus lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 14. Quisquis autem, inquit, suis, & maximè domesticis non prouidet, fidem denegat, & est infideli deterior.

HINC itaque etiam pax domestica oritur, idest, ordinata imperandi obediendique concordia cohabitantium. Imperant enim qui consulunt, sicut vir vxori, parentes filijs, domini seruis. Obediunt autem, quibus consulitur, sicut mulieres maritis, filij parentibus, serui dominis: sed in domo iusti viuentis ex fide, & adhuc ab illa cælesti Ciuitate peregrinantis, etiam qui imperant, seruiunt eis, quibus videntur imperare; neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbia, sed prouidendi misericordia. Hoc naturalis ordo præscribit, ita Deus hominem condidit.

VERVM

VERVM hoc dictum quadruplici ratione probari potest.

PRIMO. Quoniam in statu innocentiæ genus humanum generosè multiplicandum erat, & tunc homines in societate iucundè vixissent. Quocirca ne in tanta multitudine confusio, vel turbatio oriretur, necessariò aliquis, qui bonum commune intenderet, tanquam præsidens, constituendus erat; multitudo enim per se intendit ad multa, vnus verò ad vnum. Quandocumque verò multa ad vnum ordinantur, semper inuenitur vnum, vt principale, & dirigens, vt affirmat Aristoteles primo Politicorum.

SECVNDO. Quoniam etiam in statu innocentiæ in tàm magna multitudine futuri erãt alij probitate, prudentia, iustitia, atque scientia alijs præstantiores, & magis idonei ad regendum; inconueniens autem fuisset, si illi cæteris non præessent, & dominarentur, cum hæc dona à Deo acceperint, vt in vtilitatem aliorum illa exequerentur, iuxtà illud 1. Petri 4. *Vnusquisque gratiam, quam accepit, in alterutrum illam administrantes.* Imò, vt rectè ait Victoria in relec. de potest. ciuili, aliquando genus humanum habuit potestatem eligendi Monarchã, vt patet à principio Mundi, antequam fieret diuisio, quæ potestas, cũ sit iuris naturalis, nec hodie post peccatum cessat. 1. Petr. 4.

TERTIO. Quoniam inter Angelos etiam in statu gratiæ ordo fuit, ita vt superiores inferioribus imperarent, eosque mitterent, & illuminarent; immò à Principatus, & Dominatus excellentia quatuor ordines nomen acceperunt, nẽpè Archangeli, Principatus, Potestates, & Dominationes: sic quoque Daniel cap. 8. & Zachar. cap. 2. inducunt Angelos alios alijs imperantes.

QVARTO, & vltimò, Quoniam status innocentiæ non destruebat ordinem naturæ, hic autem postulat, vt Patres imperium, & potestatem habeant in filios, & mariti in vxores, cum vir caput sit mulieris, & mulier ex viro, & propter virum sit facta, vt testatur Paulus ad Ephes. 5. In eo autem statu fuisset subiectio mulieris sub imperio viri, voluntariè quidem, & iucundè, & omnis molestiæ expers, non autem seruilis, atque pęnalis, quæ per peccatum inflicta fuit Genes. 3.

DICO Quartò: in hominum multitudine, tàm ante, quàm post peccatũ, est à Deo medio lumine naturæ dictante, collata potestas regendi, & gubernandi populos. Explico. Deus hominibus non seorsim, & solitariè; sed in societate, Republica, & conuersatione viuentibus dedit, non quidem per se ipsum, & immediatè per aliquod lumen, scilicet supernaturale, vel diuinam aliquam nouam reuelationem; sed per ipsum solum lumen naturæ, vnicuique homini naturaliter à Deo inditum, vt possint, & valeant, ac debeant multitudinem gubernare, & regere competenter per leges ab ipsis ferendas huiusmodi lumini naturæ conformes, eidemque non contrarias, nec repugnantes, ad humanum, ciuilem, ac naturalem finem consequendum, & conseruandum directas. Hoc dictũ, potestatem nempè ciuilem, naturali lege in Republica contineri, his necessarijs rationibus probatur.

Per naturæ lumen à Deo collata est iurisdictio tàm ante, quàm post peccatum.

PRIMO. Quòd aliàs Deus defecisset in necessarijs, ipsamque Rempublicam, vel multitudinem non sibi ipsi sufficientem, & perfectam omninò condidisset, sed mutilam, diminutam, & imperfectam; quod sanè cõtingeret, si facultate regendi, prouidendi, & gubernandi homines in ea existẽtes carerent; essent enim penè viuentes sine regimine in Communitate aliqua, tanquam oues errantes, & ad libitum pro voluptate vagantes sine lege, Principe, vel potestate dirigente, quod absurdum est, & contra legem naturalem.

SECVNDO. Quoniam ad bonum statum multitudinis, potestas coactiua necessario requiritur; quamplurimi enim formidine pœnę malum committere in Ciuitate, vel Republica recusant; multitudo enim necessitati potius, &

pœnis,

pœnis, quàm honestati paret, vt dixit Aristot. lib. 10. Ethic. cap. 9. Hæc autem coactiua potestas non extrà, sed intrà ipsam Rempublicam, & multitudinem, tanquam pars opportuna, ac necessaria ad rectam gubernationem, & bonum regimen plurimorum, constituenda est. Per illam enim multi in officio continentur, & alijs exemplum exhibetur ad benè viuendum.

TERTIO. Quoniam sicut multitudo, seu Respublica iure naturæ potest se ipsam ab hostibus, à molestijs, & rebus aduersis defendere, ac tueri, vt quietum, ac pacificum statum Reipublicæ conseruet; quoniam vnicuique sui conseruatio a natura commissa est: sic potest etiam expellere, punire, & corrigere eodem iure naturæ eos, qui perturbant, atque deprauant vitiosis actionibus honestum, ac pium, & religiosum statum ipsius multitudinis; hoc enim vitiorum bellum magis Reipublicæ, & multitudini nocet, quàm armorum externum, vel ciuile, nec aliàs multitudo esset ordinatus ordo, sed inordinata confusio.

SOTVS lib. 4. de iustit. & iure q. 4. egregiè hanc rem sic declarat. Deus, inquit, per naturam dedit rebus singulis facultatem se conseruandi, suisque resistendi contrarijs, non modo quantum ad incolumitatem temporalis salutis, verum, & per eius gratiam, quantũ ad prosperitatem spiritualis. Hanc autem homines facultatem, cum exequi commodè dispersi nequirent, adiecit eis instinctum gregatim viuendi, vt adunati alij alijs sufficerent; congregata verò Respublica neutiquam se poterat gubernare, hostesque propulsare, malefactorumq; audaciam cohibere, nisi magistratus deligeret, quibus suam tribueret facultatem; nam aliàs tota congregatio sine ordine, & capite, neque vnum corpus repræsentaret, neque ea prouidere posset, quæ expedirent; ergò eadem ratione doctæ, diuinitusque instructæ Respublicæ, aliæ annales Consules, aliæ alias publicarum administrationum formas sibi instituerunt. Hæc ille. Quod autem dicit, multitudinem, seu Rempublicam diuinitùs doctam, & instructam esse ad gubernationem, & regimen aliorum, intellige per legem, & rationem naturalẽ, quæ etiam aliquo modo ius diuinum dicitur, & à Deo, remotè tamen, proficiscitur, cum sit sempiternæ diuinæ legis participatio.

Regnorum constitutio iure gentium introducta est.

DICO quintò. Regnorum terrenorum constitutio absolutè, & simpliciter loquendo, est introducta ex iure humano, hoc est, ex iure gentium, quod planè est ius humanum non temerè inuentum, sed ex naturali ratione proficiscens. Ità expressè habet D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 10. in corpore, & q. 12. art. 2. in corpore. Explico. Regnum à regendo dicitur, ac ideo qui alios sub sua prouidentia habet, dicitur Regnum habere: Ita D. Thom. in 4. dist. 49. q. 1. art. 2. q. 5. Ius enim, quòd multitudo habet ex naturali potestate se ipsam regendi, & gubernandi, potest, & debet, vbi expedire cognoscitur, transferre in vnum Regẽ, vel duos, aut plures, qui per modum vnius regant, vt fit in Republica, itaut tota potestas, & imperium, quod multitudini à natura tributum est, in Principem transferatur; atq; ita Regna, ac Reges ab ipsa multitudine, cum ab ea originẽ trahant, constituuntur. Transfertur autem interdum ad talem personam, eiusq; successores, quibus hæreditario iure tale dominium, vel Regnum deuoluitur; finita verò linea ad ipsam multitudinem iterum ius electionis reuertitur. Interdum verò certa quædam persona ad Regnum nominatur, eius industria electa, & tunc ea è viuis sublata, nouæ electioni ab eadem multitudine faciendæ locus conceditur. Semel autem electus Rex per Rempublicam, Regno spoliari non potest, nisi fuerit in tyrannidem corruptus, vt benè ait Sotus loco citato; vel etiam, si conditiones, & pacta in electione decreta fideliter non obseruauerit. Diximus autem, simpliciter, & absolutè, quoniam non semel Deus optimus maximus per seipsum immediatè constituit Reges, & Regna, vt patet in Moyse, Samuele, & Dauide, quibus ipsemet Israelitici Regni sceptra contulit, & iure

diuino

diuino positiuo tales immediatè à Deo sunt instituti.

DICO sextò, varietatem Regnorum ab eodem humano iure in sua prima institutione pendere; cum enim variæ sint multitudines hominum diuersarum regionum in orbe, necesse quoque est, varia Regna, & Dominia iuxta cuiusque multitudinis rationem constitui; neque enim ex iure naturali, secluso Adamo, neque ex iure humano, idest gentium, vnus aliquis est totius orbis Dominus constitutus, nec quantum ad possessionem, nec quantum ad iurisdictionem, loquendo de potestate, & iurisdictione merè temporali. Hinc sequitur, quòd licet iure optimo sit vnus Christianorum Imperator, non est tamen ille totius orbis dominus, vt egregiè probat Soto lib. 4. de iustitia, & iure quæst. 4. art. 2. loquendo de toto orbe terrarum, tàm veteri, quàm nouo; & licèt Occidens, & Oriens fuerint interdum & ante, & post Constantinum ab vno Imperatore gubernata; nunquam tamen legitur, Romanorum Cæsarum nomen, famam, & regimen vsque ad Antipodas, & nouas Insulas nuper repertas penetrasse. Neque item Antipodes vnquam consenserunt ad talem Imperatorem in Dominum sibi constituendum. Nec vsquam legitur, Papam ad illos tale imperium ampliasse; immò constat, Alexandrum Sextum ad aliquem bonum finem diuisisse orbem nouissimè inuentum, Regibus Hispaniæ, & Lusitaniæ. Nec Augustus tempore, quo Christus natus est, vniuerso orbi dominabatur; licèt per synecdochem Luc. 2. dicatur, anno Imperij eius quadragesimo secundo vniuersum orbem descriptum fuisse. Ponitur enim ibi totum pro maiori parte; nec enim totus orbis Imperatoris Romani iussu describi poterat, cum totus non pareret eius imperio, sed ea pars, quæ orbis maior erat, & Romanis subiecta, descripta fuit; & talis tropus frequens est in scripturis, Matth. 2. *Et omnis Hierosolyma cum illo*. & Matth. 21. *Commota est vniuersa Ciuitas*. & 27. *Tenebræ factæ sunt super vniuersam terram*. Quamuis nonnulli per vniuersum orbem illum, intelligant Syriam, & Iudæam. Qua in re deceptus fuit Bartholus l. hostes. ff. de cap. & postli. reuers. & Bald. l. cuncta populos. C. de summa Trinitat. & fide Catholic. Nec de hac re plura hoc loco afferenda sunt, sed legendus est Sotus loco citato, Turrecremata in cap. Cum ad verum, distinction. 96. & Augustinus de Ancona in libr. de potestate Ecclesiastica quæstion. 36. art. 4. & sequentibus.

Regnorum varietas ab humano iure dependet.

Matth. 2. 21, & 27.

DICO septimo, Regnorum, & Dominiorum diuisionem eodem iure gentium introductam esse. Explico. Ante peccatum Adæ, quando integra natura erat, nemini dubium est, omnia fuisse communia, omniaque bona huius mundi in communi possidenda fuisse, præter vxores, vt constat ex Genes. 1. vbi homini in communi concessa est rerum possessio, idq; affirmat Isidorus lib. 5. Ethymol. cap. 5. & habetur in Decretis dist. 1. Can. Ius naturale, vbi lege Turrecrem. de hac re fusè disserentem, & Albertum Magn. in q. de virtutibus, & Alexan. de Ales in 3. par. Tamen post peccatum, diuisionem rerum, atq; possessionum cœptam fuisse, nō obscurè indicat sacra Genesis historia, quę docet, statim post peccatum inter duos fratres fuisse diuisa peculia; Cain enim de fructibus terrę, Abel verò de optimis sui gregis Deo munera obtulisse, tamquam de eorum proprijs rebus legitur. Quòd si hæc cuique propria non fuissent, vix vllam mereretur vel laudem Abel, vel vituperationem Cain. Legitur quoque Genes. 4. Cain vrbem tamquam propriam ædificasse, & cap. 10. dispersam esse progeniem Noë ad diuersas regiones, & insulas orbis, & capit. 11. progeniem Nembroth dispersam, eorumque multitudinem, qui cum eo conspirauerant, vt turrim ædificarent, & Genes. 13, habetur diuisio facta inter Abraham, & Loth. Ex quo rectè infert Soto lib. 4. de iustitia, & iure. quæstion. 3. art. 1. conclus. 3. non solum diuisionem in genere, verum etiā quòd istæ nationes hanc regionem

Diuisio Regnorum ex iure gentium ortum habuit.

Q possideant,

possideant, & aliæ aliam, esse de iure gentium, licèt Caietan. 2. 2. quæst. 66. art. 2. existimet, vt Sotus obseruauit; perpendens non rectè ea, quæ ibi dixit D. Thom. & quæ idem dixerat in eadem parte quæst. 57. art. 3. appropriationem quidem rerum in particulari esse de iure positiuo, seu ciuili; diuisionem verò rerum in genere esse de iure gentium; cum Doctor Angelicus ius positiuum ad omne ius humanum extendat, ita vt includat etiam ius gentium.

ATQVE hoc dictum probatur euidenter ex verbis D. Thom. p. p. q. 98. art. 1. ad 3. vbi innuit, quòd tunc diuisio possessionum primũ facta est, vbi discordiæ cœperunt. In statu enim isto, inquit, hoc est naturæ corruptæ, necesse est fieri diuisionẽ possessionum, quia communitas possessionis est occasio discordiæ, vt Philosophus dicit in 2. Polit. cap. 3. Atq; hinc infert, in statu innocentiæ, vbi voluntates hominum erant ordinatæ, absque omni periculo discordiæ, omnia fuisse communia, secundum quòd vnicuiq; eorum competeret vsus rerũ, quæ eorum dominio subdebantur. Quo etiam modo, idem apud multos bonos viros obseruatur, Religiosos nempè in communi viuentes. Albertus Magnus loco citato affirmat, hæc duo, scilicet, omnia esse communia, & nonnulla esse propria è iure naturali proficisci; quia secundum diuersos status vtriusque propositionis sunt seminaria in iure naturali. In statu enim, in quo non est rapina, nec vsurpatio eius, quod communi vsui est concessum, dictauit ratio naturalis, nihil esse proprium, sed totum integrè in communi esse dimittendum, sicut & in communi creatum est. Sed variato statu, & crescente malitia, & rapina, & rancore, vtitur natura alio principio, vindicanda esse propria ad prouisionem suorum, & pauperum, & tunc non est contra ius naturæ habere proprium tempore necessitatis communicandum.

NOTANDVM item ex D. Tho. 2. 2. q. 66. art. 2. ad primum, quòd communitas rerum attribuitur iuri naturali, non quia ius naturale dictet omnia esse possidenda cõmuniter, & nihil esse quasi propriũ possidendum, sed quia secundũ ius naturale nõ est distinctio possessionum, sed magis secundũ humanum condictum, quod pertinet ad ius positiuũ, gentium nempè. Vnde proprietas possessionũ non est cõtrà ius naturale, sed iuri naturali superadditur per adinuentionẽ rationis humanę. Negare verò rerũ diuisionẽ est hæresis, vt ait D. August. in lib. de hęresibus, vbi quadragesimo loco ponit hæresim Apostolicorum, qui in suã communionem non recipiebant vtentes coniugibus, & res proprias possidentes.

Diuisio Regnorum, & multitudo Principũ propter peccata.

DICO octauò, diuisionem Regnorum interdũ propter peccata fieri. Prou. 28. *Propter peccata terræ multi Principes eius.* & D. Aug. lib. 4. de Ciuit. Dei cap. 15. Iniquitas, inquit, ampliora fecit Regna, & perdomitis gentibus dilătare regnum malis videtur fœlicitas, bonis necessitas, nempè quòd hostium iniquitas cogit, vt bello supprimantur, nostroque adhibeantur imperio. Hæc ille. Permittitur enim hęc Regnorum diuisio à Deo tamquam pęna quædam peccati, sicut fuit diuisio linguarum; atq; hoc accidit pręcipuè in multitudine Principum simul regnantium, & idem dominium sibi diuidentium, non sine magna Reipublicę iactura. Et hęc multoties est ob populi peccata, sic enim diuisum est Regnum Israeliticum sub Roboam. Similiter multitudo Principum sibi mox, & breui tẽpore succedentium non semel Reipublicę perniciosa in pœnam errantis populi permittitur à Deo. Vide quæ de hac re copiosè scripsimus lib. 3. Commentar. in Canticum Magnificat cap. 27. dub. 6. & sequentibus.

IAM ad argumenta in principio quæstionis posita respondendum est. Et ad primum ex cap. 32. Deuteronom. Respondeo illis verbis; *Quando diuidebat Altissimus gentes, &c.* sermonem fieri de diuisione per linguarum confusionem, & de separatione Israelitarum ab Ægyptijs, & infidelium populis. Et licèt Euthymius aliam horum verborum intelligentiam afferat, tamen hęc à nobis tra-

bis tradita videtur litteralis, cū subdat Moyses, *pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius*. Lege quæ scribit Iacobus de Valentia Episcopus Christopolitanus in expositione Cantici. *Audite cæli, quæ loquor*. Lege quoque super eundem locum Abulensem.

AD secundum ex Daniele, dicimus, illa verba indicare, in manu Dei esse omnem potestatem, & dominationem, quæ est in terris, sicut in lib. Ecclesiast. cap. 10. scriptum est. *In manu Dei est potestas terræ*. Et Dominus dixit Pilato: *Non haberes in me potestatem vllam, nisi tibi esset desuper data*; arguuntque diuinam prouidentiam, qua Deus omnia suauiter disponit, mutando tempora, & ætates, constituendo, & transferendo Regna, reuelando profunda, & constituta in tenebris cognoscendo. Locus Danielis explicatur.

SIMILITER respondendum est ad verba illa Prouerb. 8. *Per me Reges regnant; & conditores legum iusta decernunt. Per me Principes imperant, & Potentes decernunt iustitiam*. Neq; enim hoc sibi volunt, multitudinem .s. seu Rempublicam, Principes, vel Reges minimè constituere, vel creare; sed id facere diuinitùs eruditā per eam legem naturalem, quam diximus; ordinauit enim Deus iure naturæ, vt Reges, & Principes à Republica, & populis eligantur. Sotus q. 4. citata art. 1. ad primum dicit, hunc locum Prouerb. intelligi debere de vsu potestatis; hic enim quando legitimè fit, inspiramen Dei est: hac etiam ratione intelligendus est D. August. lib. 1. de consensu Euangelistarum cap. 12. qui de Regnorum translatione disserens, hęc habet. Deus vnus, & verus hoc agit occulto iudicio, non continuò beatos facturus, quibus terrenum Regnum dederit, nec continuò miseros, quibus ademerit, sed beatos, vel miseros propter aliud, & aliunde faciens; temporalia Regna quibus voluerit, & quandiu voluerit, secundum prædestinatum ordinē seculorum, vel sinendo, vel donando distribuit. Idem quarto de Ciuit. cap. 33. Deus, inquit, ille fœlicitatis auctor, & dator, quia solus est verus Deus, ipse dat Regna terrena, & bonis, & malis, neque hoc temerè, & quasi fortuitò, quia Deus est; non fortuna, sed pro rerum ordine, & temporum, occulto nobis, notissimo sibi, cui tamen ordini temporum nō subditus seruit, sed eum ipse tamquam Dominus regit, moderatorque disponit. Hæc ille. Eodem sensu dixit Cyprianus orat. de Idolorum vanitate, Regna nō meritò accidunt, sed sorte variantur, & ad certum tempus certo fine custodiuntur. Vbi non ad meritum, sed ad sortem, idest, ad diuinam prouidentiam nobis occultam, Regna, & regnandi tempus refert. Qua etiam ratione legitur Danielis 4. *Dominabitur Excelsus in Regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud*. Vnde rectè Iansenius Comm. super lib. Prouer. dicit, illorum verborū. *Per me Reges regnant, &c.* aliū sensum non esse, quā per Dei sapientiam, qua omnia disponuntur, ordināturq;, ad Regna legitimè perueniri; & hac ratione interpretanda sunt alia quæuis scripturæ loca, quæ in contrariū adduci possent. Quod etiam prophanis sapientibus cognitum, & indubitatum fuit. Homerus in sua Ode in Musam, & Apollinem.

Quomodo intelligatur, Reges & Principes per Deum regnare.

D. August.

D. Cyprian.

Homerus.

Ex musis, inquit, *& procul mittente Apolline*
Viri Poetæ sunt in terra, & Cytharædi;
Ex autem Ioue Reges.

ET Plinius secundus in Panegyrico ad Traianum eleganter dixit. Quid præstabilius est, aut pulchrius Deorum, quàm castus, & sanctus, & Dijs simillimus Princeps? Ac si adhuc dubium fuisset, forte, casuque rectores terris, an aliquo numine darentur; Principem tamen nostrum liqueret diuinitus constitutum. Non enim occulta potestate fatorum, sed ab Ioue ipso coram, ac palam repertus, & electus est. Sed hæc missa faciamus, & in vltimam huius primæ disputationis quæstionem alia, quæ hic dici possent, remittamus.

Dan. 2. AD alium autem locum Danielis eodem 2. cap. vbi dicitur, *Suscitabit Deus Cæli Regnum, quod in æternum non dissipabitur*, dicimus ibi vaticinatum fuisse Danielem de Regno Christi, quod post primum eius aduentum cepit exordiũ, & vsque ad finem mundi est duraturum, quicquid dicat Tertullianus lib. vlt. aduersus Iulianum,& Theodoretus in Danielem, qui interpretantur verba illa de Regno Christi, quod erit post secundum eius aduentum; licèt Porphyrius, Iosephus, & hebręi, vt D. Hieronymus in Danielem refert, verba hæc de Regno Iudæorum, quod in fine mundi, vt ipsi stultè sperant, erit potentissimum, & cætera Regna subuertet, intelligant. Chiliastæ quoque hęretici ex hoc loco arbitrantur, transactis ab exordio huius mundi sex annorum millibus, futuram iustorum hominum resurrectionem, post quam Sancti omnes vnà cum Christo in terris per mille annos cum magna potentia, gloria, & fœlicitate regnaturi sunt. Sed hæc omnia sunt nugæ, atque figmenta Iudæorum, & hæreticorum.

AD alia autem loca ex Psalmis adducta dicimus, aliam esse rationem spiritualis Regni,& potestatis, aliam Regnorum temporalium,& potestatis secularis, vt inferius demonstrabimus; ac proinde consequentiam non valere. Verba illa ex Ecclesiastico adducta intelligit Soto lib. 2. de iust. & iure. q. 1. art. 5. de Recto re in spiritualibus, qui ea, quę ad salutem sufficiebant, proponeret.

AD tertium iam responsum est,& iterum dicimus, per illa verba: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, &c.* homini datum esse dominium vniuersale in res illius gratia conditas. Et propriè illa referenda sunt ad hominum communitatem, penès quam, vt optimè probat Aragonius de iust. & iure. q. 62. de iure naturali est dominium omnium rerum inferiorum; & non ad Adamum dumtaxat: præter quam quòd dominiũ, quod habet homo vi illorum verborum in res inferiores, non est positiuum diuinum, vt rectè animaduertit Sotus cit. q. 3. art. 5. sed naturale; nam eo ipso, quòd homo corporeus est, debentur illi ea, quæ ad vitam eius sunt necessaria,& sic illa collatio dominij rerum, fuit explicatio quædam naturalis iuris, veluti debiti humanæ naturę, supposita eius existentia. Ita innuitur Ecclesiast. 17. *Dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram, posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum, & volatilium*. Ex hoc tamen non negauerim, Adamum iure quodam naturali fuisse Principem, & totius orbis moderatorem; licèt enim nullibi legatur, auctoritatem habuisse Principis; ipso tamen iure, quòd fuit primus, solusq; parens humani generis, videtur illi concedenda in homines, saltem tunc ab ipso, tanquã à prima radice existentes, regia potestas; preterquã quòd nequaquam verisimile est, aliquo tempore mundum absq; humano Rege extitisse, qui posset malefacta vlcisci; & hic tunc fuit Adam. Et si in eius posteros iuxtà primogenitorum ordinem eadem emanauit potestas, non alio iure, quàm dicto factum est. Legendus est D. Augustinus lib. 15. de Ciuitate Dei

D. Augustin. ca. 20. Neq; enim mundus erat tàm plenus hominibus, quin posset illos per suos ministros regere, vt notauit Sotus eodem loco. Et licèt Cain primus ædificauerit materialem ciuitatem, non propterea sequitur, ibi cœpisse Politicum regimen; nam etiam sine ciuitate materiali potest esse Respublica, & Principatus, qui fuisset etiam in statu innocentiæ, cum tunc homo fuisset naturaliter animal sociabile, & ciuile, ac proinde habuisset opus Rectore. Et cum in humana societate ordo etiam in statu innocentiæ necessarius fuisset, præfectura quoque, ac subiectio in eo statu locum habuisset. Lege D. Thom. prim. part. quæst. 96. & 105. & D. Augustin. lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 12. Concludendum est igitur, regnorum humanorum, & temporalium constitutionem, & diuisionem iure gentium introductam esse, & non à Deo immediatè, vt expositum, & probatum est.

Digitized by Google

QVAESTIO SECVNDA.

An præter potestatem laicam, & secularem sit necessaria, vel expediens alia potestas iurisdictionis ad bonum regimen Populi.

ARTEM negatiuam hæc argumenta persuadere videntur, quæ sequuntur.

PRIMO. Quoniam pluralitas Principatuum non est bona, vt dicitur 12. Metaph. in fine, sed pluralitas potestatum, & iurisdictionum disiunctarum, quarum vna sub alia non continetur, arguit pluralitatem principatuum, quorũ vnus alteri non subordinatur; ergo talis pluralitas non est expediens, nec bona, atq; ideo præter potestatem secularem, quę omninò necessaria est, non oportet aliam ponere, quę ei nõ sit subiecta.

Argumenta cõtra spiritualem potestatem.

SECVNDO. Quoniam sufficit Populo, vt benè viuat, potestas secularis, quæ per pœnas, & præmia, & leges dirigit homines ad benè, & secundum virtutem operandum, vt scribitur 2. Ethicor. & ff. de iust. & iure. l. 1. §. 1. Igitur omnis alia potestas superuacanea erit, ac proinde non ponenda.

TERTIO. Quoniam in potestate seculari, seu temporali etiam potestas spiritualis continetur, vt fuit apud Patres veteris testamenti; igitur distinctos Principatus, & potestates ab illa multiplicare superuacaneum erit.

QVARTO. Quoniam potestas secularis non solum in laicos, sed etiam in clericos, personasq; Ecclesiasticas potest animaduertere, eosq; punire, coercere, & ad suas leges obligare; igitur alia potestas non est ponẽda, dicente Apostolo de secularibus potestatibus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus,* hoc est hominibus in potestate seculari constitutis, *subdita sit.* Quibus etiam Euangelistæ, Apostoli, Presbyteri, Episcopi, & alij Clerici subditi esse debent, iuxtà Chrysostomi, Occumenij, Theophylacti, & aliorum expositionem; præsertim cum gratia non destruat naturam, per quam homo, vt est animal ciuile, essentialiter potestati Politicæ subijcitur. Et statui clericali non repugnant conditiones, & proprietates essentiales naturæ humanę, quæ constituit hominem subiectũ potestati Politicæ; hæc enim duo correlatiua videntur, esse animal ciuile, & potestas ciuilis. Adde, quòd Rex, vel Princeps dicitur persona sacra, Dei minister, ac delegatus; rectè igitur poterit animaduertere in Clericos.

IN CONTRARIVM est, quòd finis vltimus hominis est supernaturalis, ad hoc enim homo creatus est, vt Deum clarè videat, & eo fruatur in æternum, Ioan. 17. requiritur igitur alia potestas, quã secularis ad bonum regimen populi, præsertim Christiani.

IN hac quæstione vnica est statuenda Conclusio, quæ talis est. In omni ętate, statu, & conditione hominis, vltra temporalem, & secularem potestatẽ, necessariò constituenda est alia potestas spiritualis iurisdictionis, per quam homines, seu populi ad vltimum suum finem dirigantur, & promoueantur.

Necessariò ponenda est potestas spiritualis.

HÆC conclusio probatur primò ex D. Thom. doctrina 2. 2. quæst. 1. art. 7. & quæst. 2. art. 7. & q. 174. art. 6. quibus in locis docet, vt etiam refert Franç. de Victoria, de potestate Ecclesiastica q. 4. num. 2. quòd sicut pro omni ætate, & tempore fuit necessaria fides supernaturalis; ita fuit necessaria prouidentia ad supernaturalem finem, & opus fuit, vt homines actiones suas dirigerent, non solum in finem naturalem, & politicum, sed etiam in finem supernaturalem, & spiritualem, & per consequens, vt esset etiam aliquis cultus Dei, qui

est author, & Dominus, à quo beatitudinem solum sperare possumus. Sed sicut humana opera non possunt commodè ordinari in finem humanum, nisi in Republica sint aliqui, qui præsideant, & aliqui, qui pareant; ita etiam non possent opera hominum conuenienter ordinari in illum finem supernaturalem, nisi ad hanc rem aliqui præficerentur, qui curam gererent deducendi homines in talem finem, & hæc est spiritualis potestas: ergò ea fuit statim à principio, & in omni ætate; semper enim fuit Ecclesia, idest, communitas spiritualis ordinata ad finem supernaturalem. At Respublica, seu Cõmunitas perfecta esse nõ potest sine Magistratu, & auctoritate publica; sẽper igitur talis potestas spiritualis fuit, semper fuerunt sacrificia, quæ non nisi publica auctoritate spirituali institui, & vsui demandari possunt. Lege D. Augustinum lib. 19. contra Faustum cap. 11. & lib. 2. cap. 21. & Arist. 7. Politic. cap. 8. & lib. 6. Ethicorum. Vbi inter Magistratus, sine quibus Respublica Ciuilis conseruari non potest, Sacerdotes, seu sacrificos ponit; quibus proinde in Republica Principem locum tribuit.

SECVNDO Idem probatur multis auctoritatibus sacræ scripturæ, præsertim quantum ad statum Ecclesiæ Christianæ. Christus enim dedit Petro, & Apostolis potestatem excommunicandi, & segregandi à commercio fidelium per leges, & pœnas Ecclesiasticas, etiam in foro exteriori, eos, qui Ecclesiam hoc est, eius Prælatos vt Chrys. & Euthy. rectè exponũt, non audierint. Matt. 18. *Dic Ecclesiæ, q̃ si Ecclesiã nõ audierit, sit tibi tanquã ethnicus, & publicanus.* Quid clarius? est profectò hęc pęna grauissima fori Ecclesiastici, vt tradit D. Aug. lib. 1. contra aduers. Legis, & Prophetarũ cap. 17. Nec hoc in loco nomine Ecclesiæ Iudęorũ synagoga est intelligenda, vt Caluin. in harm. & Beza in annot. ineptè, immò ignoranter interpretantur; cùm synagoga nusquã in nouo Testamento Ecclesia vocetur, vt D. August. in epist. ad Rom. & in Psal. 81. notauit. Et subdit: *Amen dico vobis, quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis*: Non ne hęc verba potestatem quoque in externo foro exercendam respiciunt? vtique, cum dicat Dominus, *quæcumque*, nihil excipiens, quod sit necessarium, vel vtile regimini corporis mystici Ecclesiastici. Hæc autem potestas data Apostolis ad bonum regimen populi Christiani, est planè diuersa à potestate seculari, vt de se patet; igitur, &c. Audi D. Hieron. hunc locum Matth. exponentem in Comm. Potestatem tribuit Apostolis, vt sciant, qui à talibus condemnantur, humanã sententiam diuina sententia corroborari; & quodcumque ligatum fuerit in terra, ligari pariter & in cœlo. Quæ faciunt ad hoc argumentum confirmandum, & declarandum, fusè tradidimus in disp. 2. edita à nobis contra oppugnantes externã iurisdictionem Ecclesiasticam cap. 7. nec est opus ea hic repetere, vbi etiã adduximus locum Ioan. 21. *Pasce oues meas*; & Patres, qui ex iisdem locis scripturę idẽ cõfirmant, docentes eadem loca esse intelligenda etiam de iurisdictione forensi contra Marsilium de Padua, & Vualdenses, modernosq; quosdam pseudotheologos, qui à Pontifice Romano, & Episcopis auferunt omnem auctoritatem pręcipiendi, etiam qualis est in Principe Politico. Dedit quoq; Christus Ecclesiæ suæ claues regni cęlorum Matth. 16. 18. & potestatem remittendi peccata in sacramento Pęnitentiæ Ioan. 20. & consecrandi verum corpus Christi Luc. 22. & 1. Cor. 11. & creandi Episcopos, & sacerdotes, ibidem. Quæ potestates sunt aliç à potestate ciuili, quarum Reges, & Magistratus politici incapaces sunt.

TERTIO Probatur idem ratione, quoniã potestas iurisdictionis ad hoc ordinatur, vt homines arceantur à malis, & inducantur ad bonum, nã 1. Pet. 2. dicitur de potestate iurisdictionis, quòd est *ad vindictã malefactorum, laudẽ verò bonorum*; & ad Rom. 13. *Vis autẽ non timere potestatẽ? bonum fac, & habebis laudẽ ex ea, nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali*. Quę verba ita explanat

S. Tho.

S.Tho. lect. 1. eiusdē cap. ad Rom. Si Principes, inquit, qui hic potestates dicuntur, non sunt timori, id est, in timorē boni operis, hoc est, propter bonū opus, sed mali, idest propter malum; quod quidem videtur esse intelligendum secundum causam, ob quam Principes instituūtur; ad hoc enim instituendi sunt Principes, vt illi, qui amore virtutis non prouocantur ad vitandum malum, & faciendum bonum, cogantur ad hoc timore pœnæ. Prouerbiorum 2. Rex, qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo. Et secundum hoc dicitur, quòd Principes non sunt timori boni operis, sed mali; quantum ad id, quod Principi ex officio competit, sicut & Isaiæ 32. dicitur, Princeps ea, quæ sunt digna Principe, cogitabit: hactenus ex D.Tho. Idem habes in Decreto Cap. factę sunt leges, dist. 4. Durand. in tract. de origine Iurisd. & Turrecremata lib. 1. de Ecclesia cap. 89. ex his sumunt argumentum ad rem propositam: Si enim bona, ad quæ facienda homines debent induci, & mala, à quibus homines debent arceri, pertinerent solum ad præsentem vitam ciuilem, & Politicam, tunc sufficeret ad regimen populi potestas iurisdictionis secularis, nec aliqua alia esset necessaria, quoniam per virtutes morales, & acquisitas (& maximè per prudentiam, & Iustitiam, quæ debent esse in Rectore) vt docet D.Thom. 2.2. q. 4. art. 1. & q. 50. art. 1. potest sufficienter regi, & dirigi vita præsens moralis, & politica sic præcise accepta; sed hæc possunt, & debent inesse Principi seculari habenti potestatem regendi populum quantum ad præsentem vitam ciuilem, & politicam. Verum quia vita fidelium Christianorū non tendit solum ad bona, & mala præsentis vitæ, immo principaliter tendit ad bona futuræ vitæ, & ad ea acquirenda ordinat omnia bona vitæ præsentis, iuxta illud D.Matthęi, *Primum quærite Regnum Dei, & iustitiam eius*, summè etiam horret inter omnes pœnas illam, qua post mortem corporis anima, & corpus finaliter timent perpetuò in gehennam mitti. Vnde Matth. 10. dicitur. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; timete eum, qui potest animam, & corpus mittere in gehennam*. Ideò inter fideles Christianos, ne deuient à fine, quem intendunt, & vt si errauerint à via, reducantur ad eam, necessaria est potestas, ad quam pertineat eos ad finē prædictum dirigere, & deuiantes corrigere, & ad rectam viam reducere, non solum exhortationibus, sed pœnis congruentibus. Et quia ad hoc non sufficit potestas secularis, quæ de se nihil nouit de donis, & præmijs vitæ futuræ, nec de meritis, seu demeritis, quæ ad eam perducunt; ideò pręter eam inter Christianos necessaria est alia potestas spiritualis, quam Christus verus Deus, & verus homo dedit Beato Petro, quando ei commisit regimen vniuersalis Ecclesię, Ioann. vltimo; cum ante dixisset. *Et tibi dabo claues Regni Cælorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cælis*.

D.Thom.

Matth. 10.

QVARTO, potestas secularis non potest agere vltrà vires suas naturales, & nō nisi in obiectum sibi proportionatū, & adęquatum; & quia personę Ecclesiasticę, & pręsertim illę, quę per Characteris ordinem ad statum spiritualem, & facultates naturales excedentem, sunt eleuatę, ea possunt operari per potestatem supernaturalem diuinitus eis impressam, quę ratio naturalis, & vires naturæ non attingūt, vt consecrare Eucharistiam, absoluere à peccatis, &c. igitur huiusmodi personę nullo pacto sub potestate seculari comprehenduntur, sed alia potestas supernaturalis, seu spiritualis requiritur, à qua legitimè cognosci, iudicari, dirigi & puniri possint: talis enim persona, cui potestas supernaturalis collata est, non est amplius persona laica, nec merè Politica, sed ad ordinem supernaturalem ratione dictæ potestatis translata, & consequenter à laicorum iure libera, etiam in rebus Politicis, & ciuilibus; est enim Sacramenti Ordinis Character, quo quis deputatur, & insignitur ad ea alijs ministranda, quæ ad cultū Dei, & Ecclesiæ pertinent, participatio sacerdotij Christi, vt definit S.Thom. 3.p.q.63. art.3.

D. Ambros. art. 3. in corpore & ad 3. Igitur alia potestas à seculari requiritur, à qua huiusmodi personæ Deo consecratæ regantur; & est argumentum D. Ambrosij lib. 5. Epist. 32. explicans illa verba: *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Ecclesia enim, cum Deo consecrata sit, non à Cæsare, sed a Deo per suos ministros proprios, & à ministris Cæsaris distinctos gubernari debet. Vnde idem Ambrosius eodem lib. 5. Epist. 33. egregiè dixit Imperatori: *Publicorum tibi moenium cura commissa est, non sacrorum.* Quòd si Prophetæ tamquam Dei præcones, non erant tangendi à potestate seculari in veteri testamento, multo magis Sacerdotes Christi nequeunt ab ea tangi, puniri, & molestari.

QVINTO. Quoniam Rex, licèt habeat iure naturæ diuino omnem potestatem ciuilem ergà suos subditos, est enim vnus super omnes publicam auctoritatem in Republica gestans; nullã tamen eodem iure diuino naturali, aut etiam iure diuino positiuo, auctoritatem habet ad cultum diuinum, & ad actiones spirituales, functionesq; Ecclesiasticas dirigendas, ac promouendas, vt patet de Saule 1. Reg. 10. qui temerariè offerens holocaustum in Galgala propter absentiam Samuelis, pœnas luit 1. Reg. 13.

CÆTERVM harum duarum potestatum necessitatem in populo Christiano, Hugo de S. Victore lib. de Sacramentis part. 2. ostendit, sic dicens. Duæ vitæ sunt, vna terrena, alia spiritualis. Ad vitam terrenam pertinent omnia, quæ terrena sunt; ad vitam spiritualem omnia, quæ spiritualia sunt. Vt autem in vtraque vita iustitia seruetur, & vtilitas proueniat, primum vtrinq; distributi sunt, qui vtriusq; bona, secundum necessitatem, vel rationem studio, ac labore acquirant; deinde alij, qui ea potestate officij cõmissi secũdum æquitatẽ dispensent, vt nemo fratrẽ suum in negocio supergrediatur, sed iustitia inuiolata seruetur. Si ergo nõ potest humana societas sine vtraq; vita manere; necessaria est duplex potestas ad conseruationẽ iustitiæ; vna, quæ præsit in terrenis ad ordinandam vitã terrenã; alia quæ præsit in spiritualibus ad ordinãdam vitam spiritualem. Hæc ille.

Figura vtriusq; potestatis ex lege veteri. HARVM duarum potestatum figura in veteri testamento præcessisse videtur 3. Reg. 7. vbi dicitur, quòd statuit Salomon duas columnas æreas in porticu Templi, cumq; statuisset columnam dextram, vocauit eam nomine Ioachim; similiter erexit columnam secundam, & vocauit eam nomine Booz. Sic Christus duas columnas, hoc est, has duas potestates posuit in atrio, seu in porticu templi, hoc est in Ecclesia militante, per quam transitur ad templum, scilicet ad Ecclesiam triumphantem, quibus tanquam columnis Christiana Respublica fulciretur, & firmaretur; & spiritualis quidem potestas significatur per dextram columnam, cuius nomen erat Ioachim, quod interpretatur, præparans alijs firmitatem, per quod designatur excellentia illius potestatis: temporalis verò per sinistram, cui nomen erat Booz, idest, in fortitudine.

ATQVE de his legendus est Pelagius Papa scribens Anastasio Imperatori, vt refertur in Can. Duo sunt, dist. 86. Duo sunt quippe, Imperator Auguste, quibus principaliter hic regitur mundus, authoritas sacra Pontificum, & regalis potestas.

NOLVMVS hic probare, fuisse in lege scripta potestatem aliquam spiritualem; quoniam id notissimum est vetus testamentum legentibus: habuerunt enim Iudæi Sacerdotium, quod fuit verè & propriè potestas, & dignitas spiritualis, vt innuit D. Paulus ad Hebræos 7. *Translato Sacerdotio,* &c. Vbi ostendit Apostolus, Sacerdotium Christi esse præstantius sacerdotio veteris legis, supponens hoc fuisse verum in suo genere sacerdotium, idest, veram dignitatem, & potestatem spiritualem; quod etiam significauit Ioannes, dicens de Caipha in cap. 11. *Cum esset Pontifex anni illius, prophetauit.*

DE potestate verò spirituali in lege naturæ tàm antea, quàm post peccatum

plura

plura inferius sunt afferenda præter ea, quæ superius dicta sunt.

NVNC ad argumenta in contrarium posita respondendum est.

AD primum dicimus, quòd Principatuum pluralitas, quorum vnus nō subest alteri, non est quidem bona; sed quando potestas Principatus secularis subordinatur aliquo modo iurisdictioni spirituali, & Ecclesiasticæ, vt ex Christi institutione est inter omnes Christianos, illa est vtiq; bona, & laudabilis, immò necessaria. Victoria loco citato.

Soluuntur argumēta supra posita contra spiritualem potestatem.

AD secundum dicimus, quòd populo Christiano non sufficit, etiam in foro exteriori, vt benè viuat, quantum ad virtutes morales, & politicas, de quibus loquuntur morales Philosophi; sed oportet vt viuat secundum virtutes Theologicas, quæ dirigunt actus fideliū, & Christianorum ad vitam beatam, de qua vita, & virtutibus theologicis ad eam dirigentibus, nihil nouit ratio naturalis, nec potestas secularis super eam fundata; nec enim, vt rectè ait Victoria quest. 1. de potestate Ecclesiæ, tota administratio ciuilis satis est ad constituendum hominem in statu salutis eternæ. Nec instantia illa esset alicuius momenti, si quis diceret, naturam humanam gubernari posse sine Ecclesiastica potestate, non autem sine Politica. Respondendum enim est, non esse hoc loco considerandam humanam naturam merè, seù in puris naturalibus, sed vt à Deo creata est ad suum proprium, & essentialem finem, qui est æterna beatitudo, ratione cuius homo sortitur Ecclesiasticum, seu spirituale regimen, Politico supereminens, & illud perficiens; nec considerandum est regimen politicum in genere, in quantum est commune omnibus hominibus gentilibus, & infidelibus, sed prout est regimen politicū Christianū, seu inter Christianos, quod ità depēdet à potestate Ecclesiastica, vt sine illa vanum, & inane reddatur; sicut sine arte texendi, artificium deducēdi fila frustratoriū omninò est; sine potestate enim Ecclesiastica inter Christianos bonum regimen politicum, & ciuile infructuosum existit, vt in simili D. August. pluribus ostendit lib. 4. contra Iulianum cap. 3. affirmans, virtutes Philosophorum ethnicorum, licèt habeant formā virtutum moralium, quia tamen carent fide, & charitate Christiana, imperfectas esse. Regimen enim ciuile sine Ecclesiastico est sicut cadauer sine anima, tanquam gladius, siue ensis sine acie, qui obtusus est, & secare non potest; & tanquam frenum ineptum ad regendum equum. Quam rem D. August. egregiè exposuit in tract. 45. in Ioan. loquens de Gentilibus, his verbis. Ad hoc debet vnicuiq; prodesse benè viuere, vt detur illi semper viuere, nam cui non datur semper viuere, quid prodest bene viuere? quia nec bene viuere dicendi sunt, qui finem bene viuendi, vel per cęcitatem nesciunt, vel per inflationem contemnunt. Hæc ille. Quocirca licèt obiectum potestatis ciuilis vniuersaliter sumptæ sit homo, quatenus est animal politicum, & legibus ciuilibus gubernandum; nihilominus, quoniam esse ciuile hominis Christiani refertur tanquam ad proprium finem, ad supernaturalem beatitudinem, necessariò fatendum est, quòd huiusmodi potestas politica, quæ hominem Christianum gubernat, debet dirigi ad eūdem finem, qui est perfectio, & complementum finis politici. Quemadmodum enim artifices, milites, & mercatores, siue sint Iudæi, siue Gentiles, vel Christiani habent eadem pręcepta suarum artium; si tamen Iudæus, uel Gentilis quis ex illis fiat Christianus, præter præcepta artis suæ, debet etiam obseruare ritus, & præcepta Christiana à Christo, & sacris Canonibus edita, quoad executionem huiusmodi artium; nec enim illis licèt laborare diebus festis, vel uendere merces, vel cibos prohibitos secundum regulas Christianæ Religionis; ita quoq; dum potestas ciuilis euādit Christiana, recipit nouum finem, nouas regulas, nouumq; modum procedendi, & nouam dependentiam à potestate Ecclesiastica, à qua dirigitur propter cęlestem beatitudinem acquirendam; atq; hæc dependentia potestati ciuili Christianæ essentialis, & in-

D. August.

trin-

trinseca est,& ab ea inseparabilis. Rectè igitur utraq; hæc potestas duo brachia Ecclesiæ appellatur; & sicut deformitatem in corpore gignit carentia alterius brachij; sic imperfectissima remaneret potestas ciuilis Christiana, si coniuncta non esset cum spirituali Ecclesiastica, quæ in corpore mistico Ecclesiæ locum brachij dextri obtinet. De hac re legatur Opusc. quod D. Thom. tribuitur, de Regimine Principum lib. 1. cap. 14.

D. Thom.

Distinctio potestatis spiritualis à temporali in quocunq; statu hominis.

AD tertium, uerum est, quòd & in statu legis naturæ, tàm ante peccatũ quàm post, & in statu legis scriptæ in eadem persona concurrebat & potestas politica, & potestas spiritualis; illæ tamen erant distinctæ potestates, ut ex obiecto, & fine necessariò conuincitur, & nos in 2. q. 2. disputationis fusiùs trademus: tamen in lege gratiæ, & post Christum clariùs apparuit, has potestates esse distinctas, ut ibidem dicimus. De innocentiæ statu illud certum est, quòd sicut homines habuissent regimen politicum, vt D. Chrysost. scribit Homil. 34. in 1. ad Corinth. ita quoq; necessariò habuissent aliã superiorem potestatem spiritualẽ, per quam ad Deum colendum, vt opus est, dirigerentur; & sicut omnes nati fuissent in gratia, vt D. August. tradit lib. 1. de Baptis. Paruulorum c. 38. ità ad perseuerandum in ea, & ad Deum meritoriè colendum nouis diuinis reuelationibus, & auxilijs, & rectoribus non caruissent distinctis à politicis; fuissent enim tunc ingeniorum diuersitates, vt docet D. Tho. p. 1. q. 96. & 105. & varij perfectionis spiritualis gradus, alij alijs excellentiores, & ideo diuersi diuersa media habuissent ad finem supernaturalem consequendum: lege Pererium lib. 5. in Genes. q. 5. in disput. de statu innocentiæ. Adde quòd Adam non solum politica, sed etiam spirituali potestate functus est, fuit enim principium Ecclesiæ nõ solùm materiale, sed etiam formale, quia fuit caput, siue Doctor, & Rector Populi Dei, dum vixit: ità Card. Bellarm. lib. 3. de Eccles. cap. 16. Et non est, cur negetur Adam etiam ante peccatum obtulisse Deo sacrificium, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 85. art. 1. ad 1. Vide Suarez tomo 3. disput. 3. sect. 1. & 2. in 3. p. D. Thomæ.

D. August.

D. Thom.

Rex aut Princeps laicus non dicitur propriè sacra persona.

AD quartum. De hoc argumẽto exceptionis personarum Ecclesiasticarum à seculari potestate, iure diuino introductæ, & ex iure naturæ confirmatæ, & in Euangelio à Christo expresse, abundè in alijs nostris disputationibus tractatum fuit. Illud dumtaxat adijciendum est, Regem, & Principem secularem nec ratione personæ, nec ratione officij posse dici, vel esse, propriè loquendo, quid sacrum; prout Sacrum distinguitur à re prophana, seu laica, & seculari, quo modo in hac quęstione accipitur; quamuis largo modo inter res prophanas Principes, & leges humanæ sacræ appellentur ob venerationem, & obedientiam à laicis illis iure exhibẽdam, quocircà Imperator non inungitur sacra vnctione, nec consecratur ad spiritualẽ aliquam potestatem, vel effectum consequendum, sed ad diuinam sapientiam, & prudentiam cordis à Deo mediante vnctione obtinendam: vt de Salomone scribitur 3. Reg. 3. & est cæremonia quædam tantum externa, ad solemnitatem quandam, & euidentiam electi instituta: lege Aug. de Ancon. de potest. Eccles. q. 39. ar. 2. Nec Rex est Dei delegatus, vel minister absolutè, sed quoad laicos dumtaxat in eorum causis ciuilibus, & politicis. Concedit Franc. à Victoria in relectione de potestate Ecclesiastica, Regem non solum Laicorum, sed etiam Clericorum esse Regem, præsertim quantum ad temporalia, quæ Clericis non administrantur à potestate Ecclesiastica; sed incaute loquitur, cum Rex non sit superior, seu præpositus Clericorum; potestas autem Ecclesiastica cum sit ex se perfecta, & eminentior, complectitur quoq; ius politicum, & ciuile quoad Clericos, & etiam interdum quoad laicos; vt inferius demonstrabimus. Clerici namq; etiam in temporalibus nulli regiæ vel sæculari potestati coactiuè, & ex vi legis, seu officij regij subijciuntur, cum à seculo, & à laicis segregati in sortem Domini sint vocati. Nec Clericus est animal ciuile dumtaxat, sed

Contra Fran. de Victor. Regem non esse superiorem Clericorũ.

animal

animal ciuile Ecclesiasticum,& in ciuilitatem sacrã adscriptum;quocirca etiam in Politicis & ciuilibus causis essentialem respectum habet ad potestatem Ecclesiasticã,cui pleno iure subijcitur; sicut miles duci sui exercitus, immò magis. Ex dictis igitur rectè conclusum est,spiritualẽ potestatem præter laicam,& ciuilem necessario requiri, & esse in Dei Ecclesia.

QVAESTIO TERTIA.

An iurisdictio spiritualis sit antiquior temporali iurisdictione.

PROBARI potest, spiritualem iurisdictionem esse priorem,quoniam Adam absq;dubio creatus fuit ante Euam, vt patet ex lib.Genes.cap.2. & Sapientiæ 10. dicitur, Adamum primum, & solum fuisse creatum, & Paulus cap. 2. prioris Epist. ad Thimot. *Adam*, inquit, *primus creatus est deinde Eua;* quæ licèt eodem die sexto,quo Adam, formata fuerit,non tamen eodem loco,& tempore,hæc enim formata fuit,postquam Adam introductus fuit in Paradisum, & postquam ad eum fuerunt introducta animalia, & deinde cognita necessitate creandi mulierem in adiutorium eius, ex latere ipsius ædificata fuit Eua. Lege Pererium lib.4. in Genes.Est autem plusquam verisimile,immò necessarium coniectare,primum hominem,statim post quam fuit in perfecta ætate iuuenili, hoc est, in quinquagesimo anno,vt obseruat idẽ Pererius lib.4.q. 3. disp. de form. & præst.corp. vel in ea ætate,quæ quinquagesimo anno respondet, formatus, ante creationem mulieris,se ad ipsum Deum auctorem,& plasmatorem animo,ac corpore conuertisse,quemadmodum quilibet homo facere tenetur,cum primùm ad vsum rationis peruenerit, illumq; tanquam suum conditorem adorasse, eiq; & labijs, & corde pro beneficijs acceptis gratias egisse, quæ res aliquo modo ad spiritualem potestatem spectat, cum ex ipsius naturæ instinctu doceatur homo Deo sacrificium,cultum,& gratias offerre. Atqui politica, seu secularis potestas non potuit incipere,nisi existentibus non solùm duobus, sed etiam plurimis hominibus, circa quos politicum regimen exerceretur.

Argumenta ad probandũ, priorem esse spiritualem potestatem temporali.

IN contrarium est. Primò,quòd sicut corpus ante animam rationalem formatur,sic potestas temporalis, quæ circa temporalem vitam propriè versatur, prior videtur esse,quàm spiritualis,quæ animam respicit.

Argumenta, quòd prior sit temporalis potestas.

SECVNDO quoniam, vt dicitur 1.Corinth.15. *Nõ prius quod spirituale est,sed quod animale,deinde quod spirituale*. De hac materia legendus est Turrecremata,in summa de Ecclesia,lib.1. cap.90.91.& sequentibus & Aluarus de Planctu Ecclesiæ cap.68. Aegidius Romanus de regimine Principum lib.1.p.1. cap.14.& 2.p.cap.3. & 2. lib.cap.14.& 2. sentent.dist.12. dubio 6.& dist. 27.q. 1.art.3. D.Antoninus 3.p.tit.22.§.14.& August.de Ancona de potestate Eccles. q. 36. art. 1.& 7. Ad maiorem autem huius rei dilucidationem dicenda sunt aliqua.

ET primo dico, quòd cum iurisdictio potius sit in ordine ad subditos, quàm in ordine ad se ipsum; ideo omnes illi actus, quos Adamus elicuit subdendo se Deo,non fuerunt actus iurisdictionis ipsius Adami propriè loquendo,sed potius ijs recognoscebat iurisdictionem,quam erga illum Deus habebat; fuerunt tamen actus facultatis,& potestatis supernaturalis à Deo per gratiam acceptæ;qua credebat,& cognoscebat,Deum esse,& remunerantem esse.Ipsum autem Adamum

Adã in primordio suæ creationis nõ exercuit propriè actus iurisdictionis spiritualis, licèt vtraq; potestatẽ habuerit in homines alios.

erga

erga cęteros homines non solum habuisse Iurisdictionem temporalem, sed etiam spiritualem, his rationibus conuincitur.

PRIMO, quoniam eadem fundamenta, quibus innitimur ad asserendum, ipsum habuisse iurisdictionem temporalem, satis comprobant etiam habuisse spiritualem. Vtrumq; enim spectabat ad eum, qui cum esset caput generis humani, vtpote primus omnium hominum, & eorum progenitor, non tantum eos erat gubernaturus in politicis, sed maximè in spiritualibus, deducendo eos per media consentanea, & spiritualia ad finem supernaturalem.

SECVNDO quia in lege naturæ iurisdictio spiritualis temporalem comitabatur, vt constat in Samuele, & in alijs ante ipsum.

TERTIO, quoniam in lege naturæ Primogeniti erant Sacerdotes, vt constat in Melchisedech Rege Salem, & in Iacob filio Isaac, ad quem cum Primogenitura translatum est etiam Sacerdotium; ideo enim B. Paulus ad Hebr. 12. Esau prophanum vocat, quòd vendendo Primogenituram, vendidit etiam Sacerdotium. Verisimile autem est, (nec deerunt fundamenta in Patribus, & alijs sacris interpretibus, quibus id comprobetur) Sacerdotes, apud quos erat Primogenitura, & ius in alios, habuisse etiam iurisdictionem spiritualem; quemadmodum vtramq; habuisse Melchisedech credendum est. Cum autem hæc omnia, quæ ad Primogenituram, & consequenter ad vtramq; iurisdictionem spectabant, ortum habuerint ab Adamo, à fortiori penès illum vtramq; fuisse certius est.

Probabile est, Adamū prius vsum fuisse potestate spirituali, quam temporali supra alios homines.

SECVNDO dico, quòd cum Adā vtramq; habuerit iurisdictionem, verisimile est, prius spirituali, quàm temporali vsum fuisse; nam quemadmodum quilibet tenetur, secundum probabilem opinionem, conuerti ad Deum in primo instanti vsus rationis, vt dictū est; ita quoq; subditos suos ad hanc cōuersionem medijs proportionatis mouisse credendus est, & per ea ad finem supernaturalem deduxisse: & id magis, ac vehementiùs persuadetur, quoniam Adam, postquam expulsus fuit à Paradiso terrestri, statim post peccatum suum credidit, & sperauit in Christum venturum, vt mundi redemptorem, & peccati sui virtute futuræ passionis expiatorē, sperauitq; eius gratia, ac efficacia futuræ mortis per Crucē, suo à delicto se liberatū iri. Quocirca citiùs media pœnitentia in Dei gratiā, & amicitiam, in qua etiam mortuus est, vt habetur Sapientiæ 10. restitutus fuit; non enim diutiùs in suo delicto permansit, sed diuina sapientia *illum, qui primus formatus est à Deo, Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Lege August. Epist. 99. quæ est ad Euodium, & serm. 71. qui est de immolatione Isaac, Irenęum lib. 3. à cap. 34. vsq; ad 40. Epiphanium hæresi 46. Athanasium lib. de passione Domini, Cyprianum in serm. de resurrect. Ambrosium lib. 5. Epist. 19. & in 23. Cap. Lucæ, Theophylactum, & Euthymium in 20. cap. Matthæi, Origenem in tract. in Matth. 25. Facit Cap. Adam, dę pęnit. dist. 1. ex Ambrosio in lib. de pęnit. desumptum. Igitur verisimile est, Adamum primo loco suos posteros ad Dei cognitionem, & cultum sedulò, ac studiosè direxisse, cuius rei indicium euidēs est, quòd procreatis Cain, & Abel, illos post multos dies, hoc est, saltem cum ad vsum rationis peruenissent, quod non sine parentis iussu, atq; consilio factum fuit, Deo munera seu sacrificia obtulisse legimus Genes. 4. & occiso Abel, loco eius dedit illi Deus Seth filium, qui etiā peperit Enos, qui cępit inuocare nomen Domini, publicis nempè, ac sacris ritibus, & cęremonijs ab ipso primo parente acceptis. B. August. lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 21. scribit, quòd Enos filius Seth, est filius resurrectionis, qui sperauit inuocare nomen Domini; & quòd is fuit principium ciuitatis Dei, quæ per illum, qui sperauit inuocare nomen Domini, non sine diuino adiutorio coepta est. Quærit autem ingeniosè, qua ratione commemorato Enoch, qui fuit filius Cain; totius generationis eius vsq; ad diluuiū sit con-

D. Aug. & alij Patres Adamū saluū esse docēt.

tinuata

tenuta narratio; commemorato autem Enos, qui fuit filius Seth, ad conditionis humanæ principium fit reditum. Et respondet his verbis. Primò autem intuendum est, quẽadmodum cum ex Cain generationes enumerantur, commemorato ante cęteros posteros eius illo, in cuius nomine cõdita est ciuitas, idest Enoch, contexti sunt cęteri vsq; ad illum finem, de quo locutus sum, donec illud genus, atq; illa vniuersa propago diluuio deleretur; cum verò filius Seth vnus cõmemoratus fuisset Enos, nondum vsq; ad diluuiũ additis cæteris, articulus quidã interponitur, & dicitur: hic liber natiuitatis hominũ, qua die fecit Deus Adam, ad imaginẽ Dei fecit illũ; masculũ, & feminã fecit eos, & benedixit illos, & cognominauit nomen eorũ Adam, qua die fecit illos. Quod mihi videtur ad hoc interpositum, vt hinc rursus inciperet ab ipso Adã dinumeratio temporũ, quã voluit facere, qui hæc scripsit in ciuitate terrena, tãquam eam Deus sic cõmemoraret, vt nõ computaret. Sed quare hic reditur ad istam recapitulationẽ, postea quam cõmemoratus est filius Seth, homo, qui sperauit inuocare nomen Domini Dei, nisi quia sic oportebat istas duas proponere ciuitates, vnam per homicidã, vsq; ad homicidã, nam & Lamech duabus vxoribus suis sese perpetrasse homicidium confitetur; alteram per eum, qui sperauit inuocare nomen Domini Dei, hoc est quippe in hoc mũdo peregrinãtis ciuitatis Dei totũ, atq; ad summũ in hac mortalitate negotiũ, quod per vnum hominẽ, quẽ sanè occisi resurrectio genuit, commendandũ fuit. Homo quippe vnius totius supernæ ciuitatis est vnitas, nõdum quidẽ completa, sed præmissa ista prophetia præfiguratione cõplenda. Filius ergò Cain hoc est filius possessionis, cuius nisi terrenæ ciuitatis habeat nomen in ciuitate terrena, quæ in eius nomine cõdita est? De his est.n. de quibus cantatur in Psalmo, Inuocabunt nomina eorũ in terris ipsorũ, propter quod sequitur eos, quod in alio Psalmo scriptũ est. Domine in ciuitate tua imaginẽ eorum ad nihilũ rediges. Filius autem Seth, hoc est filius resurrectionis, speret inuocare nomen Domini Dei. Eam quippe societatẽ hominũ præfigurat, quæ dicit. Ego autem sicut oliua fructifera in Domo Dei speraui in misericordia Dei. Vanas autem glorias famosi in terra nominis non requirat. Beatus enim vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates, & insanias falsas. Propositis itaq; duabus ciuitatibus, vna in re huius seculi, altera in spe Dei, tamquã ex communi, quæ aperta est in Adam ianua mortalitatis egressis, vt percurrant, & discurrant ad discretos, proprios, & debitos fines, incipit dinumeratio temporum, in qua & aliæ generationes adijciuntur, facta recapitulatione ex Adã, ex cuius origine damnata veluti massa vna, meritæ damnationi tradita, fecit Deus alia in contumeliam vasa iræ, alia in honorem vasa misericordiæ, illis reddens, quod debetur in pœna, istis donans, quod non debetur in gratia, vt ex ipsa etiã comparatione vasorũ iræ superna ciuitas discat, quæ peregrinatur in terris, non fidere libertate arbitrij sui, sed speret inuocare nomen Domini Dei, quoniã volũtas in natura, quæ facta est bona à bono Deo, sed mutabilis ab immutabili ex nihilo ab eo, qui est, & à bono potest declinare, vt faciat malũ, quod fit libero arbitrio, & à malo, vt faciat bonum, quod non fit sine diuino adiutorio. Hactenus D. August. ibi; quem etiam legas cap. 18. & 19. eiusdem libri. Inuocare autem nomen Domini est primus actus Religionis christianæ, & hic est antiquissimus ante omnem actum politicum humanæ vitæ.

TERTIO dico, licèt simul tẽpore in omni Republica, Regno, Ciuitate, &c. fuerit temporalis, & spiritualis potestas, vel in eodem subiecto, vt nonnumquam accidit, & inferiùs dicemus; vel in diuersis, semper tamen prius natura, & dignitate potestas spiritualis eminuit; & semper actus spiritualis potestatis & iurisdictionis priores sunt actibus iurisdictionis temporalis: id enim necessa- *Sẽper potestas spiritualis prior est temporali.*

R riò

riò primum postulabat status naturæ integræ, vt dictum est; immo etiam in natura corrupta post peccatum id apparet, Abel enim, à quo tamquam à primo iusto, & totius humanæ iustitiæ Principe Ecclesia post Adæ peccatum Matth. 23. in ipso mundi principio, Sacerdotij exordium Diuina electione in populo Dei obtinuit, hostias, ac munera Deo gratissima obtulit, vt legitur Genes. 4. & ad Hebræos, 11. idq; ex fide passionis Christi futuræ. Vnde S. August. vel alius verior author, vt censet S. Thomas 3. p. quæst. 45. art. 3. lib. 1. de mirabilibus sacræ scripturæ cap. 3. tria maximè præconia iustitiæ in Abel fuisse testatur. Virginitatẽ, Sacerdotium, & Martyrium, atque in his tribus primum Christi figurã, & typum cũ gessisse affirmant. Recte ergo, inquit, cõpetebat, vt qui primus in terra iustus eligitur, in eo totius iustitiæ forma seruaretur, cuiq; primò in hominibus post delictum gestare figuram conceditur Saluatoris, qui Virgo, & caput, & Sacerdos, & martyr esse videtur. Præterea ante legem scriptam à tempore Noe priusquam regalis, seu imperialis potestas legitimè institueretur, Sacerdotium annexum fuit primogenituræ vsq: ad Sacerdotium legis; omnes enim primogenitos à Noè vsq; ad Aaron, Sacerdotes fuisse testatur S. Hieronymus Epist. 126. ad Euag. Vnde Melchisedech, quem dicunt Doctores, fuisse Sem filium Noè, Sacerdos Altissimi appellatur Genes. 14. licèt enim Rex etiam Melchisedech fuerit, cũ tamẽ non regalis dignitas, sed sacerdotium in eo annexum fuerit primogenituræ, necessariò consequitur, in illo sacerdotij dignitatem alias præcessisse. Tempore autem legis scriptæ sacerdotium præcessisse regalem dignitatem, constat ex cap. 10. libri primi Regum, vbi legitur, quòd Samuel Sacerdos inunxit iussu Dei Saulem in Regẽ, qui primus fuit Rex in Israel; sicut autem maior est qui benedicit, quam is, cui benedicitur, teste Apostolo ad Hebr. 7. ità qui consecrat, eo, qui consecratur.

Dominiũ Cain ante diluuium non fuit verum & legitimum.

NEC obstat, quòd S. Augustin. scribit lib. 15. de ciuitate Dei, Cain ante diluuium fuisse primum Dominum inter homines, quo tempore nullum videtur fuisse sacerdotium. Respondetur enim, Dominium illud Cain fuisse tyrannicum per violentiam, & oppressionem sibi principatum quærentis, & ideo antequam hoc dominium vsurparet, præcesserat oblatio Abel, quæ fuit vera actio sacerdotalis, cum Dominus non solum ad illã respexerit, sed etiam testimonium perhibuerit muneribus eius ad Hebr. 11. igne nempe de cęlo misso, vt S. Hieronymus in lib. Traditionum hebraicarũ in Genes. testatur. Ampliùs, quoniam Noe post diluuium, antequàm vlla de dominio, aut de Regno mentio in scripturis fiat, egressus de arca cum filijs suis, & vxore, vt legitur Genes. 9. ædificauit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare, odoratusq; est Dominus odorem suauitatis. Nemroth verò quartus à Noe, licèt fuerit robustus venator coram Domino, idest oppressor, & extinctor hominum, ut exponit Alcuinus; nullius tamen Regni, vel Ciuitatis legitimus possessor, & author fuit, nisi Babylonis; & magis tyrãnicum, & vsurpatum latrocinium, quàm Regnum dominium illius dicendum est. Nec obstat similiter; verum sacerdotium in Christo, & Petro exordiũ habuisse, quoniam licèt quoad personam Petri, institutio sacerdotij, seu potestatis spiritualis per Christum tunc cęperit; tamen in figura sacerdotium Christi ante omnẽ aliam potestatẽ in omni statu naturæ, tàm incorruptæ, quàm corruptæ, legis scriptæ, & gratiæ, in populo Dei omnem regalem, & temporalẽ potestatem præcessit; vnde dicitur sacerdotum Christi æternum, non solum à parte post, sed etiam ab exordio mundi, cum dicatur Christus hostia, & agnus occisus ab origine Mundi Apoc. 13.

Sacerdotiũ Christi in figura præcessit omnem aliam potestatẽ.

QVARE concludendum est, simpliciter, & absolutè potestatem spiritualem formaliter loquendo, antiquiorem dicendam esse, hoc est perfectione priorem, & non

& non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum; materialiter verò hoc est quantum ad subiectum, in quo est, & quoad illos, circa quos exercetur, potestatem temporalem antiquiorem, & priorem ea dici posse, vel saltem coçuã, sicut etiam dicimus, quòd natura est prior gratia, materialiter nempe & subiectiue, ac ordine generationis, vt etiam in simili dicit S. August. cap. 2. eiusdem lib. 15. de Ciuit. Dei his verbis. Natus est igitur puer Cain ex illis duobus generis humani parentibus pertinens ad hominum Ciuitatem; posterior Abel ad ciuitatẽ Dei, sic enim in vno homine, quod dicit Apostolus experimur, quia non primum, quod spirituale est, sed quod animale, postea spirituale. Vnde vnusquisq; quoniam ex damnata progenie exoritur, primo fit, necesse est ex Adam malus, atque carnalis: quòd si in Christum renascendo profecerit; post bonus, & spiritualis, sic in vniuerso genere humano, cũ primum duæ istę cęperunt nascendo, atq; moriendo, percurrere ciuitates, prior est natus ciuis huius seculi, posterius autem iste peregrinus in seculo, & pertinens ad Ciuitatem Dei gratia prædestinatus; gratia electus, gratia peregrinus deorsum, gratia ciuis sursum. Nam quantum ad ipsum attinet, ex eadem massa oritur, quæ originaliter est tota damnata, sed tamquam figulus Deus, hanc enim similitudinem non imprudenter, sed prudenter introducit Apostolus, ex eadem massa fecit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; prius autem factum est vas in contumeliam, post verò alterum in honorem, quia & in ipso vno, sicut iam dixi, homine, prius est reprobum, vnde necesse est incipiamus, & vbi nõ est necesse, vt remaneamus; posterius verò probum, quo proficientes veniamus, & quo peruenientes, maneamus. Proinde non quidem omnis homo malus erit bonus, nemo tamen erit bonus, qui non erat malus; sed quanto quis citius mutatur in melius, hoc in se facit nominari, quod apprehendit celerius, & posteriore cooperit vocabulum prius; scriptum est itaq; de Cain, quòd condidit Ciuitatem. Abel autem tanquam peregrinus non condidit; superna enim sanctorum Ciuitas, quamuis hic pariat ciues, in quibus peregrinatur, donec regni eius tempus adueniat, cum congregatum est, omnes in suis corporibus resurgentes, quãdo eis promissum dabitur regnum, ubi cum suo principe rege seculorum sine ullo temporis fine regnabunt. Et alia in hanc sententiam: & infra. Inuenimus ergò in terrena ciuitate duas formas, vnam suam præsentiam demonstrantem, alteram cęlesti ciuitati significãdæ sua præsentia seruientem. Parit autem ciues terrenæ Ciuitatis peccato vitiata natura, cęlestis verò Ciuitatis ciues parit à peccato naturam liberans gratia, vnde illa vocantur vasa iræ, ista vasa misericordiæ: significatum est hoc etiam in duobus filijs Abrahæ, quando vnus de ancilla, quæ dicebatur Agar secundum carnem natus est Ismael; alter autem est de Sara libera secundum repromissionem natus Isaac. Vterq; quidem de semine Abrahæ, sed illum genuit demonstrans consuetudo naturam, istũ verò dedit promissio significans gratiam; ibi humanus vsus ostenditur, hic diuinum beneficium commendatur. Hactenus ille. Nunc ad rationes in principio quæstionis positas respondendum est.

AD primam patet responsio ex dictis: Actus enim ille Adam erga Deum, non erant actus iurisdictionis, sed cultus, & latriæ in Deũ; quos verò exercuit in subditos, & posteros, erant actus iurisdictionis. *Soluuntur argumenta superius allata.*

AD secundã dicimus, quòd materialiter corpus est prius anima ordine generationis, & prima pars; vnde Adã factus ex terra fuit, quæ ante Adã creata est. Sunt tamen duo principia humani generis, vt notat S. Tho. in exposit. 1. Corin. cap. 15. lect. 7. Vnũ secundũ vitam naturæ, scilicet Adã; aliud secundum vitam gratiæ, nempè Christus; ab illo potestas politica, quæ humanam conuersationem, & societatem consequitur, deriuata est; ab hoc verò potestas spiritualis. Vnde ille dicitur in animã viuentem factus; ità n. Apostolus loquitur de vita, *S. Thomas.*

 secun-

secundum quam anima deseruit corpori, eiusq; curæ intendit, vegetando, nutriendo, generando, & efficiendo, vt homines inuicem ciuiliter, & politicè conuersentur; hic verò, idest Christus in spiritum viuificantem, cum ab eo vita, gratia, & gloria procedãt; habet.n. Christus potestatẽ viuificantẽ Ioan. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus;* Et iterũ, *Verba vitæ æternæ habes;* Ioan. 6. & à Christo, seu per Christũ omnis spiritualis potestas, atq; etiã tẽporalis ad finem supernaturalẽ directa, in pręteritos quoq;, qui ante Christũ fuerunt, virtualiter emanauit Genes. 2. 1. Cor. 10. Apo. 13. Nõnulli dicunt, ciuile, & politicũ regimen deriuari a Deo, vt est auctor naturæ; spirituale verò ab eodẽ Deo, vt est auctor gratię, & gloriæ: sed hæc distinctio eũdem sensum facit, quẽ in proxima distinctione declarauimus. Repręsentant quidẽ principes, & Magistratus Deũ, vt est author, & conseruator naturæ, personæ verò Ecclesiasticæ repręsentant eundem Deum, vt est donator, & largitor gratiæ, & gloriæ: Quo circà concludẽdum est, Clericos maioris authoritatis, perfectionis, & superioris gradus esse, quãtum ad actũ, quàm sint Reges, & Principes laici, sicut gratia, & gloria naturam in multis superant.

Ioan. 1. & 6.

AD Tertium dicimus cum S. Thoma ibidem, quòd ibi Apostolus ostendit ordinem principiorum humani generis; videmus enim in natura, quòd in vno, & eodem prius est imperfectum, quàm perfectum; vnde cum spiritualitas se habeat ad animalitatem, sicut perfectum ad imperfectum, in humana natura non prius debet esse spirituale, quod est perfectum; sed vt seruetur ordo, prius debet esse imperfectum, scilicèt quod animale est, deinde perfectum, scilicèt, quod spirituale, iuxta illud in eadem Pauli Epist. cap. 13. *cum venerit quod perfectum est* &c. sicut dicit B. August. lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 1. Huius signum est, quòd primogeniti antiquitùs consueuerunt esse animales, sicut Cain ante Abel natus, Ismael ante Isaac; & Esau ante Iacob. hæc ex S. Tho. At nos sermonem facimus de potestatibus, quibus homines reguntur, & gubernantur, quarũ ordo, ac prioritas, ex earũ fine potissimum petẽda est: & sicut in primo parẽte simul cũ gratia natura condita fuit, sic etiam dicendum est, vtramq; potestatem simul tempore incepisse, licèt quoad exercitiũ, & vsum prior fuerit in eo vsus potestatis spiritualis, quàm temporalis, vt expositum est. Adde quòd Adam principalius creatus fuit propter finem supernaturalẽ, quàm propter finem naturalem; statimq; vt factus est, habuit perfectum vsum rationis, ac proinde statim potuit, ac debuit se ipsum dirigere, ac referre, aliosq; promouere ad vltimum suum finem supernaturalẽ. Nec tantùm Adam recepit gratiam secũdum habitum, sed etiam cum eius actu, & vsu, hoc est, concurrendo ad receptionem gratiæ cum actu liberi arbitrij, eiq; consentiẽdo, & in Deum tendendo per actum fidei, & dilectionis, cum in perfecta ætate conditus fuerit, vt docet D. Th. p. 1. q. 95. art. 1. ad 5. Et quamuis cęteri homines in statu innocentiæ in gratia nati fuissent, eius tamen gratiæ actum, & vsum, ante tempus vsus liberi arbitrij non habuissent. Lege D. Thom. 1. p. quæst. 100. art. 1.

Natura incipit ab imperfectioribus.

B. Augustin.

RVPERTVS Abbas lib. 2. in Gen. cap. 39. agens de ingratitudine hominis, qua nullam Deo gratiarũ actionẽ egit, mirabilem doctrinã attulit sic scribens. Hic tamen animaduertendum est, quàm pertinaciter homo primus, homo terrenus, à Creatoris laude mutus perstitit, quàm obstinatis labijs ab omni gratiarum actione abstinuit, & ingratum Domino Deo silentium dedit; formante Deo, & inspirante spiraculum vitæ factus in animam viuentem, non suspirauit eodem spiraculo vitæ acceptæ in plastæ sui faciem, vt adoraret, & eum glorificaret, & ei gratias ageret. Itẽ ab eodẽ Domino Deo positus in Paradisum voluptatis, nullas ei gratias egit, & taciturna ingratitudine tantum tàmque facilem delitiarum Dei locum, quasi rapinam arbitratus occupauit. Ecce nunc tertio diuinæ dignationis dono locupletatus est, in eo quòd fecit ei adiutorium simile sui,

Notabilis Ruperti doctrina de ingratitudine Adami.

le sui, adiutorium inquam, ad hoc vt crescere, & multiplicari posset, & de se vno propagata felici progenie terram viuentium repleret. Siue hoc tertium, siue secundum, vt supra dictum est, beneficium Dei fuerit, tribus plane diuinæ beneficentiæ dilatatus muneribus, tacet adhuc, & nihil quod laudem Domini reso net, eloquitur, nec vllum dilectionis, vel gratiæ verbum in ore eius fuisse scriptura testatur. Qui ergo gratiam Dei non agnouit, non mirum quoad hoc, vt & peccaret, & peccatum suum nõ agnosceret, quia res vicina est. Hæc ille. Sed Ruperto respondet D. Thom. 2.2. q.85. art. 1. ad 2. quòd Adam obtulit sacrificium Deo, sicut alij iusti, sed non est scriptum, ne origo peccati videatur esse origo sanctificationis & gratiæ.

CONCLVDENDVM est igitur, spiritualem potestatem, & iurisdictionem, etiam tempore potiorem esse temporali iurisdictione, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum.

QVAESTIO QVARTA.

Quænam sit primaria radix, & immediatum Fundamentum iurisdictionis spiritualis, & temporalis.

ÆC quæstio sub alio titulo proponi solet, videlicet. Vtrum potestas secularis, per quam Populus regitur, quantum ad temporalia, sit à Deo, quemadmodum & spiritualis. Et est quærere, quęnam sit origo primaria vtriusq; potestatis. Et videtur quòd vtraq; potestas eodem modo à Deo emanet, & proficiscatur. Proponuntur argumenta, quòd vtraq; potestas eodẽ modo sit à Deo.

PRIMO, ex verbis Apostoli ad Roman. 3. *Non enim est potestas nisi à Deo;* & rursus, *Quæ autẽ sunt à Deo, ordinata sunt.* Et rursus. *Qui resistit potestati; Dei ordinationi resistit:* Immediatum igitur fũdamentũ, & origo potestatis etiam temporalis ex Apostoli doctrina Deus erit.

SECVNDO, & est ratio D. Thomæ in eundem locum Pauli. Quicquid. n. cõmuniter de Deo, & creaturis dicitur, à Deo in creaturas deriuatur, sicut patet de sapientia Ecc. 1. *Omnis sapientia à Domino Deo est;* Potestas autem de Deo, & hominibus dicitur Iob. 36. *Deus potestates nõ abijcit, cum ipse sit potẽs.* Vnde consequens est, quòd omnis humana potestas sit à Deo. Dan. 4. *Dominabitur excelsus in regno hominũ, & cuicumq; voluerit, dabit illud.* Ioan. 19. *Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper;* igitur, &c. Ecclef. 1. Iob. 36. Dan. 4. Ioan. 19.

TERTIO, quia si dominiũ, & potestas regendi populũ nõ esset à Deo; Rex, vel Princeps, Dei minister non esset, quod est contra Apostolum sæpius repetentem in loco citato, quòd habentes sublimiores potestates, Dei ministri sunt.

QVARTO, quoniam subiectio, & obedientia Populorum erga Principes seculares in eo fundantur, quòd Dei locum tenent, eiusq; voluntatẽ in eorum regimine Populis proponunt, & interpretantur, iuxta illud 1. Petri 2. *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis.* Ita quoq; dicitur Prouerb. 8. Sapient. 6. & ad Rom. 13. 1. Petr. 2.

QVINTO, quoniam ordo, quo inferiores potestatibus superioribus subduntur, est à Deo 1. Petri 2. *Subiecti estote non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis.* Quod ea ratione præcipitur, quoniam propter officij sublimitatem cæteri Regi, seu Principi subijciuntur: vnde ad Ephes. 6. monet Paulus, non ad oculum illis seruiendum esse, quasi hominibus placendo, sed ex animo cum bona voluntate, tanquam debitum persoluendo, ergo & ipsa potestas Principum, in quantum talis est, à Deo est; & sicut ordo rerum infe- Ad Ephef. 6.

riorum,quæ ratione carent,cum superioribus,immò etiam Angelorum inter se, est à Deo,ita quoq; hominum inferiorum cum superioribus.

IN contrarium videtur esse,quod dicitur Oseæ 8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me. Principes extiterunt, & non cognoui*, potestas igitur Principũ à Deo non est.

Argumenta ad probandũ, potestatẽ temporalẽ à Deo non esse.

SECVNDO, quoniam in potestate, vel regimine Domini temporalis sæpe multæ deordinationes reperiuntur; igitur talis potestas,seu dominium, nõ est à Deo,quæ enim à Deo sunt, non inordinata sunt.

TERTIO, quoniam dominia infidelium,ac Tyrannorum,& Hæreticorum nequaquam à Deo videntur esse,non enim Deus concupiscit multitudinẽ filiorum infideliũ,& inutiliũ Eccl. 15. & multo minus Regũ infideliũ,& peruersorũ.

Tripliciter considerari potest aliqua potestas.

PRO resolutione huius quæstionis animaduertendum est,quòd Regia potestas,vel cuiuscumq; alterius dignitatis auctoritas triplici modo considerari potest;vel quantum ad ipsam potestatem,& eius originem, vel quãtum ad modum adipiscendi,& consequendi potestatẽ,vel quantum ad vsum,& exercitium eius, post quã homo illã obtinuerit:& hæc distinctio est D.Tho.loco superiùs in Epist. ad Rom.citato, Card.Petri Bertrãdi in opusc.de regimine,& vsu iurisdictionũ,& cõmuniter ab alijs scriptoribus in hac materia ponitur. Quocirca huiusmodi distinctionẽ sequẽtes,nõnullas propositiones in dilucidationẽ huius rei ponemus.

PRIMA PROPOSITIO.

Temporalis potestas nõ est immediate à Deo.

OMNIS potestas secularis,siue Regia,siue Imperialis, siue quæcumq; alia sit, regulariter loquendo, non est à Deo immediatè, nec ab eo proximè originem trahit,sed tantùm remotè,& mediatè. Hic non agimus de lumine naturæ, de quo erit secunda propositio,sed de eo,quod à Deo fit, & ordinatur noua aliqua reuelatione, vel præcepto, præter lumen naturæ. Hæc propositio sic declarata affirmat,quòd immediate non sit à Deo huiusmodi potestas;& probatur.

PRIMO, quoniam Deus per se ipsum,ac proprio ore,exceptis paucis nonnullis Regibus in Regno Israel, nimirum Saule,Moyse,Dauide,eiusq; filijs,nullum in orbe terrarum dominium,vel Regnũ,nullumq; genus dominij, ac principatus,nec in vniuersali,nec in particulari, à principio,quo creauit genus humanũ;nec deinceps constituit,neq; quid tale alicui,dempto fortè vno Adamo, de quo supra sermonem fecimus;& solo Christo,Matth. vltimo,specialiter cõmisit, nec dedit particulare præceptum,seu fecit specialem ordinationem,vt quis præesset huic,vel illi Regno,seu Reipublicæ; quòdq; iste,vel ille Populus huic, vel illi Regi subiectus esset:id enim in sacris scripturis,excepto regno ac regibus Israeliticis,& Christo eiusq; regno,non legitur;nec per aliquam specialem reuelationẽ diuinã,præceptum, vel ordinationẽ Dei habetur, vt ex se patet:hoc enim intelligimus,& supponimus à Deo immediatè originem trahere, quod per diuinam reuelationẽ,Dei præceptũ,vel ordinationem proximè statuitur,præter illius vniuersalẽ,& communẽ omnium rerum curam, prouidentiam,& administrationẽ.Dictum est autẽ,in orbe terrarũ,quoniã dominiũ Angelorũ Christo dũtaxat, etiã vt homini datum fuit,Matth.vlt.*Data est mihi oĩs potestas in Cęlo,& in terra.*

SECVNDO, quoniã humanorum regnorũ constitutio, atq; diuisio humano iure gentiũ proximè introducta est,vt superiùs ostensum est in 1.q. non igitur à Deo immediatè,quod præcisè in hac 1. propositione probare contendimus;nec illa priuilegia paucorũ inferunt,vel faciunt legem cõmunẽ:de qua re lege Innocentiũ,extra de foro competenti,cap. Licèt ex suscepto. Atq; in hoc puncto principaliter differt iurisdictio temporalis à spirituali,vt inferius dicemus. Vide Sanderum, lib. 2. de Visib. Monarchia c. 1. vbi hanc distinctionem & doctrinam à nobis traditam mirificè illustrat.

SECVN-

SECVNDA PROPOSITIO.

IVRISDICTIO, & potestas secularis, per quam populus regitur, quantum ad temporalia, est quidem à Deo, sed mediatè. Explico. Authoritas iurisdictionis, seu regiminis ea dumtaxat ratione est à Deo, quia secundum lumen naturale, & rectam rationem, quam Deus indidit homini, necessarium, & conueniens est, temporalem auctoritatem regiminis esse inter homines, & quòd ipsi inter se de hoc conueniant, & disponant. Hanc conclus. ponit Victoria, in tractatu de potestate ciuili, num. *6*. & Sotus loco citato.

Potestas temporalis est à Deo mediatè.

PROBATVR conclusio. Illud quod est debitum, & necessariũ est, vt sit in hominibus secundum rectam rationem, est debitum, vel necessarium, vt sit in eis secundum diuinam ordinationem, mediante lumine naturæ, expositam, & declaratam; quoniam ad hoc Deus hominibus rationem indidit, vt ipsi secundum rationem viuant; sed secundum rationem debitum est, potestatem regiminis esse inter homines, ergò illud idem est secundum diuinam ordinationē, medio lumine naturæ propalatam; maior iam patet, sed minor probatur.

PRIMO. Quoniam aliàs inter homines sempiternus horror, & perpetua inordinatio, maximaque confusio esset; quæ omnia hominis naturæ, etiam in statu peccati repugnant, nam aliter non posset humanarum rerum status conseruari, vt rectè dicit D. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. *6*.

SECVNDO. Quia illud est secundum rectam rationem in moribus, quod est secundum conformitatem ad bonitatem, quæ est in rebus naturalibus, quia ars imitatur naturam. S. Thomas 2. 2. q. 50. art. 4. & ff. de adopt. l. adoptio; sed potestas dominij, & regiminis est secundum conformitatem bonitatis, quæ est in rebus naturalibus, ergo &c. Minor per syllogismum adhuc probatur, quia in naturalibus inferiora reguntˉ per superiora, & multitudo per vnũ; Denique totum Vniuersum ad modum exercitus ordinatˉ sub vno Principe, qui est Deus, vt dicitur 12. Met. ergò &c. Item Philosophus dicit primo Politicor. quòd in omni potestate ordinata naturale est, & expediens, vt vnus principetur, & cætera sint subiecta; ergo in pluralitate hominum debitum est, & expediens, vt vnus principetur, & cæteri sint subiecti; in hoc autem consistit ordo, & ratio potestatis, & dominij, ergo potestas, & dominium ad regendum populum est hominibus secundum debitum rationis, & diuinæ ordinationis per illustrationem naturæ manifestatæ. Ad hoc facit ff. de orig. iurisd. l. 2. §. nouissimè: quo etiam sensu intelligenda sunt verba Salomonis, Prouerbior. 8. *Per me Reges regnant*. & 1. Regum 8. *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos*. Sic igitur omnis potestas secularis à Deo est, quantum ad originem, mediatè tamen per lumen naturæ, quod dictat, Principes ad bonum regimen populi instituendos esse, vt illi, qui amore virtutis non prouocantˉ ad vitandum malum, & faciendum bonum, cogantur ad hoc timore pœnæ à Principe decretæ, atque propositæ.

Vniuersum per modum exercitus ab vno tantum primo Principe gubernatur.

TERTIO. Quoniam natura humana id essentialiter connexum habet, vt homo socialem vitam ducat; ea est enim natura hominis, vt inquit Arist. primo Polit. 2. vt sit animal sociale; in hoc namque distinguitur homo à brutis, quòd scilicet hæc ita sint à natura instructa, vt sibi singula sufficere possint; ille verò tam multis indiget rebus, vt nequeat solus viuere sine cęlesti miraculo, vt accidit Paulo primo Eremitæ, Mariæ Magdalenæ, Mariæ Ægyptiacæ, & similibus, qui à Deo, & Angelis alebanˉt, & non natura tantùm, sed potius Dei gratia in eo statu diutius viuebant: etenim licèt homo habeat manus, & rationem, quibus omnia instrumenta parare possit; singula tamen longum tempus requirunt, immò

Naturaliter homo non potest solus viuere.

immò sine socio, seu alio homine adiuuante vix vnus homo ad omnia sibi sufficere potest, etiam in his, quæ ad vitam sustentandam necessaria sunt; immò homo ad protegendum se ab impetu latronum, & ferarum alterius hominis auxilio indiget; nec artes, seu scientiæ acquiri possunt sine Doctore; nec multæ virtutes, & præcipuè iustitia, exerceri, & conseruari possunt, nisi in societate; cum iustitia sit virtus constituens æqualitatem inter plures: Si ergo natura humana socialem vitam requirit, profectò etiam regimen, & Rectorem, Deo naturaliter admonente, exposcit; impossibile enim est, multitudinem diù consistere, nisi sit qui eam contineat, & cui cura boni cõmunis ex officio incumbat; *vbi .n. non est Gubernator, populus corruit*, vt dicitur Prouerb. 11. sicut etiam nisi in composito esset anima, quæ partes, potentias, & elementa contraria contineret, omnia illicò soluerentur. Adde, quòd societas non est nisi multitudo ordinata; confusa enim, & dispersa multitudo nequaquam societas appellari potest, cum careat ordine, qui in serie quadam inferiorum, & superiorum consistit.

Prouerb. 11.

QVOCIRCA necessario concludendum est, in societate humana Rectores ex iure naturæ, quod etiam est ius Diuinum, vt potè à diuina ratione institutum, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 50. art. vlt. habendos, & constituendos esse, itaut nec orbis totius consensu tolli, vel abrogari possint, vt bene notauit Franciscus à Victoria loco citato.

D. Thomas.

EVTHYMIVS in Psal. 148. exponens illa verba, *Reges terræ, & omnes populi, Principes, & omnes iudices terræ*, egregiè ait, in illis verbis Prophetam aliud pertractare diuinæ prouidentiæ genus, de Principum scilicet, ac Regum constitutione: est etenim diuinæ sapientiæ opus, vniuersum orbem in principes, atque in subditos distinxisse. Reges autem, & principes, & iudices appellat, eo quòd dominentur, regant, & iudicent. Laudate enim, inquit, Dominum vos quidem, quia præpositi, & præfecti estis, populi verò, quia studio, atque cura, & sollicitudine superiorum à Deo donati sunt. Vnà autem omnes id facite, quoniam ex hac ordinum varietate ordinẽ quemdam Deus in humano genere constituit. Verùm quòd principes imperent, ac dominenẽ, diuinum quidem opus est, hoc est, à Deo datum, quòd verò male imperent, hoc ad ipsorum principũ pertinet peruersitatem. Simili modo, quòd praui homines ad imperium assumantur, maligni, ac praui ipsi homines in causa sunt. Dicens autem, omnes populos, non viros tantùm, sed mulieres etiam comprehendit, & omnem denique generationem, atque omnem ætatem. Hæc ille.

VERVM antequam alias propositiones proferamus, nonnulla obseruanda sunt. Primò, de gubernatione, seu potestate triplici modo loqui nos posse, vel in genere, vel in specie, vel in indiuiduo. Quòd si de potestate, seu iure regendi, & gubernandi in genere sit sermo, non descendendo in particulari ad species gubernationis, scilicet ad Monarchiam, Aristocratiam, vel Democratiã, vtique dicendum est, iure diuino naturali introductum esse regimen multitudinis, seu rationem, & ius gubernandi; quod innuit Paul. ad Rom. 13. illis verbis; *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*. Et aliquo modo dici posse affirmandum est, vt sic, esse immediatè à solo Deo; non enim hoc ius regendi, & gubernandi multitudinem in genere acceptum dependet ex consensu hominũ, & ex libera voluntate ipsius multitudinis, sed necessariò naturam hominis consequitur, & est ab illo plantatum in homine, qui fecit naturam hominis; licèt non sit immediatè à Deo, scilicet per nouam aliquam reuelationem, præceptũ, & ordinationem hominibus factam; sed ex ipso lumine naturæ profluens, quod Deus, & natura in hominum mentibus impressit, atque signauit; non enim Deus, & natura volunt, hominum multitudinem esse confusam, & errantem, sed ordinatam, atque directam.

Tribus modis sermo esse potest de potestate siue dominio, in genere scilicet, in specie, & in indiuiduo.

SECVN-

SECVNDO obseruandum est, hanc potestatem, & ius regendi existere in tota hominum multitudine, tamquam in subiecto, cum ius diuinum, tam naturale, quàm positiuum nulli homini particulari dederit hanc potestatem, excepto forsan Adamo, & nonnullis alijs paucis superiùs nominatis; sublato enim iure positiuo humano, seu iure gentium, non est maior ratio, cur ex multis æqualibus vnus potiùs, quàm alius dominetur; nec aliàs humana societas perfecta esset, nisi haberet ius se ipsam conseruandi, defendendi, & perturbatores pacis puniendi, & similia.

Potestas dominandi ex natura sua est in tota multitudine, & non in aliquo particulari.

TERTIO, obseruandum est, eodem iure naturæ multitudinem transferre hanc potestatem in vnum, vel plures; cum enim per se ipsam multitudo hanc potestatem exercere nequeat, nec enim singulis principari conuenit; tenetur eã in vnum aliquem, vel nonnullos paucos transferre. Atque hoc etiam modo potestas Principum in genere considerata, & vt talis est, à Deo est; hoc est, de iure naturæ diuino. Nec vniuersum genus hominum, etiam si totum simul conueniret, posset contrarium statuere, nimirum, vt nulli essent Principes, vel Rectores: constituta est enim à Deo, & à natura in multitudine, seu Republica, omnibus etiam ciuibus inuitis, potestas regendi, & defendendi se ipsam: in quo munere ciuiles Reges, seù Principes positi sunt, vt optimè Victoria, vbi supra num. 9. Licèt hic videatur distinguere inter potestatem, & auctoritatem, & hanc putat à Republica, seu multitudine datam, & translatam fuisse in Regem, vel Principem; non autem potestatem, quam affirmat illos à Deo, non ab hominibus prorsus, nec ab ipsa Republica habere. Verùm hæc distinctio nobis non placet, cum is, qui dat potestatem, auctoritatem quoque tribuat, & è contra; si tamen hæc ab inuicem distinguuntur, quod non credo, nec probo; auctoritas enim principatum sonat, vt notat Scotus in 4. distin. 15. quæst. 2.

Multitudo ex iure naturæ potest in vnũ, vel plures transferre ius dominandi.

QVOD si loquamur in particulari, & speciatim de singulis speciebus regiminis, vel per Regem, vel per Consules, vel per Magistratus, vel per Principes exercendis; tunc dicimus, hunc modum potestatis, & formam regendi non esse de iure naturæ, nec de iure diuino, sed ex consensu multitudinis dependere, in cuius etiam manu est (præsertim si legitima causa adsit) mutare Regnum in Aristocratiam, aut Democratiam, & è contrà, vt Romæ factum fuit. Adde quòd ius, & auctoritatem Principis in regendo restringere, mutare, & ampliare in manu multitudinis est, vt in Republica accidit; atque huiusmodi potestatem sic in specie acceptam dicimus esse quidem à Deo, sed mediatè, nimirum mediante consilio, & electione merè humana, quæ transfert in electum suam potestatem, vt sunt alia omnia, quæ ad ius gentium pertinent. Itaque & subiectũ, & obiectum, & actus, & duratio, & modus talis potestatis ex mero humano iure procedunt.

Ex consensu ipsius multitudinis mutari potest forma regiminis iure humano.

SI verò in indiuiduo potestas terrena, & secularis consideret, eodem modo dicendum est, non esse à Deo immediatè, nec de iure naturæ; sed de mero iure humano, nempè gentium: est autem ius gentium quasi conclusio deducta ex iure naturæ per humanum discursum, exceptis tamen nonnullis paucis in Regno Israel à Deo indiuidualiter electis, vt sæpè dictum est; licèt possit dici originaliter, & remotè in Deum referri, & ab eo dependere ratione potestatis in genere absolutè, & vniuersaliter consideratæ: ita D. Thom. loco citato ad Romanos, & D. August. lib. 4. & 5. de Ciuitate Dei ferè per totum. Constat igitur ex dictis, quòd politica potestas in vniuersum considerata, est de iure diuino naturali, in specie verò, & in indiuiduo considerata, est de iure gentium, quod est ius positiuum humanum, ac ciuile. Qua in re Politica potestas ab Ecclesiastica, & spirituali summopere differt, vt inferiùs suo loco exponemus.

D. Augustinus

TER-

TERTIA PROPOSITIO.

Spiritualis potestas est à Deo immediatè.

POTESTAS, & iurisdictio Ecclesiastica est à Deo originaliter, ac proximè, & immediatè, non solum in genere, sed in specie, & in indiuiduo, quoad Petrum, & eius successores, considerata. Explico. Fundamentalis radix, & origo huius potestatis (loquimur hic de potestate Ecclesiastica in statu Euangelij, in quo solum reperitur auctoritas, seu potestas propriè, & perfectè spiritualis) est ipse Deus immediatè, videlicet Christus instituens, & tradens eam certæ personæ, scilicet Petro pro se, & suis successoribus, à quibus deriuatur in alios.

HÆC Propositio apertè habetur in Euangelio Matth. 16. & 18. Ioan. 20. & 21. Neque in probatione illius magnoperè nobis laborandum erit, cum sit res notissima apud Christianos, præsertim Catholicos. Legendi sunt de hac re Nicolaus Sanderus de visibili Monarchia, Caietanus locis inferiùs citandis, & Bellarmin. lib. 1. de Romano Pont. cap. 5. & sequentibus. Nec solum hæc potestas Ecclesiastica est de iure diuino propriè, & strictè accepto, & immediatè à Deo in vniuersali, sed etiã in specie; immò in indiuiduo, vt diximus; cum Christus ritus essentiales Sacramentorum, & gradus Ecclesiasticorum ordinum in hierarchia Ecclesiastica ab ipso erecta instituerit, vt habetur 1. Cor. 11. atque etiam iurisdictionem forensem in Ecclesia; Matth. 16. & 18. Ioannis 20. & 21. Successio item Summorum Pontificum, non solum quoad potestatem in vniuersali acceptam, sed etiam in specie, & in particulari, seu in indiuiduo, quoad hãc potestatem, quæ hodie existit in S. D. N. Paulo Quinto, est de iure diuino, & ex Christi institutione, cum sit eadem potestas numero; quæ fuit in Petro; idem officium, & eadem authoritas numero, quam habuit Petrus. Lege Augustin. de Ancona lib. de potestate Ecclesiastica q. 3. art. 7. Adde, quòd successio, & series Romanorum Pontificum est quoque à Christo in Petro vniuersaliter, ac formaliter instituta; neque enim dedit Petro præfecturam Pontificiam ad tempus, sed duraturam in Ecclesia vsque ad finem mundi in Petri successoribus, vt optimè probat S. Thom. in 4. contr. Gent. cap. 76. & Caietanus in opusc. tom. 1. tract. 1. cap. 20. 21. & sequentibus, & tractatu 3. de Romanor. Pontificum institutione cap. 3.

Potestas Pontificia etiam in indiuiduo est immediatè à Deo, licèt applicatio ad talem personã sit mediatè.

ITAQVE non solum effectiuè, seu ex parte causæ efficientis; sed etiam subiectiuè, seù ex parte subiecti canonicè electi, ac proinde omnibus modis, est huiusmodi potestas de iure diuino, & immediatè à Deo, Christo eam proprio ore instituente, & committente Petro, eiusque successoribus, non solum in genere, vt dictum est, sed etiam in indiuiduo, quoad potestatem huic personæ applicatam; licèt applicatio, & coniunctio huiusmodi potestatis cum hac persona, excepta persona Petri; fit à Christo quidem non immediatè, sed mediante actu humano Cardinalium electorum, qui quamuis sint causa, vt talis sit Pontifex, eligendo, & designando certam personam, & concurrendo ad coniunctionem Pontificatus cum illa persona, & causando, vt habeat Pontificiam potestatem; non tamen sunt causa, nec sunt collatores huiusmodi potestatis huic designatæ personæ communicatæ; sicut in simili patet de anima rationali in generatione hominis, vt rectè Cardinales Caietanus in lib. de auctoritate Papæ, & Concil. cap. 20. & 25. & Bellarm. lib. 2. de Roman. Pont. cap. 17. & Turrecrem. in summ. de Eccles. lib. 2. cap. 38. & 39. 40. & sequent. & Augustin. de Ancona de potestate Ecclesiast. q. 3. art. 4. & sequentibus. Successio igitur, quoad potestatem Pontificiam, vel in ea potestate, est de iure diuino, & immediatè à Deo, seu Christo; successio verò quoad determinationem huius, vel illius personæ, dépto Petro, vt dictum est, & quibusdam alijs eius successoribus cęlitùs demonstratis,

stratis, proficiscitur proximè ex iure humano, & à Christo solum mediatè. Nonnulli alij Doctores ità loquuntur, quòd huiusmodi successio quantum ad materiale sit de iure humano positiuo, quoad formale verò sit à Christo immediatè, quod tamen idem est cum eo, quod diximus. Qua in re multum huiusmodi potestas differt à Politica, vt inferiùs latiùs dicemus.

QVARTA PROPOSITIO.

OMNIS iurisdictio, & potestas spiritualis ante legem Euãgelicam fuit immediatè à Deo mouente, & docente instituta. Explico. Adam, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moyses, Aaron, & alij, qui spiritualem iurisdictionẽ exercuerunt in subditos, illam non planè à natura consecuti sunt, neque à se ipsis eam vsurparunt, sed à Deo proximè, & peculiari præcepto, ac motione superna acceperunt, eiusque iussu ea vsi sunt. Supernaturali enim virtute proportionata indigebant ad dirigendos homines in finem supernaturalem: quare etiam noua reuelatione, vel diuina ordinatione. Nec puto verum, quod asserit Franciscus à Victoria de potestate Ecclesiastica q. 4. in statu innocentiæ, & in lege naturæ omnem potestatem spiritualem solum authoritate humana potuisse constitui: in omni enim statu ad finem supernaturalem consequendum fides, & gratia necessariæ fuerunt, & consequenter potestas spiritualis dirigens ad virtutes supernaturales, diuino instinctu supra vires naturales constituta.

Spiritualis potestas ante legem Euangelicam fuit à Deo immediatè.

SVAREZ 3. tom. super tertiam part. S. Thomæ Disputat. 73. sec. secunda, docet sacrificia legis naturæ, & maximè quæ offerebantur ab habentibus expressam fidem mysteriorum Christi, fuisse instituta ex speciali reuelatione, & instinctu diuino, vt sacrificium Melchisedech, & sacrificium Abel, qui de primogenitis gregis sui obtulit, vt dicit Genes. 4. & Paulus ad Hebr. 11. explicat, fide obtulisse hostiam, quam Ecclesia in Canone Missæ declarat, fuisse verum sacrificium: vnde multi probabiliter existimant, obtulisse agnum aliquem ex fide passionis Christi, & ad repræsentandum illam; siue id fecerit ex speciali Dei reuelatione, vt ex his, quæ August. tradit lib. 1. de mirabil. sacræ Scripturæ capit. 5. colligi potest, siue ex paterna traditione; vtroque enim modo fieri potuit. Adam enim statim post peccatum redemptionem agnouit futuram per Christi mortem; vnde in eius fidei protestationem talia sacrificia instituisse probabile est. Hæc ille. Quamuis in sect. 4. videatur sibi contradicere, distinguit enim sacrificia publica à priuatis, quæ vnusquisque propria, & priuata auctoritate offerre potest, & subdit. Et fortasse Abel, & Cain ita coluerunt Deũ, alius ex fructibus terræ, alius ex primogenitis ouium, vnusquisque suo arbitrio, & voluntate: dicere enim, inquit, diuina, vel paterna auctoritate id fecisse, voluntariũ est, quia nec vlla auctoritate, nec necessaria ratione fundatur. Hęc ille. Sed quomodo fuit typus, & figura Christi ex propria voluntate? quomodo repręsentauit in sua oblatione passionem Christi, vt Patres affirmant, ex suo arbitratu? Certè diuina monitio ad id necessaria fuit; re ipsa enim, etsi non verbo, Propheta fuit. Hoc munus Abel fuit à Deo sanctificatum, & benedictum, vt dicit Ecclesia in Collecta secreta Dominicæ 7. post Pentecost. & consequenter Dei auctoritate factum, atque in monte Sion, seu Moria, illum sacrificasse tradunt Hebræi, quod tamen incertum est. Adde, non sine mysteriosa causa Cain, & Abel primum duellum inter homines gessisse, vt scilicet significaretur Hebræorum in Christum pugna, & persecutio vsque ad mortem, & sanguinis effusionem; ipsi enim innocentem Dominum, velut Cain impius, impiè persecuti sunt, & iniquæ morti tradiderunt.

Sacrificia legis naturæ in fide Christi venturi oblata fuerunt ex speciali Dei reuelatione.

QVIN-

QVINTA PROPOSITIO.

Potestas temporalis nõ est semper à Deo quantum ad acquisitionem.

POTESTAS Politica, seu secularis non est semper à Deo, quantum ad eius acquisitionem. Explico. Assecutio potestatis, seu dominij non semper est à Deo, nisi permissiuè, videlicet; quando modus perueniendi ad potestatem, seu dominium est malus, vel illicitus, vt cum quis ex peruerso suo appetitu per ambitionem, vel quocumque alio illicito modo potestatem secularem adipiscitur. Amos 6. *Numquid in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* Oseæ 8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me. Principes extiterunt, & non cognoui*. Interdum tamen hæc potestas, quantum ad modum adipiscendi, est quoque à Deo, quando scilicet ordinatè quis talem potestatem adipiscitur, iuxta illud ad Hebr. 5. *Nemo sibi honorem assumit, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron*. Modus autem debitus perueniendi ad potestatem, seu auctoritatem regendi populum est duplex, videlicet per hæreditariam successionem,& per electionem; sed modus perueniendi per hæreditariam successionem non potest esse primus, qui. n. succedit alij, nõ est primus, quia ille alius præcedit. Igitur primus modus perueniendi debitè ad auctoritatem regiminis est per electionem Dei, vel hominum; & ille, qui est per specialem electionem Dei, rarus fuit, & quasi priuilegiatus; ille autem, qui est per electionem, & consensum populi est communis: Omnis autem alius modus perueniendi ad auctoritatem regiminis, putà per violentiã potentiæ, vel astutiam fraudulentiæ, est illicitus, licèt à Deo permittatur. Quòd si animaduertamus sacros Codices, apertè cognoscemus, potestatem iurisdictionis temporalis, seu secularis, quantum ad quatuor imperia, videlicet, Assyriorum,& Chaldeorum, Medorum,& Persarum, Græcorum, & Romanorum, non fuisse à principio legitimè introductam, sed per violentiam vsurpatam.

Quatuor imperia præcipua orbis non legitimè ab exordio introducta.

DE Imperio enim Assyriorum, & Chaldæorum patet, quia illud incepit à Nembroth, de quo dicitur 10. cap. Genes. quòd *ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino,* idest violentus oppressor hominum, vt Magister historiarum, Pererius, & alij exponunt. Vnde per violentiam, & oppressionem aliorum ipse acquisiuit sibi regimen, & imperium, & fuit principiũ regni eius Babylon, & Arach, & Achar, & Chalanne in terra Sennaar, de qua egressus est Assur, qui ædificauit Niniuem, vt ibidem dicitur. Lege S. August. de Ciuitat. Dei cap. 4. & 11. & Berosum Annianum lib. 4. & 5. Antiquitatum Chaldaicarum.

DE Imperio item Medorum, & Persarum, idem constat ex Daniele cap. 5. & 6. vbi legitur, interfecto Balthasar Rege Babylonis per Cyrum, & Darium, translatum fuisse imperium,& regimen in Medos, & Persas. Quòd autem Isaias cap. 45. dixit de Cyro, nimirum; *Apprehendam eius manum dexteram, vt subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa Regum vertam*, intelligendum est, Dei voluntate permissiua factum esse; duo enim bona ex eo facto emanarunt: (proprium enim est diuinæ prouidentiæ ex malis, vel indifferentibus bona elicere, vt S. August. sæpè dixit,) nimirum interfectio Regis Balthasar, qui sacra vasa Domini exposuit ad bibendum concubinis suis, vt habetur cap. 5. apud Danielem, & liberatio populi Dei à captiuitate Babylonica; atque id innuitur illis verbis, *Accinxi te*, scilicet fortitudine *ad bellum contra Regem Babylonis, & auxiliatores eius, sed tu non cognouisti me*; quoniam in bellando oculos non direxit ad Deum, qui nihilominus totum ordinauit ad liberationem populi sui. Ex quibus verbis Isaiæ non arguitur, Cyrum fuisse legitimè consecutum imperium. Adde, Cyrum non fuisse primum, qui successit in imperio, sed Darium, & sic introductionem illius imperij per meram violentiam fuisse constat.

POST

POST imperium Medorum, & Persarum successit imperiũ Græcorum non per viam legitimam electionis, vel hæreditariæ successionis, sed per solam violentiam potentiæ,& armorum,vt dignoscitur ex principio 1.lib.Machab.vbi dicitur,quòd *Alexander Rex Græcorum percussit Darium Regem Persarum,& Medorũ,& constituit prælia multa, & interfecit Reges terræ*, & sic obtinuit imperiũ.

IMPERIVM autem Romanorum ex chronicis, & diuersis historijs, verissimum est per potentiam, & secularem prudentiam insurrexisse, vt videre est apud B.Aug.lib.1. de Ciuit. Dei cap.18.& sequentibus,& Pli.lib.7.cap.26. Paulum Orosium lib.7. cap.40. Varronem lib.18. Antiquitatum, ex quibus concluditur, potestatem secularem, quantum ad quatuor imperia sibi inuicem succedentia,non fuisse principiò legitime introductam,sed per violẽtiam vsurpatam. In huius rei signũ hæc quatuor Imperia,seu Regna ostensa sunt Danieli, in visione sub similitudine non hominum,sed bestiarum;quia non insurrexerunt per viam rationis,sed impetu sensualitatis,quantum ad primam sui originem.Lege Hippolytum Martyrem in Oratione,quam scripsit de consummatione sæculi, & de Antichristo,vbi earũdem bestiarum similem ponit explanationem. Si autem processu temporis hæc regna reducta sunt ad statum legitimum,id factum fuit accedente consensu Populi expresso, vel interpretatiuo.

REGNVM autem Israel legitur habuisse legitimum initium; Saul enim primus Rex sorte fuit electus auctoritate Domini,& ex consensu Populi, eo autem reprobato propter inobedientiam, electus fuit Dauid à Deo, & vnctus per Samuelem,vt legitur lib.1. Regum; & filij eius successerunt ei in regnum ex ordinatione Dei. *Regnũ Israel fuit legitime introductum.*

VERVM summopere animaduertendum est, potestatem spiritualem, & Ecclesiasticam non solum esse in se legitimam in sua institutione,sed etiam quantum ad suam primam acquisitionem;quod nequaquam potest dici de prima acquisitione potestatis secularis, saltem quantum ad imperium Romanum, quod à Iulio Cæsare Patriæ oppressore constitutum est, quod tamen postea adeo legitimum euasit,vt Dominus dixerit Matth.22.*Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*. Adde, quòd licet initio qui regna constituerunt,fuerint inuasores,vt plurimum,tamen processu temporis fiunt vel ipsi,vel successores eorum legitimi principes,accedente paulatim Populi consensu: sic Regnum Francorum, licèt initio Franci iniuste Galliam occupauerint,hodie tamen omnium consensu legitimum est.Regnum quoq; Hispanicum,quod legitimum hodie est,ab inuasione Gothorũ cœpit,sicut Regnum Anglorum ab iniusta occupatione Anglosanorum. *Potestas spiritualis legitima est, non solũ in sua institutione sed ẽt in prima acquisitione. Matth.22.*

SEXTA PROPOSITIO.

REGNVM tam politicum,quàm spirituale,seu Ecclesiasticum, quantum ad vsum, quandoq; est à Deo, vt putà cum aliquis secundum præcepta diuinæ iustitiæ vtitur concessa sibi potestate, iuxtà illud Prouerb. 8. *Per me Reges regnant, &c.* interdum autem non est à Deo, putà cum aliquis potestate sibi data vtitur contra diuinam iustitiam, secundum illud Psal.2. *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum &c.* Sic Iudas fuit malus Apostolus, quia munere Apostolatus malè vsus fuit; & Saul, Salomon, & alij quam plures: lege S.Thom.opusc.20.lib.1.cap.6. Sic etiam plerique Principum vtuntur potentia, & magis obsunt, quàm prosint Reipublicæ, vt patet de ipso Cain in exordio Mundi, Genes. 4.& de filijs Principum Genes. 6. qui accipientes varias vxores, corrupti sunt omni scelere, qua de causa postea venit diluuium. Idem de Nembrot, Pharaone, Nabuchodonosore, Saule, Roboam, & cæteris: immò post diuisionem Regni, ex Regibus *Regnũ aliquo modo potest dici esse à Deo, & aliquo modo non.* *S.Thom.*

Israel non sine magna Dei prouidentia nullus omninò inuentus est bonus; id enim Deus permisit, quia rebellio illa Israelitarum à tribu Iuda (teste Eucherio in fine lib. 3. supra lib. Regum) significabat schismata hæreticorum ab Ecclesia discedentium: sicut enim inter Catholicos sunt boni, & mali, & inter hæreticos nullus potest esse bonus; ità quoq; inter Reges Iuda multi fuerunt boni, multi etiam mali; ex Regibus verò Israel nullus prorsus fuit bonus, dempto Christo. Marci 6. Lucæ 19. Ioan. 12.

SEPTIMA PROPOSITIO.

Clerici nulla in causa siue ciuili, siue criminali sunt potestati seculari subiecti.

POTESTATEM temporalem Deus nō commisit quoad vniuersum genus humanum, Principibus secularibus tantum, ad dirigendum illud per media politica ad felicitatem ciuilem; ità vt ēt Clerici quatenus sunt homines politici, & animalia ciuilia, in causis ciuilibus, & criminalibus sub ea cōprehendātur; sed hi non solum in sacris, sed etiam in prophanis, seu politicis causis à potestate ecclesiastica tantum regi, & gubernari debent.

HÆC propositio ad maiorem dilucidationem huius materiæ, & ad nōnullorū fallacias, & astutias detegendas à nobis posità est. Conantur moderni quidam Pseudotheologi captiosissimis argumentis, & inani quadam ac dolosa Metaphysica probare; potestatē laicam ità à Deo communicatam esse Principibus seculi, vt debeant vniuersum genus humanum ad felicitatem ciuilē promouere, & consequenter etiam Clericos; cuius rei contrarium nos in hac propositione septima asserimus.

ET quidem probant illi, quod intendunt, his argumentis, vel similibus.

Argumenta cōtra Clericorum exemptionem à modernis Pseudotheologis facta.

PRIMO quoniā Clerici sunt capaces fœlicitatis politicæ, quæ est finis potestatis laicæ; huic igitur ēt Clerici subditi erunt: potestas. n. aliqua ad oēs illos se extēdit, qui sunt capaces finis huiusmodi potestatis, aliàs inefficax esset, & frustratoria, cum finem proprium in aliquo subiecto attingere non posset.

SECVNDO quoniam Animal politicum ex natura rei subiectum est potestati politicæ, sed homo semper in quocunq; sit statu, dicitur animal ciuile, seu politicum; huiusmodi igitur potestati homo naturaliter subiectus erit, etiam si Clericus euadat; neq; enim per Clericatum homo amittit suam humanitatem, eiusq; conditiones, nec desinit esse animal politicum, vel ciuile.

TERTIO quoniam Clerici alioquin priuati remanerent gubernatione in rebus politicis, & vt sic, incapaces essent tàm actiuè, quam passiuè politici regiminis.

QVARTO quoniam omnis potestas à Deo tradita, cum sit sibi ipsi sufficiens, potest non solùm se cōseruare, & aliquid operari, iuxtà conuenientia suæ naturæ; sed etiam contraria omnia, quæ obstant, ne per media proportionata finem suum sortiatur, corrigere, arguere, punire, atq; repellere; quod euidenter patet, non solum in politicis, sed etiam in naturalibus. Igitur si Clericus finem potestatis ciuilis impedire, vel perturbare tentabit, poterit à potestate laica puniri, atq; arceri, aliàs esset hæc insufficiens, & imperfecta.

QVINTO quoniam Princeps secularis est Pastor Populi, teste Homero lib. 2. Iliados, vbi vocat Regem Agamemnonem ποιμένα λαῶν, id est, Pastorem Populorum; debet igitur ex officio resistere omnibus lupis, qui gregem suum vastare conantur. Quòd si quis ex Clerico lupus fiat, & eius Populum vexare, & aggredi audeat, meritò à Principe pellendus, mulctandus, immò etiam occidendus est.

SEXTO quoniam aliàs diuina prouidentia insufficiens, & manca esset, cum non solùm reliquisset Clericos sine regimine, & Duce in rebus ciuilibus, atq;

atq; politicis, vt dictum est; sed priuasset quoq; secularem potestatem ea facultate, quæ ad perfectum eius regimen necessariò requiritur.

VERVM sicut non est difficile firmis rationibus nostrã propositionẽ probare; sic nec laboriosũ erit prędictis argumẽtis, cũ infirma, & puerilia sint, respõdere.

PROBANDVM est igitur hic, Potestatem Ecclesiasticam, quoad Clericos, etiã ad causas, & actus ciuiles, Deo sic instituente, & iubente se extendere.

PRIMO quoniam Clerici in sortem Domini sacram vocati sunt à Deo, ac perpetuo charactere singulariter ei dicati, quasi verè distincti, & segregati ab ordine laicorũ, vt docet S. Hier. epist. ad Nepot. igitur quoad omnes causas, ac totaliter à laicis non dependent. Antecedens patet ex multis alibi à nobis in 1. disputatione adductis, & ab alijs, quæ nunc afferuntur, vnde sit secunda ratio ex sacro ritu ordinat. desumpta. Rationes pro Clericorum exẽptione à laica potestate.

SECVNDO idem demonstratur ex lib. Pontificalis Romani, vbi in calce collationis primæ Tonsuræ hæc verba pronunciantur ab Episcopo. *Fili carissime, animaduertere debes, quòd hodie de foro Ecclesiæ factus es, & priuilegia Clericalia sortitus es.* Hæc verba laico ad Tonsuram iam assumpto proferuntur. Et in eius collatione dicitur & ab Episcopo, & ab eo qui recipit illam, *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.* Et in oratione. *Ab omni seruitute secularis habitus hos famulos tuos emunda, vt dum ignominiam secularis habitus deponunt, tua semper in æuum gratia perfruantur, vt sicut similitudinem coronæ tuæ eos gestare facimus in capitibus, sic tua virtute hæreditatem subsequi mereantur æternam in cordibus*: hæc ibi. Ex quibus habes, ordinatum in Clericum à seruitute, & dedecore secularis habitus, & multo magis similis potestatis translatum esse ad honorem, & forum Ecclesiasticum, in cuius rei signum habitus sacræ religionis ei imponitur. Ritum autem hunc ordinandi Clericum antiquissimum esse, & ab Apostolis institutũ nemo iure dubitare potest, cũ in antiquissimis Põtificalibus habeatur, neq; eius initium assignari possit in Ecclesia. Quòd si id operatur prima Tonsura, quæ nõ est ordo propriè, sed dispositio ad ordines, multò magis cæteri ordines, & præsertim sacri infallibiliter operabuntur: trãsferũtur igitur totaliter Clerici quoad oĩa iura in forũ potestatis Ecclesiasticę. Pontificale Romanum.

TERTIO Clerici non sunt subiecti, quoad tributa soluenda Principibus secularibus diuino iure, ergò nec quoad causas ciuiles: cõsequentia ex se patet, cum maius signum subiectionis sit, tributum alicui soluere, quàm ab eo iudicari; antecedens verò ex multis locis scripturæ, tam noui, quã veteris testamenti probatur. Et primò ex illo Matth. 17. dũ Christus quærẽs à Petro, *Reges terræ, a quibus accipiunt tributum, vel censum, à filijs suis, an ab alienis?* respondẽte illo, *Ab alienis*; intulit Christus, *ergò liberi sunt filij*: quibus verbis euacuauit interrogationem illorum, qui colligebant didrachma, & Petro dixerant, *Magister vester non soluit didrachma*; in qua interrogatione ẽt intendebant quærere, cur Petrus quoque non soluisset didrachma, vt ex subsequentibus verbis Christi cognoscitur: *Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illam sumens, da eis pro me, & te.* Præcipua autem ratio, cur à tributis nonnulli sunt liberi, ea a Christo redditur; quia sunt filij Regum. & à minori sumit argumentum, ac si diceret: si filij Regis terreni sunt liberi à tributis, multò magis filij Regis cęlestis, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium: at verò ille, qui est filius Dei naturalis, vt erat Christus, ex natura liber erat à solutione tributi titulo filiationis diuinæ, atq; ẽt vt filius hominis ratione suppositi, vel personæ diuinæ; nõ. n. erat Christus, tamquã famulus, vti Moyses, sed tamq̃ filius in domo sua inter hoĩes in hoc mundo, dicẽte Paulo ad hebr. 3. *Quæ domus sumus nos.* Petrus verò ex priuilegio rõne filiationis, nõ quidẽ adoptiuæ, q̃ est cõmunis oĩbus iustis per gratiã iustificã- A tributi solutione Principibus secularibus liberi sunt Clerici. Matth. 17. Ad Hebr. 3.

tem. Et hac libertate exemptionis illi hoc nomine gaudere non possunt, præcipit enim lex Christiana, vt reddatur, *cui tributum tributum*, ad Rom. 13. sed titulo filiationis Ministrorum Dei, quæ filiatio propria est Apostolorum, & omnium Ecclesiasticorum, à Christo comprehensa, & inclusa in illis verbis. *Ergo liberi sunt filij*. Sacerdotes.n.in scripturis filios Dei, seu filios excelsi nominari constat ex Psal. 81. & 44. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*. Vbi lege Augustinũ, & alios Patres. Ex his verbis Matt. idem necessario deducunt S. Thomas 2. sent. distinct. 44. q. 2. art. 2. ad 1. & 5. Bonauent. eadem distinct. art. 3. q. 1. n. 35. Riccardus eadem distinct. art. 3. q. 1. ad 1. argumentum, Albertus in citatum locum Matthæi, Caietanus 2. 2. q. 104. art. 6. Sot. in lib. 4. sent. dist. 25. art. 2. & lib. 4. de iustitia, & iure q. 4. art. 1. in fine, & ante istos S. Hieron. in eundem locum Matth. vbi ait, ob honorem Christi Clericos tributum non soluere. *Nos*, inquit, *pro illius honore tributum non reddimus*; & dans huius rei optimam rationem à priori, vt dicunt, statim subdit. *Et quasi filij Regis à vectigalibus immunes sumus*; quòd nempè immunes essent Sacerdotes, & omnis Ecclesiasticus ordo à pensione tributi, Christi causa, cuius reuerentia, & respectu Principes Christiani nullam illis de ea re molestiam exhibere auderent: qui igitur ad id cogit, iniuriam Christo facit. Atq; ideo ẽt S. August. lib. 1. q. euangelicarũ q. 23. tractans hæc eadem verba Matthæi, scribit, filios Regni Christi non esse tributarios, trahens argumentum à minori, vt dictum est, & saltem vt Tolet. notat in cap. 13. ad Romanos; his verbis, *Ergo filij sunt liberi*, datur à Christo Ministris Ecclesiasticis facultas, & ius eximendi a potestate seculari aliquot genera personarum, & quos, & quantum illis visum fuerit Ecclesiæ expedire. Neq; Christus & Petrus hoc iure se priuarunt, soluendo tributum, sed id facere tunc expediens censuerunt, eo quòd Christus tunc venerit implere legem, & à Patre nondum acceperat gentes hæreditatẽ suã: at hodie nulla subest ratio vitandi scandali, si tributa à Christi Sacerdotibus non soluantur, immò scãdalum, & error esset soluere.

Sacerdotes in scriptura filij Dei appellantur.

S. Hieron.

S. August.

QVARTO, idem ostenditur ex alijs verbis Christi Matth. 22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*: ex quibus Beatus Ambrosius lib. 5. epist. 32. colligit, Ecclesiã Deo dicatam Cæsari subiectam non esse; quòd *Ecclesia sit* tanquam locus Dei. Sic ẽt apud Hebræos erant ciuitates refugij, & loca sacra, quæ immunitate gaudebant. Num. 75. Exod. 21. 3. Reg. 1. & 2. à fortiori ẽt personę Ecclesiasticæ diuino charactere insignitæ, Deo cõsecratæ, ac dedicatæ, tãquã membrorũ Domini prima pars, vt ait S. Greg. 14. moralium, earumq; causæ, & omnia, quæ ad illas spectant, tanquã quid illarum, à potestate Cæsaris, & Principis secularis libera erunt, hęc.n. magis Deo cordi sunt, quã templa materialia.

S. Ambros.

QVINTO ex Sanctorum testimonijs idem probatur. B. Greg. Nazãzenus oratione 9. ad Iulianum tributorum exequutorem, qui describendis, & colligendis publicis vectigalibus præfectus erat; monet Iulianum, nè quid ab ijs, qui in Clericorum ordinem cooptati sunt, exigat; verùm tributorũ immunitate illos gaudere sinat, vt qui præter corpus nihil habeant: eius verba hæc sunt. Tu quidem orationi meæ mercedem persoluisti, quamcunq; tandem persoluisti, at illa tibi dono pauperes offert, totum Sacerdotum, & Philosophorum coetum, qui nullo vinculo humi tenentur, qui sola corpora, ac ne ea quidem tota, possident, qui Cæsari nihil, Deo omnia habent; Hymnos, preces, vigilias, lacrymas, hoc est, eiusmodi opes, quæ manibus arripi, ac teneri nequeunt, qui Mundo mortui sunt, Christo viuunt, carnem confecerunt, Animam à corpore abstraxerunt; his parcens, aut etiam omninò Deo reddens, diuini numinis famulos, & discipulos, cælestiumque rerum inspectores; has inquam generis nostri primitias, hæc columina, has fidei coronas, has præciosas margaritas, hos templi illius lapides, cuius fundamentum, & lapis angularis est Christus,

Ex sanctis Patribus Clericorũ exemptio demonstratur.

hoc est

hoc est præclari Ecclesiæ complementi, pulcherrimè vtique, & ipsis, & tibi, & nobis omnibus consulueris. Ac tibi has potius à nobis diuitias optarim, quàm magnos auri, atque argenti thesauros, qui nunc existunt, ac paulo post nō erunt.

B. Gregorius Magnus lib. 4. epist. 31. ad Mauritium Imperatorem, & habetur Canon. Sacerdotibus 11. q. 1. ex duobus locis scripturæ, nimirum ex cap. 22. Exodi, *Applicabitur ad Deos*, & rursus; *Vtriusque causa perueniet; & si illi iudicauerit, duplum restituet proximo suo*; Et iterum: *Dijs non detrahes*: Et ex capit. 2. Malachiæ: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est*: colligit, ac probat, sacerdotes cum à Deo in sacro eloquio honorentur, dum Angeli, & Dei appellantur, à Regibus quoque non iudicandos, sed honorandos esse, dignosque censeri, vt immunitate, ac libertate gaudeant.

D. Prosper lib. 2. de vita contemplat. cap. 16. non solum sacerdotes, sed res quoque, & bona Ecclesiæ oblata gaudere immunitate, sic scribit. Qua propter possessiones, quas oblatas à populo suscipiunt sacerdotes, non sunt inter res mundi deputari credendæ, sed Dei; quoniam si vestes, ac vasa, & cætera, quæ in sacris vsui ministrantibus erant, sancta vocabantur: nec in vsus humanos reuocari iam poterant, diuinis semel ministerijs consecrata, quomodo non ea, quæ conferuntur Ecclesiæ, sacra credenda sunt? quibus non vt seculi rebus luxuriosè, sed sanctè, vt Deo consecratis, vtuntur ad necessaria sacerdotes.

SEXTO, exemplis Christi, immò etiam Ethnicorum idem declaratur; præter enim alia exempla, quæ afferri possent ex lib. Genes. & ex Leuitico, & ex 1. lib. Esdræ, in illa prima nostra Disputatione exposita, in quibus hæc veritas declaratur, sunt alia duo Christi exempla, quæ eamdem rem mirificè illustrant; quorum alterum habetur Ioan. 18. *Sinite hos abire, & ceciderunt retrorsum*; quo facto non solum Apostolos immunes a militum molestijs declarauit; sed etiā eos tanquam liberos à laicorum manu inuadente tutatus est, illos vi suæ vocis percutiendo, & ad terram vsq; retrorsum prosternendo. Alterum habetur Ioan. 2. vbi Christus apprehendens sua manu flagellum, sacerdotes in templo ementes, & vendentes percussit; quod factum vt notat Anacletus Epist. 2. & Iulius I. epist. ad Orientales Episcopos, & Pius I. epistol. 1. & Cyrillus lib. 2. capit. 28. & Chrysost. hom. 22. euidenter probat hanc veritatem, Clericos nempè, non debere exagitari, molestari, puniri à iudicibus secularibus, sed tantū à Christo, qui propria manu flagellauit sacerdotes templi, eiusq; ministros; atq; id non solum humanis viribus, & naturali lumini consonum omninò est; sed etiam ita insitum mentibus omnium hominum, vt, si omnes Principes orbis vellent hāc libertatem Clericis auferre, non possent, cum ab omnibus veritas ista receptissima sit, tamquam Dei nutu, & iussu introducta, & in omni statu, tam naturæ integræ, quàm corruptæ insinuata, & vsui demandata, etiam apud Ethnicos, & Barbaros. Lege S. Hieron. Epist. 126. ad Euagrium, Clem. Alex. lib. 5. strom. Plutarchum Problem. 63. 112. 121. Aelianum lib. 14. Capit. 34. Iosephum lib. 12. antiquit. cap. 8. Tullium lib. 1. de diuinatione & lib. 2. de legibus, Cæsarem lib. 6. & 7. de bello Gallico, Arnobiū lib. 4. aduersus Gent. Tacitū lib. 4. hist. & de mor. Germ. Stratonē Geogr. lib. 17. Agat. hist. lib. 2. Eusebiū in Chrō. Dionysiū Halicarnassæū hist. Rom. lib. 2. Quod. n. ab omnibus gētibus receptū, & obseruatū est, sēper, id nō nisi à Deo sancitū esse affirmandū est, vt docuit Socrates in Xenoph. lib. 4. de factis, & dictis Socratis; & id tanquā Diuinū numen oībus hominibus, teste Cicer. in q. Tusc. innatū ab omnibus receptū est. Vide quoq; eundē Ælianū lib. 13. Var. hist. cap. 7. vbi refert, Alexandrū Magnū acquisitæ Thebis homines liberos vendidisse, exceptis Sacerdotibus. Et hodie Reges Gentiles in Regno Mogor Sacerdotes Christianos inibi versantes exemptos esse āb onere tributi

Etiā apud Ethnicos fuit exēptio Sacerdotum.

voluerunt, vt in literis Indicis habetur. Neque solum personarum, sed etiam locorum sacrorum immunitatem cognouerunt Gentiles, solo lumine naturali ducti: Vnde Ouidius lib. 3. Fastor. de Romulo sic cecinit.

Romulus, vt saxo lucum circumdedit alto,
Quilibet huc, inquit, confuge, saluus eris.

Quid? quòd ara illa, quam offendit S. Paulus Athenis, Deo ignoto dicata, cum delinquentes ad illam confugientes tuti essent, ara misericordiæ dicebatur. Lege Couar. lib. 2. variar. cap. 20. Narrat Petrus Appianus, fuisse in Insula de Calice à Græcis templum quoddam senectuti erectum, & dedicatum, ad quod malefactores confugientes, salui, & liberi à pœnis erant: quin etiam delinquentes, qui senioribus adhæsissent, immunes quoque à iudicibus fiebant.

Solutiones argumentorum, quæ supra allata sunt, contra exéptionem Clericorum; & detegũtur fallaciæ quorundam recentiorum.

NEC difficile est argumentis, & rationibus contra hanc propositionem superiùs allatis, respondere:

QVIA prima ratio non obstat: dicimus enim, Clericos esse quidem capaces fęlicitatis politicæ, sed potestatem laicam illos ad hunc finem dirigere non posse, nec debere, cum illi sint alterius, & superioris ordinis, nec tali potestati vllo modo subiecti; vltima enim forma est, quæ dat esse specificum rei, illamque ita afficit, distinguit, denominat, nobilitat, ac dirigit, vt omnes aliæ formæ, seu gradus formarum ab illa dependeant, & respectu illius, tamquam materia se habeant, vt etiam in moralibus perspicuum est; familiæ enim Regum à nullo alio Iudice seculari, præterquã ab ipsomet Principe, tamquam eius proxima membra, tangi, vel molestari possunt.

NEC obstat secunda ratio, concedimus enim per Clericatum hominem non perdere naturam humanam, nec conditiones animalis politici, vel ciuilis; sed necessario quoque affirmamus, ex forma Clericatus superiorem gradum acquirere, per quem constituitur subiectus, & subditus totaliter potestati Ecclesiasticæ: & licèt ex natura rei, vt sic, & præcisè loquendo subiectus esset potestati politicæ, tamen ob illam vltimam formam Clericatus spirituali Iudici ex integro acquiritur etiam priuatiuè, quoad omnes alios; sicut & Papa, dum ad Pontificatum assumitur, non desinit esse homo, & tamen nulli puro homini, vt Papa subiectus est; immò nec Angelis. Nec verum est, essentiale esse homini habere respectum ad politicam potestatem, aliàs nec Adam, nec Christus, nec Reges, & Principes omnes, qui nulli potestati politicæ subiecti sunt, homines essent.

Potestas Ecclesiastica in omnibus causis Clericos iudicat.

RESPONDEMVS similiter ad tertiam, potestatem Ecclesiasticam debere, & posse Clericos gubernare, non solum in sacris, sed etiam in prophanis, & politicis causis, vt patet ex Apostoli doctrina 1. ad Cor. 6. sicut etiam Leuitæ in veteri Testamento, quoad temporalia de iure à summo sacerdote regebantur, & non à laico Principe; licèt de facto, & violẽter interdum aliter contigerit.

QVARTA verò argumentatio nullius est roboris, vel efficaciæ, si rectè perpendatur. Potest quidem omnis potestas, non solum se conseruare, sed etiam contraria repellere, & impedimenta remouere; non tamen omnia, sed ea, quę eiusdem ordinis sunt cum ipsa, nec extra sphæram suæ actiuitatis existunt; nec enim Angelo impedienti, vel etiam omnibus impressionibus naturalibus calamitatem afferentibus, nec diuinis flagellis, vlla humana potestas per se resistere potest, cum hæc omnia alterius ordinis sint.

QVINTA verò ratiocinatio nihil concludit, nam Clericus factus lupus debet à suo Iudice spirituali puniri; & Principi seculari, qui ab eo damnum, & iacturã accepit, datur à lege Canonica, & naturali remedium ad se tuendum; nimirum recurrendi ad Principem spiritualem, vt iustitiam contra illum administret; nec enim quilibet omnia potest, sed alter alterius onera portare debet, sic exi-

sic exigente rerum humanarum, & temporalium erga diuinas subordinatione, vt rectè loquitur Papa Nicolaus primus in Epist. ad Michaelem Imperatorem. Nicol. Papa 1.

SIMILITER ad destructionem sextæ argumẽtationis, dicimus, diuinam prouidentiam omnibus sufficientissimam esse, & nec Clericos sine regimine relictos in politicis, cum in omnibus subiecti sint Præpositis suis Ecclesiasticis; nec Principi seculari aliquid detractum esse ratione Clericorum, cum hos Dominus in sortem, & familiam suam sacram Ecclesiasticis legibus gubernandam elegerit; instituit enim Deus ordinem Clericalem, & Hierarchiam Ecclesiasticam perfectam, & à laica potestate prorsus liberam, & independentem, iuxta illud Matthæi 16. *Tibi dabo Claues Regni Cælorum: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & quodcumq; solueris, &c.* quibus verbis absolutè committitur Petro sine vlla dependentia a quocumq; alio, regimen Ecclesiæ: quod etiam egregiè docuit S. Gregorius in expositione psalmi quinti pęnitentialis, explanans versiculum nonum. *Tota die exprobrabant mihi, &c.* his verbis. Nulla enim ratio sinit, vt inter Reges habeatur, qui destruit potius, quàm regat imperium, & quotcumq; habere potest peruersitatis suæ socios, eos à consortio Christi efficit alienos; qui turpissimè lucri cupiditate illectus, sponsam Christi captiuam cupit abducere, & passionis Dominicæ Sacramentum ausu temerario contendit euacuare: Ecclesiam quippe, quam sui sanguinis prætio redemptam saluator noster voluit esse liberam, hanc iste potestatis regiæ iura transcendens, facere conatur ancillam: quantò melius foret sibi dominam suam esse agnoscere, eiq; religiosorum Principum exemplo deuotionis obsequium exhibere, nec contra Deum fastum extendere dominationis, à quò suæ dominium accepit potestatis? hæc ille. S. Gregorius Nazianzenus oratione ad Populum timore perculsum sic scribit, ad Principes, & Præfectos seculi loquẽs. An me liberè loquentem æquo animo feretis? nam vos quoq; imperio meo, ac throno lex Christi subijcit: Imperium enim nos quoq; gerimus, adde etiam præstantius, ac perfectius; nisi verò æquum est, spiritum carni fasces submittere, & cęlestia terrenis cædere. Hactenus ille. Habet tamen Ecclesia ius vtendi opere potestatis laicæ, tamquam ei subordinatæ, & subiectæ, in rebus sibi necessarijs, & opportunis; sicut è contra potestas laica ex benignitate Principis Ecclesiastici sæpe ab illo conuenientia beneficia recipit, vt rectè innuit Petrus Blesensis Epist. 73. his verbis. Duo sunt gladij, qui mutuum à se mendicant auxilium, atq; ad inuicem sibi vires impartiuntur alternas, Sacerdotium Regibus, & Sacerdotibus Regnum: lege quoq; D. Bernardum lib. de Considerat. ad Eugen.

Optime Deus prouidit Ecclesiæ per potestatem illi datam in Clericos.

Matth. 16.

S. Gregorius.

S. Greg. Naz.

HIS septem propositionibus vniuersa hæc materia exposita, & dilucidata sit: iam ad argumenta pro vtraq; parte facta initio quæstionis respondendum erit.

AD primum dicimus cum D. Thoma in eundem locum Pauli, omnem potestatem, vt talis est, esse à Deo in vniuersum, seu in genere consideratam: & hoc vel immediatè, vt spiritualis, & Ecclesiastica; vel mediatè, vt secularis, & temporalis, quæ non solum immediatè ab humano beneplacito, sed etiam à Diuino, mediante tamen communi lumine naturæ, orta est: spiritualis verò vel proprio ore, & institutione Christi, vel per diuinam reuelationem, eiusq; iussum, vt accidit Prophetis, alijsq; Regibus veteris Testamenti. Ratio autem illa solum probat, quòd potestas iurisdictionis est inter homines à Deo, inquantum Deus indidit hominibus rationem, per quam debitum est, in hominibus esse talem potestatem ad bonum regimen eorum, id enim ratio naturalis exigit, id requirit, ac necessariò postulat. Canonistæ aliter respondent ad hanc rationem, nimirum non esse potestatem, nisi à Deo vel iubente, vel sinente 26. q. 5. Can. Nec mirum, & Can. Audacter. 8. q. 1. sed clariùs dicendum, omnem veram, & germanam potesta-

Soluuntur argumẽta in principio huius quæstionis posita, pro vtraq; parte.

Solutio Canonistarum.

testatem, etiam infidelium, esse à Deo, non solum permittente, vt est falsa, tyrannica, & diabolica potestas Luc. 4. sed etiam volente, & ex diuino beneplacito esse, & ad Deum ipsum, à quo procedit, tanquam ad auctorem, primum principium, & causam referendam esse; quamuis per intermedias hominum voluntates; sicut calor, frigus, sanitas, cæteraq; huiusmodi bona à Deo sunt, per medias tamen causas naturales effecta; non igitur eodem modo vtraque potestas emanat à Deo.

Quæ sunt cõmunia Deo, & creaturis analogicè dicuntur.

AD secundum dicimus, quòd quicquid de Deo, & creaturis cõmuniter dicitur, non vniuocè, sed analogicè profertur, ac proinde quod Deo competit per essentiam, creaturis conuenit per participationem, quæ varijs modis in creaturis deriuatur: vel enim deriuatur per Dei iussum, & immediatum præceptum, seu reuelationem, vel per lumen naturæ à Deo hominibus inditum, vt dictum est.

Princeps à populo electus dicitur Dei minister.

AD tertium negatur consequentia; Princeps enim, seu Rex etiam à multitudine, seu hominibus constitutus, & electus Dei minister est quoad suos subditos, si ipsam potestatem, vt talis est, attendamus. Lege Plutar. in lib. de doctrina Principum: qua etiam ratione Reges ab eodem in lib. de disp. Philoso. dicuntur deorum discipuli, & ab Hom. Iliad. 2. à Deo geniti, ac Dei nutritij.

AD quartum dicimus, quòd non solum ipsa potestas Principum terrena, & humana; sed etiam ordo, quo inferiores potestatibus superioribus subijciuntur, etiam in temporalibus, à Deo est, & qui contra hunc ordinem facit, resistens potestati; Dei ordinationi resistit. Lucæ. 10. *Qui vos spernit, me spernit*, 1. *Reg*. 8. *Non te abiecerunt, sed me*.

Luc. 10. 1. Reg. 8. Duo debent inferiores suis superioribus id est reuerentiam, & obediẽtiam; & quomodo.

AD quintum dicimus, quòd adeò potestas Principum, etiam spiritualium, à Deo est, vt eis ab inferioribus duo debeantur; obedientia nempè, eorum mandata implendo; & reuerentia, eos tanquam Patres honorando; illorumq; disciplinam tolerando. Quod notauit S. Thom. in comment. suis super cap. 13. Epist. ad Hebr. lect. 3. Vnde Apostolus dicit; *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis*. Quæ duo etiam potestatibus secularibus à suis subditis debentur, vt dicitur 1. Petri 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ; & Regem honorificate*. Obediendum est autem Potestati inferiori, vt notat S. Thom. in eundem locum epistolæ ad Romanos, secundum quòd est à Deo ordinata. Habet autem hoc diuina ordinatio, vt potestati inferiori non obediatur contrà superiorem, sicut etiam in rebus humanis; vt Proconsuli non obediatur contra Imperatorem, nec satelliti, vel militi contrà Regem. Et omnis potestas humana sub potestate Dei ordinatur, & nulli potestati humanæ est contra Deum obediendum, secundum illud Actorum 4. *Oportet obedire magis Deo, quàm hominibus*. Lege S. Aug. sermon. 6. de verbis Domini.

Actor. 4.

Ad tria autem argumenta in contrarium adducta iam respondendũ est: Quòd quamuis in ipso ordine superioritatis, & subiectionis, in quo consistit dominium, & auctoritas iurisdictionis, non possit esse inordinatio, sicut ordo non potest esse inordinatus, quia non esset ordo; tamen in acquisitione potestatis, & iurisdictionis, & in eius vsu, vel abusu potest esse deordinatio; in quo sensu verba Oseæ accipienda sunt; sicut etiam potentia ipsa, qua peccatur, à Deo est, (eadem enim potentia est, qua peccatur, & qua rectè agitur,) sed quòd in bonum ordinetur, à Deo est; quòd autem ordinetur ad peccandum, est ex defectu creaturæ, in quantum est ex nihilo. Quod si quæratur, cur quæ sunt à Deo, ordinata sint? Respondet S. Thom. loco citato, quòd huius rei ratio est, quia Deus omnia per suam sapientiam fecit, secundum illud Psal. 102. *Omnia in sapientia fecisti*. Est autem proprium sapientiæ ordinatè omnia disponere, Sap. 8. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*, & ideo oportet effectus diuinos ordi-

Cur quæ sunt à Deo, ordinata sunt. Psal. 102. Sap. 8.

ordinatos esse, Iob. 38. *Nunquid nosti ordinem Cœli, & pones rationem eius in terra?* Duplicem autem ordinem Deus in suis effectibus instituit. Vnum quidem, quo omnia ordinãtur in ipsum, Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Deus*. Alium verò, quo effectus diuini ordinantur ad inuicem; sicut dicitur Deut. 4. de Sole, & Luna, & Stellis, quòd *fecit ea in ministerium cunctis gentibus:* hæc ex D. Thoma. Verum adnotandum est, cũ dicitur ab Apostolo: *Quæ a Deo sunt, ordinata sunt*; illud *Quæ*, non esse neutri generis, vt Ansel. censuit; sed fœminini, vt ex Græca lectione constat; itaut connectatur cum nomine potestatis, vt legit S. Irenęus lib 5. cap. 24. & multi alij Codices habent; adeò vt sit sensus. Quæ autem potestates sunt à Deo, ordinatæ sunt: non enim quæcunq; sunt à Deo, licèt ab eo sint permissiuè, à Deo ordinata sunt; ægritudines enim & calamitates corporis à Deo sunt, non tamen sunt ab eo ordinatæ, licèt sub eius prouidentia, & ordine comprehendantur: ordinatio autem potestatis à Deo in hoc consistit, quoniam Deus decreuit, quosdam imperare, quosdam verò obedire; & huic ordinationi nemo licitè resistere potest. Lege Tolet. in eundem locum Pauli.

Iob. 38. Prou. 16. Deut. 4.

QVAESTIO QVINTA.

An vtile, & expediens sit disputare de potestate Ecclesiastica, & temporali.

PROBATVR Primò inutile esse de huiusmodi potestatibus disputare, quoniam quod est causa litis, & discordiæ, non potest esse vtile; inquit. n. Apostolus 2. ad Timoth. 2. *Noli verbis contendere, ad nihilum enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium*; sed disputare de huiusmodi potestatibus, non potest fieri sine contentione verborum, nec absq; causa litis, & discordiæ, cum semper in disputatione sit aliquid curiositatis, & vanitatis; ergò non est vtile scripto, vel verbo, publice, vel priuatim cum fidelibus, vel infidelibus de huiusmodi potestate disputare.

Rationes afferuntur, quod inutile sit de his potestatibus disputare.

SECVNDO Quoniam Sacrilegium est de auctoritate Principis disputare C. de Crim. sacrilegij l. disputare, & in Authent. Vt Iudices sine quoquo suffrag. §. eos autem, ibi, quis enim non diligat eum. collat. 2. igitur, &c.

TERTIO In lege Marciani Augusti per Canones confirmata sic scribitur. *Iniuriam facit iudicio religiosissimæ Synodi, siquis semel iudicata, aut rectè disposita reuoluere, & publicè disputare contendit*. Cum igitur ea, quæ pertinẽt ad vtramq; potestatem, sint iam etiam per Canones, & per alia iura decisa, videtur inutile, atq; superfluum de illis iterum, atq; iterum disputare: & addit. *Qui post veritatem repertam aliquid vlterius discutit, mendacium quærit*.

QVARTO Quia potestas Ecclesiastica, seu Papæ, est potestas à Christo instituta, & collata Ecclesiæ; dubitare ergò de potestate Papæ, est dubitare de potestate Christi. At Pharisęi dubitantes de potestate Christi reprehensi sũt, & vehementer obiurgati à Christo Matt. 12. Cum enim dixissent; *Magister volumus à te signum videre*, respondit eis Christus. *Generatio praua, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, &c.* Igitur, &c.

Matt. 12.

QVINTO Præsumptuosum videtur, agere, vel tractare de his, quæ sunt super sensum, & intellectum hominis, habetur. n. Eccles. 3. *Altiora te ne quæsieris, & supra sensum tuum ne scrutatus fueris*. Cum ergo potestas Papæ sit potestas Christi,

Eccles. 3.

Christi, & illa sit supra sensum, & intellectum hominis, videtur quid præsumptuosum de ipsa disputare, vel tractare.

SEXTO Quoniam argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem; ea autem, quæ sunt fidei, cum sint certissima, non sunt in dubitationem adducenda; præsertim cum semper sit vitandum in disputatione, quod potest esse causa falsitatis, & erroris; sed disputare de potestate Papæ seu Ecclesiastica, potest esse causa falsitatis, quia aliqui nimis illam restringunt, vel ampliant; ergo non est vtile de illa disputare, maximè cum de ea multa ex fide decisa in scripturis habeamus.

Argumenta ad probandum, disputationem de his potestatibus bonam esse.

IN contrarium est, quod habetur Actorum 9. quòd Saulus inualescebat, & confundebat Iudæos, & colloquebatur gentibus, & disputabat cum Græcis.

SECVNDO Quoniam dicit Philosophus in Prædicamentis cap. de Relat. in fine, quòd dubitare de singulis non est inutile, & potissimè, quando res difficiles sunt. Scribitur autẽ Eccles. 1. quòd cunctæ res sunt difficiles, & non est aliquis, qui possit eas explicare sermone: ergo &c.

TERTIO Quoniam sæpe ex inimicis vtilitas accipitur, & interdum plus docent inimici, quam amici, vt docet Plutar. lib. de vtil. capi. ab inimico; igitur, &c.

HANC quæstionem tractat S. Thomas. 2. 2. q. 10. art. 7. Caietanus ibidem, & Bagnes, nec non Augustinus Triumphus lib. de potestate Ecclesiastica q. 1. art. 10. Anton. Cordubensis lib. 4. quæst. Theolog. q. 7. & Vict. in 3. relect. de potestate Papæ propos. 16. & 21. de qua re legendus est quoque S. Gregor. 2. parte pastoralis cap. 4. vbi optime docet, qua intentione sit disputandum de fide.

Vtile est disputare de his potestatibus propter quinque rationes.

PRO resolutione verò huius quæstionis dicendum est, quòd disputare de huiusmodi potestatibus propter quinque rationes est vtile, atque expediens: remouetur enim primò ignorantia ab intellectibus hominum eius rei, cuius veritas, & cognitio summopere necessaria est. Secundo elucidatur veritas, quæ ad praxim vitę Christianę maximè conducit. Tertio omnis suspicio seu vacillatio, quæ posset haberi ab infirmis in doctrina Christi, fugatur. Quartò obiecta hæreticorum nullius esse roboris, vel momenti, apertissimè demonstrantur. Postremò, & vltimò, quanta sit magnitudo, & amplitudo vtriusque potestatis per exactam disputationem cognoscitur: quæ omnia facillimè probantur.

Ignorantia in omnibus rebus periculosa.

PRIMO Quoniam in omni negocio ignorantia periculosa est, cum ex illa, vt plurimum multa mala sequantur. Quare rectè Ambrosius dixit; Grauissimè peccas, si ignoras: quod in hac re, de qua agimus, multo magis locum habet. Expedit igitur summopere subditis Ecclesiasticæ potestati, agnoscere quanta sit Ecclesiastica potestas, non solum Episcopalis, sed etiam suprema Pontificia, vt sic non ignorent, quam maxima beneficia ab illa consequi possint, in ligando, & soluendo, in sacris indulgentijs acquirendis, in votorum dispensatione, permutatione, & irritatione: in remouendis impedimentis matrimonij, in beneficiorum collatione, in sacramentalium institutione, & similibus; his enim probè cognitis, facilius subditi acquiescunt, celerius præpositorum præceptis obediunt, & Ecclesiasticam disciplinam dulcius amplexantur; iugum enim Christi, & Ecclesiæ scientibus illud suaue est, & onus eius leue: Christus enim eam Ecclesiæ in suo capite potestatem reliquit, quæ non solum necessaria, sed etiam vtilis, expediens, & congrua sit ad populum Christianum docendum, gubernandum, atque regendum, iuxtà illud Matth. 16. *Quæcumque ligaueris super terram*; & Capit. 18. *Quæcumque ligaueritis &c.* & Ioannis vlt. *Pasce oues meas*. Similiter de potestate ciuili, & laica dicendum est, si enim potestates seculares terminos suæ iurisdictionis cognoscerent, & bene perspectos ha-

Bonum est, subditos cognoscere quanta sit spiritualis potestas & temporalis.

haberent, non impedirent Ecclesiasticam iurisdictionem, non spoliarent Clericos suis priuilegijs, & immunitatibus, Populosque non grauarent, nec similia exorbitantia agerent, quæ summopere eorum potestatem in uiolentam, & tyrannicam potentiam degenerare faciunt.

SECVNDO Idem sic ostenditur, etenim humana natura dubitando, vel admirando est apta nata veritatem inquirere, & vt dicit Arist. 1. Metaph. cap. 2. propter dubitare, & admirari nunc, & prius Philosophi inceperunt philosophari. Vnde dicitur 3. Metaph. tex. 1. volentibus aliquam veritatem inquirere, necessarium est, bene dubitare, quia cognitio veritatis est solutio eorum, de quibus dubitatur. Vnde illud celebre dictum Philosophi in gymnasijs celebratur. Dubitare de singulis non est inutile: ad singulas enim veritates dubitationes, & argumenta prò, & contra inducere vtile est, quia in solutione ipsorum veritates ipsæ magis elucescunt.

Ex admiratione & dubitatione inquisitio veritatis.

Aristoteles.

TERTIO Idem demonstratur. Nam doctrina Christi, cuius potestate Papa fungitur in terris, caret omni suspicione, & quanto magis probatur, & ventilatur, & quanto plures libri, & quæstiones de ipsa fiunt, tantò magis eius veritas diuulgatur, & eius claritas manifestatur, vt dixit Propheta. *Psal.* 118. *Declaratio sermonum tuorum illuminat.* Quod non contingit in doctrina Mahumethi, qui habens suam doctrinam, & legem suspectam, omnem disputationem de ea fieri prohibuit. Christus verò suam doctrinam luce meridiana clariorem omnibus disputandam proposuit; quoniam veritas vna est, & quomodocumq; ventiletur, semper eadem etiam atque etiam splendescit; sicut patet de Stephano, & Paulo disputantibus Actorum 6. & 9. Nascitur item ex tali disputatione maxima vtilitas, ex diuerso enim stylo scribendi, & ex diuerso modo argumentandi, veritas ipsa ad omnes peruenit, secundum diuersam capacitatem recipientium. Vnde dicit Sanctus Augustinus 1. de Trinitate cap. 3. quòd quia nullus hominum in sacra Scriptura ita loquutus est, vt in omnibus ab omnibus intelligeretur; ideo necesse est, & vtile in ipsa plures libros a pluribus fieri diuerso stylo, non tamen diuersa fide, etiam de eisdem quæstionibus, vt veritas quidem ipsa ad omnes perueniat, ad alios quidem sic, ad alios autem sic.

Disputationibus magis elucescit doctrinæ Christi veritas.

Psal. 118.

S. Augustin.

QVARTO Hæreticorum falsa dogmata per disputationẽ præsertim scholasticam funditus eruuntur, cum omnes ferè hæreses ex mala intelligentia scripturarum ortæ sint, vt testatur. S. Hilarius in extremo, lib. de Synodis; quod etiam Lutherus fatetur, qui scripturam librum hæreticorum vocauit. Refert Cassianns col. 10. cap. 3. 4. & 5. Anthropomorphitarum absurdissimos errores ex sola imperitia scripturarum esse natos, & Aeneas Syluius lib. de origine Bohemorum refert errores crassissimos Thaboritarum, Orebitarum, & aliorum, qui scripturas materna lingua legebant, & non intelligebant. Quod idem accidit Dauidi Georgio omnium hæreticorum pestilentissimo, qui nullam linguam nouerat, nisi suam maternam; idest Batauorum, & tamen ex scripturis collegerat, se esse Dei Filium, & Messiam, vt patet ex lib. siuè epistola, quam de illius erroribus ediderunt Basileenses. Est enim hæreticorum doctrina ablatiua, cum semper ex scripturis, quas citant, aliquid auferant, vt suos falsos errores confirment, Diabolumque imitantur in ipsis scripturis citandis, eas mutilatè citantes, & ad suum prauum sensum trahentes. Audi S. Athanasium epist. de Synodis Arim. & Seleuciæ, contra Arrianos sic scribentem. Hæreticus tametsi voces suas è sacris litteris mutuetur, nihilominus suspectus, animoque corruptus audiet à Spiritu sancto. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Ita quoque diabolo ex scripturis loquenti, os à Domino obturatum est. Contrà B. Paulus, & si ex alienis litteris loquatur; Cretenses semper mendaces; & illud; Ipsius enim genus sumus; & illud: Corrumpunt mores

Hæreses disputationibus scholasticis profligantur.

S. Athanasius.

mores bonos colloquia praua, tamen sanctus cum sit, pium animum gerit, & Christi mentem tenens, magister gentium est in fide, & veritate, & quæ loquitur cum pietate loquitur. Hæc ille. Et ante illum sic ait Origenes Hom. 31. in Luca, Si quādo testimonia de scripturis audiueris, vide ne statim loquenti acquiescas, sed considera illum, qui loquitur, cuius sententiæ, cuius voluntatis sit; si enim sententia hæreticus est, & sub ouis pelle lupus latitat, Diabolus in eo loquitur, nihil ad eum scripturæ pertinent; hæc ille. Cui planè conformia adhuc antiquior Auctor scripsit Tertull. in præscript. aduersus hæreticos. Aspici debet, inquit, cui competat possessio scripturarum, ne is admittatur ad eandem, cui nullo modo competit. Et paulò post: Ordo rerum hoc desiderabat, illud prius proponi, quibus competat fides ipsa, cuius sint scripturæ, a quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani, vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, illic erit veritas scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum. Et paulò post. Si hæretici sunt, Christiani non sunt, ita non Christiani nullum ius capiunt Christianarum literarum. B. August. de Genes. ad literam lib. 6. capit. 9. egregie de hac re sic scripsit. Non ob aliud sunt hæretici, nisi quia scripturas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pertinaciter asserunt. Et tract. 15. in Ioan. sic ait. Non aliunde natæ sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia, & in profundum præcipitantia, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè, & audacter asseritur. B. Ambrosius verò in coment. ad Titum 3. ex eo hæreticum quasi definit. *Hæretici*, inquit, *illi sunt, qui per verba legis legem impugnant, & proprium sensum verbis astruunt legis, vt peruersitatem mentis suæ legis auctoritate commendent.*

Tertullianus. S. August. S. Ambros.

Hæretici sub ouina pelle lupi sunt rapaces.

HABENT sanè hæretici verbalem prolationem scripturarum, quæ est illa ouina pellis, sub qua latent lupi rapaces, idest, falsi prophetæ, à quibus attendere iubet Christus Matth. 7. Vincentius Lyrinensis id non minus verè, quā eleganter expressit in suo comment. cap. 36. Quid est, inquit, vestitus ouium, nisi Prophetarum, & Apostolorum eloquia? Qui sunt lupi rapaces, nisi sensus hæreticorum feri, & rabidi, qui caulas Ecclesiæ semper infestant, & gregem Christi quaqua possunt, dilacerant? Sed vt fallacius incautis ouibus obrepant, manente luporum feritate, deponunt lupinam speciem, & se se diuinæ legis sententijs velut quibusdam velleribus obuoluunt. Hic est mos hæreticorum, hæc est illis innata consuetudo, nequitia, atque astutia, vt B. Petrus in sua 2. Epist. Canonica capit. 3. scripsit, *In quibus*, inquit, *sunt quædam difficilia intellectu*. (loquitur de epistolis B. Pauli) *quæ indocti, & instabiles* (hoc est hæretici) *deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem*. Lege B. Irenæum lib. 5. cap. 1. Cyrillum Alexandrinum epist. 28. Lactantium lib. 4. cap. 30. de vera Religione, Ambrosium lib. 4. in Lucam, Hieronymum in comment. ad cap. 23. Isaiæ, ad cap. 13. Ezechielis, & ad cap. 7. Micheæ, & epist. ad Domnionem, Hilarium lib. ad Constantinum, Origenem hom. 31. in Exodum, Tertull. & Athanasium locis citatis.

2. Pet. 3.

Non tantum scripturæ, sed et SS. Patrum scripta deprauātur ab Hæreticis.

NEC solùm mutilant scripturas sacras, sed etiam loca Patrum, atque sacrorum Doctorum, quorum testimonia ad suos errores persuadendos perperam adducunt; qua in re primum locum obtinent Caluinus, & eius asseclæ, qui mendacijs, & corruptis scripturis, ac testimonijs scriptorum sua scripta refertissima habent. Hi semper enixè recusant in arenam sacrarum disputationum cum Catholicis descendere, in illis enim veritas cribratur, & quasi triticum a palea separatur; & sicut ex torculari compresso vinum depromitur, ita ex disputationibus veritas plenè colligitur. Solet enim Ecclesia in Concilijs, & congressibus disputationum sacrarum, non solum res, sed etiam voces propter nouas exortas

hæreses

hæreses examinare, vt de Homousio, Theotochon, libero arbitrio, transubstantiatione, opere operato, merito de congruo, & condigno, & alijs terminis notissimum est. Denique quantopere res fidei per sessiones generalium Conciliorum dilucidentur, ac declarentur, nec non vtraque potestas spiritualis, & temporalis robur suum obtineat, non est, cur hoc loco multis argumentis probemus, cum ex copiosissimis eruditissimorum hominum scriptis, ac commentarijs id liquido constet. Quomodo autem liceat, vel non liceat de fidei articulis disputare, & an laicis id etiam fas sit, abundè docet S. Thomas loco citato; cui doctrinæ addendum est, quòd ex nouis constitutionibus post obitum S. Thomæ editis, laicis sub pœna excommunicationis prohibitum est de fide tàm publicè, quã priuatim disputare, vt patet extra de hæret. in 6. capit. Quicumque. §. Inhibemus, quod tamen intelligendum est, vt Caiet. & Bagnes benè notant, de disputatione formali de fide, quando suscipitur disputatio contra sentientes contrarium fidei, vel ad confirmandos dubios in fide, vel cõfutandum errorem ex professo. Materialiter tñ, nimirum qñ exercitij causa habetur disputatio, licebit laico disputare, vt passim permittitur. Addunt autem Caietanus, & Bagnes, quòd in casu necessitatis posset laicus doctus ẽt formaliter disputare de fide, non solũ verbis, sed etiam scriptis; non enim est intentio illius Canonis excludere laicos doctos à quibuscumque disceptationibus, quod etiam vsu Ecclesiæ receptum est. Nam Albertus Pighius, qui erat Comes, disputauit per libros tredecim contra errores Lutheranorum, & contra Erasmum; & Henricus Octauus Rex Angliæ dum esset Catholicus, scripsit assertionem quandam de septem sacramentis contra Lutherum. Huc accedit, sæpe inter Catholicos, & Religiosos viros, animi, & honoris gratia, etiam laicos ad Theses Theologicas disputandas admitti. Regulariter tamen de fide cognoscere, vel disputare ad iudicandum, & decidendum de rebus fidei, non solum non est laicorum, sed nec Monachorum, sed tantum Episcoporum, vt colligitur ex S. Hier. epist. 57.

Non licet laicis sub pęna excõmunicationis d rebus fidei disputare, siue publicè, siue priuatim.

EST quoq; notandũ, aliqñ Spiritum sanctum vti hominibus simplicibus ad conuincendos hæreticos de rebus fidei, vt patet li. 10. Historiæ Ecclesiasticæ c. 3. Vbi dicitur, quòd vir simplex, sed sanctus superauit in Concilio Nicæno hæreticum argutissimum, quem tamen doctissimi viri longa disputatione non potuerant conuincere. Vt plurimum tamen, sicut experientia docet, disputationes publicę cum hæreticis inutiles sunt, nisi fortè ad conuertendos simplices ab illis seductos. B. Aug. lib. 1. retract. cap. 16. ait, disputationes suas contra Fortunatũ Manichæum presbiterum exceptas fuisse à notarijs, quod idem repetit li. 1. de Musica, & in epist. 162. scribit, in disputationibus codices Canonicos præsto fuisse, illasq; sicut etiam lectiones in Ecclesijs opportunè habitas fuisse docet in epist. 119. ad Ianuariũ. Qñ aũt, inquit, non est tempus, cum in Ecclesia fratres cõgregãtur, sancta cantandi, nisi cum legitur, aut disputatur, aut Antistites clara voce deprecantur, aut cõmunis oratio voce Diaconi indicatur. Hęc ille. Et licèt disputatores contentiosi nominentur, vt inquit S. Aug. epis. 112. & epis. 173. nihilo minus in disputationibus Christianorũ semper veritas sectanda, & amplexanda est, vt idem Aug. docet lib. de vera Religione; nec victoriam, sed pacem intendere debent disceptatores, vt idem scribit in eadem epist. 173. contra Arrianos. Multos inconditos mores disputantium narrat S. Augustinus lib. 2. soliloq. capit. 7. Quare censuit, interdum melius esse, vt se ipsum interrogans, sibique ipsi respondens, Deo iuuante, verum quæreret. Modestia tamen Sancti Augustini in disputationibus semper eximia fuit, vt ipsemet testatur libr. 7. de Genes. ad literam, capitulo vltimo. Testatur quoque in Enchiridio ad Laurentium, in disputationibus etiam quæstionum sacræ Scripturæ, non

Spiritus sanctus p homines simplices, et idiotas interdum conuincit hęreticos

S. August.

T inuti-

mores bonos colloquia praua, tamen sanctus cum sit, pium animum gerit, & Christi mentem tenens, magister gentium est in fide, & veritate, & quæ loquitur cum pietate loquitur. Hæc ille. Et ante illum sic ait Origenes Hom. 31. in Lucā, Si quādo testimonia de scripturis audiueris, vide ne statim loquenti acquiescas, sed considera illum, qui loquitur, cuius sententiæ, cuius voluntatis sit; si enim sententia hæreticus est, & sub ouis pelle lupus latitat, Diabolus in eo loquitur, nihil ad eum scripturæ pertinent; hæc ille. Cui planè conformia adhuc antiquior Auctor scripsit Tertull. in præscript. aduersus hæreticos. Aspici debet, inquit, cui competat possessio scripturarum, ne is admittatur ad eandem, cui nullo modo competit. Et paulò post: Ordo rerum hoc desiderabat, illud prius proponi, quibus competat fides ipsa, cuius sint scripturæ, a quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani, vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, illic erit veritas scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum. Et paulò post. Si hæretici sunt, Christiani non sunt, ita non Christiani nullum ius capiunt Christianarum literarum. B. August. de Genes. ad literam lib. 6. capit. 9. egregie de hac re sic scripsit. Non ob aliud sunt hæretici, nisi quia scripturas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pertinaciter asserunt. Et tract. 15. in Ioan. sic ait. Non aliunde natæ sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia, & in profundum præcipitantia, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè, & audacter asseritur. B. Ambrosius verò in coment. ad Titum 3. ex eo hæreticum quasi definit. *Hæretici*, inquit, *illi sunt, qui per verba legis legem impugnant, & proprium sensum verbis astruunt legis, vt peruersitatem mentis suæ legis auctoritate commendent.*

Tertullianus.

S. August.

S. Ambros.

Hæretici sub ouina pelle lupi sunt rapaces.

HABENT sanè hæretici verbalem prolationem scripturarum, quæ est illa ouina pellis, sub qua latent lupi rapaces, idest, falsi prophetæ, à quibus attendere iubet Christus Matth. 7. Vincentius Lyrinensis id non minus verè, quā eleganter expressit in suo comment. cap. 36. Quid est, inquit, vestitus ouium, nisi Prophetarum, & Apostolorum eloquia? Qui sunt lupi rapaces, nisi sensus hæreticorum feri, & rabidi, qui caulas Ecclesiæ semper infestant, & gregem Christi quaqua possunt, dilacerant? Sed vt fallacius incautis ouibus obrepant, manente luporum feritate, deponunt lupinam speciem, & se se diuinæ legis sententijs velut quibusdam velleribus obuoluunt. Hic est mos hæreticorum, hæc est illis innata consuetudo, nequitia, atque astutia, vt B. Petrus in sua 2. Epist. Canonica capit. 3. scripsit, *In quibus*, inquit, *sunt quædam difficilia intellectu*. (loquitur de epistolis B. Pauli) *quæ indocti, & instabiles* (hoc est hæretici) *deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem*. Lege B. Irenæum lib. 5. cap. 1. Cyrillum Alexandrinum epist. 28. Lactantium lib. 4, cap. 30. de vera Religione, Ambrosium lib. 4. in Lucam, Hieronymum in comment. ad cap. 23. Isaiæ, ad cap. 13. Ezechielis, & ad cap. 7. Micheæ, & epist. ad Domnionem, Hilarium lib. ad Constantinum, Origenem hom. 31. in Exodum, Tertull. & Athanasium locis citatis.

2. Pet. 3.

Non tantum scripturæ, sed & SS. Patrum scripta deprauātur ab Hæreticis.

NEC solùm mutilant scripturas sacras, sed etiam loca Patrum, atque sacrorum Doctorum, quorum testimonia ad suos errores persuadendos perperam adducunt; qua in re primum locum obtinent Caluinus, & eius asseclæ, qui mendacijs, & corruptis scripturis, ac testimonijs scriptorum sua scripta refertissima habent. Hi semper enixè recusant in arenam sacrarum disputationum cum Catholicis descendere, in illis enim veritas cribratur, & quasi triticum a palea separatur; & sicut ex torculari compresso vinum depromitur, ita ex disputationibus veritas plenè colligitur. Solet enim Ecclesia in Concilijs, & congressibus disputationum sacrarum, non solum res, sed etiam voces propter nouas exortas

hæreses

hæreſes examinare, vt de Homouſio, Theotochon, libero arbitrio, tranſubſtantiatione, opere operato, merito de congruo, & condigno, & alijs terminis notiſſimum eſt. Denique quantopere res fidei per ſeſſiones generalium Conciliorum dilucidentur, ac declarentur, nec non vtraque poteſtas ſpiritualis, & temporalis robur ſuum obtineat, non eſt, cur hoc loco multis argumentis probemus, cum ex copioſiſſimis eruditiſſimorum hominum ſcriptis, ac commentarijs id liquido conſtet. Quomodo autem liceat, vel non liceat de fidei articulis diſputare, & an laicis id etiam fas ſit, abundè docet S. Thomas loco citato; cui doctrinæ addendum eſt, quòd ex nouis conſtitutionibus poſt obitum S. Thomæ editis, laicis ſub pœna excommunicationis prohibitum eſt de fide tàm publicè, quã priuatim diſputare, vt patet extra de hæret. in 6. capit. Quicumque. §. Inhibemus, quod tamen intelligendum eſt, vt Caiet. & Bagnes benè notant, de diſputatione formali de fide, quando ſuſcipitur diſputatio contra ſentientes contrarium fidei, vel ad confirmandos dubios in fide, vel cõfutandum errorem ex profeſſo. Materialiter tñ, nimirum qñ exercitij cauſa habetur diſputatio, licebit laico diſputare, vt paſſim permittitur. Addunt autem Caietanus, & Bagnes, quòd in caſu neceſſitatis poſſet laicus doctus & formaliter diſputare de fide, non ſolũ verbis, ſed etiam ſcriptis; non enim eſt intentio illius Canonis excludere laicos doctos à quibuſcumque diſceptationibus, quod etiam vſu Eccleſiæ receptum eſt. Nam Albertus Pighius, qui erat Comes, diſputauit per libros tredecim contra errores Lutheranorum, & contra Eraſmum; & Henricus Octauus Rex Angliæ dum eſſet Catholicus, ſcripſit aſſertionem quandam de ſeptem ſacramentis contra Lutherum. Huc accedit, ſæpe inter Catholicos, & Religioſos viros, animi, & honoris gratia, etiam laicos ad Theſes Theologicas diſputandas admitti. Regulariter tamen de fide cognoſcere, vel diſputare ad iudicandum, & decidendum de rebus fidei, non ſolum non eſt laicorum, ſed nec Monachorum, ſed tantum Epiſcoporum, vt colligitur ex S. Hier. epiſt. 57.

Non licet laicis ſub pęna excõmunicationis de rebus fidei diſputare, ſiue publicè, ſiue priuatim.

EST quoq; notandũ, aliqñ Spiritum ſanctum vti hominibus ſimplicibus ad conuincendos hæreticos de rebus fidei, vt patet li. 10. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ c. 3. Vbi dicitur, quòd vir ſimplex, ſed ſanctus ſuperauit in Concilio Nicæno hæreticum argutiſſimum, quem tamen doctiſſimi viri longa diſputatione non potuerant conuincere. Vt plurimum tamen, ſicut experientia docet, diſputationes publicę cum hæreticis inutiles ſunt, niſi fortè ad conuertendos ſimplices ab illis ſeductos. B. Aug. lib. 1. retract. cap. 16. ait, diſputationes ſuas contra Fortunatũ Manichæum presbiterum exceptas fuiſſe à notarijs, quod idem repetit li. 1. de Muſica, & in epiſt. 162. ſcribit, in diſputationibus codices Canonicos præſto fuiſſe, illaſq; ſicut etiam lectiones in Eccleſijs opportunè habitas fuiſſe docet in epiſt. 119. ad Ianuariũ. Qñ aũt, inquit, non eſt tempus, cum in Eccleſia fratres cõgregãtur, ſancta cantandi, niſi cum legitur, aut diſputatur, aut Antiſtites clara voce deprecantur, aut cõmunis oratio voce Diaconi indicatur. Hęc ille. Et licèt diſputatores contentioſi nominentur, vt inquit S. Aug. epiſ. 112. & epiſ. 173. nihilo minus in diſputationibus Chriſtianorũ ſemper veritas ſectanda, & amplexanda eſt, vt idem Aug. docet lib. de vera Religione; nec victoriam, ſed pacem intendere debent diſceptatores, vt idem ſcribit in eadem epiſt. 173. contra Arrianos. Multos inconditos mores diſputantium narrat S. Auguſtinus lib. 2. ſoliloq. capit. 7. Quare cenſuit, interdum melius eſſe, vt ſe ipſum interrogans, ſibique ipſi reſpondens, Deo iuuante, verum quæreret. Modeſtia tamen Sancti Auguſtini in diſputationibus ſemper eximia fuit, vt ipſemet teſtatur libr. 7. de Geneſ. ad literam, capitulo vltimo. Teſtatur quoque in Enchiridio ad Laurentium, in diſputationibus etiam quæſtionum ſacræ Scripturæ, non

Spiritus ſanctus p homines ſimplices, et idiotas interdum conuincit hęreticos

S. Auguſt.

inutiliter ingenia exerceri, si adhibeatur disceptatio moderata, & absit error opinantium, se scire quod nesciunt: solent etiam hæ disputationes appellari à S. August. epist. 147. mutuæ collationes, vnde ait Proculiano Episcopo scribens. Audiui quidem de memorato fratre, Euodio nempè, te fuisse conquestum, quòd nescio quid tibi contumeliose responderit; quod quæso te, ne illam contumeliam deputes, quam certum mihi est, non de superbo animo processisse, noui enim fratrem meum; sed si quid in disputando pro fide sua, & pro Ecclesiæ charitate dixit fortasse feruentius, quàm tua grauitas nollet audire, non illa contumacia, sed fiducia nominanda est, collatorem enim, & disputatorem, non assentatorem, & adulatorem se esse cupiebat.

Disputare de vtraque potestate, præsertim Papæ, modo conueniēti bonum est.

VERVM Iam ad argumenta in principio quæstionis adducta respondendum est. Ad primum dicimus, quòd disputare de huiusmodi potestatibus, præsertim Pontificia, remota temeritate, & irreuerentia, ea intentione, vt eius amplitudo cognoscatur, & vt subditis clarius elucescat, fieri omnia secundum rectum vsum Clauium, tàm scientiæ, quàm potestatis, non est causa litis, & discordiæ, sed pacis, & veritatis: sic Christus ab ipsis Apostolis quæsiuit; *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Et reiectis multis opinionibus, veritas circa diuinitatem, & humanitatem Christi à Patre Petro reuelata, & manifestata fuit. Matt. 16. dum dixit. *Tu es Christus Filius Dei viui.* Similiter disputare de potestate politica, vt faciunt nonnulli moderni Pseudotheologi, quò fauoris, vel complacentiæ causa vltra quam debent, seculares Domini se extendant, est causa litis, & discordiæ; extrema enim in materia morali semper sunt vituperabilia, & culpæ obnoxia, præsertim si sint Christianæ legi contraria.

AD secundum, auctoritas Principis, presertim legitimi, & canonicè inthronizati, semper supponenda est; nec de ea, an sit, disputandum est: verumtamen de qualitatibus, conditionibus, partibus, & effectibus eius disputare absque Principis iniuria, & cum maxima vtilitate subditorum fieri potest.

Quid lex humana iubeat circà disputationem de rebus fidei.

AD tertium dicimus cum S. Thom. loco citato, quòd illa lex prohibet publicam disputationem de fide, quæ procedit ex dubitatione fidei, non autem illam, quæ est ad fidei confirmationem: simili modo nos dicimus, etiam ea; quæ sunt determinata, & decisa per Canones, & alia iura de vtraq; potestate, posse seclusa temeritate, & irreuerentia, trahi ad disputationem, non ad eorum dubitationem excitandam, sed ad eorum soliditatem, & roborationem; de cęteris verò, quæ decisa non sunt, nulla ratio negat, disputari licitè posse, ad veritatem magis eruendam. Vnde rectè idem Imperator ibidē subdit. *Nullus Clericus, vel militaris, vel cuiuscunque alterius conditionis de fide Christiana publice, turbis adunatis, & aduenientibus, tractare conetur in posterum, ex hoc perfidiæ, & tumultus occasionem requirens.* Nec enim quæ sunt certæ fidei, sunt reuocanda in disputationem carnalem per indisciplinatas, & impias quęstiones, vt docte dicit Leo Papa in epis. 42. ad Marcianum Imperatorē. Lege eundem epist. 78. vbi ait. Quæ patefacta sunt quærere; quæ perfecta sunt retractare, & quæ sunt definita conuellere, quid aliud est, quam de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum mortiferos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere? &c.

Cur Pharisæi à Christo signum petentes, acriter ab ipso reprehēsi fuerint.

AD Quartum dicimus cum Chrysostomo Hom. 44. in Matth. Pharisæos volentes signum videre de potestate Christi, merito reprehensos fuisse, quoniam dolosè volebant eius potestatem calumniare; vel quoniam signa, quæ priùs viderant, & per Christum ostensa fuerant, vim habebant eos in fide ita stabiliendi, vt vlteriùs alia signa quærenda non essent; & vtroque modo sic disputare de potestate Papæ dolosè calumniando, vel ipsam non credendo, est reprehensibile, & omni obiurgatione dignissimum; sed disputare de illa per rationes pro, & cōtrà, ipsam subtiliter, & humiliter elucidando, & per

diuersos

diuersos articulos distinguendo, est valde vtile, & admodum commendabile.

AD quintum respondemus cum Augustino de Ancona, quòd dubitare, & inuestigare illa, quæ sunt supra sensum, & intellectum hominis pertinaciter asserendo, & propriæ sententiæ arroganter innitendo, præsumptuosum est; sed talia inuestigare per dicta Sanctorum, qui Spiritu sancto inspirati loquuti sunt; & per auxilia, quæ Deus contulit suis fidelibus, vt talia inuestigarent, putà per naturales, & congruas rationes, & per ea quæ sacræ scripturæ non aduersantur; non est præsumptio, sed quædam supererogatio, de qua dicitur Lucæ. 10. quòd Samaritanus proiectis duobus denarijs in curatione hominis semiuiui, ait stabulario, *Quodcumque supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi.*

Q. ę humanum captũ sup.rant, quomodo sint inuestiganda.

AD sextum dicimus, quòd non est disputandum de rebus fidei, quasi de eis dubitando, sed propter veritatem luculentius manifestandam, & errores confutandos; ad fidei enim confirmationem interdum operępretium est disputare; vel defendendo fidem, iuxta illud primæ Petri 3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe.* Adde simul cum S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 7. ad 3. & fide, sub spe enim fides intelligitur, quia ipsa *est sperandarum substantia rerum*, ad Hebr. 11. vel ad conuincendos errantes, secundum illud ad Titum 1. *Vt sit potens exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere*; & est solutio S. Thomæ loco citato. Et in hoc sensu laudandus est Honorius Imperator qui prohibuit disputationes de Religione haberi, proscriptione, & exilij pœna condemnans eos, qui secus fecissent, l. 45. de hæret. C. Theodosiano.

De rebus fidei non est disputandum quasi dubitando, sed ad cõfirmandas illa, & errores confutandos.

CARDINALIS Baronius tomo 5. narrat disputationem Sancti Germani cum Pelagianis in Britannia, nec non aliam Crispini Donatistæ cum Possidio Episcopo Calamensi, de qua Beatus Augustinus contra Cresconium lib. 3. capit. 46. mentionem facit. Habita fuit quoque disputatio de Canone Antiocheno ab Arrianis contra B. Athanasium in Concilio Antiocheno in Encænijs celebrato, vt refert Palladius in Dialogo. Extat quoque disputatio Sancti Augustini a Zosimo Romano Pontifice cum munere legati in Cæsareã Mauritaniæ missi cum Emerito, vt ipse Augustinus refert epis. 157. & lib. retract. cap. 51. his verbis: Orta est nobis necessitas pergendi in Mauritaniam Cæsariensem; ibi apud ipsam Cæsaream Emeritũ Donatistarum Episcopum vidimus, vnum scilicet eorum septem, quos pro suæ causæ defensione delegerant, & qui in eadem causa maxime laborauerat; quæ cum illo egerimus præsentibus Episcopis eiusdem Prouinciæ, & plebe Cæsariensis Ecclesiæ, in qua Ciuitate, & ciuis, & memoratorum hæreticorum Episcopus fuit; Ecclesiastica gesta testantur, quæ in meis habentur opusculis, vbi non inueniens quid responderet, totum sermonem meum, quem de solis Maximinianistis in auribus eius, & omnium, qui aderant explicaui, tanquam mutus audiuit. hæc ille.

Variæ de Religione, & fide disputationes apud diuersos Auctores.

HABETVR etiam alia disputatio B. Augustini Hippone regio coram populo in Ecclesia habita cum Felice Manichæo, qui illuc venerat, vt errores Manichæorum disseminaret, & ideo cum ipso biduo S. Augustinus disputauit, vt refert Possidius in vita B. Augustini cap. 6. quæ disputatio fęlicissimum obtinuit finem, eiusdem nempè Fęlicis ad Catholicam veritatem conuersionem, vt testatur idem Aug. lib. 2. contra Fęlicem Manichæum, in fine, qui hęc sequentia verba manu propria scripsit. *Ego Fœlix, qui Manichæo credideram, nunc anathematizo eũ, & doctrinam ipsius, & spiritum seductorem, qui in illo fuit: qui dixit, Deum partem suam genti tenebrarum miscuisse, & eam tam turpiter liberare, vt veritates suas transfiguraret in fœminas contra masculina, & ipsas iterum in masculos contrà*

T 2 *fœminina*

fœminina dæmonia, ita vt postea reliquias ipsius suæ partis configat in æternum globo tenebrarum: has omnes, & cæteras blasphemias Manichæi anathematizo. Hæc dixit ille. Notanda est autem subscriptio vtriusque in hæc verba habita.

Augustinus Episcopus his in Ecclesia coram populo gestis subscripsi.

Fœlix his gestis subscripsi.

ITEM alia legitur disputatio S. Aug. cum Maximino Episcopo Arriano, vt refert idem Possidius in vita Augustini capit. 17. quam etiam refert idem Augustinus libris duobus contra Maximinum. Præterea extat alia disputatio de fide eiusdem Augustini cum Pascentio Comite Arriano in Aphrica exactore rerum fiscalium, vt eodem loco idem Possidius scribit.

EXTAT etiam disputatio Sancti Porphyrij Garensis Ciuitatis Episcopi cum Iulia Manichæa Antiochena, quæ illuc aduenerat, vt gentiles, quos audierat, ad Christi fidem conuersos, ad sectam Manichæorum pelliceret. Ita refert Marcus Garensis Diaconus apud Metaphrastem die 26. Februarij, Lippomanus, & Surius eodem die.

Insignis historia de quadam sancti Ambrosij disputatione contra Auxentium Arrianum.

PROVOCAVIT aliquando Auxentius Arrianus B. Ambrosium ad publicam disputationem, in qua ab eodem Auxentio delecti fuere quatuor Iudices gentiles, qui admissi fuere, non vt de Christo iudicarent, sed vt Christi Maiestatem audirent; qui etiam ipsum Auxentium condemnarunt, vt refert idem Ambros. in oratione ad Maxentium. Accidit autem in ea disputatione pulchrum quid, atque præclarum. Arrianus quidem, acerrimus nimirum disputator, & durus, atque inconuertibilis ad fidem Catholicam, ad Basilicam se contulit (sunt verba Paulini in vita S. Ambrosij) his constitutis in Ecclesia, tractante Episcopo, vidit vt ipse post modum loquebatur, Angelum ad aures Episcopi tractantis loquentem, vt verba Angeli Populo Episcopus renunciare videretur, quo viso conuersus, fidem, quam oppugnabat, cœpit ipse defendere.

FVIT quoque habita Romæ disputatio Iudæorum cum Siluestro Papa, instante Constantino Imperatore, de qua legas Baronium tomo 3. anno Christi 315. nec non Melchiadis cum Donatistis, de qua S. Augustinus epist. 162.

FERTVR disputatio quædam inter Arrium, & Athanasium, habita in Concilio Nicæno, relata in comment. Athanasij; sed hanc commentitiam esse, & nullius fidei benè demonstrat Baronius tomo. 3. in quo etiam ostendit, aliam disputationem eiusdem Athanasij nomine coram Probo contrà Arrium scriptam, commentitiam quoque esse: sed de his satis.

Sancti Gregorij Nazian. monita de modo disputandi de rebus fidei.

DE modo, & forma disputandi de rebus fidei, & quibus sit id concessum, lege S. Gregorium Nazianzenum in prima oratione Apologetica, & in oratione 26. cuius inscriptio est. De moderatione in disputationibus seruanda; & quòd non sit cuiusuis hominis, & cuiusuis temporis de Deo disputare. In cuius orationis fine hæc aurea verba profert. Ac profectò legem quoque apud nos constitutam esse oportebat, quæ iuberet, vt quemadmodum olim apud sapientes hebræos à quibusdam scripturæ sacræ libris iuuenes arcebanrur, vtpotè tenerioribus adhuc, minimeque firmis animis haud quaquam profuturis, eodem quoq; modo non quibuslibet, nec semper, sed certo tempore, ac certis hominibus de fide disputandi potestas fieret, ijs nimirum, qui nec ingenio sunt omnino segni, & ignauo, nec rursum ijs, qui inexplebili quadam auiditate laborant, gloriæque studio ducuntur, atque in pietate feruentiores sunt, quàm par sit, atque hi quidem illic collocarentur, vbi nec sibi ipsis, nec alijs noxij essent; ijs autem, qui in disputationibus modesti, ac verè compositi, & temperantes essent, libera disputandi facultas daretur; promiscua verò multitudo ab hac via, & loquacitatis morbo hac tempesta-

te

te vigente abducta, & auersa ad aliud virtutis genus minus periculosum traduceretur, vbi & segnities minorem labem, ac detrimentum afferret, & insaturabilis auiditas pietatis laudem haberet. Hæc ibi. Modum autem disputandi cum hæreticis rectè describit idem Gregorius oratione 44. non enim vociferationibus, vel contentione sublimioris vocis agendum esse docet cum illis, nec victoriæ ambitione; sed pro desiderio, vt fratres quorum separatione distorquemur, ad nos redeant, enixè laborandum. Disputatio verò aduersus hæreticos, præcipuè ad Doctores remittenda est, vt innuit idem Gregorius oratione 41. ibi; Certamen ad me transmittetur. Assidua autem de rebus maximis, præsertim diuinis, contentio quantopere sit vitanda, scribit idem Gregorius oratione 26. sæpè enim in superuacaneis, & inanibus disputationibus, & Euangelium, & Crucis quoq; mysterium euacuatur; quod etiam repetit in oratione 35. Perbellè autem in Iambico decimo octauo scribit, quomodo se gerere quis debeat in diuinis disceptationibus, his carminibus.

Qui cuncta complens altior cunctis manet
Docensq; mentem mentis aspectum fugit:
Trahens in altum dum celer se proripit.
Deum quidem tu cogita, & cole maxime.
Philtrum, obsequendo legibus, monstrans tuum:
At parce, quid sit ipse, vbique quærere,
Semperq; cunctis verba nec fundas leuis,
Quiddam loquaris de Deo, idq; cum metu,
Quiddam sit intus conditum, strepitu sine
Clausum, quod ima mente persancte colas,
Ad aliud aures arrigas, si quis docet,
Auris periclis lingua, quam minus parit.
Quod restat, ora planius post, vt scias
Soluta mole corporis, nunc te expia,
Sancteq; viuens innoua quantum potes.

Nazianzenus.

PERFECTAE autē doctrinæ, & disputationis in hæreticos ratio duplex est, teste eodem Gregorio oratione 35. Altera, qua dogmata fidei Catholicæ cōfirmantur: altera, qua eis aduersantia subuertuntur; atq; hoc est vtilissimum scribendi, disputandi, & docendi genus. Scribit S. Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus omnibus disputantibus, præsertim cum infidelibus, Crucis figuram manu prius formandam esse, & tunc Deo confidendum, quòd planè contradicentes obmutescent. Idem fecit S. Porphyrius in Iulian. Manich. disputans, ferens secum sancta Euangelia, & initio disputationis signum Crucis faciens in ore suo, vt scribit Baron. tom. 5. Annal. Plutarchus lib. de Audi. offic. monet, vt qui audit, vel disputat, non tumultuetur, neque erumpat in latratum ad quoduis dictum, vel responsum, nequè extemplò adoriatur contradicendo, acerbè scilicet, & contumeliosè loquendo. Monet quoque S. Chrysostomus in Iob, neminem iure esse debere disceptatorem, & iudicem simul causæ, quam defendit, quod profectò limitandum est, exceptis causis fidei, quæ cum hæreticis, vel infidelibus disputabuntur: tunc enim non solum disceptatoris officium, sed etiam iudicis disputans suscipere debet; cum veritas illi constet. Solent præterea in eo arguentes peccare, tempori potius, quàm veritati seruientes, vt ad extrema tantum verba respondentis attendant, quibuscum suam argumentationem consuunt, vel connectunt, non ad integrā responsionē. Vitium est hoc graue, & pugnantis ani-

Duplex modus disputandi contra Hæreticos ex S. Greg. Nazian.

S. Chrysost.

mum, non quærentis veritatem ostendit: sicut etiam summopere vituperandum est, disputantem ad dicteria & scommata siue dicenda, siue regerenda se conuertere, sed expedit rem ipsam agere, & veritatem prosequi. Vnde S. Hieronymus illud, *Noli æmulari in malignantibus*, vertit, *Noli contendere*. Tranquilla enim mente disputandum est, exemplo filiorum Israel, qui ad pugnandum processerunt mente pacifica, 1. Paral. 1. inter ipsos quoque gladios, & effusiones sanguinis, & cadauera prostratorum non suam, sed pacis victoriam cogitantes: lege Hieronymum epist. 89. ad Augustinum. Habes quoque exemplum 4. Reg. 3. in Ioram Rege Israel, qui de salute sua sollicitus, cum rogaturus de belli euentu adijsset Elisæum, acerbius ab illo fuit acceptus his verbis, *Quid mihi, & tibi est? Vade ad Prophetas patris tui, & matris tuæ*. Nihil ad hæc respondit, sed in rem suam intentus dixit: *Quare congregauit Dominus Deus tuus Reges hos, vt traderet eos in manus Moab?* Exardescente iterum Elisæo, atque dicente. *Viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quòd si non vultum Iosaphat Regis Iudæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem*; expectauit nihilominus cum tranquillitate responsum. Quid enim tunc curaret verba grauiora, meliora curans? Maximum quoque vitium est, in disputationibus eadem cum tædio, & circulo repetere: est enim importuna eiusdem rei obiectio, & repetitio molestissima, & maximè ingrata. Lege pulchra de modo disputandi apud Diuum Hieronymum epist. 50. ad Pammachium, & in eiusdē pro libris aduersus Iouinianum Apologia. Atq; hæc de prima Disputatione dicta sufficiant.

4. Reg. 3.

D. Hieron.

†

DISPV.

DISPVTATIO SECVNDA.

DE DISCRIMINE SPIRITVALIS, & temporalis Iurisdictionis.

QVAESTIO PRIMA.

Quænam sint differentiæ inter temporalem, & spiritualem Iurisdictionem.

CONVENIVNT hæ duæ potestates in hoc, quòd vtraq; est à Deo, licèt non eodem modo, vt dictum est; sed quia in multis inter se differũt, ideò vt hoc exactiùs expliceemus, ex quatuor causis vtriusq; Iurisdictionis, & potestatis, videlicet ex causa efficienti, finali, formali, & materiali omnes huiusmodi differentias ostendemus. Ex omnibus quatuor causis differentię inter has potestates colliguntur.

ET primo ex causa efficienti ea intercedit differentia, vt superius diximus, quòd Politica potestas vniuersè, & in genere considerata est de iure diuino naturali; in particulari verò, & in specie considerata est de iure gentium, & non immediatè à Deo, sed ex hominum voluntate, & instituto. Ecclesiastica verò est ex iure Diuino, Dei ore, vel eius supernaturali reuelatione prolato, & non solum in vniuersali, sed etiam in specie, immò in indiuiduo, si prima potestas, à qua cæterę emanant, attendatur, immediatè est à Deo; Christus enim, qui est Deus, & homo, instituit Pontificiam potestatem, illamq; immediatè dedit Petro, eiusq; successoribus: ipse per se ipsum, & immediatè Episcopos instituit; non enim voluntatis humanæ est, quòd Episcopi sunt in Ecclesia, sed diuinæ, Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores*, Act. 20. *In quo spiritus Sanctus vos posuit Episcopos regere, &c.* & licèt multæ aliæ potestates spirituales sint ab homine, & ab Ecclesia; primariæ tamen, ex quibus cæteræ profluunt, sunt à Christo. Non ità in secularibus potestatibus, quæ sic sunt à Deo, vt earum institutio prorsus per homines efficiatur; per illos enim Regia potestas, Ducalis, & similes creantur: vnde earum institutio humana est, ex Dei tamen voluntate procedēs, ac proinde à Deo mediatè esse dicuntur. Hanc differentiam tradit S. Basilius libro de cõstitut. Monast. cap. 23. ubi sic scribit. Qui mundo huic præsunt, ex lege humana illam potestatem imperandi habent; at Præses Ecclesiasticus à Deo constitutus est, vt præsit, & à Diuina lege potestatem imperandi accepit. Idem scribit S. Chrysost. in verbis Isaiæ Hom. 4. & 5. Sacerdotij ius à supernis descēdit, Regnum seculi ea, quæ sunt in terris, administranda sortitum est. Intellige etiam quantum ad originem, subdit enim Hom. 5. Nec vltra potestatem hanc terrenarum rerum administrationis præterea quicquam habet auctoritatis. Hanc differentiam Christus declarauit Ioan. 18. dicens, *Regnum meum non est hinc: nec de hoc mundo*; significare volens, vt ibidem S. August. exponit, auctoritatem, & potestatem Ecclesiæ, nec ab hominibus, nec per homines, sed à Deo immediatè

Ex causa efficienti.

Ad Ephes. 4. Act. 20.

S. Basilius.

Ioan. 18.

per

per Christum originem trahere. Potestas igitur Ecclesiastica habet auctorem immediatum Deum; secularis verò potestas per ius gentium & consensum populorum ad Principes deriuatur.

Ex causa finali.

SECVNDO ex fine vtriusq; Principatus; finis enim principatus Politicæ est dirigere, & gubernare multitudinem in ordine ad finem naturalem hominis, per media naturalia ad illum proportionata, itaut per pœnas, & præmia virtutes politicæ introducantur; vitia, rixæ, scandala, cæteraq; crimina remoueantur & arceantur, ad quietem, & tranquillitatem Reipublicæ conseruandam. Ita Plato in lib. de Republica, Tullius lib. 3. de Rep. Aristoteles lib. 1. Polit. & alij. Potestas autem spiritualis dirigit hominem per media supernaturalia ad finem supernaturalem. Deinde potestas ciuilis dirigit actus humanos in ordine ad actus externos dilectionis, idest ad pacem, & conseruationem Reipublicæ. Ecclesiastica vero, & spiritualis dirigit actus humanos non solùm quantum ad actus externos; sed etiam quantum ad internos actus virtutum, per quarum habitus animæ supernaturaliter infusos homo ambulat, & velociter currit ad finem supernaturalem. S.Greg.Nazianz.orat.1. Apologetica aliã statuit differentiam sic loquens. Hic enim spiritualis omnis imperij finis est, vbiq; priuata vtilitate neglecta, commodis filiorum, quos per Euangelium genuit, consulere; terreni verò, quod suum est, quærere. Ita quoq; Paulus 1. ad Cor. 10. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius.

S. Greg. Naziã.

Ex causa formali.

TERTIO ex causa formali, quoniam politica potestas cum sit à Deo, à quo non nisi res bonæ, & licitæ procedunt, est quidem honesta ac bona, naturalis item, & adeò necessaria humano generi, vt tolli non possit, nisi ipsa natura destruatur, reddens homines ciuiliter probos, ac morigeratos. Lege S. Augustinum lib. 4. & 5. de Ciuit. Dei ferè per totum. At spiritualis potestas, tãquam melior, reddit subditos, quantum in se est, etiam participes diuinæ naturæ, & ad dignitatem filiorum Dei per adoptionem euehit, Ioan. 1. Quare rectè Elias in Com. 1. orat. Nazianzeni dixit, quòd politica hominem facit hominem, at Ecclesiastica ex homine facit Deum. Armachanus lib. 10. quæst. Armenicarum Cap. 40. censuit, præcipuum titulum Dominiorum, & principatuum, etiam secularium, & ciuilium, esse gratiam Dei, seu iustitiam, & Charitatem, atq; in hoc fundari omnes alios titulos; eosq; qui Dei gratia, & iustitia carent, nullum habere verum dominium affirmabat. Verùm quantopere hic cum nonnullis hæreticis errauerit, inferiùs in propria quæstione ostendemus. Potest item politica potestas obligare etiam in conscientia per leges à se latas, & ad mortale, & ad veniale peccatum pro ipsarum rerum grauitate; vis enim obligatiua est de essentia legis, siue illa lex sit Ecclesiastica, siue politica; vide August. lib. 19. de Ciuit. Dei Cap. 18. obligare enim est effectus necessarius legis, à quocunq; illa feratur, siuè à Deo, siue ab homine habẽte potestatem, vel Ecclesiastico, vel seculari. At potestas Ecclesiastica fortiori vinculo obligat, cum eius violatio magis sit contraria fini legis, idest Charitati, finis enim præcepti est Charitas, vt inquit, Apost. 1. ad Timoth. 1. Quare violatores illius præter alias, maximam quoque ex hac parte contrahunt deformitatem, & in peiori statu per illam constituũtur. Præterea potestas Ciuilis, & Ecclesiastica differunt quoad firmitatem, illa enim in particulari, seu in indiuiduo cõsiderata potest ex causa ab homine inferiori abrogari, suspendi, & tolli; hæc autem nequaquam. Matth. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

Error Armachani.

1. ad Thim. 1.

Ex causa materiali.

QVARTO ex causa materiali, subiectum enim in quo politica, & ciuilis potestas existit, immediatè est multitudo, seu Respublica: Ecclesiastica verò in vno homine, tanquam in subiecto firmatur. Præterea illi corpora commissa sunt, huic verò animæ, vt docet Chrysost. in verba Isaiæ Hom. 4. & 5. Quod intellige,

S. Chrysost.

telligе, vt ad secularem corpora tantùm & ea, quæ ad vitam corporalem faciũt, pertineant; ad spiritualem verò non solùm animæ, sed etiam ipsa corpora ratione ipsius animæ spectent. Prętcrea thronus politicę in terris est collocatus, Ecclesiasticæ verò in Cœlis: ita Chrysost. in cit. hom. 5.

ALIAM distinctionem innuit Christus Lucæ 22. ibi, *Reges gentium dominantur eorum: non sic erit inter vos*; vbi Christus Ecclesiasticum magistratum instituit, & eum à politico distinguit, & præsertim à politico corrupto, cui fastus pompæ, aliaq; vana annexa esse solent. Luc. 22.

ALIAM quoq; differentiam insinuat Paulus 1. ad Corinth. 7. *Prætio empti estis, nolite fieri serui hominum*; politica enim potestas seruit homini propter hominem tantùm; at Ecclesiastica seruit homini propter Deum, 2. ad Corinth. 4. *Nos seruos vestros per Iesum*; cum omnia præstet, vt fidelium saluti inseruiat: immò etiam Angeli Ecclesiasticæ potestati famulantur, cum *omnes sint administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis* ad Hebræos 1. 1. Cor. 7. 2. Cor. 4.

ALIA quoq; differentia sit, quòd potestas, seu regimen Ecclesiasticum est spirituale; Politicum verò seu ciuile est temporale; hoc naturale, illud supernaturale; illud vt principale in mundo, hoc vt accessorium; sicut bonum corporis habet se vt accessorium ad bonum animæ, vt definit D. August. epist. 56. ad Dioscorum.

DEINDE Principatus secularis, cum institutus sit ab hominibus, regit homines, vt homines sunt, & magis ratione corporum, quàm animarum; Ecclesiasticus verò, cum sit à solo Deo, regit homines, vt Christiani sunt, & magis ratione animarum, quàm corporum; ille habet pro fine temporalem quietem, & salutem populi, iste vitam & fœlicitatem sempiternam; ille vtitur naturalibus legibus, & institutis humanis, iste legibus diuinis, & sacramentis diuinitus institutis; ille gerit bella cum hostibus paucis, & visibilibus; iste cum inuisibilibus, & infinitis, ad Ephes. 6. *Nõ est nobis, &c.* Audi Chrysost. loco citato, Regi corpora cõmissa sunt, Sacerdoti animæ. Rex maculas corporũ remittit, Sacerdos autem maculas peccatorum. Ille cogit, hic exhortatur. Ille necessitate, hic consilio. Ille habet arma sensibilia, hic arma spiritualia. Ille bellum gerit cum barbaris, mihi bellum est aduersus dæmones.

DIFFERVNT præterea honore, & dignitate, vt innuit B. Ignatius epist. 7. ad Smyrnenses, vbi ait, nihil esse in Ecclesia honorabilius his, qui gaudent potestate spirituali, & addit, primum honorem deberi Deo, secundm Episcopo, tertium Regi. Nazianzenus oratione ad ciues timore perculsos, Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio, & Hom. 4. in cap. 6. Isaiæ, & Ambrosius libro de dignitate Sacerdotali cap. 2. Episcopum Regi apertissimè anteponunt; immò etiam idem Chrysostomus Hom. 83. in Matthæum, Reges non solum Episcopis, sed etiam Diaconis subijcit, sic scribens. Si Dux quispiam, si Consul, si is, qui diademate ornatur, indignè adeat, cohibe, & coerce, maiorem tu illo (de Diacono loquitur) habes potestatem. Gelasius item Epist. ad Anastasiũ. Nosti, inquit, fili clementissime, quòd licèt præsideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis: lege S. August. in Psalm. 98. vbi probat, Moysem ideò fuisse Sacerdotem, quia fuit maximus; nihil enim est maius in terra Sacerdote. Et S. Greg. lib. 14. moralium Cap. 19. affirmat, prima membra in corpore Domini esse Sacerdotes; sicut etiam Chrysost. Hom. 17. in Matth. vocat illos Vicarios Christi, immo ipsum Christum. Idem Greg. lib. 4. epist. 31. ad Maurit. & Nicolaus I. epist. 7. c. 35. ad Michaelem, asserunt, Sacerdotes esse Deos quosdam inter homines, à Deo vero constitutos, etiam respectu Regum, & Principum terræ. Quod etiam Constantinum Magnum Imperatorem

Alia discrimina ponuntur inter has potestates, ex Sanctis Patribus.

rem

rem dixisse refert Euseb. lib. 2. de vita Constantini cap. 10. & Theodoretus lib. 1. Hist. cap. 7. & D.Aug. epist. 66. & refertur a Melchiade Papa 12. q. 1. c. futuram, & idem colligit D.Hieron. ex verbis Christi Matth. 16. *Vos autem quem me esse dicitis?*

PRÆCIPVA quoq; differentia est, quòd potestas spiritualis dominatur & præest temporali, sicut anima corpori, Sol Lunæ, Cœlum terræ, cæterisq; rebus inferioribus, & vir vxori. Lege S.Thom. 1.2.q. 117. art. vlt. & 1.par. q.65. art.2. & Beatum Gregor. Nazianz. orat. 17. Plutar. lib. de doctrina Principum, vbi redarguit morē Regum Persarū, qui omnes pro seruis habebant, præter vxorem suam, cuius maximè conueniebat virum esse dominum. Adde quòd, licèt vtraq; sibi mutuò inseruiat, videlicèt temporalis spirituali, & spiritualis temporali, & Sacerdotium Imperio, & Imperiū Sacerdotio, vt inquit Greg. VII. lib. 1. Registri, epist. 19. & 29. quæ est Henrici Regis ad Gregorium, maximo tamen cum discrimine id efficitur, hæc enim temporali inseruit, vt Domina, & Regina; illa autem spirituali, vt pedissequa, & ancilla: ita benè loquitur Greg. Septimus lib. 4. Regist. epist. 3. Differunt etiam, quoniam potestas spiritualis Pontificia, summa & vnica est ex Christi institutione in Petro, & successoribus residens in to orbe: at temporalis laica in toto mundo vnica esse non potest, sed multiplex, & diuersa, pro varietate, & diuersitate populorum. Ioan. 10. *Vnum ouile, & vnus Pastor,* & Lucæ 22. *Reges gentium dominantur eorum, &c.*

Potestas spiritualis semper primum locum obtinet.

QVOD si in aliquo negotio, vel actione hæ duæ potestates adeundæ sint, semper primo loco potestas Ecclesiastica consulenda est, tamquam nobilior, ac superior: quod etiam Iudæi in cursu passionis Christi seruarunt, trahentes illum ligatum ad quatuor tribunalia, quorum duo prima Ecclesiastica erant, Annæ nempè, & Caiphæ; reliqua duo secularia, Herodis, & Pilati; habet enim se spiritualis potestas, vt aurum; temporalis verò vt plumbum, vt inquit S.Ambrosius lib. de dignit. sac. cap. 2. & hęc sine illa, Principi præsertim Christiano, stulta, & insipiens est, vt vxor Iob, de qua dicitur; *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es,* Iob. 2

Potestas Ecclesiastica se habet vt caput; secularis vero vt mēbrum in Ecclesia, quod in Imperatore maximè constat.

HIC quoq; considerandum est, potestatem Ecclesiasticam in corpore Ecclesiæ habere se, vt caput; secularem verò, vt membrum. Ita S.Thom. lib. 4. contra gentiles cap. 76. Quocirca ab ea tanquam à capite, omnem motum, sensum, & influentias rectæ gubernationis in cætera membra descendere, necessariò affirmandum est; ita idem S.Thom. lib. 3. de regimine Principum cap. 19. Et Imperator, qui inter cæteros Principes seculares habet supremam potestatem in terris, dicitur manus summi Pontificis, à quo recipit ensem, & gladium in Ecclesiæ defensionem: lege S.Antoninum 3.p.tit.22. cap. 5. §. 15. August. de Ancona de potest. Ecclesiæ q. 36. art. 4. Turrecrematam in summa de Ecclesia lib. 2. cap. 114. propos. 11. Aluarum Pelagium de planctu Ecclesiæ lib. 1. cap. 40. & cap. 57. Siluestrum, verbo Papa q. 10. Panorm. in cap. Nouit, de iudicijs n. 12. & in cap. Licèt ex suscepto, de foro compet. Vnde Imperator dicitur minister potestatis Pontificiæ, & illius executor. Quare electus, à Papa confirmatur cap. Venerabilem, extrà de electione: cōfirmatus, ab eodem vngitur, & consecratur, extrà Cap. Cum venisset, de sacr. vnct. vnctus coronatur, eodem cap. Venerabilem; in coronatione iuramentum fidelitatis Papæ exhibet, Cap. Tibi Domino, dist. 63. si est dignus excommunicatione, aut depositione, ab eodem Papa excommunicatur, & deponitur, Can. 2. dist. 96. immò ab eodē Papa iustis de causis potest etiam immediatè eligi, vt dicit Siluester loco allegato, & alibi, & id experientia docuit in electione Caroli Magni, & in Decreto Pontific ioā Gregorio Quinto ad instantiam Othonis Tertij facto circa septem electores Imperij, vt scribunt S. Thom. lib. 3. de regim. Principum, Pighius lib. 5. Hierarchiæ Ecclesiæ cap. 20.

Aluarus,

Aluarus Pelagius de planctu Eccl. cap.41. August. de Ancona lib.de potestate Ecclesiæ q.35. art.2. Clemens V. in Concilio Generali Viennensi, in Clementina, Romani, de iureiurando, & Nicolaus Tertius, prout refert Card. Bellarminus lib.3. de translat. Imperij cap.3.

EST quoq; pulchra alia differentia, quam innuit Henricus de Gandauo, in quolib.6. q.23. scilicèt, quòd Sacerdos Apostolicus idest Papa, habet se ad Reges, & Principes, tanquam Architectus supremus ad alios Architectos, inferioresq; fabricæ ministros; sicut enim ab Architecto ex fundamento vniuersum ædificiũ regulatur, atq; dirigitur; sic ædificatio totius Ecclesiæ, quæ ex Clericis, & laicis constat, ab Apostolis, personisq; Ecclesiasticis, quæ sunt eorum successores, disponitur, ad Ephes.2. Quare rectè ait August. de Ancona in lib. de potesta. Ecclesiastica q.1. art.8. Quia sunt Reges, & Imperatores quasi ministri, & stipendiarij ipsius Papæ, & ipsius Ecclesiæ, & per eum stipendiandi sunt thesauro corporali ipsius Ecclesiæ pro pace, & defensione eius, secundum taxationem ipsius, nec aliter sunt in statu salutis, si vltrà stipendia eis taxata, volunt bona temporalia à fidelibus Ecclesiæ surripere. Vnde Lucæ 3. cum milites venissent ad Ioannem, & quæsiuissent ab eo. *Quid faciemus nos, vt salui simus?* Respondit. *Neminem concutiatis per violentiam, neq; calumniam faciatis per fraudolentam nequitiam, & contenti estote stipendijs vestris,* hoc est stipendijs pro vobis taxatis, vt exponit Chrysost. quæ stipendia non alia ratione recipiuntur à Principibus, nisi tanquam à ministris, operarijs, & seruis Ecclesiæ. In cuius rei signum Imperator auream coronam ex pede summi Pontificis accipit, vt affirmat S. Thom. lib. 3. de regim. Principum cap.20. & tenens fręnum equi summi Pontificis, stratoris officium illi equitanti exhibet, vt refertur à Gratiano dist. 96. Can. Constantinus, & ab August. de Ancona de potest. Ecclesiæ q.37. art.7. sicut fecit Constantinus Imperator Beato Siluestro ob reuerentiam B. Petri; vt legitur quoq; in Edicto Constantini, quod est post Concilium Neocæsariense, & apud Ansel. lib.4. c.32. & apud Deusdedit; & idem fecerunt etiam alij Imperatores, vt patet ex Historijs.

Papa est summus totius Ecclesiæ Architectus.

Lucæ 3.

QVARE concludẽdum est, potestatem Ecclesiasticam multis modis differre à potestate Ciuili, tàm ex parte causæ efficientis, & subiecti; quàm ex parte formæ, & causæ finalis.

QVAESTIO SECVNDA.

An vtraq; Iurisdictio, spiritualis scilicet, & temporalis, in eodem subiecto, seu in eadem persona existere possit.



TRIVMPHANT in hac quæstione hæretici, & præsertim Caluinus, non solùm affirmantes, cum verbo Dei pugnare, vt vnus homo sit Princeps Ecclesiasticus, & Politicus simul, cum Principatum temporalem, principatui spirituali aduersari doceant; sed etiam temerariè addentes, temporale Dominium in Ecclesiasticis personis esse possessionem iniusto titulo, & mero lattrocinio occupatam; sic Caluinus lib.4. inst. §.8. & 11.

Hæretici temporalem potestatem ab Ecclesiasticis Prælatis alienã esse dicunt.

VERVM vt veritatem circa hanc quæstionem assequamur, falsamq; hæreticorum doctrinam refutemus, primo loco ea argumẽta proponenda sunt, quæ illis fauere videntur.

PRIMO igitur probatur, has duas potestates, seu Iurisdictiones, in vna & eadem

Obiectiones hęreticorũ contra temporalem Ecclesiasticorum potestatem.

dem persona simul concurrere non posse. Primò, qm̃ duæ species eiusdem generis proximi non se compatiuntur in eodem subiecto, sicut homo, & equus, albedo, & nigredo, intemperantia, & temperantia, & similia; sed hæ duæ potestates, & iurisdictiones sunt duæ species eiusdem generis proximi, ergò non cõpatiuntur se in eadẽ persona. Ad hoc facit ff. pro suo l. si in alia, circa principium, ibi cum dicitur; neq; enim idem & pro suo, & clam possidere potest: & quod ibidem notatur à Doctoribus. Ad idem facit quod legitur 22. q. 2. c. Cum humilitatis, & 32. q. 1. cap. Cum renunciatur. Item quod apud Matth. 22. dicit Christus. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*, & 23. q. 8. cap. Si in mortem, & cap. Conuenior. Item extra de Clericis coniug. c. Ex parte. In quibus iuribus videtur innui non solum diuisio prædictarum iurisdictionum, sed etiam personarum, in quas cadunt; quoniam temporalis cadit in Cæsarem, spiritualis verò in Prælatos, qui gerunt vicem Dei in terris; non igitur debent esse hæ duæ iurisdictiones in eadem persona.

Matth. 22.

SECVNDO quoniam sicut spiritualis potestas non cadit in Principem secularem, ità nec temporalis cadere potest in Principem spiritualem. Et confirmatur, quoniam Christus, qui spiritualem potestatem dedit Ecclesiæ in Petro, eiusq; successoribus, abiecit à se omnem potestatem secularem, vt patet Lucæ. 12. *O homo quis constituit me Iudicem, & diuisorem inter uos?* & Ioan. 6. dum populus vellet eum facere Regem fugit; & Ioan. 18. dixit. *Regnum meum non est de hoc mundo*; & Matth. 22. ipse soluit tributum Cæsari, quod non fecisset, si fuisset Dominus temporalis; nec maiorem potestatem dedit Petro, & Ecclesiæ, quam ipse in semetipso habuerit, ergò, &c.

Lucæ 12. Ioan. 6. & 18.

TERTIO quia tota potestas temporalis etiam inter Christianos pertinet ad solos Reges, & Principes seculares, 1. Petri 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, &c.* Vnde in lege Imperatoria dicitur: Magna enim dona à Deo collata sunt, Sacerdotium, & Imperium; Sacerdotium vt diuinis, Imperium vt humanis præesset. Facit c. Duo sunt quippe, dist. 26.

1. Petr. 2.

QVARTO officia debent esse impermixta, alioquin sequetur confusio; sed aliud est officium Iurisdictionis spirituails, & aliud est officiũ iurisdictionis temporalis; nõ ergò hę duę potestates debent in eadẽ persona misceri. Facit ad hoc cap. Cum singula, extrà de præbendis. & ca. Singula, dist. 89. & c. Presbiteros 16. q. 1. nec .n. terminos antiquos, quos posuerunt Patres, licet transgredi, Prou. 22.

Prouerb. 22.

QVINTO ex verbis Matth. 20. deprehenditur distinctio huiusmodi potestatum. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic:* & est argumentum Caluini loco citato; significat enim Dominus, inquit ille, non modo Pastoris officium distinctum esse ab officio Principis, sed res esse magis separatas, quàm vt in vnum hominem coire queant. Et quoniam videbat Caluinus, posse obijci exemplum Mosis, subiungit. Nam quòd Moses vtrumq; simul sustinuit, primum raro id miraculo factum est; deinde fuit temporarium, donec res melius componerentur; vbi autem certa forma à Domino præscribitur, ciuilis gubernatio ei relinquitur, sacerdotium iubetur fratri resignare, & meritò, est enim supra naturam, vt vnus homo vtriq; oneri sufficiat: sic Caluinus.

Matth. 20. Argumẽta Caluini.

SEXTO sumit Caluinus argumentum ex verbis D. Bernardi in lib. 2. de consid. vbi sic habet. Apostolis interdicitur dominatus; i ergo tu, & tibi vsurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum; forma Apostolica hæc est, interdicitur dominatio, indicitur ministratio.

SEPTIMO idem arguit ex verbis B. Gregorij lib. 4. Regist. epist. 44. vbi dicit anathema Episcopo, qui iubet alicui agro more fiscali titulum imprimi, sunt igitur diuersi mores & officia vtriusq; potestatis.

OCTAVO affert idem Caluinus verba Nicolai primi in epist. ad Michaelem,

lem, in quibus affirmat, ante Christi aduentũ fuisse quidem eosdẽ Reges, & Pontifices; at Christum verum Regẽ, & Pontificẽ ista disiunxisse officia. Cũ ad verũ, inquit, ventum est, vltrà sibi nec Imperator iura Pōtificatus arripuit, nec Pōtifex nomen Imperatorium vsurpauit, &c. Non igitur in eadẽ persona coire possunt.

NONO, & vltimò obijciunt alij hæretici illud 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicet se negocijs secularibus*. Quæ verba dicuntur Episcopo; at Princeps non potest se non implicare negocijs secularibus; sicut etiã Actorũ 6. dicitur de Clericis, *Non est æquum, nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis*; & hæc munera qui est Princeps reijcere non potest, non ergo illa sunt consentanea muneri Prælati, vel personæ Ecclesiasticæ, quæ distinctæ esse debent à seculari.

IN contrarium est Textus Actuum Apost. cap. 5. vbi initio ipsius nascentis Ecclesiæ, Petrus vtramq; potestatem habebat; damnauit enim per suam sententiam ob crimen furti pœna mortis corporalis, Ananiam, & Saphyram; quod iudicium ad temporalem potestatem spectat. Vnde Chrysost. Hom. 17. in Matth. dixit; Petrus geminum fecit homicidium, fuit tamen opus spirituale quod factum est. Lege Hilarium in Matth. cap. 16. & Leonem serm. de Transfiguratione & serm. 3. de Assumptione sua.

Contra hereticos ex scripturis sumuntur argumenta.

AD huius quæstionis resolutionem nonnullas conclusiones afferemus, ex quibus vniuersa hæc materia dilucidabitur.

PRIMA PROPOSITIO.

VTRAQVE potestas, secularis nimirum, & Ecclesiastica, possunt eidem personæ competere, & in eodem subiecto simul existere.

In eodẽ subiecto potest simul esse vtraq; potestas, cũ nullã includat repugnãtiam.

PROBATVR hæc propositio Primò. Hæ duæ potestates nullam repugnantiam, vel oppositionem ad inuicem includũt, nec vna alteri aduersatur; igitur possunt eidem personæ simul, & semel competere; & consequenter non repugnat, Pōtificem, seu personam Ecclesiasticam, simul esse Principem temporalem alicuius Prouinciæ, vel loci. Antecedens huius argumenti probatur. Quoniam ad homines, qui per prudentiam, & scientiam noscunt humana facta bona, vel mala rectè discernere, & per iustitiam debitè ordinare, prẽmiando bona, & puniendo mala; pertinet de alijs iudicare, id enim docet tam Philosophia moralis, quæ dicit, quòd Prudentia, & Iustitia sunt propriæ virtutes. Principis; quàm Scriptura sacra, quæ de sapientia iudicandi multa præclara documenta Regibus, ac Principibus profert in cap. 6. lib. Sapientiæ: & Salomon, vt dignè posset iudicare Populum, singulariter petijt à Domino sapientiam, vt patet 3. Regum 3. De iustitia verò dicitur Sapientiæ 1. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram*; sapientia autem, seu Prudentia tàm de Diuinis, quàm de humanis cognoscendis, & ordinandis, non habent inter se oppositionem; quia virtus non opponitur virtuti, vt tradunt morales Philosophi, immo quælibet virtus quodam modo iuuatur per aliam, & propter hoc habent inter se virtutes quandam connexionem, cum plurimum altera alteri adminiculetur; igitur auctoritas, seu potestas spiritualis, & secularis iudicãdi tàm de spiritualibus, quàm de tẽporalibus, nõ habent inter se aliquã oppositionem, seu repugnantiã, per quã non possint rationabiliter, eidem personæ conuenire, immò vna per aliã iuuatur, atq; fulcitur.

Sapient. 6. 3. Reg. 3.

SECVNDO exemplis plurimis ex sacra scriptura petitis eorum qui Reges seu Principes, & simul Pontifices fuerũt, idem ostenditur. Melchisedech enim in lege naturæ fuit Rex, & Pontifex, vt constat ex Gen. 14. & ad Hebr. 7. Quinimò olim sẽper primogenitus Rex, & Pontifex erat, vt B. Hier. docet in quest. hebraicis, in illud Gen. 49. *Ruben primogenitus meus*; Noè quoq;, Abrahã, Isaac, & Iacob præfuisse subditis suis, tàm in his, quæ ad Religionẽ, quã in his, quæ ad vitã politicã pertinẽt, ex eisdẽ scripturis manifestè patet, Gen. 6. 7. & seq. Moyses quoq;

Multi fuerunt simul Principes temporales, & Pontifices seu Sacerdotes in sacris literis.

quadraginta annis præfuit in iurisdictione tàm tẽporali, quàm spirituali, fuit.n. summus Pontifex, & summus Princeps tẽporalis; nã Exod. 18. dicitur. *Sedit Moyses, vt iudicaret populum.* Et cap. 32. iussit occidi plurimos de populo propter peccatum idololatriæ, & cap. 40. adoleuit Domino incensum, quod erat maxime proprium munus Pontificis, vt patet ex lib. 2. Paral. cap. 26. Item Leuit. 8. consecrauit Moses Aaronem in Sacerdotem, sanctificauit tabernaculum, & altare, obtulit sacrificia, & holocausta, quæ solus sacerdos facere potest. Itaq; rectè Phylo lib. 3. de vita Mosis in vltimis verbis; Hec est, inquit, vita, hic exitus Mosis Regis, legislatoris, Pontificis, atq; Prophetæ. Et Greg. Nazianz. in orat. ad Greg. Nyssenum. Moyses, inquit, Principum Princeps, & Sacerdotum sacerdos Aarone pro lingua vtebatur. Deniq; August. de Regno Mosis q. 68. in Exodũ. Sedebat, inquit, iudiciaria sublimitate solus, populo vniuerso stante. De Pontificatu autem q. 23. in Leuit. Ambo, inquit, summi Sacerdotes erant, Moyses, & Aaron. Euidenter igitur constat, quòd officium Sacerdotis non exclusit Moysem ab officio Iudicis in temporalibus, sed potius reddidit eum magis idoneum ad illud exercendum, tanquam magis familiarem Dei, cuius est omne iudicium. Præterea manifestum est, quòd Helì, & summus Pontifex eiusdem Populi fuit, & Iudex annis quadraginta, vt constat ex 1. lib. Regum cap. 1. & 4. Item Samuel Propheta simul fuit, Sacerdos, & Princeps Populi in temporalibus, vt habetur ex 1. Regum cap. 8. Nouissimè autem tempore Machabæorum reductum est Regnum politicum ad Sacerdotes, & ijdem fuerunt Pontifices, & Reges, seu Duces populi habentes regimen, tàm in temporalibus, quàm in spiritualibus, sicut legitur 1. & 2. Machab. de Iuda Machabæo, & Ionatha, Simone, & Ioanne filio Simonis, & cæteris vsq; ad Herodem, qui in omnibus tàm spiritualibus quàm temporalibus præfuerũt populo Dei: lege Iosephũ lib. 10. antiquitatũ per multa capita.

TERTIO probatur idem ex insigni scriptura veteris testamenti, quæ vtrumque iudicium, nec non iurisdictionem spiritualem, & temporalem Sacerdotibus committit, Deuteron. 19. vbi sic scribitur, & refertur in iure Canonico, extra, Qui filij sunt legitimi, cap. Per venerabilem; *Si sit*, inquit, *difficile, & ambiguum apud te iudicium inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram, surge, & ascende ad locum quèm elegerit Dominus Deus tuus, & uenies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, sequerisq; eorum sententiam*, & subditur. *Qui autem superbierit, nolens Sacerdotis imperio obedire, & decreto Iudicis, morietur homo ille:* hæc ibi, vbi manifestè dicitur, quòd ad Sacerdotem pertinebat iudicare non solùm inter lepram, & lepram, quantùm ad cæremonialia, & irregularitatem legis; sed inter sanguinem, & sanguinem, quantùm ad criminalia; & inter causam, & causam, quantùm ad ciuilia.

Locus Deut. 19. pro temporali potestate Sacerdotum.

QVARTO probatur idem ratione, quoniam vtraq; potestas, politica scilicet, & Ecclesiastica, est bona, vtraq; a Deo, vtraq; honesta, & laudabilis, & vna alteri seruit; nec non finis vnius est alteri subordinatus, quia politicus habet se vt materia, spiritualis verò vt forma, ergò simul in eodem subiecto esse possunt, præsertim cum nullam repugnantiam naturalem, vel supernaturalem, intrinsecam, vel extrinsecam, essentialem, vel accidentalem includant.

QVINTO probatur idem exemplis, ac factis Ethnicorum Sacerdotũ, qui nõ solùm spirituale, sed et temporalem, ac externam iudiciariã potestatem inter laicos exercebant. Scribit Strabo Geograph. lib. 17. antiquitus Meroe, quæ est Metropolis ciuitas Aethiopiæ regni, summã potestatẽ et in temporalibus fuisse penès Sacerdotes, tantãq; auctoritatẽ, vt nõnunquã, misso nuncio, mortẽ Regi imperarent, eiq; aliũ sufficerẽt. Aelianus Var. hist. lib. 14. cap. 34. de Sacerdotibus Aegyptijs hæc habet. Iudices autẽ apud Aegyptios ijdẽ quondam fuerunt, qui & Sacer-

Exempla multorum Ethnicorũ, qui simul Sacerdotes & Principes fuerunt.

& Sacerdotes. In his Princeps erat sententia maximus natu, & in omnes statuendi ius habebat. Agathius hist. lib. 2. scribit de Magis Sacerdotibus in Perside hæc verba. Nunc verò Magos huius temporis Persæ honorant, & quàm maximè venerantur, vt quorum consilio publica omnia, & prædictionibus administrentur, seorsumq; quid quisq; pręmij pro re bene gesta promereatur, quiduè supplicij, qui flagitium fecerit, præsidendo, & cognoscendo decernant: nec sanè Persis vel legitimum aliquid fore, vel æquum videbitur, quod Magorum non sit sententia confirmatum. Magos quoq; Sacerdotes in Perside olim regnasse, certum est apud Euseb. in Chron. & alios. Apud Athenienses in Areopago iudicio celeberrimo, & omnium ore laudato, Sacerdotes iudices erant, summusq; omnium Sacerdos sententiam singulorum exquirebat, suffragia colligens; quod etiam expresso eorum decreto fieri sancitum erat, vt refert Iosephus lib. 14. antiq. cap. 16. Cæsar in suis Comment. de bello Gallico lib. 6. de Sacerdotibus Gallorum, qui Druidæ dicebantur, hæc scribit. Magno hi sunt apud eos honore; nam ferè de omnibus controuersijs publicis priuatisq; constituunt, & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, si de finibus controuersia est, ijdem discernunt; præmium, pęnasq; constituunt. Et paulò infrà. Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ habetur media, consident in loco consecrato: huc omnes vndiq; qui controuersias habent conueniunt, eorumq; iudicijs decretisque parent. In Romana quoq; Republica Augurũ magistratum præstãtissimum, & maxima cum auctoritate coniunctum fuisse testatur Cicero lib. 2. de legibus. Quam plurima autem alia exempla ex Liuio, Dionysio, Dione, & alijs, quos supra recensuimus, petenda sunt. Hæc hoc in loco adduximus, vt cognoscatur, barbaros quoq; intellexisse, has duas potestates, de quibus agimus, in eadem persona coire posse.

SEXTO quoniam Ecclesiæ, hoc est Episcopo Romano, alijsq; Episcopis, & Abbatibus multi Principatus temporales à pijs Regibus, religiosisq; hominibus relicti fuerunt; nimirum à Constantino Magno, Carolo Magno, & Ludouico eius filio, qui inde Pius dictus est; multiq; summi Pontifices, qui huiusmodi Principatus receperunt, optimi, & sancti Pontifices fuerunt, & vna cum Pontificatu temporalem Principatum administrarunt; igitur rectè, & laudabiliter vtraq; iurisdictio ab eodem exerceri potest. Quarè meritò ij, qui conati sunt auferre huiusmodi Principatum ab Ecclesia, vt Aistulphus Rex Longobardorum, Henricus IV. & V. Federicus primus, & secũdus, ab omnibus historicis, vt impij, & sacrilegi notati fuere. Ado in Chronico anni D.C.C.XXVII. de Aistulpho sic scribit. Aistulphus Longobardorum Rex nimis perfide testamenta dono prædecessorum eius B. Petro collata, perrupit, & facultates Romanæ Ecclesiæ militibus suis dedit. Et infrà. Aistulphus, vt perfidus omnia mentitus est. Et infra. Aistulphus diuino iudicio, dum venatum pergit, subitò percussus interijt. Nonnulli quoq; ciues Romani à B. Bernardo vehementer reprehenduntur in epist. 242. ad Rom. quòd ea causa ab Eugenio Papa discedere tentabant, quòd Pontifici in temporalibus subesse recusarent, contendentes more veteri per Consules Rempublicam gubernandam esse.

Ex Principum Sæcularium liberalitate Ecclesiæ Põtifices & Prælati quædã Regna temporalia acceperũt.

SEPTIMO experientia ipsa omnino id conuincitur; nam non solùm Pontifex Romanus sed etiam cæteri Prælati in Regno Franciæ, & Theutoniæ, & in pluribus alijs mundi partibus constituti, vti notorium est, à principio fundationis suarum Ecclesiarum, vel à tanto tempore, de cuius contrario non extat memoria, cum potestate spirituali, & Ecclesiastica obtinuerunt, & adhuc legitimè obtinent Ducatus, Comitatus, & Baronias cum iurisdictione temporali. Propter quam causam asserit Baldus in c. nimis de iureiurando; quòd Clerici pos-

Multæ Ecclesiæ ab initio fundationis temporale dominium habuerunt.

sunt habere feuda à Principibus, & propterea facere eis homagium.

Principes temporales cũ fiunt Episcopi, non tenentur deserere Principatum.

OCTAVO quoniam plures, qui ditissimum habent patrimonium etiam cum Baronijs, & Regnis, assumuntur ad dignitatem Episcopalem. Quis autem sanæ mentis auderet dicere, quòd propter Episcopatum teneretur ij proprio Patrimonio, Regno, seu Ducatui renũtiare? certè nullus cordatus homo id assereret. Si ergò temporalem potestatem ex patrimonio prouenientem licet retinere cum Episcopatu, licebit quoq; emanantem ex eo cum eodem retinere, & omne id, quod ei connexum est, etiam temporale, simul habere.

Expedit Ecclesiæ ad sui conseruationẽ bona temporalia, & Principatum etiam temporalem habere.

NONO quoniam summa Dei prouidentia factum est, vt Ecclesia processu temporis ex oblationibus fidelium dominia, & bona temporalia possideret, ob sui conseruationem, ac defensionem; si enim his temporibus summus Pontifex dominijs careret; & Episcopi in Germania, & alibi si Principes non essent, omnes à suis sedibus iam eiecti fuissent. Sicut ergò in testamento veteri duo fuerunt Pontifices sine imperio temporali, & tamen vltimis temporibus non poterat Religio consistere, & defendi, nisi Põtifices etiam Reges essent, nimirum tempore Machabæorũ; ita quoq; accidisse videmus Ecclesiæ, vt quæ primis temporibus ad maiestatem suam tuendam temporali Principatu non egebat, nunc eodem necessario indigere videatur.

SECVNDA PROPOSITIO.

Iusto titulo, & legitimè Ecclesia Romana tẽporale dominium habet.

ROMANA Ecclesia temporalem Principatum, quem actu habet, optimo iure possidet. Hæc Assertio facile probatur, cum dono Principum secularium Principatum illum habuerit, teste Adone in Chronico anni 727. vbi sic scribit. Insuper Pipinus Rex Rauennam, totamq; Pentapolim SS. Apostolis Petro, & Paulo tradidit. Et in Decreto Gratianus refert dist. 63. constitutionem Ludouici primi Caroli magni filij, in hanc formam.

EGO Ludouicus Romanorum Imperator Augustus, statuo, & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi B. Petro Principi Apostolorum, & per te Vicario tuo Domino Paschali Pontifici summo, & successoribus eius in perpetuum, sicut à prædecessoribus vestris vsq; nunc in vestra potestate, & ditione tenuistis, & disposuistis, Romanam Ciuitatem cum Ducatu suo, & suburbanis, & territorijs eius montanis, & maritimis, littoribus, & portubus, seu cunctis ciuitatibus, Castellis, Oppidis, ac villis in Thusciæ partibus.

PRÆTEREA Leo Episcopus Ostiensis lib. 1. Chronici Cassinensis cap. 9. Fecit, inquit, idem inclitus Rex Pipinus cum filijs suis, concessionem B. Petro, eiusq; Vicario de ciuitatibus Italiæ, ac territorio per designatos fines. A Lunis cum insula Corsica, inde in Suranum, in montem Bardonem, Varcetum, Parmam, Rhegium, Mantuam, & montem Silicis, simulq; vniuersum Exarchatum Rauennæ, sicut antiquitus fuit, cum prouincijs Venetiarum, & Histriæ, cunctumq; Ducatum Spoletinum, ac Beneuentanum. Et infrà. Demum idem Rex vna cum Romano Pontifice in Italiam veniens, Rauennam, & alias viginti ciuitates Aistulpho memorato sublatas, Apostolicæ sedi subiecit. Idem Leo lib. 3. cap. 48. Anno, inquit, incarnationis Dominicæ 1079. Mathilda Comitissa, Henrici Imperatoris exercitum timens, Liguriam, & Thusciam Prouincias Gregorio Papæ, & S. R. E. deuotissimè obtulit. Nec desunt Romæ instrumenta, & documenta authentica harum, & similium donationum, licèt præscriptio octuaginta annorum legitimum titulum tribuat, vt ijs, qui in iure versati sunt, notissimum est.

Donatio facta Ecclesiæ à Constantino Imperatore.

DE DONATIONE Constantini facta Sedi Apostolicæ, & Romano Pontifici,

Pontifici, extat Decretum eiusdem Imperatoris, quod egregiè defendit August. Steuchus lib. 1. qui de eadem donatione contra Vallam Grammaticum scripsit; & refertur à Gratiano in can. Constantinus, distinct. 96. De illo mentionem faciunt Anselmus, Iuo Carnotensis, Deusdedit, Petrus Damianus in Discept. Synodali inter Regium Aduocatum, & Romanæ Ecclesiæ defensorem, Augustinus de Ancona in lib. de potest. Ecclesiast. quæst. 43. art. 1. 2. & 3. Sanctus Antoninus in prima parte historiali tit. 8. cap. 2. §. 8. Turrecremata in Comment. dicti Canonis, Constantinus, Panormitanus 1. p. consil. 84. Castaldus lib. 1. de Imperatore quæst. 51. Couarruuias variarum resol. cap. 16. num. 8. Nicolaus Tertius in Decretali, Fundamenta, de elect. Leo Nonus epist. 1. cap. 14. §. decreuimus, & cap. 12. §. quod quamuis, Aluarus Pelagius lib. 1. de planctu Ecclesiæ cap. 43. & alij quamplurimi. Et hæc quidem de Iurisdictione, seu dominio temporali, quod ex annexis seu extrinsecis, & dono acquisitis ab Ecclesia possidetur, dicta sint. An autem suprema Romani Pontificis auctoritas ex Christi institutione ius, & potestatem habeat circa temporalia, alia quæstio est, à nobis alibi exposita, & inferius quoque vberius tractanda erit. Interim ad argumenta in exordio quæstionis posita respondeamus.

Quomodo intelligẽdum sit, duas species eiusdem generis proximi nō posse esse simul in eodē subiecto.

AD primum respondemus, quòd cum dicitur, duas species eiusdem generis proximi non posse esse in eodem subiecto, vt hominem, & equum, albedinem, & nigredinē; hanc rationem deficere in se, & maiorem nō esse veram vniuersaliter, & à toto genere, sed solùm veritatem habere in illis, in quibus speciali ratione inuenitur repugnantia essendi simul; verbi gratia in omnibus naturis per se subsistentibus est repugnantia essendi in eodem subiecto, quia quælibet ex natura sua apta nata est constituere proprium subiectum atque suppositum, vt homo, & equus, nisi id miraculose fiat, vt patet in Christo, in quo duæ naturæ absque vlla repugnantia in eodem supposito existunt. Item vera est illa maior in oppositis, in quibus est repugnantia ex natura oppositionis; & ideo in quocumque genere inuenitur oppositio inter aliquas species, omnes species illius generis non possunt esse simul in eodem, sicut patet in albedine, & nigredine, & omnibus coloribus medijs, quia omnes habent oppositionem inter se, saltem imperfectam. His autem exclusis, species generis proximi possunt esse simul in eodem, vt patet de virtutibus, tam moralibus, quàm intellectualibus; potest enim idem homo simul habere omnes virtutes morales, Temperantiam, Fortitudinem, Iustitiam, & sic de alijs; immo qui habet vnam perfectè, & completè, habet omnes, sicut patet ex 6. Ethicorum. Cum igitur potestas regiminis tàm spiritualis, quam temporalis innitatur virtuti, & præsertim Prudentiæ, & Iustitiæ, quæ necessariò requiruntur in Rectore, cumq; huiusmodi virtutes possint eidem inesse, consequenter ambas præfatas potestates in eadem persona simul, & semel reperiri posse sine vlla repugnantia affirmandum est.

Christus non abiecit à se omninò temporalem potestatem.

AD secundum negatur similitudo, quia Princeps secularis est incapax ex sui natura, & ex se potestatis spiritualis; & Iurisdictio Ecclesiastica in laico existere non potest, nisi de mandato & participatione spiritualis potestatis. Ad confirmationem dicimus, Christum non abiecisse à se omninò potestatem secularem, si enim voluisset diuidere illam hæreditatem, de qua sermo habetur Lucæ 12. vtiq; tamquam Iudex competens potuisset, cum esset Deus, & homo; at nihil aliud in illis verbis ostendit, nisi se ad hoc munus exercendum tunc non esse missum, & interim Pontifices, & Principes illis verbis monitos esse voluit, ne minutis, & vilibus officijs ità occupētur, vt maiora omittere cogantur; quo & modo Iethro cũ vidisset Moysē cōtinuò sedere ad iudicandũ, sapienter cum

ter eũ admonuit, non quidē vt abijceret politicũ principatũ, & solùm Ecclesiasticũ retineret, sed vt cōstitueret minores Iudices, qui satisfacerēt Populo in rebus leuioribus, & grauiora quæq; tàm politica, quàm Ecclesiastica ad ipsum referrent. Quo etiā nomine S. Bernard. in lib. de consideratione, adductis in medium ijsdem verbis Domini, hortatur Pontificem, vt iudicium rerum temporalium alijs dimittat; quem tamen sciebat etiam eo tempore Principem temporalem esse. Quo etiam sensu verba illa Apostolorum in Concilio Hierosolymitano prolata, Actorum 6. intelligenda sunt. *Non est aequum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis;* non quòd curam regendi Ecclesiam etiam in temporalibus illi dimitterent, cum toti illi Ecclesiæ etiam in temporalibus Apostoli præsiderēt, vt patet ad Galat. 2. & Actorum 11. de collectis pecunijs à Paulo, & Barnaba ad Seniores missis; sed quòd cura prædicandi verbum Dei illis potissimum ac principaliter immineret. Quoniā igitur licèt Christus haberet omnē potestatem spiritualem, & temporalem ad cuncta perficienda, vt habetur Apocalyps. 1. *Princeps Regum Terræ,* & Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra:* tamen summũ & præcipuum opus, ad quod venerat, fuit ad docendum nos ea, quæ ad veram fidē & mundi redemptionem per eius sanguinem faciendam spectabant, Ioann. 4. & 17. *opus consummaui, &c.* lege Orig. tom. 15. in Ioan. Chrysost. Hom. 33. & Cyrillum lib. 2. cap. 105. & Euthym. in Ioannem; idcircò ijs actionibus ex professo operā dedit, minora ab alijs inferioribus perficienda relinquens: paruipendit igitur dictum illius, qui petebat diuidi hæreditatem inter se & fratrē suum, significans ad inferiores Iudices recurrendum esse. Fugit autem Christus Dominus cum populus vellet eum rapere, regemq; constituere, duabus præcipue rationibus. Primò quia cum ipse ex se & propria auctoritate Rex esset, etiam ab instanti suæ conceptionis, noluit hoc Regnum seu huiusmodi ius regale ab hominibus, neq; per homines consequi. Secundò vt nobis, qui puri homines sumus, præberet exemplum fugiendi honores seculi, quando intuitu commodi temporalis conferuntur, quia turbæ voluerunt Christum facere Regem, quia pauerat quinq; panibus, & duobus piscibus tantam hominum multitudinem.

Cur Christus fugerit, quando voluit eum Populus Regem facere.

Locus Ioan. 18. de Regno Christi quomodo intelligatur.

QVANDO verò idem Dominus Pilato dixit. *Regnum meum non est de hoc mundo;* non ob id negauit, se esse Regem, cum postea expressè id confessus fuerit; cum enim Pilatus dixisset ei, *ergo Rex es tu?* respondit. *Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego enim in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati:* nec dixit, Regnum meum non est in hoc mundo, cum Regnum eius sit in Cœlo, & in terra, sed dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo,* quia nec electione mundana, nec successione humana fuit Rex; sed vnione beata, quamuis valdè remissè, vel parciùs vsus fuerit iurisdictione temporali; bis enim velter id legitur in Euangelio. Tunc enim cum facto flagello de funiculis, eiecit ementes & vendentes de Templo, & nummulariorum mensas euertit, temporali iurisdictione vsus fuit. Vnde admirantes Iudæi dixerunt, *Dic nobis in qua potestate hæc facis?* Prætereà etiam quando porcos à Dæmonibus vexatos in mare proiecit; quando item asina & pullo eius vsus fuit; quandò item in alieno Cœnaculo, seù domo Pascha præparari iussit, & similia. Veruntamen quoniam principaliter venerat ad redemptionem & salutē hominis operandam, omnes ferè actiones eius versabantur circa eruditionem nostram, quàm paucæ verò, aut rarissimæ circa exercitium cuiuscumq; iurisdictionis; non quòd vtramq; potestatem non haberet, sed vt saluti nostræ omninò intenderet, sicut dicitur. Ioan. 3. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum; sed vt saluetur mundus per ipsum.* Expleto autem Sacramento nostræ salutis per eius mortem, & resurrectionem, Christus cōmisit Petro regimen Ecclesiæ vniuersalis

quoad

quoad omnia huiusmodi regimini necessaria, & expedientia: quoniam igitur vtraque potestas temporalis, & spiritualis est ei opportuna, & necessaria, ideo vtramque Petro contulit potestatem. Et de potestate quidem spirituali, nullus Christianus dubitat, nec dubitare potest. De potestate autem temporali patet in lib. Actuum Apost. cap. 5. vbi legitur, quòd Petrus damnauit iudicialiter Ananiam, & Saphyram prò crimine furti, & mendacij, Raro autem alibi legitur, Petrum vsum fuisse hac potestate temporali, propter paucitatem enim credentium, super quos fuit sibi data potestas, intentio Petri, & aliorum Apostolorum, & discipulorum fuit ad conuertendum cæteros ad fidem per prædicationem, & miraculorum operationem, sicut dicitur Matth. vltimo, *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermone confirmante sequentibus signis*. Multiplicatis autem fidelibus per conuersionem Gentilium, tàm Principum, quàm subditorum, palàm apparuit, vtrãque potestatẽ apud Ecclesiã esse; cuius est enim iudicare de fine, eiusdem est iudicare de ijs, quæ ordinantur ad finem, vt supra dictum est. Similiter ex textu Euangelij patet, qua ratione Christus voluerit soluere tributum, nimirum nõ coactè, sed spontè; nõ tanquam debitum, & necessarium, sed ad euitandum scandalum; non ex imperio legis, vel Cæsaris, sed sua voluntate, vt alibi diximus. Petro verò, eiusque successoribus eam Christus tradidit potestatem, supremam videlicet, quæ & temporalem, & spiritualem auctoritatem complectitur, quæq; ad competens gubernium Ecclesiæ necessaria est; de qua re latius inferius suo loco.

Accepit S. Petrus à Christo temporalem et potestatem.

Cur Christus soluere voluit tributum.

AD Tertium negandum est, totam potestatem temporalem etiam inter Christianos esse solùm apud Principes seculares, nisi solum quoad eis subiectos; quoad Clericos verò Principes Ecclesiasticos etiam potestatem temporalem habere, vt iam ostensum est, ex Christi institutione affirmamus.

AD verba vero S. Petri: *subiecti estote omni humanæ creaturæ*, &c. dicimus, B. Petrum non loqui de subiectione vnius ad alterum quoad Iurisdictionem; tunc enim necesse esset, quemlibet cuilibet subiectum esse, præsertim inter Christianos, quibus omnibus dicitur. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ, &c.* quod sanè est absurdum, tunc enim idem respectu eiusdem esset Dominus, & subditus; sed loqui de subiectione quoad meritum humilitatis, quæ apud omnes seruanda est, & præcipuè respectu Regum, & Ducum, & aliorum, qui in sublimitate constituti sunt. Atque ita respondet, & benè Innocent. extra. de iudic. cap. nouit, iuxta illud Pauli ad Philip. 2. *Superiores inuicem arbitrantes*; per humilitatem nempè. Quòd si pressiùs verba S. Petri accipere velis, dicimus, per omnem humanam creaturam intelligi debere omnem hominem potestate imperandi, siuè seculari, siuè Ecclesiastica præditum; nec coarctanda esse verba Petri, licèt exẽplum de Rege, & de Ducibus ponat, ad potestatem secularem tantum, cum Paulus apertè dicat ad Hebr. 13. Præpositis Ecclesiasticis obediendum esse etiam à laicis.

Locus ex 1. Pet. 2. explicatur.

AD Quartum dicendum est, non solum sacerdotium, sed etiam imperium à Deo esse per modum iam expositum. Sacerdotium quidem, vt præesset diuinis, & spiritualibus rebus, quod est primum, & præcipuum sacerdotij munus; alij enim, vt inquit Chrysost. sunt termini Regni, alij Sacerdotij; at vero quoniam diuina, & spiritualia sæpe perturbantur, immò interdum impediuntur per abusum hominum circa res temporales; ideo ad sacerdotium etiam pertinet, huiusmodi impedimenta, & perturbationes tollere, ipsosque perturbatores, & impedientes punire; & isti sunt veri termini Iurisdictionis spiritualis, & temporalis Ecclesiæ, quos transgredi non licet, quia iurisdictio temporalis nullo modo se extendit ad spiritualia, de quibus nihil nouit. Iurisdictio verò spiritualis se extendit ad actiones hominum circa temporalia, quæ ordinantur ad spiritua-

Licèt vtraq; potestas sit à Deo, spiritualis tamẽ semper est superior temporali.

lia

lia tanquam ad finem, quatenus abusus hominum circa ea potest impedire prædictum finem. Quare rectè intelligenda sunt verba Iustiniani in Nouella sexta. Maxima quidem in hominibus sunt dona Dei a superna collata clementia, Sacerdotium, & Imperium, & illud quidem Diuinis ministrans (intellige principaliter, & non tantùm) hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam adhibens, dumtaxat nempè. Quod clarius explicauit Gelasius Papa Anastasio Imperatori scribens. Duo sunt, inquit, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, (non animæ solum dicitur, sed mundus) auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas. Et infrà. Nosti igitur inter hæc, te ex illorum pendere iudicio, non illos ad tuam redigi voluntatem; neque enim, vt bene inquit Nazianzenus, æquum est spiritum carnis fascibus submittere, & cælestia terrenis cædere.

AD quintum dicimus, Christum illis verbis non prohibere Episcopis dominatum, qualis est Regum, & Principum piorum; sed qualis est Regum ignorantium Deum, qui potius Tyranni sunt, quàm Reges. Vndè iuxta Græcam Lectionem legitur. *Reges gentium violenter dominantur*; atque etiam 1. Petri 5. dicitur Græcè. *Non dominantes in Cleris violenter*. Dicimus etiam, Dominum in illis verbis, meros Principes Ecclesiasticos instituere, ac docere eos, subditis non more Regum, & Dominorum, sed more Patrum, & Pastorum præesse debere; nec inde sequitur, non posse vnum, & eundem esse Principem, & Episcopum.

Soluuntur Caluini fallaciæ, & cauillationes.

QVAE autem Caluinus addit de Mose in quinto argumento, falsissima omninò sunt; non enim raro, sed sępe legimus in scripturis, vtrumque officium, & temporale, & spirituale eandem personam sustinuisse, præter Moisem; vt de Melchisedech, de Heli, qui per annos quadraginta fuit Sacerdos, & Princeps; de Iuda Machabæo, & alijs Machabæis, qui per annos plus quàm centum, & Sacerdotes, & Principes fuerunt, vt paulò superiùs diximus. Eodem verò tempore Moysem fuisse Pontificem, quo etiam Aaron fuit, docet S. Augustinus q. 23. in Leuitic. & consecratum Aaronem ipse Moyses tanquam Pontifex deposuit; qui etiam consecrauit Eleazarum filium Aaronis in locum eius, vt patet ex Num. 20. & nos sæpe alibi diximus.

AD sextum, verba Bernardi intelligenda sunt de Pontifice, vt Pontifex est, & vt pastor est ouium, cui, vt talis est, ratione præfecturæ Ecclesiasticæ non competit politicè ouibus dominari, sed eas pascere, ac modo Pontificio regere; & nihilominus eisdem ouibus, vt sunt ciues Reipublicæ, sicut Politicus Princeps dominari: eadem quoque ratione potest eisdem dominari Episcopus, vel Pontifex, si sit eorum Princeps Politicus.

AD septimum S. Gregorius Episcopis sub pęna excommunicationis prohibuit, ne iuberent, alicui agro Ecclesiastico titulum more fiscali imprimi, quod et Præfectis patrimoniorum Romanæ Ecclesiæ vetuit, quoniam agri, quos tunc possidebat Ecclesia, ad eum modum, quo alij priuati ciues possident, (nondum enim fruebatur Politico Principatu) si forsan ab alijs occuparentur, in iudicio legitimo repetendi erant; non autem more fiscali, propria scilicet auctoritate vindicandi; & ex hac Gregorij sententia potius concluditur aliquid contra Caluinum; non enim repetitur quod suum non est, & tamquam proprium non possidetur.

AD octauum Respondemus, non negare Nicolaum, Pontifici conuenire posse dominium temporale; erat enim tunc ipse Pontifex simul, & Princeps Politicus, cum Romam, Rauennam, aliasque Ciuitates ab Imperatoribus, & à maioribus suis acceptas possideret; sed illud tantùm asserere, non conuenire, vt idem sit Pontifex totius orbis, & simul etiam Imperator totius orbis actu, & exercitio;

xercitio; Non quòd hoc repugnet Euangelio, & nullo modo fieri possit, sed quia voluit Christus ad humilitatem conseruandam, Pontificem indigere Imperatoris defensione in temporalibus, & è contrà Imperatorem indigere Pontificis directione in spiritualibus. Quocircà reliquit Imperium Tiberio administrandum, & Petro contulit Pontificatum.

AD nonum, & vltimum Respondemus, Paulum prohibere in illis verbis non regimen politicum; sed nimiam curam, atque sollicitudinem parandi ea, quæ ad negocia vitæ, & victus pertinent; sicut nec miles bonus circa victum, & corporis curam sollicitus est. Nec in illis verbis, Episcopis solum loquitur Apostolus; sed etiam omnibus alijs hominibus, etiam Regibus, cęterisq; laicis, quibus etiam interdicitur nimia sollicitudo circa vitam corporalem, vt optimè S. Chrysostomus obseruauit. Atq; hæc de hac quæstione satis dicta sint.

QVAESTIO TERTIA.

De ordine, & subordinatione iurisdictionis spiritualis, & temporalis ad inuicem.

DVBIVM hoc loco est. An potestas spiritualis sit superior, & dominetur potestati temporali, & possit disponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum spirituale. Et videtur, quòd non.

PRIMO quoniam iurisdictiones sunt distinctæ, vt habetur in auth. Quomodo oporteat Episcopos, &c. in princ. coll. 1. de consecr. dist. 3. c. Celebritatem, in fine: non ergò Papa debet se intromittere de potestate temporali, sed debet temporalia dimittere Imperatoribus, Regibus, & alijs Dominis temporalibus 8. dist. cap. Quo iure, argum. extrà qui filij sint legit. cap. lætor, & c. Causam: aliàs poneret falcem suam in messem alienam, de elect. cap. Venerabilem; quod non est faciendum, 5. q. 3. cap. 1. *Ponuntur argumẽta ad probãdum, potestatẽ spiritualem nõ posse disponere aliquid circa tẽporalia.*

SECVNDO quoniam Imperator à solo Deo habet potestatem in tẽporalibus, Papa verò in spiritualibus, non igitur subordinantur; & licèt Imperator coronam accipiat à Papa, gladium tamen accipit ab altari 93. dist. cap. legimus: nec Imperium potest subordinari Papatui, quoniam Imperium fuit ante Apostolatum, & Papatum.

TERTIO potestas spiritualis indiget multoties temporali, 23. q. 5. c. Administratores, ergò non dominatur ei, neq; hæc illi subordinatur.

IN contrarium est Text. Matt. 28. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra;* & Christo subiecta sunt oĩa 1. ad Cor. 15. ad Ephes. 2. ad Phil. 2. ad Hebr. 2. Isaiæ 45. & similibus, igitur potestati spirituali, qua Christus pollebat, & quã Petro reliquit, potestas tẽporalis laica subiecta est, cũ illa sit summa, & suprema.

IN huius quæstionis resolutionem statuitur hæc Conclusio. Potestas politica non solùm, vt Christiana est, sed etiam, vt politica, est subiecta Ecclesiasticæ potestati, & iurisdictioni spirituali, vt talis est. *Temporalis potestas spirituali subiecta est.*

PROBATVR primo Conclusio ex finibus vtriusque; etenim finem temporalem fini spirituali subordinari notissimum est, quoniam fœlicitas temporalis non est absolutè vltimus finis hominis, & ideo referri debet in æternam fœlicitatem; facultates verò, teste Aristotele lib. 1. Eth. cap. 1. ita subordinari debent, vt earum fines subordinantur; sicut enim se habet finis ad finem, ita facultas ad facultatem. Adde quòd virtus, facultas, vel ars, ad quam pertinet

vlti-

vltimus finis, imperat virtutibus, facultatibus, vel artibus, ad quas pertinent alij fines secundarij, sicut militaris imperat equestri, vt docet S. Tho. 2. 2. q. 22. art. 4. ad 3. igitur, &c.

Ecclesiastici, & seculares vnam faciunt Rempublicam.

SECVNDO Pontifices, & Reges; Clerici, & Laici non faciunt duas Respublicas Christianas, sed vnam, hoc est vnam Ecclesiam, sumus enim omnes vnum corpus, ad Rom. 12. & 1. Corinth. 12. verùm in omni corpore membra sunt dependentia, vnum ab alio, & inuicem ordine suo connexa: nequaquã verò rectè asseritur, spiritualia pendere à temporalibus, id enim absurdum esset, & rationi minime consentaneum, cum illa his nobiliora sint, ergò temporalia à spiritualibus pendere, illisq; subijci ex natura rei necessariò affirmandum est.

Temporalis administratio mutatur, & tollitur à spirituali, non autem è contra.

TERTIO si spiritualis administratio impediret temporale bonum Regni, vel Reipublicæ, nõ teneretur Princeps spiritualis huiusmodi administrationem mutare, nisi fortè in casu, in quo illa indifferens, nec necessaria, vel vtilis esset; at è contra, si temporalis administratio impediret spirituale bonum, præsertim ad salutem necessarium, vel valde expediens, quantumuis minimũ, vel exiguũ, teneretur Princeps temporalis absque dubio, & ex omnium sententia, mutare illum modum administrandi etiam cum detrimento sui temporalis boni, ergò signum est, temporalem potestatem spirituali subiectam esse.

NEC valet dicere, Principẽ teneri id facere non propter subordinationem vel subiectionem huiusmodi, sed solùm propter ordinem Charitatis, quo tenentur anteponere maiora bona minoribus; nulla enim Respublica tenetur detrimentum pati, ne simile detrimentum alia Respublica nobilior patiatur; immò nec priuatus tenetur omnia sua bona dare propter Rempublicã alienam, quamuis nobiliorem, licèt pro conseruatione suæ Reipublicæ illa exponere teneatur: igitur cum Respublica temporalis debeat pati detrimentum, propter conseruationem spiritualis regiminis, signum est, vnam alteri subiectam esse.

ADDE quòd Rex Christianus tenetur mutare modum administrandi in suo Regno, & Republica, quando huiusmodi modus noceret alijs, etiam sibi non subditis, & alterius Regni, seu Reipublicæ, in spiritualibus notabile damnum eis inferendo; cuius rei illa solùm ratio assignari potest, quia sunt eiusdem corporis membra; & vna iurisdictio alteri subiecta, vel saltem subordinata esse debet.

Spiritualis potestas, vt sit perfecta, dominari debet, & imperare temporali.

QVARTO quia Respublica Christiana ad instar cæterarum Rerumpublicarum, quæ rectè institutæ sunt, debet esse perfecta, & sibi sufficiens in ordine ad suum finem, ad quem consequendum omnem facultatem necessariam habere debet: at ad finem spiritualẽ necessaria est potestas vtendi, & disponendi de rebus temporalibus, alioquin mali Principes seculares impunè ferre possent hæreticos, & religionem euertere; igitur potestati seculari iurisdictio spiritualis dominari debet, & illam huic subiectam esse in ordine ad talem finem, necesse est. Quòd si Resp. temporalis, cum perfecta, & sufficiens sibi esse debeat, potest imperare alteri Reipublicæ non sibi subiectæ, eamque cogere ad mutandam administrationẽ, immò etiam deponere eius Principem, & alium creare, quando non potest aliter se defendere ab eius iniurijs; multò magis Respublica spiritualis poterit temporali Reipublicæ sibi subiectæ imperare, & illam cogere ad mutandam administrationẽ, & deponere Principes, aliosque instituere, quando aliter non potest bonum suum spirituale tueri.

Duplex est gladius in Ecclesia Christi.

Ecclesia enim habet vtrumq; gladium, & licèt potissimum ac principaliter gladio spirituali vtatur, potest tamen gladio temporali, qui spirituali subiectus est, hoc est Regi, seu Principi imperare, & interdicere, ne eo vtatur, vel vt ad Ecclesiæ fauorem illum dirigat, quando id Ecclesiæ necessitas, & vtilitas requirit; hac enim ratione gladius temporalis Principum secularium gladius Petri est, quoniam ad nutum Petri dirigi,

moueri,

moueri, & euaginari debet. Audi aurea verba S. Bernardi lib.4. de consideratione, q̃ imitatus fuit Bonifatius VIII. in Extrauag. Vnam sanctam, de maioritate, & obedientia, quæ sic se habent. Quid est quòd (de Papa loquitur) denuò vsurpare gladium tentas, quem semel iussus es ponere in vaginam? quem tamẽ qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini, dicentis sic. Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergò, & ipse, tuo forsitan nutu, & si non tua manu euaginandus; alioquin si nullo modo ad te pertinet & is, dicentibus Apostolis; Ecce gladij duo hic, non respondisset Dominus; Satis est, sed nimis est. Vterq; ergò Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exercendus est. Ille sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum sacerdotis, & iussum Imperatoris. Quæ Bernar. verba, & citanda iterum, & declaranda sunt infra q.3. dis.3. S.Bernardus.

QVINTO Quoniam hæ duæ potestates, vel habent inter se ordinem, vel non; hoc secundum nequaquam est asserendum, tanquam indecorum, & absurdum in mundo, cuius pulchritudo in ordine consistit, vt docet Philosophus: iam si inter illas ordo constitutus est, illa vtique, quæ respicit finem, præsidet, & dominatur alteri, quæ circa media versatur; at potestas Pontificia respicit finem virtutum supernaturalium; Ciuilis verò, & Politica intenta est exercitio virtutum moralium, quæ habent se vt media ad virtutes supernaturales; igitur sicut virtutes Theologicæ præstant, & dominantur moralibus, eas perficiendo; sic potestas Pontificia temporali, quæ ab illa dirigi, formari, & compleri debet: & est ratio Mayronis in 4. dist. 19. q.4. Et confirmatur ratione Aluari Pelagij de planctu Ecclesiæ lib.1. cap.40. quoniam idem duobus Dominis, nisi sint subordinati, seruire nequit, dicente Domino Matth. 6. *Nemo potest duobus Dominis seruire*; cui nam igitur potius Christianus obtemperare debebit, si quod a Papa præcipitur, à suo Principe temporali negetur? Papæ vtique, tanquam magistro, Pastori, & Patri omnium Christianorum; est igitur eius potestas in Ecclesia super omnes alias etiam temporales suspicienda. Lege Fran. à Victoria in lib. de Potest. Eccles. con.6.

temporalis potestas ad spiritualem ordinatur, tanquam media ad finẽ.

Matth.6.

SEXTO Probatur idem quibusdam exemplis, in quibus cognoscitur apertè, Pontificiam auctoritatem animaduertere in Reges, & Principes peccantes, præsertim contra Religionem, eiusque curam; & hoc tàm in veteri testamento, quàm in lege Euangelica.

Exempla noui, & veteris testamenti ostendũt potestatis spiritualis imperiũ supra tẽporalẽ.

PRIMVM sit exemplum Oziæ Regis, vt legitur 2. Paralip. 26. qui cum officium Sacerdotis temere vsurpasset, lepra percussus fuit; quamobrem ex sententia sacerdotis, non sua sponte, vrbis dominio, & Regni administratione priuatus fuit. lege cap. 13. Leuit. Quòd si Sacerdotibus Mosaicæ legis id licebat ob lepram, multò magis Sacerdotibus Euangelicis id licebit propter hæresim, quę per lepram figurabatur, vt scribit S. August. in quæst. Euangelicis q.40. Vide S.Tho. 1.2. q.102. ar.5. ad 4. & q.107. ar.2. ad 4. & Chrysost. hom.4. & 5. in verba Isaiæ tom.1. vbi propterea Prophetis impositum silentiũ notat, quòd Oziam leprosum à regimine suspensum, de templo tantum sacerdotes Iudæi, non etiam de ciuitate, sicuti lex iubebat, deiecissent; sed diadema eius, regiamque dignitatem reueriti, in throno adhuc sedere, & domi clanculum manere permisissent. Ergò, inquit, hoc ad iracundiam prouocauit Deum, hoc prophetiam inhibuit. Vos populares metuitis impurum eijcere, reueremini regiam dignitatem legem Dei violantis. Quid igitur? Deus auersus est ab illis. Non amplius loquor Prophetis vestris, non amplius mitto spiritus gratiam, silet spiritus gratiæ, non ostensus est Deus, eo quòd sub impuro illo non erat gratia. Non prius scilicet visio Prophetis reddita est, quàm mortuo Ozia, expurgata plenè piaculo illo ciuitas extitisset. Quo exemplo etiam atque etiam indicatur nobis, ne leprosos

2. Paral. 26.

S.August.

istos

istos spirituales, id est, infideles ac religioni contrarios Reges, in throno vel omninò in regno esse patiamur, ne regiam dignitatem nimium veriti, eo quod præcipuum est, id est, spiritu, & prophetia, quæ verbi Dei subministratio est, careamus.

SECVNDVM sit exemplum Athaliæ, quæ cum tyrannicè Regnum occupasset, & foueret cultum Baal, Pontifex Ioiada, vocatis Centurionibus, & militibus iussit eis, vt Athaliam interficerent, suffecto in locū eius Ioas Rege. 4. Reg. 11. Huius Reginæ occisio, ac depositio præcipuè facta fuit, quòd cultui Idololatriæ faueret, vt patet ex verbis scripturæ post eius occisionem immediatè positis, quæ sic se habent. *Ingressus est omnis Populus domum Baal, & destruxerunt eam, & altaria, & simulachra illius confregerunt: Mathan quoq; Sacerdotem Baal interfecerunt ante altare.* Nec desunt alia huiusmodi exempla in scripturis, quæ breuitatis gratia à nobis hic non recensentur, & facile est lectori ea suis locis videre.

4. Reg. 11.

TERTIO loco afferenda essent exempla multorum Pontificum, qui exercentes arma Ecclesiæ non carnalia, hoc est terrena, sed Deo potentia, vt inquit Paulus, 2. ad Corinth. 11. nimirum longè illis præstantiora, *ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in Populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum.* vt dicitur Psal. 149. vbi Augustinus ait, quòd tales compedes manus Episcopi illis consolidat, tùm præsertim cum illi à recta viuendi ratione, & Christiana disciplina discedunt; sic Fabianus Papa in Philippum Imperatorem, Ambrosius in Theodosium, Symacus in Anastasium, Gregorius Prim. in Reges contrauenientes priuilegio Augustodunensis Xenodochij, Gregorius secundus in Leonem tertium Imperatorem, Zacharias in Childericum, Leo tertius in Græcos, Innocentius primus in Constantinopolitanos Imperatores, Innocentius tertius, & quartus in Federicum secundum, Gregorius septimus in Henricum quartum, & Othonem quartum gladium Pontificiæ vltionis constanter exercuerunt, relictis alijs exemplis etiam particularium Episcoporum, qui in delinquentes Principes vibrato excommunicationis gladio, alijsque Ecclesiæ armis sumptis, eorum superbiam compresserunt. Sed hæc in alijs nostris disputationibus contra nonnullos pseudotheologos editis fusius scripsimus, & infrà opportunioribus locis afferemus.

Multi summi Pontifices in Christi Ecclesia Regibus, & Pricipibus supplicia inflixerunt.

Psal. 149.

MODVS autem, quò potestas spiritualis tanquam superior Politicæ dominetur, & hæc illi subordinata sit, varijs similitudinibus exponitur. Nonnulli id explicant per similitudinem ad artem frænofactoriam, & equestrem, & similes, quoniam finis vnius natura sua ad finem alterius refertur; licèt duæ illæ artes sint inter se diuersæ, & habeant distincta obiecta, subiecta, & actiones. Claudicat autem hæc similitudo in aliquo, etenim in illis artibus inferior est solùm propter superiorem; adeo vt sublata superiore, etiam inferior continuò auferatur, remota enim equestri arte, frenofactoria superuacanea est. At potestas politica, etiam si Ecclesiastica non existat, vt est apud Infideles, permanet, etiam sine ordine ad aliquam veram potestatem Ecclesiasticam, & spiritualem; non est enim potestas politica, & temporalis seù ciuilis, solum ac præcisè propter Ecclesiasticam, & spiritualem; sed immediatè propter suum finem sibi proportionatum, quamuis si Christiana sit, Ecclesiasticæ, tanquam inferior subiecta sit. Lege Franciscum à Victoria de potest. Ecclesiast. q. 5. conclus. 5. vbi hanc rem optimè declarat. Potestas, inquit, ciuilis non est præcisè propter spiritualem, sed ars inferior est præcisè propter superiorem; ergo comparatio non est omnino similis. Antecedens pro vtraque parte patet. Nam si non esset militaris, non esset armorum ars; nec frenorum, nisi esset equestris. Sunt enim omnes huius-

Qua ratione potestas spiritualis imperet temporali.

Non bene fit cōparatio potestatis tēporalis ad spirituale sicut artis frænofactoriæ ad equestrē, ex Victoria.

modi

modi organicæ, id est, instrumentales: cessante autem fine, nullus est instrumenti vsus, immò nullum esset instrumentum; non sic autem est de potestate ciuili in ordine ad spiritualem. Dato enim quòd non esset aliqua potestas spiritualis, nec aliqua beatitudo supernaturalis, esset aliquis ordo in temporali repub. & esset aliqua potestas, sicut est in rebus naturalibus, etiam irrationalibus, inter quas aliqua agunt, alia patiuntur propter bonum duntaxat vniuersi; ergò magna est differentia. Non ergò sic intelligendum, quòd vna dependet ab alia; quòd sit præcisè propter illam vel tanquam pars illius: sicut potestas prætoris est pars regiæ potestatis, sed est integra, & perfecta potestas in se, & propter proprium finem immediatè: sed nihilominus est aliquo modo, vt suprà dictum est, ordinata ad potestatem spiritualem. Et confirmatur, quia ex sententia meliorum philosophorum, vir fortis deberet ponere vitã pro repub. etiam si non esset aliqua felicitas post hanc vitam. Ergo adhuc maneret respublica secluso fine spiritualis potestatis, & per consequens maneret aliquis ordo principatus, & subditorum, sine quo non esset propria respublica. Hactenus ex Francisco à Victoria.

AFFERVNT præterea alij alteram similitudinem de spiritu, & carne in homine, acceptam ex Gregorio Nazianzeno in oratione ad populum timore perculsum, & Principem irascentem, ex Vgone de Sancto Victore lib. 2. de sacram. p. 2. c. 4. Thoma Vualdensi lib. 2. doctrin. fidei cap. 78. Ioanne Dried. li. 2. de libertate Christ. capit. 2. Victoria in relect. 1. q. 6. de potest. Ecclesiæ, Soto in 4. distinct. 25. q. 2. art. 1. Sicut enim caro reperitur sine spiritu in brutis, & spiritus reperitur sine carne in Angelis, ex quo dignoscitur, neutrum esse præcisè propter alterum; cum tamen inueniatur caro adiuncta spiritui in homine, necessariò connexionem, & subordinationem ad inuicem habent. Præest spiritus, caro subest, ille non se miscet actionibus carnis, sed finit illam omnes suas actiones exercere, vt in brutis exercet; quando tamen eæ nocent fini ipsius spiritus, hic carni imperat, eamque castigat ieiunijs, alijsque pœnitentijs illam in seruitutem redigendo, etiam cum detrimento aliquo, & debilitatione ipsius corporis, immo etiam vsque ad sanguinem imperat carni, vt accidit in martyribus. Sic quoque cum duæ illæ potestates coniunctæ sunt in vno corpore, quod est Ecclesia, licet aliàs ex sui natura separatæ essent, debent esse connexæ, & inferior superiori subordinata, atque subiecta, nec debet temporalis se immiscere spiritualibus negocijs, sed permittere omnia iuxtà suos terminos procedere, dummodo non obsint fini spirituali, aut non sint necessaria, vel vtilia ad eum consequendum. Quòd si quid tale contingat, spiritualis potestas potest, & debet coercere temporalem omni ratione, & via, quæ ad id necessaria, & opportuna iudicabitur.

Exemplum de subiectione carnis sub imperio spiritus ad rem facit, ex diuersis sacris Doctoribus.

SIMILTER in naturalibus appositum extat huius rei exemplum; elementa enim, quamuis ex sui natura, vnum non sit propter alterum, nec vnum ad aliud tanquam ad finem dirigatur, non enim terra est propter aquam, nec aqua propter aerem, nec aer propter ignem, nec ignis propter cęlum, nec cęlum inferius propter superius; nihilominus ob bonum commune vnum alteri subest, ac subordinatum est, adeo vt mundus hic inferior supernis cælorum influentijs, ac lationibus per motum, & lumen subiectus sit. Adde quòd inter Angelos subordinatio est, quamuis vnus ad alterum tanquam ad finem non dirigatur.

Sub qua formalitate dicẽdum sit, potestatem spiritualem esse supra tẽporalẽ.

DICTVM est aũt in conclusione, vt talis est; quoniam potestates seculares sũt subiectæ potestati pontificiæ, seù Ecclesiasticæ, vt spiritualis est. Hęc. n. ex Christi institutione nõ solũ circa spiritualia versatur, sed ẽt amplissimã potestatẽ tẽporalẽ, vel circa tẽporalia sup oẽs Principes, Reges, & Imperatorẽ in ordine ad finem

spiritualem complectitur. Atque id de fide est Ioan.21.*Pasce oues meas*; aliàs Christus non satis prouidisset, & cauisset rebus spiritualibus, nisi scilicet aliquã potestatem reliquisset, ad quam spectaret cum opus esset ordinare, & vti temporalibus conuenienter ad finem spiritualem, & ad bonum commune Ecclesiæ: nec id spectat ad officium Principum secularium, cum ignorent proportionem rerum temporalium ad spiritualia, nec illis immineat cura rerum spiritualium: huiusmodi ergò cura vtendi temporalibus ad spiritualia, ad potestatem Ecclesiasticam pertinebit. lege Caietanum in Apolo.capit. 6. ad 8. arg. Almay. & Franciscum à Victoria loco, citato conclusione 8. & quæ nos dicemus infra disp.3.q.3.

NVNC respondendum est ad argumenta initio quæstionis posita.

potestas, quæ magis Deo appropinquat, maior est.

Ad primum respondet Hostiensis. Esto Iurisdictiones distinctas esse, & vtramque à Deo processisse; nihilominus quantò altera magis Deo appropinquat, tantò maior est, & consequenter sacerdotium, & potestas spiritualis maior est temporali. Nec obstat, quod dicitur in Auth. de non aliena. & permut.reb.Eccl. §.si minus, col.2.non multum discrepare sacerdotium, & imperium; quoad principium enim, vnde procedunt, non multum discrepare videntur; licèt aliquo modo discrepent, vt dictum est; at quoad maioritatem summopere discrepant. Inde est quòd caput Episcopi vngitur, Regis verò armus; & Episcopus Chrismate, Rex oleo, vt ostendatur quanta sit differentia inter auctoritatem Pontificis, & Principis temporalis, & ratione maioritatis hanc illi subiectam esse.

Imperator est summo Pontifici subiectus.

AD secundum dicimus quòd argumentum probat contrarium; ex eo enim, quod Papa habet potestatem in spiritualibus, & Imperator in temporalibus quoad exercitium, conuincitur, Imperatorem esse inferiorem Papa, & ei subiectum, cum temporalia spiritualibus diuino, & naturali iure subdita sint; cuius rei certum indicium est, quòd Imperator coronam accipit à Põtifice, & gladium ab altari, quod rectè fieri non potest sine iussu, & licentia eiusdem Pontificis, qui Rector est, & Dominus altaris: & licet Imperium sit ratione temporis absolutè loquendo antiquius, quam Apostolatus in lege Euangelica institutus, nihilominus Imperium in Ecclesia inuectum, & ab ea confirmatum est minus ratione dignitatis, atque etiam tempore ipso Apostolatu; Imperatores enim, Reges ac Principes, dum ad Ecclesiam currunt, vt Christiani fiant, recipiuntur cum pacto expresso, vel tacito, vt sceptra sua subijciant Christo, & polliceantur, se Christi fidem seruaturos, & defensuros, etiam sub pœna Regni perdendi, quod euidens signum est subiectionis, & subordinationis ad Christum, eiusque Ecclesiam, & Vicarium.

Non eodem modo hæ duæ potestates sibi mutuò auxilium præbent.

AD tertium dicimus, quòd longè diuersa ratione hæ potestates sibi inuicem auxilium præstant, spiritualis enim non indiget temporali, nisi ad sui defensionem, quam potestas temporalis etiam armata manu ei necessariò, vt subdita, exhibere debet. At temporalis indiget potestate spirituali ad sui institutionem in Ecclesia, & ad Christianam confirmationem ac perfectionem, vt rectè dixit Vgo de Sancto Victore loco citato. Vide S. Thom. 2.2.q.40. art. 3. ad tertium.

QVÆ-

QVAESTIO QVARTA.

De effectibus vtriusq; Iurisdictionis, temporalis scilicèt, & spiritualis.

PRIMO loco perquirendi sunt effectus potestatis spiritualis, deinde effectus potestatis politicę. Et circa primum disputandum est, an potestas Iurisdictionis Ecclesiasticæ, vel spiritualis extendat se aliquo modo ad aliqua, quæ videntur pertinere ad Iurisdictionem temporalem; sicut sunt actiones personales laicorum, & mixtę. Tripliciter autem potest aliquid ad aliquam Iurisdictionem pertinere, vel ex se, & ex sui natura, vel ex vsu, vel ex priuilegio, seù consuetudine.

ET quoad primum considerandum est, quænam personæ, quævè negocia, seu causæ ratione Iurisdictionis spiritualis, Ecclesiæ competant. Et resolutè respondendum est, omnes Christianos cuiuscumq; gradus, & conditionis existant, vt tales sunt, subiacere Iurisdictioni Ecclesiasticæ, & dependere in spiritualibus à Christo, & Papa, qui sine limitatione loci, & personarum in omnes personas totius orbis Christiani hanc potestatem ab ipso Christo recepit, iuxta illud Pauli ad Hebræ. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*; & licèt Papa possit eximere aliquos à subiectione spiritualis potestatis huius, vel illius particularis Episcopi, neminem tamen potest eximere à sua, hoc est Papali Iurisdictione, cum ex instituto Christi sit Pastor vniuersalis omnium suarum ouium, Ioan. 21. *Pasce oues meas*, in quibus verbis etiam Imperatores, ac Reges comprehenduntur. Damnauit Gregorius Septimus errorem Henrici Quarti, quem etiam Regno priuauit, sentientis Principes in illis verbis non comprehendi; cuius hæresis Blondus libr. 3. Decade 2. ita mentionem facit. Ferunt, Henricum principio quoque nuncios per Regna sua misisse frequentes, qui dicerent, Iesum Christum, quando ter Petro oues pascendas commisit, excepisse Reges. Pontifexque è contra per literas, quæ extant, notum populis fecit, Deum in terris agentem, quando ligandi, & soluendi in cœlo, & in terra potestatem Petro dedit, neminem excepisse, eumque quicumque ligare se posse negat, quòd absolui nequeat confiteri, sicque ab omni corpore Ecclesiæ sequestrari. Quibus Papæ verbis Prælati, Principes, & Populi, pars Regni Theutonicorum maxima, animis ab Henrico alienari cęperunt, primique Saxones exarserunt in bellum. Hactenus ille. Immò Sanctus Gregorius Nazianzenus Imperatores oues sui gregis appellauit, vt alibi diximus: nec ex hoc loco Ioannis vlla oritur difficultas quantum ad personas.

> omnes Christiani, quicūq; sint, iurisdictioni Ecclesiasticę subditi sunt.
>
> ad Hebr. 13.
>
> Ioan. 21.
>
> S. Greg Nazian.

QVANTVM verò ad actiones personales tàm Clericorum, quàm laicorũ dicimus, quòd de se, & iure suo extenditur huiusmodi iurisdictio ad cognoscẽdũ, & iudicandum etiam in foro exteriori de omnibus peccatis; nec solùm de illis, quæ sunt contrà articulos fidei, & sacramenta, in quibus principaliter fundatur religio Christiana, sed etiam de omnibus peccatis mortalibus.

> spiritualis potestas de iure põt iudicare omnia peccata mortalia etiam in foro exteriori.

PROBATVR primo hac ratione. Cuius est cõsiderare finem, eiusdẽ est iudicare de his, q̃ debẽt ordinari ad finẽ, quia rõ eorũ, q̃ ordinãtur ad finẽ, sumitur ex ipso fine; debet. n. intendẽs aliq̃ bonũ, finem eligere, & ea q̃ sunt congrua fini, & tollere ea, q̃ finẽ impediunt; sicut patet in Medico, qui dum considerat sanitatẽ

corporum, iudicat quoq; de his, quæ conseruant sanitatem, vel impediunt. Corpus vero ordinari ad animam, & temporalia ad spiritualia, omnibus notissimũ est, sicut etiam quòd actiones Christianorum omnes dirigi debent ad vltimum finem, quæ est vita æterna, igitur ad quos spectat de spiritualibus, & de salute animarum tractare, ad illos quoq; spectabit de actionibus personalibus hominũ, per quas, vel promouentur, vel retardantur à salute, & fine vltimo consequẽdo, cognoscere; hi autem sunt Prẹlati Ecclesiastici: atque hæc ratio tangitur in cap. nouit, extrà de iud.

Iocus Matt. 18. optimè explicatur de iurisdictione Ecclesiastica, et quoad forum externũ.

SECVNDO Idem probatur ex verbis Matthæi 18. vbi loquens Dominus Petro tanquam vni ex fidelibus, pro se, & omnibus Christianis dixit: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum, si te audierit lucratus eris fratrem tuum; si te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos testes; vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum, quòd si eos non audierit, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*. In quibus postremis verbis fit sermo de iurisdictione Ecclesiæ, quàm habent Prẹlati, vt Chrysostomus, & alij exponunt, etiam in foro exteriori, non solum in cognoscendis iniurijs priuatis, quas vnus ab alio patitur, de quibus Dominus tunc loquebatur, sed etiam à fortiori de iniurijs, quæ fiunt in totam Ecclesiam, & in Deum eiusq; Filium Iesum Christum, qualis est hæresis: qui enim negligunt emendari adhibita correctione fraterna, nec duobus testibus, ab ipsa tandem Ecclesia per Prælati sententiam eijciendi sunt. Quare ibidem statim subditur. *Amen dico vobis, quæcumq; ligaueritis super terram, erunt ligata, & in Cœlo, &c.* quibus verbis plus aliquid Petro cæterisq; Apostolis datur, quàm remittere iniurias eis illatas, vt censuit Theophilactus; traditur. n. seù promittitur potestas clauium ad ligandum peccatores, non solùm non absoluendo eos in foro interiori, sed ẽt eos ligãdo, & noua vincula illis imponendo, putà excommunicationem, interdictũ, legẽ, præcepta &c. lege Hilarium, Chrysost. Hieronymũ, Anselmũ, & alios in citatum locum Matthæi; nec non August. tract. 22. & 49. in Ioan. eundemq. Hieronymũ in epis. ad Hedibiam q. 9. Nulla igitur est dubitatio, quin ad Ecclesiã pertineat, iure à Christo sibi collato, cognoscere, & iudicare causas malarũ actionũ, & peccatorum, eaque punire non solùm in foro poli, sed etiam in foro fori per pœnas, & censuras Ecclesiasticas. Quocirca B. Paulus excommunicauit in facie Ecclesiæ fornicatorem notorium, vt habetur 1. Corinth. 15. & refertur 24. q. 7. cap. audiuimus, circa medium.

Ecclesia sępè nõ vtitur hac potestate propter varia impedimenta.

QVOAD vsum verò, & consuetudinem Ecclesiæ circa actiones personales, & mixtas laicorum dicimus, Ecclesiam, licèt habeat huiusmodi ius sibi à Deo collatum, vt dictum est; interdum tamen, vel ad euitanda scandala, siue ob malitiam eorum, qui regunt, violenter non permittentes Ecclesiã vti suo iure, dissimulare, vel patienter pati plures iniurias sibi in hoc negocio crebrius illatas, propter maius bonum, vel certè ob minus malum; licèt non omnes Ecclesiæ eundem vsum, & consuetudinem in hac re habeant. Qua propter si vsus ille consistat circa contractus, etiam inter Clericum, & laicum, aliasuè actiones personales, quæ iustitiam, vel iniustitiam, iniquitatem vel bonitatem, prauitatẽ, vel probitatẽ vitæ, seù conuersationis concernunt, nõ erit in hoc acquisitio noui iuris, cum id proprio, & antiquo iure Ecclesiæ competat; sed erit executio primi iuris à Deo accepti, quod fuit quandoque fortasse impeditum ac, deinde ab impedimento vindicatum, ita vt liberè actum suum exercere valeat; si verò consistat in actionibus indifferentibus, in quibus præuentio datur, erit executio iuris prioris, & iàm pridem honestis ac legitimis titulis acquisiti, quoniam nihil prohibet aliquid duplici iure competere Ecclesiæ. Si autem vsus ille versetur circa actiones merè reales, vt fertur in nonnullis Ecclesijs ex

con-

consuetudine haberi, dicendum est huiusmodi consuetudinē iurisdictionem tribuere, vt expresse cognoscitur ex cap. nouit, extra de iudic. vbi ita legitur. Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum (scilicèt Regem) spectat iudicium; nisi forte iuri communi per speciale priuilegium, vel contrariam consuetudinem, aliquid sit detractum. Igitur per consuetudinem potest alicui acquiri ius cognoscendi, & iudicandi de feudo alterius; alioquin frustrà poneretur illa exceptio, nisi fortè; & fortiori ratione, potest consuetudo locum habere in alijs merè realibus, non feudalibus. Ex priuilegio verò, vel ex concessione speciali quoad executionem multæ Ecclesiæ multa sortita sunt priuilegia, & præsertim Ecclesia Gallicana à Sancto Ludouico, & Philippo eius filio, & eius fratre, alijsque Regibus Franciæ, qui omnes per ordinationes, & statuta sua prohibuerunt, ne Ecclesia impediatur in executione Iurisdictionis, quæ ei competit de iure vel consuetudine. Est autem hic animaduertendum, Ecclesiam non indigere priuilegio humano, quantum ad Iurisdictionem in spiritualibus, & in delictis, & in quibuscunq; actionibus personalibus, seu contractibus, in quibus potest notari peccatum; quia hanc habet à Deo, sicut superius diximus, & ideo non indiget, quòd ab alio concedatur ei. Verum quia executio huius iuris pluries, & in pluribus locis impedita fuit, si decreto aliquorū deuotorum Regum, vel Principum statutum fuerit, ne Ecclesia impediatur in executione huius iuris, tale decretum potest largo modo vocari priuilegium, non ex eo quòd conferat ius; sed quia tollit impedimentum executionis iuris debiti.

Quomodo intelligi debeant priuilegia a Pricipibus cōcessa Ecclesiæ circa vsū huius potestatis.

COMPARANDA est etiam hoc in loco potestas spiritualis Summi Pōtificis cum personis Iudicum, cum eorum ciuilibus legibus, cum eorum foro, & iudicijs, quò effectus potestatis spiritualis distinctius cognoscantur.

ET quantum ad personas dicimus, Papam posse mutare Regna, Dominia, & vni auferre, atque alteri tradere, tanquam Summū Principem spiritualē, si id necessarium sit ad animarum salutem, ad fidei, atque religionis defensionem, & incrementum, nec non ad correctionem peccatorum etiam in foro exteriori; quod dictum fundatur in Euangelio Ioannis 21. *Pasce oues meas*, licèt ordinariè Papa, vt sic, non deponat temporales Principes, etiam iusta de causa eo modo, quo deponit Episcopos, id est tanquam eorum ordinarius Iudex politicus quoad exercitium, sed vt supremus Iudex spiritualis.

Pontifex maximus potest ex causa sibi benè visa mutare, & trāsferre regna tēporalia ꝓpter finem spiritualē

PRAETEREA Summus Pontifex potest condere legem ciuilem, & confirmare, aut infirmare leges Principum, quando Reges recusarent eam condere; vel si aliàs essent noxiæ animarum saluti, fidei, ac religioni, etiam si Reges nollent eam abrogare. Vnde si materia legis est res vergēs in periculū animarū, abrogatur lex Imperatoria per Pontificiā; quemadmodum lex Codicis de præscriptionibus triginta, vel quadraginta annorum, ēt cum mala fide, sublata est ꝑ legem Pontificiam, quę habetur in cap. Vigilanti, & in cap. finali, de præscrip. cū illa nō posset seruari sine peccato mortali. Hinc est quòd Papa leges vniuersales omnes fideles etiam Principes, cuiuscumq; gradus, & conditionis existant, obligantes, statuit, etiam circa bona temporalia, iustitiam tamen naturalē concernentes, vt videre est in Bulla Cænæ Domini, & præsertim in Canone 4. vbi decernit, bona temporalia naufragantium à nullo occupanda esse, & in Canone, 5. ne gabellas iniustas in eorum terris Principes sine licentia sedis Apostolicæ imponant; ne item arma, metalla, vel quæcunq; aliæ res, quibus Christiani impugnari possunt, ad Turcas, & Saracenos aliosque inimicos Christiani nominis deferantur. Et extra Bullam Cænæ Dn̄i multæ sunt leges à Romanis Pontificibus latæ, vniuersos Christianos ad earum obseruantiam comprehendentes, circa census, vt est illa Martini V. & Pij V. circa cambia, Pij V. circa locationes, & societates animalium, Sixti V. circa societates officiorum, Pauli IV. & aliorum,

Potest ēt condere leges, & irritare latas a Principibus secularibus, propter eūdem finem.

corporum, iudicat quoq; de his, quæ conseruant sanitatem, vel impediunt. Corpus vero ordinari ad animam, & temporalia ad spiritualia, omnibus notissimũ est, sicut etiam quòd actiones Christianorum omnes dirigi debent ad vltimum finem, quæ est vita æterna, igitur ad quos spectat de spiritualibus, & de salute animarum tractare, ad illos quoq; spectabit de actionibus personalibus hominũ, per quas, vel promouentur, vel retardantur à salute, & fine vltimo consequẽdo, cognoscere; hi autem sunt Prelati Ecclesiastici: atque hæc ratio tangitur in cap. nouit, extrà de iud.

locus Matt. 18. optimè explicatur de iurisdictione Ecclesiastica, et quoad forum externũ.

SECVNDO Idem probatur ex verbis Matthæi 18. vbi loquens Dominus Petro tanquam vni ex fidelibus, pro se, & omnibus Christianis dixit: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum, si te audierit lucratus eris fratrem tuum; si te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos testes; vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum, quòd si eos non audierit, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus.* In quibus postremis verbis fit sermo de iurisdictione Ecclesiæ, quàm habent Prelati, vt Chrysostomus, & alij exponunt, etiam in foro exteriori, non solum in cognoscendis iniurijs priuatis, quas vnus ab alio patitur, de quibus Dominus tunc loquebatur, sed etiam à fortiori de iniurijs, quæ fiunt in totam Ecclesiam, & in Deum eiusq; Filium Iesum Christum, qualis est hæresis: qui enim negligunt emendari adhibita correctione fraterna, nec duobus testibus, ab ipsa tandem Ecclesia per Prælati sententiam eijciendi sunt. Quare ibidem statim subditur. *Amen dico vobis, quæcumq; ligaueritis super terram, erunt ligata, & in Cælo, &c.* quibus verbis plus aliquid Petro cæterisq; Apostolis datur, quàm remittere iniurias eis illatas, vt censuit Theophilactus; traditur. n. seù promittitur potestas clauium ad ligandum peccatores, non solùm non absoluendo eos in foro interiori, sed ẽt eos ligãdo, & noua vincula illis imponendo, putà excommunicationem, interdictũ, legẽ, præcepta &c. lege Hilarium, Chrysost. Hieronymũ, Anselmũ, & alios in citatum locum Matthæi; nec non August. tract. 22. & 49. in Ioan. eundemq. Hieronymũ in epis. ad Hedibiam q. 9. Nulla igitur est dubitatio, quin ad Ecclesiã pertineat, iure à Christo sibi collato, cognoscere, & iudicare causas malarũ actionũ, & peccatorum, eaque punire non solùm in foro poli, sed etiam in foro fori per pœnas, & censuras Ecclesiasticas. Quocirca B. Paulus excommunicauit in facie Ecclesiæ fornicatorem notorium, vt habetur 1. Corinth. 15. & refertur 24. q. 7. cap. audiuimus, circa medium.

Ecclesia sępè nõ vtitur hac potestate propter varia impedimenta.

QVOAD vsum verò, & consuetudinem Ecclesiæ circa actiones personales, & mixtas laicorum dicimus, Ecclesiam, licèt habeat huiusmodi ius sibi à Deo collatum, vt dictum est; interdum tamen, vel ad euitanda scandala, siue ob malitiam eorum, qui regunt, violenter non permittentes Ecclesiã vti suo iure, dissimulare, vel patienter pati plures iniurias sibi in hoc negocio crebrius illatas, propter maius bonum, vel certè ob minus malum; licèt non omnes Ecclesiæ eundem vsum, & consuetudinem in hac re habeant. Qua propter si vsus ille consistat circa contractus, etiam inter Clericum, & laicum, aliasuè actiones personales, quæ iustitiam, vel iniustitiam, iniquitatem vel bonitatem, prauitatẽ, vel probitatẽ vitæ, seù conuersationis concernunt, nõ erit in hoc acquisitio noui iuris, cum id proprio, & antiquo iure Ecclesiæ competat; sed erit executio primi iuris à Deo accepti, quod fuit quandoque fortasse impeditum ac, deinde ab impedimento vindicatum, ita vt liberè actum suum exercere valeat; si verò consistat in actionibus indifferentibus, in quibus præuentio datur, erit executio iuris prioris, & iàm pridem honestis ac legitimis titulis acquisiti, quoniam nihil prohibet aliquid duplici iure competere Ecclesiæ. Si autem vsus ille versetur circa actiones merè reales, vt fertur in nonnullis Ecclesijs ex con-

consuetudine haberi, dicendum est huiusmodi consuetudinē iurisdictionem tribuere, vt expresse cognoscitur ex cap. nouit, extra de iudic. vbi ita legitur. Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum (scilicèt Regem) spectat iudicium; nisi fortè iuri communi per speciale priuilegium, vel contrariam consuetudinem, aliquid sit detractum. Igitur per consuetudinem potest alicui acquiri ius cognoscendi, & iudicandi de feudo alterius; alioquin frustrà poneretur illa exceptio, nisi fortè; & fortiori ratione, potest consuetudo locum habere in alijs merè realibus, non feudalibus. Ex priuilegio verò, vel ex concessione speciali quoad executionem multæ Ecclesiæ multa sortita sunt priuilegia, & præsertim Ecclesia Gallicana à Sancto Ludouico, & Philippo eius filio, & eius fratre, alijsque Regibus Franciæ, qui omnes per ordinationes, & statuta sua prohibuerunt, ne Ecclesia impediatur in executione Iurisdictionis, quæ ei competit de iure vel consuetudine. Est autem hic animaduertendum, Ecclesiam non indigere priuilegio humano, quantum ad Iurisdictionem in spiritualibus, & in delictis, & in quibuscunq; actionibus personalibus, seu contractibus, in quibus potest notari peccatum; quia hanc habet à Deo, sicut superius diximus, & ideo non indiget, quòd ab alio concedatur ei. Verum quia executio huius iuris pluries, & in pluribus locis impedita fuit, si decreto aliquorū deuotorum Regum, vel Principum statutum fuerit, ne Ecclesia impediatur in executione huius iuris, tale decretum potest largo modo vocari priuilegium, non ex eo quòd conferat ius; sed quia tollit impedimentum executionis iuris debiti.

Quomodo intelligi debeant priuilegia à Pricipibus cōcessa Ecclesiæ circa vsū huius potestatis.

COMPARANDA est etiam hoc in loco potestas spiritualis Summi Pōtificis cum personis Iudicum, cum eorum ciuilibus legibus, cum eorum foro, & iudicijs, quò effectus potestatis spiritualis distinctius cognoscantur.

ET quantum ad personas dicimus, Papam posse mutare Regna, Dominia, & vni auferre, atque alteri tradere, tanquam Summū Principem spiritualē, si id necessarium sit ad animarum salutem, ad fidei, atque religionis defensionem, & incrementum, nec non ad correctionem peccatorum etiam in foro exteriori; quod dictum fundatur in Euangelio Ioannis 21. *Pasce oues meas*, licèt ordinariè Papa, vt sic, non deponat temporales Principes, etiam iusta de causa eo modo, quo deponit Episcopos, id est tanquam eorum ordinarius Iudex politicus quoad exercitium, sed vt supremus Iudex spiritualis.

Pontifex maximus potest ex causa sibi benè visa mutare, & trāsferre regna tēporalia, ꝓpter finem spiritualē

PRAETEREA Summus Pontifex potest condere legem ciuilem, & confirmare, aut infirmare leges Principum, quando Reges recusarent eam condere; vel si aliàs essent noxiæ animarum saluti, fidei, ac religioni, etiam si Reges nollent eam abrogare. Vnde si materia legis est res vergēs in periculū animarū, abrogatur lex Imperatoria per Pontificiā; quemadmodum lex Codicis de præscriptionibus triginta, vel quadraginta annorum, ēt cum mala fide, sublata est ꝑ legem Pontificiam, quę habetur in cap. Vigilanti, & in cap. finali, de præscrip. cū illa nō posset seruari sine peccato mortali. Hinc est quòd Papa leges vniuersales omnes fideles etiam Principes, cuiuscumq; gradus, & conditionis existant, obligantes, statuit, etiam circa bona temporalia, iustitiam tamen naturalē concernentes, vt videre est in Bulla Cænæ Domini, & præsertim in Canone 4. vbi decernit, bona temporalia naufragantium à nullo occupanda esse, & in Canone, 5. ne gabellas iniustas in eorum terris Principes sine licentia sedis Apostolicæ imponant; ne item arma, metalla, vel quæcunq; aliæ res, quibus Christiani impugnari possunt, ad Turcas, & Saracenos aliosque inimicos Christiani nominis deferantur. Et extra Bullam Cænæ Dn̄i multæ sunt leges à Romanis Pontificibus latæ, vniuersos Christianos ad earum obseruantiam comprehendentes, circa census, vt est illa Martini V. & Pij V. circa cambia, Pij V. circa locationes, & societates animalium, Sixti V. circa societates officiorum, Pauli IV. & aliorum,

Potest ēt condere leges, & irritare latas à Principibus secularibus, propter eūdem finem.

circa vsuras, & matrimonia, etiam qua parte ciuiles contractus sunt; circa reformationem Calendarij, vt Gregorij XIII. immo etiam circa hebræos, ne bona stabilia possidere possint, ne inter Christianos officium medici exerceant, ne Doctoris munus vsurpēt; vt deferāt in omnibus Prouincijs Christianorū habitum ab his distinctum, vt Innoc. Tertius sanciuit in Concilio Lateran. & Paulus Quartus, & Pius Quintus in suis bullis, & similia, q̃ habētur in li. 5. decretalis tit. de Iudæis, & Saracenis. Quid? quòd etiā Summi Pontifices leges ciuiles à laicis Principibus latas iniustas, Populisq; nocentes annullant, nulliusq; valoris ēt cū absolutione à iuramento esse declarant, multasq; alias leges diuersis de causis irritant, atq, infirmant, vt videre est apud Siluestrū, verbo lex, num. 11. & 15. & S. Thom. 1. 2. q. 96. Ludouicum Molinam tom. 1. de Iust. & Iur. disp. 25. §. ex dictis Sotus, vbi sic scribit. Condentibus Principibus leges, quæ in graue detrimētum spirituale proximorum cędant, aut foueant peccata, potest Summus Pontifex præcipere earum conditoribus, vt illas reuocent, quòd si noluerint, potest ipsemet eas reuocare, eoq, ipso vim omnem amittent, esto essent tales, quæ seclusa reuocatione vim possent retinere. Lege quoq; Bartholum in l. Priuilegia. C. de sacrosanctis Ecclesijs, Abbatem in cap. 1. de noui operis nunciatione, Felinum in cap. Ecclesiæ, de Const. num. 41. Couarr. in epit. 4. Decret. 2. p. cap. 8. §. 6. nu. 6. Glossam in Extrauag. Quia & futurorum &c. Ioan. XXII. ver. Torneamenta.

Papa potest iudicare de rebus temporalibus, etiam propter bonū cōmune.

QVANTVM verò ad iudicia, potest Papa assumere ēt temporalia iudicia, hoc est iudicare de rebus temporalibus, non solùm qñ id animarum saluti, & fidei incremento, seu defensioni necessarium est; sed etiam ad bonum publicū, & cōmune, præsertim inter Christianos, vel in casu appellationis, vel ēt in prima instantia, qñ nimirū non est vllus, qui possit iudicare, vt cum duo Reges supremi contendunt, vel qñ qui possunt, & debent iudicare, nolunt sententiam ferre; licèt ordinariè Papa, vt Papa, de rebus tēporalibus nō iudicet. Vnde Bernardus Papę Eugenio lib. 1. de consideratione dicit. Habent hæc infima, & terrena Iudices suos, Reges, Principesq; terræ; quid fines alienos inuaditis? quid falcem vestrā in alienam messem extenditis? In criminibus, non in possessionibus potestas vestra: & postea subdit. Sed aliud est incidēter excurrere in ista, aliud verò incumbere istis, tanquam dignis tali, & talium intentione, rebus: lege quoq; Innoc. Tertium in cap. Per venerabilem; Qui filij sint legitimi; vbi exponit, in quibus casibus Papa exerceat temporalē Iurisdictionē. Sic Zacharias coronā Regni Gallię à sanguine, seu familia Merouer ad Pipinum, eiusque successores transtulit, non tàm pro suis iniquitatibus, quàm ob bonum commune, cum regimini illius Regni inutilis, atque inhabilis esset, vt habetur in Canone Alius, 15. q. 6. & in lib. 8. Registri Gregorij Septimi, epist. 21. Henricus Quartus, vt refert Conradus Abbas Vspergensis in Chronico, in litibus, & controuersijs, quas habebat cum suis Baronibus, ter ad Romanum Pontificem Pasqualem appellauit. Refert item Petrus Blesensis, Reginam quandam Angliæ, cū iniustè vexaretur ab Othone filio Friderici primi, ad Papam pro auxilio obtinendo recurrisse. Ob bonum quoque pacis, & fœderis pacta non seruata, Innocentius Tertius auctoritatē suam iudiciariè interposuit inter Regem Franciæ, & Regem Angliæ, committendo illam Archiepiscopo Bituricensi, vt apertè legitur in capit. nouit, extrā de iudicijs. Gregorius Septimus, vt refert Platina in eius vita, cum Michael Imperator Cōstantinopolitanus ab Imperio expulsus fuisset à Nicephoro Botoniata, hoc excommunicato, illum Imperio restituit. Clemens quoque V. nullam declarauit sententiam Henrici septimi Imperatoris latam cōtra Robertum Regem Sicilię, processumq; contra illum fabricatum irritum, & inualidum esse declarauit, vt videre est in Clementina, Pastoralis; de sent. & re iudicata, in cuius extremo hæc verba habentur. Nos tam ex superioritate, quā ad Imperium non est dubiū

S. Bernardus.

Exempla Pontificum, qui hac potestate vsi sūt in Reges, & alios Principes.

non

nos habere, quàm ex potestate, in qua vacante Imperio Imperatori succedimus, & nihilominus ex illius plenitudine potestatis, quam Christus Rex Regum, & dominus dominantium nobis licèt immeritis in persona B. Petri concessit, sententiam, & processus omnes prædictos, & quicquid ex eis secutum est, vel occasione ipsorum, de fratrum nostrorum consilio declaramus fuisse, ac esse omnino irritos, & inanes, nullumq; debere, aut debuisse sortiri effectum, seu nocumentum, vel notam afferre cuiquam, vel quomodolibet attulisse: ipsosq; nihilominus quatenus processerunt de facto, & quicquid ex eis secutum est, vel ob eos, vel in posterum sequi posset, in irritum reuocamus. Hæc ille. Stephanus Vngariæ Rex à Benedicto Sexto coronam, & Regnum obtinuit. Miceslaus Dux Poloniæ titulum Regis petijt, licèt non obtinuerit; obtinuit autem illum Casimirus à Benedicto Nono, sicut etiam Spicionenus Dux Bohemiæ à Nicolao Papa, tributo Sedi Apostolicæ oblato, atq; promisso, vt refert Steuchus Bibliothecarius in 2. lib. de donatione Constantini num. 101. Demetrius Dux Croatiæ, & Dalmatiæ dictus Suinumir, Regiam coronam obtinuit à Gregorio Septimo, soluto sponte annuatim Sedi Apostolicæ tributo. Ducentorum, inquit, Byzantiorum tributum meorum omnium Cõsultuũ, & Primatuũ, Sancto Petro per singulos annos in Resurrectione Domini de mihi concesso Regno persoluendos statuo, vt refert idem Steucus ex Bibliotheca Lateranensi. Scribit idem Gregorius Primus in epist. 64. lib. 2. Registri, Demetrio Regi Ruscorum, & Reginæ eius vxori, filium eorum venisse ad limina Apostolorum, postulantem, vt Regnum illud dono Sancti Petri per manus Põtificis reciperet, annuitq; Pontifex iustæ illius petitioni. Alexander Tertius Alphonsum Primum Ducem Lusitaniæ Regem declarauit, in cuius rei homagiũ duas marcas auri annuatim Sedi Apostolicæ persoluit, vt Steuchus scribit lib. 2. de donatione Constantini num. 110. Rex Insularum Maij inuestituram illarum à Romano Pontifice accepit, vt idem refert eodem lib. num. 103. Ab Innocentio Tertio Calloianes Princeps Bulgarorum titulum, & coronam regiam impetrauit. Ab eodem Pontifice Rex Gallorum legitimationem filiorum ad Regni Franciæ successionem postulauit, & obtinuit; quod tamen cuidam nobili Francorum negatum fuit, vt testatur idem Innocentius c. Per venerabilem, qui filij sint legitimi. Ab eodem Alexandro Tertio Veneti dominium supra mare Adriaticum obtinuerunt, qui etiam à diuersis Romanis Pontificibus insignia, & ornamenta Ducalia, quæ hodie gestant, acceperunt; immò etiam ius, & facultatem legitimam eligendi Ducem, cum prius alio modo gubernandi Rempublicam per Consules, Tribunos, & Præfectos militiarum vteretur, à summo Pontifice Deodato habuerunt, vt refert Petrus Iustinianus Clarissimus Venetus lib. 1. rerum Venetarum his verbis: Missiq; sunt statim Romam ad Deodatum Pontificem legati Petrus Candianus, Michael Participatius, & Theodosius Ipatus, vt instituendi, eligendiq; Ducis Pontifex Apostolica auctoritate ius Venetis perpetuò confirmaret. Anno igitur Domini sexcentesimo nonagesimo septimo Paulutius Anaphestus, nobilitate, virtuteq; insignis Dux primus in Heraclia creatus fuit. A summis quoq; Pontificibus Veneti tempore Caroli Magni formam, & modum gubernandi populos eis subiectos acceperunt, teste Nauclero, sic scribente. Dux Venetorum, nec non Paulus Dux Graduum, & Episcopus eiusdem ciuitatis legati ad Carolum cum donis venientes Salisburgum, ordinationem receperunt, quo iure quisq; viueret, eiusq; pacis formulam Carolus Romano Pontifici insinuauit. Alexander Tertius, vt refert Pighius lib. 5. Hierarchiæ Ecclesiast. Cap. 14. §. quare, imposuit Henrico Quincto Regi Angliæ ob occisionem D. Thomæ Cantuariensis, eiusq; successoribus, ne quis de cætero titulum Regis Angliæ sibi vsurparet, absq; consensu Romani Pontificis; citat Pighius Blondum, Pium, Tubigensem, aliosq; scriptores. lege quoq; Platinam

tinam

tinam in vita Innocentij Tertij, & Sanderum lib. 3. de visibili Monarchia Ecclesiæ anno Domini 1215. & Polidorum lib. 15. vbi exponunt, qua ratione Angliæ, & Hyberniæ Regna Ecclesiæ Romanæ tributum soluant. Clemens Quartus Carolum de Angio, Regem Hierusalem, & Siciliæ constituit, & tanquam Romanæ Ecclesiæ feudatario pensionem 48. millia ducatorum Romanæ Sedi annuatim persoluendorum imposuit, vt narrat Blondus lib. 8. Decade 2. Denique Cosmus Medices nostris temporibus titulum Magni Ducis Hetruriæ à Pio V. obtinuit. Omnibus autem notissimum est, cunctas supremas differentias inter Principes Christianos ad Romanum Pontificem iudicandas, & decidendas iure deferri. Vnde Pighius lib. 5. de Hierarchia Ecclesiastica cap. 7. sic scribit. Itaq; iam ante annos mille vidimus Christianos Principes, Reges, Imperatores, se, & sua sceptra submisisse, atq; adeò tradidisse Christi Ecclesiæ, atq; ab ea veluti accepta recognoscere, eius iudicio regnare Reges, & Imperatores, & amoueri Regno, & Imperio, quemadmodum supra in Henrici Quarti tragædia, & recognitione libera totius Regni, & imperij intellexisti, & post copiosius demonstrabimus. Et Sanderus lib. 7. de visibili monarchia Ecclesiæ num. 608. de hac re hæc scripta reliquit. Tantę ergò auctoritatis Apostolica Sedes olim habita est, vt mutatio Regnorum, quæ illius iudicio interposito fiebat, non sc ditiosè, verùm legitimè fieri crederetur. Nam omnes Catholici semper habebant Pontificem Romanũ pro Christi Vicario, per quẽ res in tota Republica Christiana grauissimæ semper decidendæ essent. Ex hactenus dictis constat, tùm rationibus, tùm exemplis, iudicium summi Pontificis Romani, etiam circa res temporales, Principum, Regũ, & Magnorũ terræ iure, ac legitimè versari: lege constitutionem Bonifacij Octaui, quæ incipit, Vnam sanctam; de maioritate, & obedientia, receptam, & approbatã in Concilio Lateranensi sess. 11. à Leone X. & quæ ante Bonifacium Octauum scripsit Vgo de Sancto Victore lib. 2. de Sacramentis parte 2. cap. 4. cui subscripsit Alexander de Ales 2. p. q. 48. membro 1. art. 3. in vltima columna.

Controuersiæ inter Principes & Reges a Papa componuntur.

PIGHIVS lib. 5. Hierarchiæ Ecclesiasticæ cap. 14. multa alia exempla refert, in quibus summi Pontifices, cũ diuisi essent electores in duas partes, suã interposuere auctoritatem ob bonum commune in Imperatoris electione. Gregorius X. electoribus Ecclesiasticis sub pęna priuationis officij, & secularibus sub pęna excommunicationis, dum discordes inter se essent, præcepit, vt sine mora defensorem Ecclesiæ Regẽ Romanorum eligerent, quod post tres dies in Francfort præstiterunt, eligentes concorditer in Regem Romanorum Rodulphum Comitem Aspurgensem absentem, quam electionem idem Greg. confirmauit in Concilio generali Lugdunensi. Mortuo item Rodulpho, ad instantiam Clementis V. electores Imperij Henricum Septimum elegerũt postposito, eodem Pontifice sic mandante, Philippo ob eius superbiam, vt idem Pighius refert loco citato. Huius rei pulchrum testimonium Innocentij Quarti in eius commentarijs, quæ vt Doctor scripsit, super Decretalem, licèt ex suscepto, de foro competenti, afferendum est, sic enim num. 2. scribit. Quid si alius Rex est negligens, vel alius Princeps, qui superiorẽ nõ habet? Dicimus idẽ, scilicèt quod succedit Papa in iurisdictione eius, arg. 15. q. 6. c. item alius; & supra de Elec. c. cum inter vniuersas, in fin. & num. 4. sic ait, licèt in multis distincta sint officia, & regimina mundi, tamen quandocumq; necesse est, ad Papam recurrendum est, siue sit necessitas iuris, quia iudex dubius est, quam sententiam de iure proferre debeat; vel necessitas facti, quia alius non sit iudex superior; siue etiam facti, putà quia de facto minores iudices non possunt suas sententias exequi, vel nolunt, vt debent iustitiam exercere: Extra, Qui filij sint legitimi, cap. Per venerabilem; & Panormitanus super c. licèt ex suscepto, de foro competenti n. 8. sic scribit. Hostiensis

ftiensis dicit, quòd vacantibus Regnis, & Principatibus quibuscumq; & vbicumque, Papa succedit, non solum de plenitudine potestatis, sed etiam de iure, & de consuetudine, & dicit, quòd hoc etiam sentit Innocentius. Et in cap. nouit, de Iudicijs num. 16. ait; In necessitatibus iuris, vel facti ad Papam recurrendum est. Et sicut deficiente Imperio de facto succedit Papa, ita & cum deficit de iure; quia est talis persona, quæ non recognoscit Imperatorem; & iterũ in cit. c. ex suscepto, hæc habet. Nota secũdò, ꝙ ratione habitus iurisdictionis, quã Papa habet in temporalibus, potest se impedire, & exercere iurisdictionem, quando omninò deficit iustitia; vel quia subest Princeps, & non vult eam exercere, vel quia vacat Imperium, & sic omninò non est inutilis habitus penes Papam. Multi alij effectus ad spiritualem potestatem præsertim circa temporalia spectantes, & ex illa legitimè prouenientes afferri hoc loco possent, sed sufficiant ij, quos hactenus explicauimus.

NVNC nonnulli effectus politicæ potestatis enumerandi sunt. Potestas enim politica Principis, & Magistratus, etiam Christiani, licitè potest leges ciuiles condere, quæ etiam obligent in conscientia, hoc est sub pœna peccati; publica exercere iudicia, gladio punire perturbatores publicæ quietis, bella interdum gerere, defendere religionem Christianam contrà hæreticos, & Infideles, exequi pœnas, & præsertim morte mulctare hæreticos ab Ecclesia damnatos, & multa alia facere, quæ abundè, & rectè probantur à Cardinali Bellarmino in lib. 3. de laicis per multa capita. Sunt quippe omnes legitimi Principes seculares, Dei ministri, sub regimine Dei, quasi supremi Principis, Sap. 6. *Cum essetis ministri Regis illius, &c.* Ad idem autem tendit minister, & Dominus Eccles. 10. *Secundum Iudicem Populi, sic & ministri eius.* Et ideò sicut Deus operatur in bonum his, qui bonum agunt; ita, & Principes, si ministerium suum rectè impleant. Sed & mali Principes ministri Dei sunt, secundum ordinationem Dei ad ferendas pœnas, licèt hoc sit præter intentionem eorum, iuxtà illud Isaiæ 10. *Assur virga furoris mei, & baculus ipse in manu mea est; ipse autem non sic arbitrabitur,* & Hieremiæ 25. *Assumam vniuersam cognationem Aquilonis, & Nabuchodonosor Regem Babylonis seruum meum, & adducam eos super terram istam, & super habitatores eius, &c.* Adde quòd mali Principes interdum Deo permittẽte bonos affligunt, quod in bonum eorum cedit, secundum illud ad Rom. 8. *Diligentibus Deum, &c.*

Principes seculares possunt leges condere de rebus politicis, & alia multa statuere, etiam obligando cõscientiam.

NEC sine causa Princeps politicus gladium portat, vt Apostolus inquit, ad Rom. 13. vbi loquitur secundùm consuetudinem Principum, quia olim quasi insignia suæ potestatis deferebant instrumẽta puniendi, putà fasces virgarum ad verberandum, & secures, vel gladios ad occidendum Iob. 19. *Fugite à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum est gladius.* Scythæ gladium pro Deo colebãt, quòd in illo supremi Iudicis potestas significaretur: ita Clemens Alexandrinus in exhortatorio ad gentes, Arnobius lib. 6. & Ammianus Marcellinus lib. 31. Solet autem potestas spiritualis præsertim suprema Crucẽ eleuatam ante se deferre, vt originem suæ potestatis ostendat, ex Cruce, & Christi passione emanatæ, suumq; Imperium, atq; Dominium in Crucis virtute consistere, iustitiam cum misericordia sibi exercendam esse declarans.

Cur Principes quædam instrumenta præferre solent.

SOLENT item potestates seculares in signum superioritatis tributa ab inferioribus accipere, quæ ideo tributa appellantur, eò quòd subditi ea Dominis tribuant, cum ministri Dei sint; nomine enim Dei recipiunt tributa seruientes Deo, & Populo. Principes enim suo regimine Deo ministrãt, & à Populo debent tributa suscipere, quasi stipendia sui ministerij, quamuis non debeant illa sibi pro præmio computare; proprium enim præmium Principis politici est laus, & honor, vt dicit Philosophus in 5. Eth. cap. 11. Quod vt benè inquit D. Tho. loco citato

Cur Principes tributa à suis subditis exigere valeant.

citatò non solùm de laude humana, vel honore intelligendum est, esset enim tale præmium vanum; sed de laude, & honore diuino, qui Principibus benè regnantibus exhibetur, iuxtà illud Sap. 6. *O Reges Populi diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis:* hæc autem tributa recipiunt Principes ad sustentationem impensarum gubernationis Regni, seu status, & quasi pro laboris stipendio; laborant enim Principes ad omnium pacem conseruandam, vt inquit Apostolus 1. ad Timoth. 2. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti, vt quietam, ac trãquillam vitã agamus.* Baruch 1. *Orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis, vt viuamus sub vmbra eius;* licèt ab hoc tributo Clerici non solùm iure naturali, hoc est apud omnes Populos in omni ætate communi consensu recepto, sed etiam iure diuino, ne dum in veteri testamento, sed etiam in Euangelio ore Christi expresso, Matth. 17. exempti sint. Quod deinde religiosissimi Principes suis legibus, æquitatem naturalem ac pietatem secuti, confirmarunt.

Sap. 6. / 1. Thim. 2. / Baruch 1.

Qua ratione peccent Principes tributa accipiendo.

PECCANT Principes accipiendo tributa dupliciter, vt rectè notat S. Tho. ibidem. Primò quidem si vtilitatem Populi non procurent, sed solum ad diripiendũ eorũ bona intendant. Vnde dicitur de malis pastoribus Ezechiel. 34. *Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis; gregem autem non pascebatis.* Alio modo ex eo, quòd violenter diripiunt supra statutam legem, quæ est quasi quoddam pactum inter Regem, & Populum, & suprà Populi facultatem. Quare dicitur Mich. 3. *Audite Principes Iacob, & Duces domus Israel.* Et postea subdit. *Qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnes eorum desuper ossibus eorum.* Non solùm autem Principi debetur tributum pro generali regimine, quo Patriam in pace, & quiete gubernat, vt Genes. 49. *Vidit requiem quod esset bona, & terram quod optima, & supposuit humerum suum ad portandum, factusq; est tributis seruiens;* sed etiam vectigal, quod redditur Principi in aliquibus certis locis de mercimonijs, quæ deferuntur, pro reparatione viarum, & custodia, atq; etiam dum per statum Rex deuehitur, vel visitando illum pertrãsit, sicut sunt Procurationes, & alia huiusmodi, vt ait ibidem S. Tho.

Mich. 3. / Genes. 49.

Principibus debent subditi timorem, & honorem.

PRINCIPIBVS quoq; non solùm hæc exterius, sed etiam nõnulla sunt interius exhibenda, timor nempè, & honor; timor quidẽ in quãtùm Princeps est Dñs, & sua potestate malos coercet à rebus iniquis, Malach. 1. *si ego Dominus vbi est timor meus?* honor verò in quantùm est Pater prouidens bonis, quæ sunt in laudem eorum, Malach. 1. *Si ego Pater, vbi est honor meus?* Vnde 1. Petri 2. dicitur, *Regem honorificate*, propriè autem, ac consequenter debentur hæc illis à laicis eorum subditis, nam à Clericis licèt ex humilitate honor eis debeatur iuxtà illud Pauli ad Philipp. 2. *In humilitate inuicem præuenientes*, nequaquam tamen timor, qui coactiuam potestatem includit, secundum quam sunt Clerici à laica potestate liberi.

Malac. 1. / 1. Petr. 2.

Quædam propositiones hæreticæ quorundam recentiorum refutantur.

QVOCIRCA omnes hæ sequentes propositiones sunt hæreticæ, quæ tamen à modernis Pseudotheologis proferuntur.

PRIMA, potestatem politicam, etiam inter Christianos, nõ esse subordinatam Ecclesiasticæ, immò hanc ab illa dependere; est hæc hæresis apertè contra verba Ioannis 21. dicta à Christo Petro. *Pasce oues meas.* Vbi Glossa ait. Pascere est oues credentes, ne à fide deficiant, confirmare, terrena subsidia, si necesse est, subditis prouidere, & exempla virtutum cum verbo prædicationis impendere; aduersarijs obsistere, errantes subditos corrigere. Vides in quibus omnes Christiani à Papa dependeant: implicat autem dicere, politicam potestatem esse Christianam, & non esse potestati Ecclesiæ subiectam.

SECVNDA, Ecclesiasticos in ciuilibus debere iudicari à Principibus secularibus; Papam item, & Episcopos in ciuilibus non posse iudicare Clericos.

Hæc

Hæc propositio est erronea ac temeraria, & hæresim sapiens, cum Papæ auctoritatem coarctet respectu Clericorum, qui sunt membra Ecclesiæ, cuius Romanus Pontifex & non alius Princeps caput est.

TERTIO Episcopos subditos esse Principibus secularibus, & Papam subiectum esse Imperatori: aperta hæresis est hæc contrà scripturas Matth. 16. & 18. & Ioan. 21. Quare D. Thom. in opusc. contra impugnantes religionem sic scribit. Verum est de Romano Pontifice, cui, vt Cyrillus dicit, omnes iure Diuino caput inclinant, & ei tanquam ipsi Domino Iesu Christo obediunt: lege eundem D. Thomam lib. 3. de regimine Principum cap. 10. & in 2. sentent. dist. vlt. ad extremum suarum quæstionum, vbi affirmat, in Papa esse apicem potestatis spiritualis, & temporalis. Nullo igitur pacto subiacere potest iudicio Imperatoris, qui non solum est Papa inferior ob eius potestatem spiritualem, sed etiam ob temporalem. Vide quoq; quæst. 23. Paludanum in tract. de potest. Ecclesiæ, Augustinum de Ancona lib. de potestate Papæ, Vgonem de 2. Victore lib. 2. de Sacram. p. 2. cap. 4. Alexandrum de Ales 3. p. quæst. 48. mem. 1. art. 3. Henricum de Gandauo Quodlib. 6. de potest. Ecclesiast. quæst. 1. art. 7. & 9. & quæst. 45. art. 2. & quæst. 46. art. 1. 2. & 3. Aluarum Pelagium lib. 1. cap. 13. Franc. de Maironе in 4. dist. 19. quæst. 4. Turrecrematā in summa de Eccles. lib. 2. c. 114. Gersonem in tract. de potest. Eccles. considerat. 12. littera M. & in tract. de auferibilitate Papæ consid. 12. & in 4. p. sermonis de pace, & vnitate Græcorum, Vualdensem lib. 2. Doctrinalis fidei contra articulos Vuicleph cap. 34. & 52. Driedonem de libertate Christiana lib. 1. cap. 16. Albertum Pighium 5. lib. de Hierarch. Ecclesiast. cap. 7. & 14. Caietanum in apologia, tomo 1. opusculorum tract. 2. cap. 13. ad 8. arg. Franciscum à Victoria in relect. 1. de potest. Eccl. propos. 7. & 8. & in relect. de Indis sect. 2. propos. 3. Sotum lib. 4. de iust. & iure q. 4. art. 1. conclus. 2. & in 4. sentent. q. 2. art. 1. ad 1. Sanderum de visib. monarchia Eccl. lib. 2. cap. 4. Siluestrum verbo Papa q. 10. & 11. Nonnullas horum Doctorum sententias in 3. disp. q. 3. ponemus.

HANC veritatem ita definiuit, vel potius iam à Christo in Euangelio positam, & definitam declarauit Innocentius Tertius in c. Nouit, de iudicijs, & in cap. Per venerabilem, qui filij sint legitimi, & in c. Solitæ de Maior. & obedien. & in Serm. 2. de Consecra. Pontificis Bonifatius Octauus in extrauag. Vnā sanctam de maioritate, & obedient. quæ approbata, & recepta fuit in sess. 11. Concilij vltimi Later. & etiam antea in Magno Concil. Lateranen. celebrato sub eodem Innocentio Tertio, & Ioan. XXII. in Extrauag. Licèt iuxtà doctrinam Apostoli. Hæc item veritas decisa fuit in Concilio Florētino in literis, & Decreto vnionis Grecorum, &c. Ratio autem fundamentalis huius veritatis est, quoniam Papa ex Christi institutione Ioan. vltimo, *Pasce agnos, & oues meas*, est caput totius Ecclesiæ, & supremus Pastor omnium Christianorum, & consequenter in terris ac in foro exteriori nulli potestati, vel spirituali, vel temporali subiacere potest: lege Molinam tomo 1. de Iust. tractat. 2. disp. 31. concl. 4. & Azor tomo 1. instit. Mor. cap. 12. & cumulatissimè eandem veritatē demonstrat Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 10. & 25. ex testimonijs Patrum Græcorum, & Latinorum, quæ apud illum legi possunt, cum institutum nostrum non sit hoc in loco ex professo rem hanc pertractare, licèt iterum, ac fusius in disputatione tertia de ea agendum sit. Vide quoq; eundem Bellarminum in responsione ad librum inscriptum. Triplici nodo triplex cuneus, in tertia editione.

QVÆ-

QVAESTIO QVINTA.

An potestas politica sit bona, & Christianis licita.

Apud Christianos nullam esse politicá potestatem hæretici deducunt ex scripturis.



NONNVLLI hæretici ex aliquibus locis sacræ scripturæ perperam intellectis affirmarunt, Christum in sua Ecclesia, neq; Reges, neq; Principes, neq; magistratus, neq; ius gladij, neq; simile quid habere; sicut etiam nec prætoria, nec tribunalia, nec iudicia, quæ omnia in politica Republica necessario requiruntur: sic Anabaptistæ, & Trinitarij falsò censent. Loca autem scripturæ, quæ adducunt, hæc sunt, ex Matthæi 17. *Reges*, inquit, *gentium, à quibus accipiunt tributa? &c. ergò liberi sunt filij*; & Lucæ 22. *Reges gentium dominantur eorum, non sic erit inter vos*. Rom. 13. *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis*, 1. Corinth. 7. *Prætio empti estis, nolite fieri serui hominũ* 2. Corinth. 8. *Vnus Dominus*. Ephes. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus*. igitur, &c.

Idem ostendere conātur quibusdā argumentis.

PROBANT id quoq; rationibus. Primo quoniam Deus ab origine creauit hominem rectum, ac proinde liberum; at per peccatum subiectio inuecta est in mundum; & cum Christus liberauerit nos à peccato, etiam à subiectione liberati sumus, neq; enim mulier nunc subijcitur viro, nisi politica subiectione, quæ per peccatum introducta est, vt patet Genes. 3. *sub viri potestate eris*, & auctor Regni politici, ante diluuium fuit Cain Genes. 4. & post diluuium Nembroth Genes. 10. qui fuerunt pessimi viri, lege S. August. lib. 15. cap. 9. de Ciuit. Dei.

SECVNDO quoniam Iudæis magistratus permissus fuit ob imperfectionem illius temporis, cum. n. essent pueri, debebant ab alio regi, teste Paulo ad Galat. 4. at nos in statu Euangelij viri perfecti sumus, & vnctio de omnibus nos docet 1. Ioan. 2.

TERTIO quoniam potestas politica non est à Deo introducta, sed ab hominibus tyrannicè vsurpata, sicut patet in Nembroth, Nabuchodonosor, Alexādro, Iulio Cæsare, & in illo Pyrata, qui respondit Alexandro. Ego quia cum paruo ligno discurro pyrata dicor, tu quia cum magna classe orbem terrarum spolias, Imperator diceris, vt August. lib. 4. de Ciuitate Dei cap. 4. ex M. Tullio lib. 3. de Rep.

Vtuntur etiam testimonio S. Augustini, & S. Gregorij.

QVARTO probant idem testimonio S. Aug. lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 15. Hominē rationalem factum ad imaginē suā noluit Deus nisi irrationalibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori: inde primi iusti Pastores magis pecorum, quam Reges hominum constituti sunt, vt hinc etiam insinuaret Deus, quid ordo postularet creaturarum, & quid meritum exigeret peccatorum. Et ex S. Gregorio lib. 21. moral. c. 11. Omnes homines natura æquales genuit, sed variante meritorum ordine, alios alijs dispensatio occulta postponit, ipsa autem diuersitas, quæ accessit ex vitio, rectè est diuinis iudicijs ordinata, vt quia omnis homo iter vitæ non æquè graditur, alter regatur ab altero. Similia habet in Pastorali parte 2. cap. 6.

Quam pessima sit hæresis prędictorum.

EST hæc hæresis opprobrium hominum, & abiecto plebis, cum confusionem in humano genere nutriat, ordinem, in quo pulchritudo consistit, pœnitus propellat, flagitia nutriat, honores, gradus, ac dignitates, quæ virtutem nutriūt, arceat;

arceat; melius est.n.à malo regi Principe, quàm à nullo, vt dixit Aristotel.in lib. Polit. Et proinde multis argumentis hic error refellitur à S.Tho.in opusc.20. & ab omnibus Philosophis. Quin ẽt ab ipso Caluino lib.4. instit. c.20. & prius à Philippo Melancthone lib.de locis, c.de ciuili magistr. & à Luthero in visitat. Saxonica, quamuis in Babylonica captiuitate, c.de Baptismo, aliter loquatur, ex quo Anabaptistæ occasionem errandi sumpserunt.

NOS nonnullis aptissimis argumentis hũc errorẽ stultissimũ esse indicabimus. Et primo oẽs Prophetæ, Christo, & Ecclesiæ Reges terræ seruituros esse prædixerunt; supposuerunt ergò, vt re vera est, in Ecclesia Christi esse Reges; ita Dauid Psal.2. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terrã. Apprehendite disciplinam,* hoc est, vt hebraica lectio docet, osculamini filium, idest adorationem, & reuerentiã exhibete filio Dei, Messiæ nempè, vt exponit B.Hier.lib.1.contra Rufinũ. Agnoscite, inquã, filiũ Dei esse verũ Regẽ, & Messiã vestrũ, osculãdo illi manũ honoris gratia, atq; fidem, & doctrinã eius recipiendo. Itẽ Psal.71. *Adorabunt eũ oẽs Reges terræ, oẽs gẽtes seruiẽt ei.* Isaiæ 60. *Ambulabũt gẽtes in lumine tuo, & Reges in splẽdore ortus tui.* Et c.49. *Erũt Reges nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ, vultu in terra demisso adorabũt te, & puluerem pedũ tuorũ lingent:* atq; hæc oĩa in Constant. Theod. Carolo Magno, & alijs videmus impleta; qui sepulchra Apostolorũ & Martyrũ adorauerũt, Ecclesiasq; locupletissimè ditarũt, & alacriter ꝓtexerũt.

Optimis rationibus hæresis ista confutatur, & exploditur.

PRÆTEREA Christus Matth.22. disertis verbis dixit. *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo,* & Paulus ad Rom.13. ter repetit, vt etiam superius obseruauimus, Principes seculares, quibus tributa redduntur, esse Dei ministros; quo loco Pauli vtitur S.Irenęus lib.4.c.70. ad idẽ probandũ & j.Tim. 2. iubet Apostolus, nominatim orari ꝓ Regibus; quo loco vtitur Tertullianus in Apol.c.31. arguens ethnicos, qui calumniabantur Christianos, quòd magistratibus obtẽperare recusarent; at si lex Euãgelica respueret magistratũ, vtiq; pro destructione Regũ, & Principũ orandũ esset, contra Paulũ ad Titum 3. *Admone illos Principibus, & potestatibus subditos esse,* & 1.Pet.2. *Deum timete, Regẽ honorificate.*

NEC valet dicere, ex his locis probari, Christianos debere parere Regi ethnico, non autem illis fas esse magistratus gerere, & Regna possidere; nam dato, & non concesso, in scriptura noui testamenti expresè non haberi, in Ecclesia futuros esse Reges, & Magistratum politicum, quod mirum esse non debet, cùm Christus nõ venerit ad instituendum Regnum politicum, sed Regnum spirituale, & cęleste; & hoc Apostoli prædicarunt, non destruentes, sed relinquẽtes politicũ, vt antea erat: Nihilominus asserimus, euidenter id colligi ex adductis testimonijs, immo in illis id ipsũ, vt certũ supponi. Si .n. Christianis licet subesse Regi ethnico; cur nõ potius Regi Christiano? & si licet Christiano subesse, cur non præesse? subesse .n. magis videtur contra libertatẽ Euangelicam, quã præesse.

Diluitur quædam aduersariorũ responsio ad prædicta scripturæ loca.

VERVM euidẽtissimũ testimoniũ S.Pauli afferamus ex 1.ad Cor.6. vbi ne fideles ab infidelibus iudicẽtur, nec sãcti ab iniquis, præcipit Apost. & si Christiani secularia iudicia inuicẽ habuerint, contẽptibiles, qui sũt in Ecclesia, ad iudicandũ illis constituendos esse. Ecce Magistratũ politicum. Irrefragabile est hoc testimoniũ, in quo præfectura iudiciaria, ẽt inter laicos in Eccles. ab Apost. cõstituitur.

TERTIO sicut Christianæ libertati nõ repugnat Ecclesiastica p̃fectura, vel subiectio, vt patet Ioan.21. *Pasce oues meas,* Matt.16.18. & 24. *Quis putas est fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dñs super familiã suã?* ad Rom.12. *Qui præest, in sollicitudine,* ad Hebr.13: *Obedite Præpositis vestris;* ita nec illi repugnat ciuilis, vel politica præfectura, vel subiectio, & sicut Christianus ex eo, ꝙ sit ciuis Ecclesiæ, nõ desinit esse ciuis mundi; ita nec potestas Ecclesiastica abijcit, vel pellit politicam, si recta sit; sed illam complet, & perficit.

PROBATVR idem exẽplis, nam si Principatus secularis & præfectura politica esset mala, nunquã sancti viri illam gessissent. Et omissis exemplis sanctorum Principum veteris testamẽti, vt Melchisedech Regis Salem, Ioseph Patriarchæ,

Sancti viri, qui Principatũ obtinuerunt, & administrarũt, illũ

Y qui

In Ecclesia licitè, & benè retineri demonstrarunt.

qui toti Aegypto vtilissimè pręfuit, Moysis, Iosue, omniũ ferè Iudicum, Dauidis, Salomonis, Ezechiæ, Iosaphat, Iosiæ, Danielis, Mardochæi, Nehemiæ, Machabęorũ, & aliorum; nõ.n. propter imperfectionem status legis Mosaicæ Duces ac Præfecturã hebræi habuerunt, vt hæretici somniant, sed quia id bono regimini maximè conuenit, vt inferius dicemus: erat .n. Resp. Iudæorũ à Deo instituta in suo genere cõpleta. Iam verò alia exẽpla ex nouo testamento afferamus. Ioan. 4. Regulus credidit in Christum, nec tñ præcepit illi Dominus, renunciare Principatui. Actorum 13. Proconsul conuersus ad fidẽ à Paulo, non proinde deposuit magistratum. S. Fabianus Papa recepit Philippum Imperatorem ad pœnitentiam, nec illi imperauit, vt relinqueret imperium, vt cognoscitur ex Historia Eusebij lib. 6. cap. 25. Fatemur in nouo testamento, non esse magnam copiam horum exemplorum, cùm Ecclesia exordium habuerit ab hominibus pauperibus, & vilibus, vt dicitur 1. Cor. 1. idq; Deo sic ordinante; sicut ẽt quòd Ecclesia primis trecentis annis ab Imperatoribus oppugnata fuerit, diuino consilio factum fuit, ne scilicet fauore Principum, dum illa nasceretur, & cresceret, eius inchoatio vel augmentũ opus humanũ censeretur, cũ Ecclesia persecutionibus, & cruciatibus non minuatur, sed crescat, vt D. Leo dixit serm. 1. in natali Apostolorum Petri, & Pauli, in fine. Et ideo benè S. August. in epist. 50. scribit, Deum voluisse primo Ecclesiæ tẽpore impleri illam Prophetiã Psal. 2. *Astiterũt reges terræ, &c.* Deinde sequenti tempore illam aliam. *Et nunc reges intelligite*, sicut re vera impletam videmus in Constantino, & successoribus eius, siquidem videmus, Constantinũ diuinitus edoctum, & vocatum à Deo singulari miraculo, vt Eusebius refert lib. 1. de vita Constantini; at si res mala esset Principatus, quare Christus Constantinũ ad Ecclesiã vocasset? cur tot Imperatores, Reges, Duces, ac Principes Christi fidem amplexati sunt, coronas, & sceptra retinentes? qui ẽt vel sanguine, vt martyres; vel miraculis, ac vitæ sanctimonia tẽporalia diademata decorarũt: sed hęc missa faciamus, cũ ex se res notissima sit; certum est.n. politicam potestatem à Deo esse ẽt in Ecclesia, à quo non nisi res bonæ, & licitæ procedunt, vt S. Aug. diffusissimè probat lib. 4. & 5. de Ciuit. Dei. Hinc sequitur, neq; Regiã potestatem, vel regimen Regium, neq; vllã aliam potestatem laicam legitimam pugnare cum Euangelio, vt optimè Victoria loco cit. & Molina tom. 1. de iust. & iure tract. 2. disput. 27. circa finẽ dixerunt; nihil .n. est in Euangelio, exceptis præceptis fidei, prohibitum, quod naturali iure non prohibeatur; libertas vero Euangelij in eo sita est, quòd à iugo veteris legis, & à seruitute peccati liberati sumus, vt in solutione argumentorum latius dicemus. Nunc autem ad argumenta initio quæstionis posita respondendum est.

Explicantur loca scripturæ ab aduersarijs superius adducta.

AD primum ex testimonijs scripturæ conflatũ dicimus, Christũ in illo loco Matthæi loqui de se ipso, & de viris Ecclesiasticis; quorũ caput cõstituẽdus erat Petrus, de quibus rectissimè dixit, hos obligatos nõ esse ad soluendũ tributũ alicui Principi politico, sed ab hoc onere liberos esse filios Regis, vel per naturã, vt erat ipsemet Christus, ẽt vt homo; vel ex priuilegio, quod tũc, & eò loci in Petro cęteris Ecclesiasticis, qui ẽt filij Regis in sortẽ Domini vocati appellantur, concessit, vt à nobis alibi testimonio S. Hieronymi, & S. August. demonstratum est.

AD locum autem ex 22. Lucæ allatũ, dicimus, Christum ibi instituisse Ecclesiasticũ magistratum, & eum à politico, & præsertim corrupto, distinxisse; nec ibi Regnũ, vel magistratum politicum Christus prohibuit, sed tãtum modum illum superbum regnandi, quo temerè non rarò vtuntur laici.

SIMILITER ad verba Pauli ad Rom. dicimus, Paulũ non excludere alia debita à Christianis persoluenda, cum ipse ibidem dicat, *cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, &c.* in hoc enim maxima pax, & tranquillitas Reipublicæ consistit, & iustitia, & Charitas Christiana conseruatur. Ab hoc autem generali præcepto vnũ excipit Apostolus debitũ, quod insolutũ sẽper manere iubet, nẽpè

mutuæ

mutuæ Charitatis,& amoris,quē debet vnusquisq; ergà proximũ custodire ; hoc autē debitũ Charitatis semper remanet insolutum,qua in re excedit huiusmodi Charitatis debitum omnia alia debita,nempè vt semel solutum,iterũ atq;iterum sit semper soluendum. Hoc debitum Charitatis vocat B. Petrus 1.epist.c.4.ea ratione continuũ; *ante omnia*,inquit,*mutuã in vobismetipsis Charitatē continuã habentes*;& hoc modo Principatus,& præfecturę politicę summopere cōfirmantur, & fouentur in conseruanda iustitia,& pace inter homines, malũ omne prohibendo & beneuolentiã ergà singulos exhibendo. Euangelium .n. perfectionem maximã affert Principibus, & magistratibus,cum præcipiat,& inducat Charitatem proximorum mutuam,quæ plenitudo est omnium legum, & totius iustitię. Verba quoq; eiusdem Apostoli ad Corinth.intelligenda sunt de seruitute,quam homo homini propter hominem tantùm,& non propter Deum exhibet. Vnde paulò antea dixerat ; *seruus vocatus es ? non sit tibi curæ, sed & si potes fieri liber, magis vtere. Qui enim in Dominò vocatus est, seruus libertus est Domini ; similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi, &c.* 1. Petr. 4.

NEC officiunt alia verba eiusdem Pauli ex 2.Corinth.adducta,quoniã per essentiam solus Deus Dominus est,hoc.n. nomen propriè acceptum soli Deo conuenit,qui nullius indiget,& omnia mutare,& ad nihilũ deducere potest, vt dicit Aug.lib.8. de Gen. c. 11. nec propterea tolluntur Reges, & Principes, qui per participationem Dñi sunt,& potius ministri Dei,quàm Domini appellandi;quod ēt Cæsar Augustus intellexit,teste Tertulliano in Apologetico c.34. neq; .n. vnquam voluit,se Dominum appellari,cum cognosceret,hunc titulum soli Deo conuenire;cuius contrarium arroganter Domitianus fecit,qui in Amphitheatro sibi acclamari optabat,Domino,& Dominæ fęliciter; iuberetque de se scribi,Dominus,& Deus noster sic fieri iubet, vt Suetonius refert: & ex his patet etiam, quid sit dicendum ad alia loca scripturæ, quæ videntur facere contra nos. Locus Pauli 2. Cor.8.vbi vnus tantum Dominus esse dicitur, explicatur.

AD primã rationē dicimus,ꝙ subiectio seruilis cępit quidem post peccatum Adæ, Principatus tamen politicus fuisset ēt in statu innocentiæ;nec hic libertati humanæ repugnat,sicut nec Angelicæ: Christus aũt liberauit nos à seruitute peccati,& Dęmonis. Mulier verò post peccatum fuit sub potestate viri constituta, inuoluntaria quidem subiectione,& cum tristitia,ac timore, licèt ante peccatum ēt subiecta viro in gubernatione esset,sicut socia in generatione,vt docet S. August.lib.11. Genes.c.37.sic scribens. Neq; .n. & ante peccatum aliter factam fuisse decet credere mulierem,nisi vt vir ei dominaretur,& ad eum ipsa seruiendo conuerteretur; sed rectè accipi potest,hanc seruitutem significatam, quæ cuiusdam conditionis est potius,quàm electionis. Et ad illud ex Genes. de Cain, negamus,Principatum politicum cępisse à Cain, quando cępit ædificare materialem Ciuitatem,vt ex superioribus patet. Soluuntur argumenta hęreticorum. S. Augustinus.

AD secundam respondemus,quòd licèt status legis Mosaicæ fuerit imperfectus,non ob id asserendum est indiguisse magistratibus, ac Rectoribus; sed quoniam id expedit multitudini,quæcunq; illa sit,siue Iudaica, siue gentilis; & sic conuenit Christiano statui, cũ vnctio in primis doceat necessarium esse Rectorem habere: nec satis est omnia scire,sed oportet multa facere,parare,& exhibere,quæ nō possumus sine aliorũ auxilio. Adde,nunquã homines fuisse sine Rectore, nec sine Ciuitatibus more ferarũ vixisse,vt perperã Cicero dixit 1. de inuēt. Etiã in statu legis Mosaicæ debuit esse magistratus politicus propter bonum multitudinis.

AD tertiam negari quoq; debet, politicã potestatē non esse à Deo introductam,vt dictũ est;& exēpla malorum Principũ nō conuincunt, malum esse Principatũ,sed probant,& ostendunt abusum illorum Principũ,qui rebus bonis malè vtuntur. Adde ꝙ Principes mali sæpè plus prosunt Reip. quã obsint, vt patet in Saule, Salomone, & alijs:& licèt inueniantur in script.multi mali Principes, vt Cain,Nebroth,Ninus,Pharao,Saul,Hieroboã,& alij;multa tamen exempla bo- Qua ratione Regna omnia sunt à Deo.

norum Principum ēt in veteri testamento adduci possent, vt Adam, Noè, Abrahã, Isaac, Iacob, Ioseph, Moysis, Iosue, & aliorum. Regna verò sæpissimè, & iusta sunt, & iniusta, & à Deo, & non à Deo, frequenter.n. ex parte ipsorũ occupantiũ, & inuadentiũ Regna sunt latrocinia, & iniusta, & cõsequenter nõ à Deo. Ex parte tamen Diuinæ prouidẽtiæ, quæ vtitur mala intentione hominũ, & illam ad bonos fines ordinat, Regna illa sunt legitima, & iusta; solet.n. Deus permittere, nonnullos iniustè, & per violentiam Dominia acquirere, vt ipsis ēt ignorantibus vtatur ad id, quod iustissimè fieri vult; sic Salmanasar, Nabuchodonosor, & Sennacherib peruerso animo occupauerunt regionẽ Israel, quorũ opera illis inscijs Deus vsus est ad ipsos Israelitas puniendos: lege de hac re S. Aug. lib. de gratia, & libero arbitrio c. 20. & 21. & Vgonẽ Victorinum lib. 1. de sacram. p. 1. cap. 29. Hac ēt ratione Romani monarchiam gloriæ cupiditate quærebant, vt docet S. Aug. lib. 5. de Ciuit. Dei c. 12. quã Deus illis concessit, tùm vt redderet mercedem bonis eorum operibus moralibus, vt idem August. scribit lib. 5. de Ciuit. Dei c. 15. tum ēt vt per vnionem omnium gentium sub vno Principatu via sterneretur Euangelicæ prædicationi, vt B. Leo docet ser. 1. de SS. Petro, & Paulo. De hac re habes luculentissimum testimonium scripturæ apud Isai. c. 10. vbi sic legitur. *Assur virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea, ad gentẽ fallacẽ mittam eũ, & contra populũ furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat prædã, & ponam illũ in conculcationem, quasi lutum platearũ, ipse autem non sic arbitrabitur; & cor eius non ita existimabit, &c.* Idem habetur apud eundem Isaiam 45. Hieremiam 27. Ezech. 29.

Isaiæ 10.

S. August. non negat ciuile ac politicũ regimẽ ex eo quod homo creatus sit liber.

AD verba S. August. ab aduersarijs adducta iam ex dictis patet responsio, non.n. homo piscibus maris, volatilibus cęli, alijsq; animãtibus dominari debuit, nisi Principatu despotico, qui repugnat libertati; at Principatu politico, qui libertati nõ repugnat, cæteris hominibus dominatus fuisset; nec libertas huic politicæ subiectioni aduersatur, sed solũ despoticæ, quæ est vera, & propria seruitus.

Explicãtur verba S. Gregorij supra pro aduersarijs allata.

AD verba S. Gregorij dicimus, illum nõ loqui simpliciter de Principatu politico, sed mixto cum metu, tristitia, & timore, quæ per peccatum introducta sunt; & licèt homines per peccatum sint inæquales quantùm ad sapientiam, vel gratiam, sunt tamen æquales ēt post peccatũ in essentia, & specie humana; ex qua æqualitate rectè colligitur, vnum alteri dominari non debere despoticè, sed solùm vnum ab altero regi debere politicè. Ipsa autem diuersitas, quæ ex vitio accessit, facit etiam vt vnus alteri dominetur, cum terrore minando, & puniendo, quod in statu innocentiæ non fuisset.

Secularis Magistratus nõ habet infallibilem assistentiam Sp. S.

NEC ex eo quis existimet, politicam potestatem esse licitam, vt aliqui autumant, quòd Princeps, seu magistratus infallibilem habeat à Deo assistentiam ad politicè regendum populum: stulta quippe hæc est, & fagax imaginatio, ad fallendum homines inuenta; hæc.n. Spiritus S. assistentia infallibiliter ei soli competit, cui à Christo promissa fuit, hoc est Petro, eiusq; successoribus, Luc. 22. & Matth. vlt. est.n. Pontificia auctoritas infallibilis, indeficiens, inconcussa, ac firmissima in rebus fidei definiendis; & in moribus, ac ritibus vniuersalibus Ecclesiæ decernẽdis, vt in Concilio Chalcedonensi in epist. Leonis posita in fine actionis tertiæ, in 6. Synodo actione 18. Concilio Tolet. 3. ferè in principio, & sæpe in Concil. Trident. sess. 24. c. 7. sess. 25. c. 21. & alibi. Vnde egregiè Greg. de Valentia tomo 3. q. 1. de obiecto fidei parte 7. §. 40. hæc scripsit. Ceterum quoniam Pastorem suum semper audire tenetur Ecclesia, & Ecclesiam diuina scriptura absolutè predicat esse columnam, & firmamentum veritatis 1. ad Timoth. 3. ideoq; nunquam errare tota potest, dubium esse non debet, quin in alijs rebus asserendis, quę ad pietatem spectent, & Ecclesiam totam concernãt, infallibilis sit Pontificis auctoritas. Nec sanè arbitror, hoc absq; errore negari posse,

[illegible] infallibili sũ Pontificis auctoritate in rebus fidei, & moribus.

posse: hæc ille. Promissa quoq; fuit Ecclesiæ vniuersali congregatæ cum suo capite Matth. 18. neq; enim ante confirmationem summi Pontificis Concilia etiam generalia quæcumq; illa sint infallibilem habent authoritatem, vt doctè scribit Card. Bellarminus lib. 2. de Conciliorum auctorit. cap. 11. & licèt seculares magistratus humana voluntate leges ferant, iudicia decernant, & varias in regimine populorum sanctiones faciant, quod non sine vniuersali Dei prouidentia efficitur, nullo tamen pacto concedendum est, illos habere assistentiam infallibilem Spiritus Sancti in huiusmodi rebus agendis, qualē habet Ecclesia Catholica in Romano Pontifice, etenim in Ecclesia Christi necessaria est in singulis rebus fidei definiendis, & moribus, seu ritibus, vniuersalibus stabiliendis ea Spiritus Sancti assistentia infallibilis, voluntatem, & mentem summi Pontificis dirigens, itaut nec falli, nec fallere possit: lege eundem Gregorium de Valentia 2. 2. q. 1. de obie. fidei par. 7. q. 1. 2. & 3. & eundem Bellarminum in tract. de verbo Dei. Atq; hæc est prouidentia quædā Dei particularis, quæ soli Petro promissa est, seù Ecclesiæ in eius capite. Lege Innocentiū Papā apud Grat. dist. 20. can. de quibus, Cęlestinum in epist. ad Ephesinū Conc. primū, Cyrillū in expositione Symboli Niceni, circa principiū, & Turrecrematā lib. 2. sūmæ c. 114. Vnde S. Bernard. lib. 2. de consid. ad Eug. Papā, loquens de excellentia potestatis Pontificiæ ait. Quis es? Sacerdos Magnus, sūmus Pontifex, tu Princeps Episcoporū, tu hæres Apostolorū, tu primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abrahā, ordine Melchisedech, dignitate Aarō, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus. Hactenus Bernard. Has autē omnes prærogatiuas, & excellentias sortitur sūmus Pontifex nō per sapientiā terrenā, atq; carnalē, sed per sapientiā cœlestem, atq; diuinā, non per lumen naturalē, sed supernaturalem, non per potestatē ab hominibus acceptā, sed à Christo. Politicus aūt Princeps per humanā sapientiam, quæ sæpè passionibus carnis subiecta est, per carnalē prudentiam, quæ non sapit ea, quæ Dei sunt, quærit non quæ sursum, sed quæ super terram sunt. Et quamuis Deus affluenter omnibus diligentibus eū, & in fide ab eo postulantibus, & nihil hæsitantibus sapientiā largiatur, vt dicit S. Iacobus in sua Canonica c. 1. nihilominus certā, & infallibilē regulā fidei, ac morū, qui cōmunitatē Ecclesię concernūt, per certā Spirit. S. assistentiā soli Pontifici Romano cōpetere, necessariò affirmādū est, nec iudiciū Pōtificis ex cathedra docentis, vllo modo errori obnoxiū esse potest, cū proferatur, assistente; & gubernante Spiritu S. qui in scripturis sacris promisit, & instituit Petrū errare nō posse. Luc. 22. *Rogaui pro te, vt nō deficiat fides tua*, & Actor. 15. *Visum est spiritui Sācto, & nobis.* Et licet Principibus secularibus fas sit leges ferre ad bonū, & tranquillum statum Reipublicæ directas, quibus subditi tenentur obedire, id tamen intelligendū est de legibus iustis, & præceptis honestis, quæ diuinæ legi, & mandatis Christi, atq; Ecclesiæ ordinationibus nequaquā sunt cōtraria, quia iniusta, & aduersantia diuinæ, & Ecclesiasticæ legi, non ligant subditos; cū Deo oporteat magis obedire, quā hominibus; & adde ꝙ particularia, & indiuidua præcepta, vel leges diuino iure non condunt Principes, vel magistratus; cū illa in scripturis non habeantur, nec diuina aliqua traditione, sed ex mero humano sensu, atq; iudicio, & voluntate, quæ errare potest, proficiscuntur, dixit. n. Deus Prou. 8. *Per me conditores legū iusta* (non iniusta, nec Deo contraria) *decernunt*; iniusta. n. nō sunt à Deo, sed à Diabolo; qui est Pater omnis superbiæ, & iniustitiæ. *Per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiā*, iniustitiā vero, hoc est iniusta decreta interdū decernunt, non Deo inspirante, à quo nō nisi bona procedunt; sed Diabolo suadente, & propria superbia illos cōtra Catholicā fidē, & Romanam Sedem impellente; huiusmodi decreta sūt Anglicana, in quibus primatū Reges sibi vendicant in spiritualibus, cōtra verbū Christi, qui dixit Petro Ioannis vlt. *pasce oues meas,*

S. Bernardus.

Qua ratione leges Principum vim habeat obligandi.

Prouerb. 8.

meas, & Matth. 16. *Tibi dabo claues Regi Cælorum*: nec non aliorum Principum, qui Edictis iurisdictionem spiritualem à Christo Ecclesiæ traditam deprimunt, vel restringunt: sed de hac re fusius suo loco.

DESVDANT autem Pseudotheologi, vt persuadeant populis hanc Spiritus S. assistentiam in Principe politico, vt facilius illius præceptis, ac legibus iniquis, & iniustis obediant, & Pontificis Romani decretis, & ordinationibus alacriter resistant; sed impius, & inanis est eorum labor, & nullum præualet consilium contra Dominum.

QVAESTIO SEXTA.

An iurisdictio, seu Dominium in impijs esse possit.

Error existimātiū eos, qui sunt in peccato morali, nullius dominij capaces esse.

ARMACANVS lib. 10. quæstionum Armenicarum cap. 4. & in Dialogo inscripto, Defensorium pacis; in eo errore versatur, vt titulum seu fundamētum dominij præcipuè Iurisdictionis, potestatis videlicet Ciuilis, & Ecclesiasticæ, gratiā Dei, seu charitatem esse censeat, cunctosq; titulos dominiorum adeo in hoc fundari existimat, vt eos, qui iustitia, & amicitia Dei carent, nullius dominij esse capaces; quinimmo peccato mortali comisso, illos continuo potestatem ciuilem, & Ecclesiasticam ammittere, affirmet. Eundem errorē professi sunt Ioan. Vuicleph, & Ioānes Huss, vt patet ex Concilio Constant. sess. 8. & 15. quos omnes egregiè refellit Thomas Vualdensis lib. 2. doctrinalis fidei cap. 81. Ante hos eundem errorem docuerūt Apostolici hæretici tempore S. Bernardi, vt ipse refert in serm. 66. in Cantica: immo Conradus, de Contractibus q. 7. eundem errorem ad dominium proprietatis extendit; licèt ipse aliter sentiat. Addunt insani nonnulli, ipsam prædestinationem esse fundamentum potestatis ciuilis, & Ecclesiasticæ. Vtuntur autem ad hanc falsitatem probandam pluribus medijs.

Argumenta ex sacris litteris pro hac sententia.

PRIMO verbis Oseæ cap. 8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui; argentum suum, & aurum suum fecerunt sibi Idola, vt interirent*; en vides, Deum improborum Dominia reprobare; quocirca, 1. Reg. 15. legimus, Saulem propter peccatū fuisse à Deo reiectum, ne super Israel regnaret.

SECVNDO illis verbis Ecclesiastici 10. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias*: non adhæret igitur dominium iniquæ personæ.

Quibusdā rationibus eadē opinio cōfirmatur.

TERTIO idem probant ratione, quoniam non est Dominiū nisi à Deo; & suis hostibus, quales sunt impij, nullo modo dare Dominium Deus credendus est.

QVARTO quoniam impij omnes sua potestate abutuntur, atqui Deum abusus approbare impium est credere, cum sit Deus nolens iniquitates Psalm. 5.

QVINTO quoniam Dominij fundamentum est, hominem factum esse ad imaginem, & similitudinem Dei: igitur qui per peccatum imaginem Dei perdit, amittit quoque potestatem, seu Dominium regendi alios; & si ob crimen læsæ maiestatis humanæ perditur Dominium; cur non etiam ob crimen læsæ maiestatis Diuinæ, idest propter peccatum?

Hæc sententia dānata est ab Ecclesia, & Sāctis Patribus.

FVIT condemnatus hic error ab Ecclesia in Concilio Constantien. sess. 8. & 15. cum exprefsè aduersetur sacræ scripturæ, & præsertim Sap. 6. *Audite ergo Reges, & intelligite, discite Iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multi-*

multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri Regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis.

D. quoque Augustinus lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 21. præclaris verbis hunc errorem confutat. Quæ cum ita sint, inquit, non tribuamus dandi Regni, atque Imperij potestatem, nisi Deo vero, qui dat fœlicitatem in Regno Cœlorum, non nisi solis pijs, regnum verò terrenum & pijs, & impijs, sicut ei placet, cui nihil iniustè placet. Et infrà: Qui dedit, inquit, Mario, ipse & Cæsari, qui Augusto, ipse & Neroni, qui Vespesiano, vel Patri, vel Filio suauissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo, & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse Apostatæ Iuliano: & multa alia in hanc sententiam.

LEGE S. Bernardum loco cit. & Gersonem de vita spirituali lect. 3. Victoriã in relectione de Indis Insulanis à nu. 5. Conradum quęst. 7. citata, Alphõsum à Castro aduersus hæreses, titulo potestas, Molinam tom. 1. de iustitia, & iure tract. 2. disput. 19. & alios. Lege quoque Concilium Tridentinum sess. 7. can. 12. de sacramentis in genere, & sess. 24. can. 10. vbi ex parte eadem veritas definitur.

CONFVTATVR quoque hic error ratione, quoniam fundamentum Dominij non est gratia, sed natura; cum enim homo ad imaginem Dei factus sit, ac proinde ratione, & mente præditus, ideo Dominij, & Imperij capax est, vt colligitur ex 1. capit. Genes. atqui in impijs, & infidelibus, licet gratia careant, natura tamen manet, ac proinde vera Dominia habere possunt. Rationibus eadẽ sententia falsa, & erronea cõuincitur.

ADDE quòd cum gratia, & iustitia sint res occultissimæ, & internæ in anima, omnia Dominia essent incerta, si gratia esset fundamentum Dominiorum; quapropter summa confusio, & perturbatio inter homines esset. Fuit autem hoc callidissimum ingenium hæreticorum, vt liberius cornua aduersus Reges, ac Principes erigerent, excogitare atque docere propter crimina atque peccata læthalia, etiam occulta, Dominia amitti. Certè Saul, dum Dauidem insequeretur, & malus ac peccator esset, Dominij sui iacturam non fecit; immo cum Dauid, vt habetur 1. Regum 24. præcidisset oram chlamydis Saul silenter, percussit cor suum, eo q͂d esset unctus Domini, cum tamen esset Saul in actuali lęthali peccato; multi quoq; alij iniqui Reges, tàm Israel quàm Iudæ, etiam dum in peccatis perseuerarent, Regna, & Dominia non amiserunt, vt patet legenti scripturas.

ARGVMENTA vero Armacani paruo negocio dissoluuntur. In illis verbis Oseæ explicantur causæ, ob quas Populus Israel tradendus erat in captiuitatem, vt exponit ibidem S. Hieronymus; duasq; causas ibi Propheta assignat; vnam quia Iudæi voluerunt habere Regem, eumque Deo inconsulto sibi constituerunt, cum Deus ipse peculiari ratione esset eorum Rex, quod facere fuit graue malum, vt testatus est Samuel 1. Regum 12. ita Cyprianus lib. 1. epist. 3. & 4. Origenes hom. 4. in Iud. Theophylactus, & Theodoretus hunc locum exponunt: alteram, quia fecerunt sibi Idola: non igitur habetur ex verbis Prophetæ, à Deo improbari Reges malos tamquam non veros Reges; sed improbari quòd Iudæi petierint, & voluerint alium Regem quàm Deum; vnde dixit Samueli Dominus, de hac re cum illo expostulans; *Non te abiecerunt, sed me, non regnem super eos.* 1. Regum 8. Driedo lib. 3. de libertate Christiana cap. 9. scribit, Deum eo in loco conqueri, quòd decem tribus elegerint sibi in Regem Roboam, & successores eius, Domino inconsulto, & quòd post Regem ita electum, confecerint sibi vitulos aureos, & argenteos; atque in pœnam horum delictorum minatur Soluuntur argumenta posita p contraria sententia.

tur

tur illis mala omnia, quæ Propheta ibidem enumerat. Nec legitur, reges illos amisisse ius regni statim post admissum peccatum; atq; ita etiam Cyrillus, Ruffinus, Lyranus, aliique ex recentioribus exposuerunt. Quod vero de Saule subditur, nihil aduersus nos facit, neque enim negamus, Deum aliquando in pœnam iustam peccati priuare aliquos Regno, sicut & valetudine ac vita; nec Saul ita deiectus fuit de Regno, quasi aliquo tempore post peccatum non fuerit Rex, sed ita vt in pœnam delicti posteri eius in Regno non succederent, sed ius regendi in eo finiretur. Quocirca nec Dauid fuit vnctus in Regem, vt illico Rex esset, sed vt Sauli in Regno succederet, vnde Dauid semper Saulem tanquam Regem veneratus est, atque vt ei succederet, diem obitus illius expectauit.

AD locum Ecclesiast. dicendum est, non eo ipso, quòd peccant Reges, ius Regni amittere, licet Deus sæpe propter iniustitiam transferat à gente in gentem Regnum, donans etiam victoriam propter peccata Regum eorum inimicis.

Deus interdum permittit malos Principes propter peccata subditorum.

AD tertium respondendum est, etiam inimicis suis Deum benefacere; cum solem suum oriri faciat super bonos, & malos, & pluat super iustos, & iniustos Matth. 5. Origenes hom. 4. in Iud. docet, non semper Principes Populi, & Ecclesiæ Iudices per Dei arbitrium dari, sed prout merita nostra deposcunt. Si mali sunt actus nostri, & operamur malignum in conspectu Domini, dantur nobis principes secundum cor nostrum. Et hoc inquit tibi de scripturis probabo. Audi namque quod Dominus dixit: Fecerunt sibi regem, & non per me, & principem, & non per consilium meum. Et hoc dictum videtur de Saul illo, quem vtique ipse Dominus elegerat, & regem fieri iusserat: sed quoniam non secundum voluntatem Dei, sed secundum peccatoris populi meritum fuerat electus, negat eum cum sua voluntate, vel consilio fuisse constitutum. Tale ergò aliquid intelligamus etiam in Ecclesijs fieri, quia pro meritis populi, aut in verbo, & opere potens à Deo tribuitur rector Ecclesiæ; aut si malignum faciat populus in conspectu Domini, talis Ecclesiæ iudex datur, sub quo famē, & sitim populus patiatur, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Domini. Et Sanctus Gregorius in 1. p. Pastor. cap. 1. cum hæc Prophetæ verba retulisset, inquit; Ex se namque, & non ex arbitrio summi rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus nequaquam diuinitus vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potius quam assequuntur. Vide Cyprianum locis superius indicatis, & Bernardum in sermone de conuersione ad Clericos cap. 27.

impios regnare facit Deus, propter aliquod bonum ipsorũ, vel ad populos puniendos.

AD quartum dico, Deum non approbare abusus, cum iniquitatem, & iniquos odio habeat; nec concedit Regna impijs, vt eis abutantur, sed vel vt sua beneficientia allecti ab iniquitatibus suis conuertantur, vt S. Hieronymus ait in cap. 45. Isaiæ; vel vt quædam benefacta eorum remuneretur, vt docet Sanctus Augustinus lib. 5. de Ciuitat. Dei cap. 15. vel postremò quia nonnunquam peccata populorum id merentur, vt idem Augustinus ait lib. 5. de Ciuitat. Dei capit. 19. ex illo Iob 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*.

Cur ob crimen læsæ maiestatis apud homines dominium amittitur, nō autem apud Deum per mortale peccatum.

AD quintum negatur minor, homo enim dicitur ad imaginem, & similitudinem Dei esse, quatenus per intellectum, & voluntatem libero arbitrio est preditus, quod in eo manet etiam amissa charitate per mortale peccatum, vt definitum est in Concilio Trident. sess. 6. cap. 1. & Can. 5. & apud S. Thomam p. p. q. 83. art. 2. ad 3. quare iure optimo retorqueri potest argumentum in aduersarios. Crimen verò læsæ maiestatis humanæ directè quidem tendit in Principum aut Reipublicæ perniciem; peccata verò læthalia quamuis Deum offendant,

dant, non tamen per ea formaliter intenditur læsio maiestatis diuinæ. Adde quòd nulla est lex statuta, quòd per quodcumque peccatum mortale dominium amittatur; sicut huiusmodi pœna lege positiua humana statuta est in eos, qui crimen læsæ maiestatis humanæ committunt. Quare non est par ratio.

Explicantur verba S. Augustini.

NEC deniq; obstant verba Sancti Augustini lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 21. vbi ait, apud Infideles non posse esse iustitiam, nec iura, nec verum Populum, aut Rempublicam, &c. intelligit enim veram iustitiam, & vera Iura, quæ perducunt ad vitam æternam, sic enim se explicat lib. 5. in Iulianum cap. 3. Interim tu lege S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 10. Neq; huius quæstionis resolutio fauet quicquam impijs, & iniquis Regibus, contra quos lege quæ scribit Isaias. cap. 10. in principio, *Væ qui condunt leges iniquas*. Impiorum enim fœlicitas quęcunque est similis conchæ seu limaci Iob 24. sicut enim limax, seu concha multum Osseæ molis habet, eorum tamen caruncula valde exigua in humorem tota facillimè ad solis præsentiam colliquatur, ita impiorum fœlicitas, quę in dominijs cibis, potibus, & carneis voluptatibus sita est, grauissimis pœnis, & calamitatibus admixta est; & quicquid consolationis, & dulcedinis habet, ad tenuissimum cuiuscunque miseriæ, & supplicij calorem liquescit, & euanescit. Est item impiorum prosperitas similis ceræ, quæ fluit, & non consistit. Psal. 57. *Sicut cera, quæ fluit, auferentur*; & iterum Psal. 67. *sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei*. Item procellæ, quæ facilè dispergitur, & fœno, quod facillimè arescit, Psal. 36. 67. 71. 91. & 102. & Sap. 5. Nebulæ quoq; comparatur, quæ momẽto temporis à sole dissipatur. Arbori itẽ procerissimę, succisæ, & extirpatæ, Isaiæ 10. *Ecce Dominus confringet lagunculam in terrore, & excelsi statura succidentur, & sublimes humiliabuntur, & subuertentur condensa saltus ferro, & libanus cum excelsis cadet*. Spicæ item demessæ Iob 24. *& sicut summitates spicarum conterentur, seu succidentur*; est enim breuissima impiorum lętitia, cum præsentibus rebus tantùm contenti sint, Iob ibidem; *Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent*. Regni autem iustorum limites amplissimi sunt, & ad æternitatis diem vsque aspirantes. Et sicut æstuans tellus, nimiumquè torrida sitienter ebibit niues liquatas, & sicut niualis aqua dulcescit telluri; non aliter sepulchrum, infernus, mors, supplicium auide exorbent impium, expectâtq; tanquam bolum suauissimum, & dulcissimum, sicut Leones illi Babylonici. Daniel. 6. qui impios cum filijs, & vxoribus in lacum missos, rapuerunt auidissimè; scriptum est enim. *Non peruenerunt vsque ad pauimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerũt*; sic etiam sepulchrum, infernus, mors rapiunt impios. Sed hæc fusius prosequi, non ad disputationem, sed ad concionem spectat.

pulchræ similitudines de impiorum fœlicitate in regnis, & alijs bonis huius vitæ.

QVÆ-

QVAESTIO SEPTIMA.

An Principi, vel Magistratui Christiano liceat leges condere, iudicare, punire, bella gerere, & ea, quæ ad Religionem pertinent, tractare.

Melius est, populum legibus, quam Principis arbitrio gubernari.

N hac quæstione demonstrandum est, an ad hæc singula proposita se extendat auctoritas Principis, & Magistratus secularis. Verum antea sciendum est, Populum melius regi legibus, quàm solo Principis arbitrio, vt docet Aristoteles lib. 3. Polit. cap. 11. addens, aliquo modo necessarium esse, multitudinem præscriptis legibus gubernare; id quod etiam multis rationibus omninò persuadetur.

Rationibus optimis legum vtilitas demonstratur.

PRIMO quia iudicium Principis etiam si rectissimum sit, suspicionibus, inuidijs, querelis, maledictis subditorum ferè semper subiectum est; iudicium verò legis nequaquam; quòd certò sciatur, legem neque muneribus, neque obsequio, nec alijs rebus corrumpi posse; igitur, &c.

SECVNDO Quoniã regimen per leges potest longissimo tempore idem perseuerare, ac proinde magis sibi homines cauent ab eius transgressione, cum certam propositam pęnam magis timeant; at hominum iudicia sæpè ex varijs causis mutantur.

TERTIO Quoniam difficilius inueniuntur plures sapientes, quàm vnus vel duo; at gubernatio per leges paucos sapientes requirit, qui semel legem condiderint; gubernatio verò arbitrio boni Principis infinitos bonos Principes, quorum vnus alteri succedat, tractu temporis requirit.

QVARTO Quoniam gubernatio Principis per se ipsum est melior, quàm per Vicarios, at quæ fit sine legibus, necessariò multos Vicarios exposcit, qui singuli secundum suum arbitrium iudicent. Ea verò, quæ fit per leges, censetur à iudicio, & arbitrio Principis proficisci, cum eius decretis, ac legibus iudicetur.

Principes laici habent ius condendi leges, ex S. Augustino.

QVOD autem Princeps, & magistratus politicus possit leges condere, docuit apertissimè S. Augustinus lib. 19. de Ciuit. Dei capit. 17. his verbis. Ciuitas autem cœlestis, vel potius pars eius, quæ in hac peregrinatur mortalitate, & viuit ex fide, etiam ista pace necesse est vtatur, donec ipsa ciuitatis pax necessaria mortalitas transeat. Ac per hoc dum apud terrenam Ciuitatem veluti captiuam vitam suæ peregrinationis agit, iam promissione redemptionis, & spirituali dono, tanquam pignore accepto, legibus terrenæ Ciuitatis, quibus hęc administrantur, quæ sustendandæ mortali vitæ accommodata sunt, obtemperare non dubitat. Et paulò post. Hæc inquit, Cęlestis ciuitas cum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus ciues vocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem, non curans quicquid in moribus, legibus, institutisque diuersum est, quibus pax terrena, vel conquiritur, vel tenetur, nihil eorum rescindens, nec destruens, immò etiam seruans, ac sequens, quod licet diuersum sit in diuersis nationibus, ad vnum tamen, eundemque finem terrenæ pacis intenditur, si religionem, qua vnus summus, & verus Deus colendus docetur, non impedit; hæc ille. Vides legibus, & institutis ac Decretis ciuilibus, quoad mores, ciues in Politica ciuitate gubernari; debent enim homines non solùm vt Christiani, sed etiam vt ciues, & membra Reipublicæ sunt, habere certam aliquam

regulam

regulam suarum actionum humanarũ, per quam dirigantur in societate, cõmercijs, & consuetudine cum alijs hominibus, cum lex naturalis, quæ principia generalia demonstrat, neque ad particularia descendit, non sufficiat; sicut nec lex Euangelica, quæ præcipuè tractat de rebus diuinis, & supernaturalibus. Et quamuis antiquiora sint Regna, quàm leges, vt indicat Iustinus lib. 1. Historiæ affirmans, olim populos sine vllis legibus, solùm Principum arbitrio gubernari solitos, & Liuius lib. 3. scribens, Rempublicam Romanam ad annos 300. sine legibus gubernatã, nihilominus id, vt certum affirmandum est, a legibus, vel sancitis, & scriptis, vel ex arbitrio Principis declaratis rectam gubernationem dependere. Contendit Iosephus in 2. lib. contra Appionem, Moysem fuisse primum, & antiquissimum legislatorem. Euseb. in Chron. & S. August. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 3. docent Phoroneum, qui trecentis annis Moyse fuit antiquior, legum auctorem fuisse; quicquid tamen sit, ante Phoroneum iam constituta esse Regna Syriorum, Argiuorum, Aegyptiorum, & aliorum, constat ex prophanis, & sacris historijs, & illa sine legibus vel saltem sine arbitrio sapientis principis recta fuisse, stultum est cogitare.

Prius fuerũt Regna quã leges, licèt cũ legibus optima semper sit gubernatio.

PRAETEREA si non liceret Principi Christiano, legibus obligare Populum, id esset propter libertatem Christianam; sed hæc non opponitur legi, sed tantum seruituti peccati, lex enim etiam diuina Adamum, qui liber creatus est, obligauit, vt patet Genes. 2. Igitur etiam legibus ciuilibus homo, vt ciuis mundi, stringitur, & ligatur; quoniam lex diuina, & humana, quoad obligationem sunt æquales: vide S. August. de spiritu, & litera cap. 30. Quare S. Bernardus in tract. de præcept. & dispensatione. Siue Deus, inquit, siue homo Vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum, vbi tamen Deo contraria non præcipit homo.

Potestas Principũ condendi leges non tollit Christianã libertatem.

QVOD autem Christianis Magistratibus, & Principibus liceat iudicia ciuilia publica exercere, ex eo patet, quoniam scriptura ferè semper coniungit Regem, & Iudicem, Psal. 2. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terrã*. Isaiæ 33. *Dominus Rex noster, Dominus legifer noster, Dominus Iudex noster*. Hierem. 23. *Regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra*. Sicut igitur non est illicitum Christianis habere Principem, ita nec Iudicem, præsertim, cum tàm in veteri testamento, quàm in nouo Iudicia admittantur, vt patet Deuter. 16. *Iudices, & Magistros constitues in omnibus portis tuis, vt iudicent Populum iusto iudicio*; & 1. Corinth. 6. Apostolus præcipit Corinthijs, vt in illis causis, in quibus non tenebantur necessario adire tribunalia Ethnicorum, constituerent inter se Iudices. Verba autem Matthæi cap. 5. *si quis voluerit tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, relinque illi & pallium*; intelligenda sunt non necessariò, sed secundum animi præparationem semper quidem, actu verò in casu, quo id honor Dei requirit, vt docet S. Augustinus epist. 5. ad Marcellinum. Similiter nec officiunt verba Pauli 1. Corinth. 6. *Iam quidem omninò delictum est in vobis, quòd habetis iudicia inter vos*; non enim hic reprehenduntur iudicia ex parte iudicis, sed ex parte litigantium; & si peccatum esset litigare, non tamen peccatum esset iudicare; iudicia enim finem imponunt litibus, quod est per se bonum: litigia autem appellantur delictum, non quòd in se peccatum contineant, sed quia vt plurimum non vacant peccato, vel ratione finis, quando litigatur ex auaritia; vel ratione medij, vt quando litigatur cum odio, & rancore; vel ratione iniustitiæ, vt quando miscentur doli, & fraudes; vel ratione scandali, vt accidebat Corinthijs, qui cum offendiculo Gentilium litigabant. lege Chrysost. & Ambros. in locum citatum Pauli, & Augustinum in Enchiridion c. 78. & lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 15. & concione 24. in Psal. 118. quamuis Theodoretus verbum illud, delictum, non pec-

Christiani Principes possunt iudicia ciuilia, & publica exercere.

Locus Matth. 5. explicatur.

1. Cor. 6. Qua ratione lites, & iudicia licitè exerceri possint.

peccatum, sed imperfectionem exponat ex Græca Lectione.

In omni lege Principes habēt punien di malefactores.

NEC desunt loca scripturæ, & rationes ad probandum, Christiano Magistratui licere etiam gladio punire perturbatores publicæ quietis, quod etiam exempla in lege naturæ, Mosaica, & Euangelica omninò conuincunt. Est Text. Genes. 9. vbi Deus dicit. *Qui effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*; Chaldaica vertit; qui effuderit sanguinem cum testibus, ex sententia Iudicis fundetur sanguis illius, & Genes. 38. Iudas Patriarcha tanquam Princeps familiæ adiudicauit adulteram ad ignis supplicium; *producite eam*, inquit, *vt comburatur*. In lege Mosis plurima sunt exempla, & præcepta huius rei; vnum adducamus ex Exod. 21. *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur*. In Euāgelio itē Matth. 26. dr̄. *Qui acceperit gladium, gladio peribit*; neque hic Dominus iustam prohibet defensionem, sed quoniam Petrus non tàm se aut Dominum defendere intendebat, quàm iniuriam Domino factam illicitè vlcisci, cum ipse careret publica auctoritate, vt rectè exponunt S. Augustinus tract. 112. in Ioan. & Cyrillus lib. 11. in Ioan. cap. 35. Est etiam apertus locus Pauli ad Rom. 13 *Si male egeris time, non enim sine causa gladium portat, minister enim Dei est*. Si ergò in Ecclesia facinorosi reperiantur, cur gladio contra eos ordinato percuti non poterunt? B. Hieronymus in cap. 22. Hieremiæ; Homicidas, inquit, & sacrilegos, & venenarios punire, non est effusio sanguinis, sed legum ministerium. B. Augustinus lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 21. Quasdam verò, inquit, exceptiones eadem ipsa diuina fecit auctoritas, vt non liceat hominem occidi; sed his exceptis, quos Deus occidi iubet, siue data lege, siue ad personam pro tempore expressa iussione. Non autem ipse occidit, qui ministerium debet iubenti; sicut adminiculum gladius est vtenti; & ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est: non occides, qui Deo auctore bella gesserunt; aut personam gerentes publicę potestatis, secundum eius leges, hoc est iustissimę rationis imperio, sceleratos morte punierunt. Lege quoque S. Hillarium in cap. 26. Matth. Can. 32. & Innocentium primum in epist. 3. ad Exuperium cap. 3. vbi interrogatus, an liceret magistratui gladio animaduertere post baptismum in sontes, respondet omninò licere, spectat enim ad rectum Principem prospicere ad bonum commune, & impedire ne partes, quæ sunt propter totum, illud corrumpant, sed debet amputare membra putrida, ne totum corpus inficiant, & bonum commune pereat.

Gen. 9.

Exod. 21.

Matt. 26.

ad Rom. 13.

S. August.

Nō prehibetur iusta punitio, aut defensio Matt. 5.

NEC obstat quod dicitur Matth. 5. *audistis quia dictum est antiquis, oculū pro oculo, &c.* non enim hic reprehenditur lex illa, nec prohibetur magistratui pœnam talionis infligere; sed prohibetur prauis hominibus, vt erant Pharisęi, desiderium & postulatio vindictæ; sicut cum ibidem dicitur. *Ego autem dico vobis, non resistere malo*; non prohibetur iusta sui defensio, sed repercussio, præcipit enim Christus, ne ferias eum qui te percussit, vt Theophylactus notat: dicitur autem quis ferire, cum ferit, vt noceat, non cum ferit, vt se tueatur; quod etiam dixit Paulus ad Rom. 12. *Non vos defendentes*, hoc est vlciscentes, vt ex Græca lectione cognoscitur. Prohibetur igitur vindicta, quam priuati homines per se exercere volunt, & quam requirunt à Iudice, vel ex appetitu iracundiæ, & odij, vel ex desiderio nocendi inimico.

Bella defensiua licita sunt Principibus.

BELLA verò defensiua, tanquam ex natura sua honesta, & sancta, cuicumque Principi, & Magistratui, seu Reipublicę licita esse certissimum est; lumine enim naturali notissimum est, quòd sicut se habet pars ad partem, ita totum ad totum, & sicut parti, seu particulari fas est se ipsum defendere, etiam cum alterius iniuria, quando aliter fieri non potest; ita multò magis licitum erit Reipublicæ, & Magistratui ab hostibus se defendere, & bellum cum eis inire, ipsosque occidere: nec huiusmodi ius naturale per Euangelicam legem sublatum est,

cum

cum id quod naturale est; non destruatur, sed potius perficiatur per gratiam.

Quomodo licitū sit bellum inferre alteri.

BELLVM item offensiuum ex natura sua licitum quoque est, seruatis tamen quibusdā conditionibus, nimirū si intercedat authoritas legitima excitātis bellum, causa iusta, modus debitus indicendi, & exequendi bellum, ac denique recta intentio mouentis bellum, hoc est pro pace, ac bono publico, & non ad imperium dilatandum. Hoc dictum est contra plures hæreticos, præsertim Oecolampadium, & Lutherum, ac nonnullos alios scriptores, quorum rationes, & errores abundè confutauimus in opere nostro de fuga lib. 3. q. 2. neq; est opus hic ea repetere.

Non debent seculares Principes se ingerere ad iudicandum de Religione.

QVOD autem sit officium Magistratus politici, vel potestatis secularis, etiam supremæ, in causa Religionis, & an ad illum pertineat ea, quæ sunt religionis, tractare, vel iudicare, facilis est responsio, & negatiua. Quoniam regimen Ecclesiæ non fuit commissum à Christo Tiberio Cesari, eiusq; Præfectis, reliquisq; Imperatoribus, sed solum Petro eiusq; successoribus, & Episcopis, Ioan. 21. Matth. 16. & 18. Ecclesia quoq; per trecentos ferè annos sine vllis Christianis Regibus, excepto Philippo, qui paucissimo tempore imperauit; & Lucio Rege Britannorum, & Donaldo Rege Scotorum, à solis Episcopis, & presbiteris optimè gubernata fuit. Adde, quòd Imperatores, & Reges Christiani, vt sunt ciues mundi, habent quidem primum locum inter Christianos; at verò, vt sunt membra Ecclesiæ, & in corpore Ecclesiastico, vltimum locum tenent, cum sint laici: primum enim locum habent summus Pontifex, & Episcopi, secundum Presbiteri, tertium Diaconi, quartum Subdiaconi, quintum alij ministri Ecclesiastici, vltimum laici, inter quos etiam Reges, & Principes connumeranrur. Quare S. Chrysost. Hom. 83. in Matth. cuius etiam hæc verba supra retulimus, de Diaconis sic loquitur. Si Dux quispiam, si Consul ipse, si is, qui diademate ornatur, indignè adeat, cohibe, & coerce, maiorem tu illo habes potestatem. Et Gelasius in epist. ad Anast. Imperatorem, Nosti, inquit, fili clementissime, quòd licèt præsideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expectas, inque sumendis cęlestibus Sacramentis, eisque vt competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine, potius quam præesse: Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem; hæc ille. Quocirca in die Parasceues omnes delationes, quæ aliàs honoris causa ab Ecclesia fiunt erga laicos, ob lugubrem memoriam passionis Christi, cessant. Reges ac Principes, omnesque laici post omnes Clericos, etiam ordinum minorum, procedunt ad adorandam Crucem.

Iudicare de sacra scriptura, de fide, de missione ministrorum Ecclesiæ, de visitatoribus Regularium &c. non spectat ad Principes seculares.

NON igitur magistratuum, & Principum partes sunt, sacram scripturam iudicare, seu de ea iudicium proferre, & de vero sensu illius decernere, vel determinare; hæreses, atque errores circa fidem refellere, quod proprium est Romani Pontificis, cui sunt datæ claues scientiæ, & potestatis Regni Cęlorum Matth. 16. & Ioan. vltimò. Vide Bellarm. lib. 3. de verbo Dei c. 10. Similiter nec ad magistratum, vel populum pertinet ius habere ordinandi, seu uocandi, & mittendi ministros Ecclesiæ; Christus enim auctor omnis Ecclesiasticæ Iurisdictionis nihil tale illis unquam tribuit, sed Petro hanc contulit potestatem Ioan. 20. *Ecce ego mitto vos*, & 21. *Pasce oues meas.* Act. 14. Paulus, & Barnabas, Episcopi, & Apostoli constituebant per ciuitates presbiteros, ad Tit. 1. *Huius rei gratia*, inquit Paulus, *reliqui te Cretæ, vt cōstituas per Ciuitates presbiteros, sicut ego constitui tibi*, & Act. 6. Apostoli elegerunt Diaconos. Neq; ēt ad magistratū seculare pertinet visitatores Religionum eligere, vel cōfirmare, eorū iurisdictiones recognoscere, uel illos

ne officij sui partes exequantur, impedire; cum enim origo potestatis eorum non à magistratu, sed à Papa dependeat, illi, qui sunt Papa inferiores, huiusmodi Iurisdictionem impedire non possunt, nisi de mandato Papæ id faciant.

SANCTVS Ambrosius in epist. 33. contra Imperatorem Valentinianum, (& multò magis contra alios magistratus) sic loquitur. Noli te grauare, Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina sunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere; scriptum est. Date quæ sunt Dei Deo, quæ Cæsaris sunt Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ.

ET Hosius Cordubensis Episcopus apud Athanasium in epist. ad solitariam vitam agentes, sic scribit. Ne te misceas Imperator rebus Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus Imperium cōmisit, nobis quę sunt Ecclesiæ concredidit, & quemadmodum qui Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ, ita & tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo. Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum, & sacrorum potestatem habes Imperator. Hæc quidem ob curam tuæ salutis scribo. Et iterum indignè ferens Athanasius, Constantij Arriani Imperatoris arrogantiam, de causis Ecclesiasticis cognoscere volentis, illum Antichristum vocat in eadem epist. Quid hic, ait, quod Antichristi sit, omisit? Si quidem iam denuò in locum Ecclesiasticæ cognitionis suum Palatium tribunal earum causarum constituit, seque earum litium summum Principem, & auctorem facit. Et paulò post. Quis videns eum in discernendo Principem se facere Episcoporum, & præsidere iudicijs Ecclesiasticis, non meritò dicat, illum eam ipsam abominationem desolationis esse, quæ à Daniele prædicta est? Nam cum circumamictus sit Christianismo, & in loca sancta penetret, & inibi consistens deuastet Ecclesias, abrogans Canones, vi cogens, vt sua obtineant; quis inquam audebit dicere, hoc tempus Christianis pacatum esse, & non potius esse persecutionem à Daniele prædictam? Hæc Athanasius suo tempore dixit. Quanto hodie plura, & acerbiora diceret, si conspiceret, Magistratum secularem facere se superiorem Episcopis, ac Iudicijs Ecclesiasticis propria auctoritate præsidere? Audiant Gregorium Magnum Papam lib. 5. cap. 21. Scimus, inquit, pijssimos Dominos disciplinam diligere, ordinem seruare, Canones venerari, & se sacerdotalibus negocijs non miscere.

S Gregorius.

QVARE merito in Concilio Mileuitano can. 13. & Matisconensi, can. 8. Clerici grauiter puniuntur, si causam Ecclesiæ ad Imperatoris terreni iudicium deferant. Et Seuerus Sulpitius in lib. 2. Sacræ Historiæ refert, Sanctum Martinum aliquando exclamasse, nouum esse, & inauditum nefas, vt causam Ecclesiæ Iudex seculi iudicaret. Item Sanctus Ambrosius in Epist. 78. ad Theophilum, & S. August. in Epist. 165. reprehendunt eos, qui causas Ecclesiæ terrenis Iudicibus iudicandas exponunt, quemadmodum Donatistæ agebant. Lege Iustinianum Seniorem Imperatorem idem affirmantē, nouella 83. Optatus Mileuitanus lib. 1. contra Parmenianum refert, Constantinum Magnum, cum Donatistæ nō cōtenti Episcopali iudicio, ad ipsum cām Ecclesię detulissent, ita exclamasse. O rabida furoris audacia, sicut in causis Gentiliū fieri solet, appellationem interposuerunt. Quod ēt testatur S. Aug. in dicta epist. 165. Constantinus, inquit, non est ausus de causa Episcopi iudicare. Sozomenus item lib. 6. Hist. cap. 7. scribit, Valentinianum Seniorem Imperatorem hęc dixisse, Mihi, qui sum in sorte plebis, fas non est talia negocia (videlicet Ecclesiastica) perscrutari, Sacerdotes, quorum ista curæ sunt, inter se ipsos quocunque voluerint loco conueniant. Theodosius Iunior Imperator in Epist. ad Synodum Ephesinam, illicitum, inquit, est illum, qui non sit ex ordine sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis im-

Clerici ad secularia iudicia cōfugientes puniēdi sunt.

Imperatorū testimonia ꝓ Ecclesię iurisdictione.

immisceri tractatibus. Basilius quoque Imperator oratione habita in octaua Synodo: Hæc, inquit, inuestigare, & quærere Patriarcharum, Episcoporum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui soluendi, qui ligandi potestatem habent, qui Ecclesiasticas adepti sunt claues; non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui egemus. Gratianus distinctione decimanona Can. 3. ex capitulis Caroli Magni Imperatoris, quod etiam legitur in Concilio Triburiensi, capitulo trigesimo, refert hæc Imperatoris verba: In memoriam Beati Petri Apostoli, honoremus Sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem, vt quæ nobis Sacerdotalis Mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ Magistra rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, vt licèt vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus. Aurea sunt hæc Caroli Magni verba, & planè omni admiratione, & imitatione dignissima. Addendum est testimonium Regis Theodorici, qui licèt esset Hæreticus Arrianus, tamen in Synodo quarta sub Symacho Pontifice Romano hæc protulit: Ad hæc Serenissimus Rex taliter, Deo adspirante, respondit, in Synodi esse arbitrio in tanto negocio sequenda præscribere; neque aliquid ad se præter reuerentiam de Ecclesiasticis negotijs pertinere.

Sacrorum Conciliorum auctoritas non à Principibus est, sed ab ipso Christo.

NEC Concilia generalia, Prouincialia vel Diæcęsana emendicant auctoritatem definiendi, ac decidendi ea quę ad fidei dogmata, vel mores fidelium spectant, ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, vel à quacunque alia laica potestate, cum illam à Christo habeant sibi promissam Matthæi decimooctauo, *Vbi duo vel tres, &c.* quæ verba ad hoc ipsum ostendendũ adducuntur à Concilio Chalcedonensi in Epistola ad Leonem, & à sexta Synodo actione decimaseptima, & à Cælestino Papa in Epistola ad Concilium Ephesinum, & à Concilio Toletano tertio ferè in principio: quicquid dicat Pighius libro sexto de Ecclesiast. Hierarchia, capitulo primo; & non solum promissam, sed etiam exhibitam, Actorũ decimoquinto, *Visum est Spiritui sancto, & nobis collectis in vnum*; quod etiam promisit Christus Ecclesiæ suæ Matthæi vltimo *Ecce vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consumationem seculi.* Solet autem illos Ecclesia interdum rogare, vt defensionem sacræ Synodi suscipiant, ab illisque petere auxilium brachij secularis, vt videre est in sessione decimaquinta capitulo sexto Concilij Tridentini, prò exequendis decretis Concilij, & pro remouendis impedimentis Hæreticorum, ac impiorum Christianorum, qui suis malis moribus, & exemplis non solum Ecclesiasticam, sed etiam politicam Rempublicam corrumpunt. Hac enim ratione Concilium Arelatense Carolo Magno petente, cum multa in communi statuisset de clericis, & laicis, quæ sine Imperatoris brachio Patres exequi non poterant, eius auxilium implorarunt, decreta huiusmodi materiam concernentia ei præsentantes, eiusque clementiam rogantes, vt si quid in illis deesset, eius prudentia suppleretur, & si quid secus quam ratio habeat, eius iudicio emendaretur, & si quid rationabiliter taxatum esset, eius adiutorio perficeretur. Lege Canones quartum, & quintum eiusdem Concilij, in quibus abusus Laicorum reformantur, qui acceptis muneribus Presbiteros in Parochijs constitutos priuata auctoritate amouere, & eorum loco alios substituere, & introducere tentabant. Lege quoque Canonem duodecimum, & decimum tertium, in quibus agitur de pace inter Episcopos, & Comites; & statuitur, vt Comites, & Iudices obedientes sint Episcopo, & inuicem consentiant ad iustitias faciendas, & munera prò Iudicio non accipiant. Lege item Canonem quintum deci-

Curà Principibus auxilium petere soleant cõcilia.

mum pondera, & mensuræ vbique æqualia sint. Item Canonem vigesimum tertium, ne Comites vel Vicarij, seu Iudices vel centenarij sub mala occasione, vel ingenio res pauperum emant, vel per vim tollant, aut quolibet argumento surripiant; sed si cui aliquid possessionum emendum, aut vendendum sit, id in publico coram Comite, & Iudicibus, & nobilibus Ciuitatum facere debeant. Consilium enim Principis in hisce laicis rebus ritè componendis multum valet, eiusque auctoritas atquè prouidentia in illis desideratur, vt promptius, & sine impedimentis huiusmodi decreta, quę politicas res concernunt, expeditissimè executioni tradantur. Quòd autem Caluinus, & Magdeburgenses, nec non Iacobus modernus Rex Angliç Hæreticus, iactant prima Concilia Generalia ab Imperatoribus, non à Pontificibus indicta fuisse, falsissimum est. Quamuis enim Imperatores partem aliquam in conuocandis seù indicendis prȩfatis Concilijs ob causas paulo post significandas haberent; tamen id nequaquam soli faciebant, nec sine præuia auctoritate Romani Pontificis, quòd sine eius consensu atque sententia nihil prorsus in illis decerni, & ordinari posset. Sic de Concilio primo Nicæno legitur in sexta Synodo act. 12. nimirum, Constantinum, & Siluestrum magnam Synodum apud Nicæam congregasse. Damasus quoque in Pontificali scribit, cum Siluestri consensu habitum esse in Nicæa Concilium, & Ruffinus lib. 10. Hist. capitulo primo, dicit, Constantinum ex sententia sacerdotum Concilium indixisse. Ita quoque refert Theodoretus lib. 5. Historiæ capit. 9. Constantinopolitanum primum Concilium ex mandato Apostolicarum literarum à Theodosio indictum fuisse; immò nec propriè Imperatorem illud indixisse, sed literas Damasi Papæ, quibus Concilium indicebatur, ad Episcopos misisse affirmat: quod etiam testantur Episcopi, qui in eo Concilio interfuerunt, Damaso sic scribentes. Mandato literarum superiore anno à vestra Reuerentia ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter dumtaxat Constantinopolim vsque faciendum nos præparauimus: quare in eadem sexta Synodo act. 18. Patres dixerunt, Theodosium, & Damasum obstitisse Macedonio per secundam Synodum, sicut paulò ante dixerant, Constantinum, & Syluestrum coegisse primam Synodum, vt obsisterent Arrio. Prosper in Chronico, de Ephesino primo Concilio loquens, non obscurè indicat, illud Cyrilli industria, & Cęlestini auctoritate congregatum fuisse; Cyrillus enim tanquam Legatus Sedis Apostolicæ ad Concilium accessit, vt narrat Euagrius lib. 1. capit. 4. & etiam constat ex Epistola Cælestini ad Cyrillum, quæ inter opera Cyrilli habetur, & ex Photio in libro de septem Synodis, quod clarissimum argumentum est, huiusmodi Concilium non sine Papæ auctoritate, & consensu coactum fuisse. Martianus Imperator scribens ad Leonem Papam, rogat Pontificem, vt ad Chalcedonense Concilium veniat ad faciendum Concilium, quòd si venire nolit, per literas significet, quid agendum sit: ità habetur in Epistola eiusdem Imperatoris, quę præfigitur Concilio Chalcedonensi, in cuius fine concludit Imperator, se scripturum ad omnes Episcopos, vt ad certum locum conueniant: Et quæ Christianorum, inquit, religioni, atque Catholicæ fidei prosint, sicut sanctitas tua secundum Ecclesiasticas regulas definiuit, sua dispositione declarent. Hoc idem testantur Episcopi secundę Mesię in Epistola ad Leonem Imperatorem, vbi sic loquuntur, In Chalcedonensium Ciuitate multi sancti Episcopi conuenerunt per iussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput est Episcoporum; quod etiam indicauit Gelasius in Epistola ad Episcopos Dardaniæ dicés, Excludédo alias Sedes Episcopales, solam

Falsum est generalia Concilia ab Imperatoribus indicta, & congregata fuisse.

solam Apostolicam Sedem sua auctoritate decreuisse, vt fieret Synodus Chalcedonensis, quod re ipsa effectum fuit, cum ope tamen pij Imperatoris Martiani. Sardicense quoque Concilium à Iulio Papa indictum fuisse cognoscitur ex Socrate lib.2.cap.16. vbi dicit, Orientales Episcopos culpam absentiæ suæ à Sardicensi Concilio in Iulium Episcopum Romanum contulisse, eo quòd nimis angustum tempus præscriptum esset. Ex quò apparet, non ab Imperatore solo, sed etiam à Iulio Pontifice, & ab eo potissimum Concilium indictum fuisse.

QVAMVIS autem nullo vnquam tempore Concilia, vt dictum est, auctoritatem habuerint ab Imperatore, teste S. Athanasio in Epistola ad solitariam vitam agentes. Quando inquit, iudicium Ecclesiæ ab Imperatore auctoritatem habuit? quicquid in hac re delirent Hæretici; quinque tamen iustissimę causæ afferuntur, quibus ad Concilia cogenda Imperatoris auctoritas ob illorum temporum conditionē requirebatur, vt Sanderus scribit cap.3. lib.2.de visib. Monarch. Prima erat, quoniam lex illa antiqua imperialis, quæ ad seditiones vitandas prohibebat omnia collegia, & frequentes hominum conuentus sine Imperatoris licentia, adhuc tunc vigebat, vt videre est in l. prima ff. de Collegijs illicitis, & l. conuenticula C. de Episcopis, & Presbiteris. Secunda, quoniam Imperatores cum in magna pace orbis terræ imperarent, non poterat Concilium adunari, nisi in aliqua Imperiali Vrbe; quocirca ritè consensus eorū requirebatur. Tertia, quoniam Concilia generalia tunc temporis fiebant publicis sumptibus, præsertim quoad transuectiones Episcoporum ad locum Concilij; immò etiam toto Concilij tempore sumptibus Imperatoris omnes Episcopi viuebant, vt constat ex Eusebio lib. 3. de vita Constantini, & ex Theodoreto lib.2.cap.16. & ex Epistola Constantini Quarti ad Romanum Pontificem, quæ habetur initio sextæ Synodi. Quarta ratio, quoniam Papa tunc temporis, licèt esset caput in spiritualibus etiam ipsius Imperatoris, in temporalibus tamen ab eo dependebat; quo inuito, nihil quod temporalitatem admixtam haberet, exhibere poterat; quocirca eum tanquam Dominum suum temporalem agnoscebat, rogabatquè, vt Synodum generalem respectu illarum rerum temporalium, sine quibus Synodus coadunari non poterat, iuberet conuocari. Ita Leo in Epist.24. & 25.ad Theodosium, in qua non de prouinciali vel speciali, sed de Synodo Generali sermo fit, vt rectè notat Cardinalis Bellarminus libro primo de Concilijs, capitulo decimotertio, contra Nilum, & Illyricum. At elapsis illis temporibus, omnes præfatæ causæ protinùs cessarunt; nec enim illa lex hodie viget, nec Imperator vniuerso Orbi dominatur, nec publicis Ciuitatum sumptibus Concilia celebrantur, nec existunt Gentiles, vel alij, qui impedire possint; & Pontifex, qui est caput in spiritualibus, in temporalibus nemini est subiectus, cum ipse quoquè in suis prouincijs sit Princeps supremus in temporalibus, & in alijs solum iure, & habitu, vt infra dicemus. Quod quidem diuina prouidentia factum est, vt magis liberè Pontificiam potestatem exercere possit. Nec mirum si trecentis primis annis, hoc est ante Constantinum, Generalia Concilia conuocata non fuerint, cum non auctoritas, sed opportunitas deesset; ob nimias enim, & continuas persecutiones Christianis non fas erat ex multis prouincijs in vnum locum conuenire, vt Isidorus notauit lib. 6. Ethymolog. capit. 6. Quod autem addit Pighius, Constantinum primum fuisse, qui ex se ipso conuentum Generalium Conciliorum excogitauit, falsum quoque est; cum consilio, & sententia Sacerdotum id egerit, & in actis Apostolorum habeatur, Apostolos

Afferuntur causæ, cur Ecclesia in Concilijs cōuocandis Imperatorū ope vsa fuerit.

Cōstantinus nō fuit primus qui Cōciliorū generalium conuocationem inuenit cōtra Pighium.

los ipsos Concilium congregasse: conuocare enim Concilia est actus, & executio potestatis à Christo Ecclesiæ traditæ. Mentiuntur igitur Hæretici, dum temerè affirmãt, Concilia Generalia Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense Imperatoris pietati, & prouidentiæ sese in omnibus submisisse.

Card. Turrecr. optimè explicat quomodo ab Imperatoribus dici possint fuisse conuocata Cõcilia.

SVNT hoc in loco recensenda verba Turrecrematæ Cardinalis Doctissimi in dist. 17. *Decreti*, capite Generalia, art. 3, ad secundum. Notandum inquit est, quòd etsi aliquando Imperatoris iussu Episcopi legantur conuenisse, non tamen talium Episcoporum conuentus Concilia vniuersalia veniunt dicenda, nisi fulta essent auctoritate Romani Pontificis, vt apertè colligitur ex capitul. regula. & cap. Concilia, & cap. Hinc etiam, in præsenti distinctione. Aliud enim est præcipere, vt congregentur Prælati ad aliquem locum, quod quandoquè leguntur fecisse Imperatores, & frequenter faciunt Reges in Regnis suis; & aliud est congregare Concilium vniuersale; hoc enim non dicit solùm congregationem Prælatorum ad certum locum, sed authorizationem quandam, siuè influxum auctoritatis ad diffiniendum, disponendum, & ordinandum, cum vi obligandi ad ea, quæ vniuersali Ecclesiæ sunt accommoda, & necessaria; quam auctoritatem Imperatores, siuè Reges dare non possunt, cum de disponendis Ecclesiasticis rebus non habeant facultatem, vt in capit. bene, distinct. 96. Hæc ille: quem etiam legas in capit. mandastis, 2. quæst. 4. vbi idem expressis verbis docet.

Hæretici probare conantur, ius eligẽdi summũ Pontificem esse apud Imperatores.

SOLENT quoquè Hęretici, vt faueant potestati seculari, & detrahant pontificiæ, affirmare ius eligendi Pontificem Maximum inuiolatum, ac certum apud Imperatores mansisse, factum Hadriani Papæ adducentes, qui Carolo Magno huiusmodi ius concessisse legitur in Can. Hadrianus distinct. 63, & factum Leonis Octaui erga Othonem primum, vt in Can. in Synodo, eadem distinctione; factumque Leonis Quarti, qui à Ludouico Imperatore in quibusdam causis ciuilibus Iudices petijt, quorum sententiæ se obtemperaturum promisit.

Obiectiones hęreticorum dissoluuntur, & ostẽditur, falsum esse quod Pôtifex ab Imperatoribus legitimè eligi potuerit.

VERVM hæc omnia à nobis in prima disputatione contra modernos Pseudotheologos dissoluta sunt; & iterum nunc dicimus. Historiam illam de Carolo Magno fictitiam esse, non veram; cum Carolus Imperator post obitum Hadriani regnauerit, hic enim obijt anno salutis 795. Carolus autem imperare cœpit anno Domini 800. vt Eginarthus, & alij tradunt. Nec *Anastasius* Bibliothecarius, qui scripsit accurate vitam, & creationes duodecim Pontificum, qui sibi inuicem post Hadriani primi Pontificatum successerunt; vsquam Caroli, vel successorum eius meminit; sed à solo Clero, & populo Pontifices electos, & creatos fuisse tradit. Gulielmus item Bibliothecarius, qui Anastasio successit, scribens vitam Hadriani secundi, dicit illum à Clero, & populo dumtaxat electum fuisse; additquè legatis Imperatoris, qui tunc Romæ aderant, conquærentibus se ad electionem Pontificis non fuisse inuitatos; responsum fuisse, id ea ratione factum esse, ne legatos Principum in electione Romanorum Pontificum expectandi mos inolesceret: qua ratione accepta, inquit Gulielmus, legati omnem suæ mentis indignationem medullitus sedauere, & ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accesserunt. Huc etiam accedit, nec Carolum, nec eius successores vnquam re ipsa Romanos Pontifices omnino creasse, imò nec ab eis huiusmodi priuilegij vllibi factam fuisse mentionem, sed contrarium ex Caroli capitularibus colligi; etenim lib. 1. cap. 84. & habetur etiam apud Gratianum dist. 63. can. Sacrorum; decernitur liberas esse debere electiones Cleri, & populi.

Carolus Magnus nunquam creauit Romanũ Pontificem.

ij. Et Hadrianus Secundus, in Cõcilio Generali octauo can. 22. prohibuit omnino Principibus, ne se electionibus Episcoporum admisceãt, vt testatur idem Gratianus eadem distinctione, can. nullus. Sed quid? ex can. Hadrianus, quem citant aduersarij, si tamen legitimus est, multæ rationes aduersus illos deducuntur. Si enim Pontifex concessit Imperatori ius, & potestatem eligendi Papam, non igitur propria, & imperiali auctoritate, sed delegata, & accepta à Pontifice id fecit. Præterea, si idem concessit ius eligendi, & instituendi Episcopos, non igitur ipse Imperator gerebat se, vt caput Ecclesiæ in suo dominio, cum non sine priuilegio Romani Pontificis id egerit. Amplius, si Pontifex dignitate Patriciatus Romani Carolum Regem decorauit; erat autem hæc dignitas temporalis, & imperatoriæ proxima; igitur ius magnũ Pontifex in imperio temporali obtinebat, cum ipsos etiam Reges dignitatibus ad Imperium spectantibus ornare, & augere posset. Postremò, si Papa iubet, eos qui contra decretum eius agerent, non solum anathematis vinculo innodari, sed etiam si non resipiscerent, ipsorum bona temporalia publicari; profecto sequitur necessario, Pontificem habere ius non spirituale solum, sed etiam temporale in eos, qui decretis ipsius obedire recusãt. Sed esto, habuerit Imperator huiusmodi ius eligendi, nullum tamen proinde sequitur ius habuisse, nullamq; auctoritatẽ exercere potuisse in Pontificem electum, quamuis enim electores exerceant auctoritatem aliquam in personam designandam, cui Pontificatus dignitas conferenda est; nullam tamen exercere possunt in Pontificem electum, sicut contingit etiam electoribus Imperatoris, & Cardinalibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui quamuis sint electores Pontificis, tamen post electionem ille non subijcitur Cardinalibus, sed Cardinales illi, vt pastori ac Principi subijciuntur.

Aduersariorum argumenta contra ipsosmet faciunt.

Ius eligẽdi Pontificem non tribuit superioritatem in illum.

FACTVM quoq; Leonis Octaui eadem facilitate eluditur; nullus enim summus Pontifex Priuilegium Imperatoribus concessit, vt eligerent Romanum Pontificem, vt accuratè demonstrat Baronius tom. 9. Annalium: & ad summum, Imperatoribus concessum fuit, vt ad tollenda scandala, & perturbationes, quæ frequenter illis temporibus emergebant; & ad schismata comprimenda, quæ tũc vigebant, vel imminebant, electioni summi Pontificis assisterent, ac prǫstò essent, tanquam tranquillitatis Ecclesiæ defensores. Quo etiam nomine illis concesserunt, vt ordinarent Romanam Ecclesiam, quoad temporalem principatum. Lege Turrecrematam distinct. 63. quest. 1. numero 2. Can. Hadrianus, vbi Imperatoribus nec electionem, nec confirmationem propriè summi Pontificis vnquam concessam fuisse optime declarat, sed tantum confirmationem minus propriè dictam, prout sumitur pro robore, quo aliquod factum, aut dictum ex aliorum approbatione roboratur; eo ipso enim quòd Imperatores Papæ electionem approbabant, & recipiebant, sic illam firmabant ac roborabant, certamque demonstrabant, vt Schismatici, & Hæretici contra illam insurgere formidarent: Atq; hæc confirmatio minus propria, non semper ad superiorem, sed quandoq; ad æquales, & inferiores spectat, & sic etiam ad Imperatores spectasse concedi potest.

Nullus Papa cõcessit Imperatori priuilegium eligendi ipsum Papam.

FACTVM vero Leonis Quarti nihil fauet hæreticis, cum Papa spontè sua, non iurisdictioni, vel potestati Imperatoris, sed tantum iudicio discretiuo iudicum ab Imperatore missorũ ad Papæ petitionem pro bono pacis rem commiserit, vt notat S. Thom. 2. 2. art. 1. ad 2. Promisit autem Pontifex se pariturum, quoniam vt ibidem ait Caietanus, Iudicium illud ex suppositione transijt in necessitatem iustitiæ, licèt non transierit in necessitatem potentiæ, cum potuisset commissionem reuocare.

Leo Quartus nullam propriè contulit Imperatori potestatẽ super Pontificẽ.

PROFERVNT quoq; nonnulla alia mendacia ex Imperatorum exemplis petita, qui Romanis Pontificibus suam potestatem abrogasse videntur:

Otho

Otho enim Imperator Ioannem XII. Pontificatu ob varia crimina deiecit. Henricus Tertius Imperator breui temporis spatio Benedictum Nonum, Syluestrum Tertium, Gregorium Sextum synodaliter deposuit.

Imperatores nullum habent vel habuerunt ius deponendi Pontifices: & quod de aliquibus circa hoc refertur, falsũ est.

VERVM hæc facili negocio refelluntur, constanter enim negandum est, vt exprobatis Auctoribus ostendetur, neq; Ioannẽ XII. ab Othone I. neq; Benedictum, Syluestrum, & Gregorium ab Henrico propria, vel imperiali potestate depositos fuisse; cum tantum id procurauerint, vt per Synodum Episcoporum, Ecclesiastica auctoritate deponerentur, vt testatur Rhegino, & alij Historici. Turrecremata in summa de Eccles. lib. 2. cap. 103. refert, in quibusdam Historijs legi, hunc Ioannem non fuisse depositum, sed ad admonitionem Othonis, & Collegij Cardinalium, ac Cleri Romani renunciasse Papatui. Sanderus lib. 7. Monarchiæ, & Maturus in addit. ad B. Antoninum referunt ex probatis Authoribus, præfatum Ioannem à Deo, qui solus summi Iudicis Iudex est, subito in medijs ferè fluctibus ex hac vita sublatum fuisse, fuit enim iste Ioannes inter omnes Pontifices pessimus. Otho Frisingensis lib. 6. cap. 23. vbi Historiam hanc exposuit, modestè taxat Imperatorẽ: Vtrũ, inquit, licitè fecerit, an non, nõ est huius temporis dicere, cum neque id Synodus Episcoporum, etiam Generalis, facere possit, nisi in casu hæresis, quo vitio Ioannes XII. non laborabat; itaq; dicimus, istum Ioannem, vel non fuisse depositum, vel iniustè: ex facto autem malo, vel iniquo nemini ius acquiritur, nec exemplis, præsertim malis, sed legibus stãdum est l. nemo. C. de sent. Henricus verò Tertius Gregorium non deposuit, sed illi persuasit, ut cæderet, cũ simoniace ingressus videretur: illo verò sponte cædente, electus fuit Clemens; ita refert idem Otho Frisingensis lib. 6. cap. 36. Addit præterea Leo Hostiensis, qui eo tempore floruit, lib. 2. Chronici Cassinensis, c. 80 Concilium Episcoporum fuisse coactum, & ab Imperatore inuitatum fuisse Pontificem, vt Synodo præsideret, vt quamuis ipsius Pontificis causa ageretur, ipse tamen summus Iudex esset; ipsum autem grauiter compunctum erratorum veniam postulasse, & se sponte Pontificatu abdicasse. De Benedicto, & Syluestro clarè quoq; testantur Marianus Scotus, & Abbas Vspergensis, Sigebertus, Hermannus Contractus, Platina, & alij à Synodo canonica censura depositos fuisse, cui depositioni spontè illos consensisse fatendum est.

Quidã Imperatores violenter, & tyrannicè aduersus Pontifices iurisdictionẽ vsurparunt.

FACTVM quoq; Constantij adduci posset, dum Liberium Papam in exilium misit, nec non Iustiniani, qui Syluerium pepulit, atq; ẽt Theodorici Regis, qui Ioãnem Primum in carcerẽ coniecit. Atqui Liberium iniustè in exilium missum fuisse, testatur Athanasius in Epistola ad solitariam vitam agentes, & de Syluerio idem refert Liberatus in Breuiario cap. 22. De Ioanne I. B. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 30. Omnibus autem notum est, Constantium, & Theodoricum Arrianos, Iustinianum Euthychianistam fuisse: nec magis mirum est, Principes Hęreticos tyrannico iure deposuisse Pontifices Christianos, quam quòd Ethnici Imperatores eosdem passim interfecerint; non igitur iure, sed tyrannicè, atq; iniustè huiusmodi facta apparent: nec potestas Principum in summos Pontifices metienda est ex eo, quod aliquando fecerunt; sed ex eo quod iustè facere potuerunt. Porrò Gothi Reges, & Græci Imperatores Romanam Ecclesiam diù vexarunt, per annos nimirum ferè ducentos; at vbi Ecclesia suam libertatem obtinuit; per annos nimirum mille quadringentos, omnia tyrannica monstra disparuerunt: meminerint Hæretici quantam, & qualem potestatem exerceant Pontifices in Imperatores ac laicas potestates, non enim laica, & aliena, vel iniusta, sed sua propria, & æquissima potestate, etiam depositionis pœnam à Regno, vel dominio in illos proferunt: cuius rei quam plurima exempla, & apud latinos, & apud Græcos scriptores habentur, quæ nos abundè tum in hoc opere, tum in alijs nostris libris in lucem editis retulimus. Vide Alber-

tum

tum Pighium lib. 5. Hierarch. Eccles. c. 14. & 15. & Cardinalem Bellarm. lib. 4. de Pontifice cap. 13. & in primo libro de translatione Imperij.

NEC iterum valet dicere, in veteri lege Regem iudicasse, & deposuisse Pontificem; Salomon enim 3. Regum 2. deposuit Abiathar, & in eius locum Sadoch constituit; in nouo igitur testaméto pari ratione ad Christianum Imperatoré pertinebit, Christianos Pontifices iudicare. Nó valet inquã, quia Salomon non id egit, vt Rex, sed vt Propheta, & executor diuinæ iustitiæ; subditur .n. in citato secundo capite, amotum fuisse Abiathar à Salomone, vt impleretur sermo Domini, &c. Præter quam quòd etiam dici potest, similitudinem non benè quadrare; in nouo enim testamento summa potestas est spiritualis, cum in eo æternæ, & spirituales promissiones habeantur; in veteri vero potissimum téporales, vt docent Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos, & in epist. ad Dardanum de Terra promissionis, & Augustinus quæst. 33. in librum Numeri, & lib. 19. contra Faustum capit. 31. quocirca mirum non est, si in testamento veteri summa potestas fuerit temporalis, in nouo spiritualis; sed melius dicendum, etiam in testamento veteri fuisse Pontificem Rege maiorem, vt docent Phylo lib. de victimis, Theodoretus quæst. 1. in Leuiticum, & Procopius in 4. cap. Leuit. & deducitur hoc tum ex cap. 27. Num. vbi dicitur, quòd ad verbum Pontificis Eleazari tam Princeps Iosue, quam omnis populus ingredi, & egredi deberet; tùm ex Leuit. 4. vbi quatuor sacrificia instituũtur, ex quorum ordine, & magnitudine colligitur ordo, & dignitas personarum, pro quibus fiebant. Primum erat vituli prò Pontifice. Secundum etiam vituli pro toto populo. Tertium hirci, idest vilius, pro Rege. Quartum capræ pro quolibet priuato. *Si Sacerdos*, legitur in textu Leuit. *qui vnctus est, peccauerit, delinquere faciens populum, offeret prò peccato suo vitulum immaculatum Domino. Quòd si omnis turba filiorum Israel per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini est, & postea intellexerit peccatum, offeret pro peccato suo vitulum. Si peccauerit Princeps, & fecerit vnum è pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, & postea intellexerit peccatum suum: offeret hostiam Domino hircum de capris immaculatum. Quòd si peccauerit anima per ignorantiam de populo terræ, offeret capram immaculatam.* Ecce quatuor sacrificia: ex quibus dignissimum est vitulus, qui tam pro Sacerdote, quàm pro toto populo immolatur. Proximæ autem dignitatis est hircus, quem Rex offerebat: vltimæ sortis est capra, quam priuati offerabant. Hæc scripta sunt de veteri Sacerdote. Maiori igitur ratione noui testamenti Sacerdos vnctus, & consecratus, tanquam Christi minister, in loco primo ante ipsum populum constituitur, cum interim Rex tertio demum loco subsistat, nec multum à priuato in ratione sacrificandi absit. Vnde Iosephus de ijsdem rebus ita scriptum reliquit. Principes quoque, cum pro peccato sacrificant, eadem, quæ plebeij offerunt, hac tantùm differentia, quòd victimas adducunt taurum, & hædum masculum. Quibus verbis Iosephus significat, priuatos vaccam, non taurum, capramque, & non hædum obtulisse. Theodoretus verò de hac eadem re his vtitur verbis: Docet quanta sit Sacerdotij dignitas, quam vniuerso populo parem facit. Principem autem, qui prætergressus fuerit legem aliquam, non vitulum, sed hircum, aut caprum anniculum offerre iubet. Tam procul abest à Sacerdotali dignitate is, cui corporeum Imperium commissum est. Postremo Procopius Gazæus in eundem locum ita scribit. Hinc colligere licet, Sacerdotem esse honoratiorem Principe: & etiam populum maiore dignitate, quàm Principem splendere; quapropter priscis temporibus quidam Reges Sacerdotali dignitate semetipsos ornauerunt. Præterea sine vlla contradictione inquit Apostolus ad Hebr. 7. *quod minus est à meliore benedicitur.*

An in lege veteri Reges ius habuerint iudicandi Pontifices.

Etiam in lege veteri Pontifex erat maior Regibus.

Sacerdotij dignitas ex ordine sacrificiorũ quæ offerebãtur in lege veteri, colligitur. Leuit. 4.

tur. Aaron verò extendens manum ad populum benedixit ei, Leuit. 9. maior igitur erat Aaron, quàm populus, & ideo, vt populus ante Regem, sic Sacerdos vnctus ante populum collocatur. Salomon item non ex Regio, sed ex Prophetico munere, benedixit populo, & Synagogæ Israel 3. Regum 8. quo nomine fuit maior Synagoga. Verum Sacerdotes Christi non ex alieno munere, sed ex officio Sacerdotali benedicunt, tum vniuerso populo, tum multo magis Regi, qui toto populo inferior est, Rex enim populi causa, & ad eius petitionem tantum constituitur.

HIS septem quæstionibus hæc secunda disputatio absoluta sit; sequitur iam tertia disputatio, in qua multæ quæstiones explicantur, quæ ad vsum, praxim, & exercitium iurisdictionis spiritualis, & temporalis pertinent, in quibus decidendis rectum ac sanum iudicium, Deo duce, prosequemur.

†

DISPV-

DISPVTATIO TERTIA.

DE VSV IVRISDICTIONIS Spiritualis, & Temporalis.

QVAESTIO PRIMA.

An Ecclesiæ competat exercitium, seu vsus Iurisdictionis temporalis.

PARS negatiua his rationibus probatur. Primo quoniam Christus Dominus definiens, & explicans in Euangelio actus Iurisdictionis clauium, Ecclesiæ, & Petro collatæ, nullam fecit mentionem actuum Iurisdictionis temporalis; sed tantum soluendi, & ligandi, retinendi, & remittendi; qui sunt actus omnino spiritualis Iurisdictionis, Matth. 18. Ioan. 20. & 21. cum igitur Christus sit fons, & origo omnis Iurisdictionis Ecclesiasticæ; sequitur, Ecclesiæ nullo pacto competere exercitium Iurisdictionis temporalis. Argumenta, ad probandũ, Ecclesię nõ competere vsum temporalis potestatis.

SECVNDO quoniam Pontificium traditum Petro est tantum quoad animas à vinculis peccatorum soluendas, vt dicit Ecclesia in oratione festi Cathedræ Sancti Petri, igitur, &c.

TERTIO quoniam ad potestatem Ecclesiæ, seù Papæ pertinet, subditos in vita spirituali viuificare, & ad diuinum cultum, & religionem ordinare: id autem non fit per actus Iurisdictionis tẽporalis, sed spiritualis, dicitur enim Ioan. 6. *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam*, igitur, &c.

QVARTO quoniam sicut sunt duæ potestates distinctę, ita quoq; actus illarum debent esse distincti, Matth. 22. & sicut Cęsaris partes sunt curare, vt reddantur, quæ sunt Cęsaris, Cæsari, ita Principis Ecclesiastici munus erit curare, vt reddantur, quæ sunt Dei Deo, quod efficitur per spiritualem potestatem tantùm, igitur, &c.

QVINTO quoniam potestas Ecclesiastica est ordinata à Christo ad ædificationem fidelium, & ad eius discipulos promouendos ad perfectionis statum; atqui huiusmodi status excludit omnem rem temporalem, vt dicitur Lucæ 14. *Nisi quis renuntiauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, igitur potestas Ecclesiastica ad temporalia, quibus fideles carere debent, non se extendit; sicut enim filij Leui nihil possidebant decimarum, sed oblationibus tantum contenti erant, Numer. 18. sic Ecclesia exceptis oblationibus, & eleemosinis, nihil aliud ex temporalibus possidere debet.

IN contrarium est, quod legitur Actorum 5. quia Petrus actu, & re ipsa exercuit potestatem temporalem in Ananiam, & Saphyram eius vxorem, vitam corporalem eorum extinguendo, igitur, &c. & Paulus apertè iudicia secularia inter Christianos presbyteris committit 1. ad Corinth. 6. Et Actorum 13. pęna temporali, hoc est cæcitate oculorum, percussit Elymam magum, eo quòd non desisteret subuertere vias Domini rectas; & Petrus gladium materialem è vagina educens, Malcho dexteram aurem amputauit, in vindictam, & defensionem Exempla in sacris literis vsum temporalis potestatis ostẽdentia.

nem

nem Christi. Atq; etiam Paulus in epist. ad Philemonem ait; *sine consilio tuo nihil volui facere, vt ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium*: in quibus verbis insinuat, se habuisse facultatem liberandi seruũ Onesimum a domini potestate, noluisse tamen id facere sine eius consilio, vt meritum inde consequeretur: & iterum Paulus in interitum, & afflictionem corporis tradidit Sathanæ Corinthium, nec non Himeneum, & Alexandrum, etiam vt corporaliter cruciarentur, vt non discerent blasphemare, 1. ad Timot. 1.

IN hac quæstione, antequam ad eius resolutionem descendamus, nonnulla supponenda sunt.

Duobus modis aliqua potestas dici potest temporalis.

PRIMVM est, quòd sicut potestas aliqua potest dici temporalis dupliciter, vel ab efficiente, quia ab hominibus, & per homines temporales, & mortales accepta, tradita, & instituta sit; vel ab obiecto, quia versatur circa res corporales, & temporales; ita quoq; actus alicuius potestatis dupliciter temporalis dici potest; vel quia proficiscitur à potestate temporaliter ab hominibus accepta; vel quia respicit obiectum corporale, seu temporale.

Tripliciter comparari possunt bona temporalia, & spiritualia.

SECVNDVM est, quòd bona temporalia, sicut & spiritualia ad tria comparari, & referri possunt, vel ad causã efficientẽ, à qua producuntur; vel ad finem, ad quem in eorum productione ordinata sunt; vel denique ratione effectuum, in quantum ad operationes aguntur, & mouentur à causa superiori: his igitur suppositis.

Exercitiũ tẽporalis potestatis competit Papæ in Regnis sibi tẽporaliter subiectis, & non in alijs præcisè loquendo.

DICO primo, Ecclesiæ, seu Papæ, vt Papa est, sic præcisè, & formaliter loquendo, non competunt exercitia, & actus Iurisdictionis temporalis primo modo, hoc est, ab hominibus, & per homines acceptæ, nisi in Regnis, quæ donatione ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus, seu alijs iustis titulis humanis obtinuit. Hoc dictum per se notissimum est, nec indiget probatione, sed declaratione ampliori dumtaxat. Omnis enim potestas, quam habet Ecclesia, seu Papa, vt sic, ex Christi institutione manauit, qui est auctor, origo, & fons omnis potestatis Ecclesiasticæ. Nullam autẽ Ecclesia accepit potestatem necessariã ad suum munus exequendum ab hominibus, vel per homines; nec à Principibus, vel per Principes; sed à Deo, & Christo solùm, Matth. 16. 18. Ioan. 20. 21. & Paul. dicebat ad Galath. 1. se esse constitutum Apostolum, non ab hominibus, neq; per hominem. Atq; hoc dictum est de fide; quæcũq; enim potestas ponatur in Papa, vt Papa est, siue sit spiritualis, vt certissimum est, siue ẽt temporalis, vel simpliciter, vel aliquo modo in totum orbem, vt inferius dicemus, à Christo immediatè est, non ab alio; ex diuino iure, non ex humano, vt constat ex vltimo c. Euangelij D. Ioannis.

POTESTATEM autem, & Iurisdictionem temporalem, quam habet, & exercet Ecclesia seu Papa, vt Princeps Politicus, & temporalis, in quibusdam dominijs, Prouincijs, & Regnis, quæ non sine singulari Dei prouidentia possidet, consensu hominum; & per homines accepit, cum dono Principum, seu alio iusto titulo, sicut & Regna ipsa, illam obtineat, vt superius indicauimus.

Multa regna Ecclesiæ Romanæ in tẽporalibus subiecta recensentur.

SIC Regnum Poloniæ esse subiectum summo Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ tributarium constat ex quadam epist. Ioannis XXII. in cuius subiectionis signum annuatim Poloni censum soluebant, qui denarius Sancti Petri appellabatur. Regnum ẽt Saxoniæ à Magno Imperatore Carolo Ecclesiæ Romanæ oblatum fuit, vt testatur Greg. Septimus lib. 8. registri Epist. 23.

REGNVM quoq; Vngariæ à Stephano Rege deuotionis gratia Romanæ Ecclesiæ donatum fuit, vt scribit Gregorius Septimus epist. 13. & Clomerius lib. 3. de rebus Polonorum, & Cartuitius in vita dicti S. Stephani Regis Vngariæ, Hermannus Contractus, in chronico, anno 1038.

DANIÆ Regnum tributarium Romanæ Ecclesiæ esse tradidit Alexander

xander Tertius in epist. ad Sanium Regem Daniorum.

REGNVM quoq; Tusciæ tributum reddidit Sedi Apostolicæ, vt testatur August. Eugubinus lib. 2. contra Laurentium Vallam, & centum libras argenti pro tributo soluebat.

DALMATIÆ, & Croatiæ Regna, vt idem Eugub. testatur, tributa Sedi Apostolicæ persoluebant.

HISPANIÆ Regnum Sedi Apostolicæ fuisse tributarium, colligitur ex Gregorio Septimo lib. 4. Regist. epist. 28.

LVSITANIÆ Regnum ab Alphonso primo Ecclesiæ Romanæ dono concessum fuit, cum obligatione, vt à se, & suis successoribus summa quædam purissimi auri singulis annis eidem solueretur, vt refert Rodericus lib. 2. cap. 6. & clarissimè id constat ex duabus epistolis Innocentij Tertij ad Reginam Portugalliæ filiam Regis Alphonsi.

ARAGONIÆ Regnum Petrus huius nominis primus Rex Aragon. anno 154. fecit Ecclesiæ Romanæ tributarium, cum solutione certi ponderis auri.

REGNA quoq; Suetiæ, & Noruetiæ adeo Romanæ Ecclesiæ subiecta erant, vt quæcunq; domus seu familiæ singulis annis denarium illi soluerent. Ita testatur Eugub. lib. 2. contra Laurent. Vallam.

POLIDORVS Virg. lib. 4. Historiæ Anglicanæ scribit, in Regno Angliæ quācunq; familiam denarium Sedi Romanæ Apostolicæ persoluere. Anno verò Domini 847. Idulphus Rex Angliæ iterum dictum Regnum tributarium Ecclesiæ constituit, statuens, vt singulę familię quolibet anno duos denarios argenteos de cętero Pontifici Romano præberent, quod tributum semper vsq; ad Henricum Octauum solutum fuit. De qua re lege Alexandrum Tertium in epist. ad Guglielmum Regem Angliæ, & Ioannem Regem Angliæ in epist. ad Innocentium Tertium, in qua etiam Regnum Hiberniæ simili tributo subiectum esse voluit, & vltra denarium S. Petri voluit, vt huiusmodi populi mille marcas stirlingorum soluerent, nimirum 700. pro Anglia, & 300. pro Hibernia.

SICILIÆ Regnū fuisse, & esse patrimoniū S. Petri habetur in c. Ad Apost. de sententia, & re iudicata, in sexto: quod deinde à Pipino Rege Franciæ, & Carolo Magno iterum, cum à diuersis Tyrānis vsurparetur, Ecclesiæ Romanę concessum fuit, vt videre est in quadam cōstitutione Ludouici Pij Imperatoris, quæ habetur in Bibliotheca Vaticana. Huiusmodi Regnum Vrbanus Secundus Rogerio Secundo concessit, atq; etiam Ducatum Atrariæ, & Calabriæ, nec non Principatum Capuanum.

CAROLVS Magnus in patrimoniū S. Petri Tusciam concessit, vt videre est in Can. Ego Ludouicus distin. 63. quam concessionem idem Ludouicus confirmauit Paschali Papæ.

TEMPORE Gregorij Secundi circa annum Domini 726. Præfectus Romanus nonnullas terras gubernabat in Etruria.

CAROLVS Magnus Insulam Sardiniæ concessit Ecclesiæ, quam donationem Ludouicus Pius eiusdem Caroli filius confirmauit, vt legitur in constit. Ludouici iam citata. Bonifacius vero Octauus eandem Insulam Iacobo Secundo Regi Aragonię concessit, quod deinde Clemens V. confirmauit.

INSVLA quoq; Corsicæ ab eisdem Ecclesiæ Romanæ concessa fuit, teste Gregorio Septimo in 12. epist. lib. 6. Regist.

PIPINVS Rex Frāciæ donauit Ecclesię vltra Regiones Venetas, Prouinciam Istrię, & Exarchatū, qui, vt refert Sigonius lib. 3. Hist. Regni Italię, cōtinet Bononiā, Rauennā, Imolā, Forumliuium, Fauentiā, Comacchium, Ferrariā, & alia loca: hæc autem donatio facta fuit anno Domini 755. vt Leo Hostiensis in Historia Cassinēsi lib. 1. c. 12. scribit, & eadē fuit confirmata à Carolo Magno, vt re-

fert Anastasius in vita Adriani:in his,& alijs forsan terris Papa iure humano,& vt Princeps tēporalis pōt, & habet ius exercēdi temporalē iurisdictionē, cū in illis directū dominiū habeat,nec illud à Sede Apostolica vnquam abiectum fuerit.

Pontifex Romanus habet supremā potestatē in totū orbē in tēporalibus in ordine ad finem spiritualē.

DICO secundo, Ecclesiæ seu Papæ competere actus iurisdictionis temporalis secundo modo acceptæ,hoc est,illū habere plenissimā,& vniuersalissimā potestatem temporalem obiectiuè, nempè circa temporalia in toto orbe , in ordine ad bonum spirituale. Explico:ex institutione Christi facta in Petro oībus eius successoribus suprema potestas Pontificia continet in se talē vim,& energiā,vt possit circa oīa Regna mundi,& cuncta eius bona tēporalia,actus iurisdictionis temporalis exercere in ordine ad bonū spirituale,nimirū ex causa fidei,religionis, correctionis peccatorū,ēt in foro exteriori,salutis animarū, atq; ēt rōne boni cōmunis: hæc igitur conclusio sic explicata probatur .

Io.vlt.Christus Petro,& successoribus omnem potestatē ad gregem pascendū necessariā concessit.

PRIMO ex verbis Ioan.c.vlt.*Pasce oues meas;*in quibus data est Petro,eiusq; successoribus quælibet necessaria,& vtilis potestas Pastori in oēs oues Christi , siue sint agni,siue agnorū matres,siue arietes,idq;, vt quod infirmū est,consolidet,ꝙ ægrotū sanet, & cōfractū alliget,& quod perierat,quærat . Per verbū verò *pascere*,quod significat,tanquā Pastorem,seu modo pastorali regere,& gubernare gregem,vt alibi exposuimus,intelliguntur oēs actus regendi, plenissimaq; iurisdictio in foro tā interiori,quā exteriori,quæ ad bonū regimen Ecclesiæ necessaria,& expediēs est;siue hi actus fiāt per doctrinā,per præcepta,& leges Ecclesiasticas,per sacramentorū administrationē,per exemplū, per pęnarum inflictionē , siue deniq; per alia oīa media,quæ ad regimen pastorale,& ad pręfecturam gubernationis totius ouilis Christi requiruntur,ēt remouendo impedimenta, & ea quæ prohibent,seu obstant bono regimini spirituali ouiū Christi,& ea quæ ouili Christi repugnāt,vel aduersantur destruendo, ipsumq; ouile Christi ampliando, ac promouendo,hæc .n. oīa significat verbū, *pascere*, vt inquit Aug. in eundem

S.August.

locū Ioannis.Quibus,inquit,oues ipsas pascendas,regendasq; cōmittit. Et Chrysost. in eūdem locum ait, Cū magna Dñs Petro cōmunicasset,orbis terrarum curā demādasset, &c.& Theophylactus in vlt.c.Ioan.Finito,inquit prandio, præfecturā ouiū totius mundi Petro cōmendabat. Poterit igitur summus Pastor nō solum præbere cibū,seu curare,vt pabulū doctrinæ,prædicationis, & sacramentorū ouibus Christi præbeatur,sed ēt circa quascunq; potestates nō solum tēporales,& mundanas, sed ēt diabolicas,& infernales se erigere,& exercere actus punitionis,castigationis,correctionis, maledictionis, destructionis,& ēt ꝑ bella gladiū temporalē,seu alio quocunq; modo contra illas,ad tuendū, defendendū, & promouendum gregem sibi commissum,aliàs potestas sibi concessa nequaquam sufficiens,& completa esset, vt latius q.3. dicemus .

Quatuor Pastoris potestates ad gregem bene pascendum.

SECVNDO,cū quadruplex potestas ad tuēdū gregē cuiq; pastori necessaria sit.Vna circa lupos, qui gregi insidiantur,ad oues deuorandas,vt eos fuget;altera circa arietes furiosos cornibus suis lędentes gregē,vt eos separet, & recludat; tertia circa oues,vt singulis cōueniētia pabula aliaq; necessaria tribuat;quarta, vt remedia curet ad remouenda oīa alia,quæ quomodolibet ouile offendere possēt;necessariò fatēdū est,hanc quadruplicē potestatē ēt Petro ad custodiā sui ouilis,Christū reliquisse.Sicut igit̄ Pontifex sūmus iure pōt hæreticos,qui tanquam lupi Ecclesiā Dei vastāt, arcere per excōmunicationis sententiā , & si Princeps sit ex oue catholico, & Christiano lupus , idest hæreticus factus , iubere populo ne eū sequantur, eumque priuare in subditos dominio, illosque à fidelitatis iuramento absoluere : sic furiosos insuper arietes , idest Principes, qui etsi fideles sint , sunt tamen adeò mali, & iniqui , prophanando sacra , templa vastando , ac religioni nocendo,pōt recludere,& media pęnitentia ad ouium ordinē reducere, vt ouium saluti inuigilare possit,eas prout debet pascendo: sic quoq; pōt

ac debet

ac debet impedimenta offensiua,& obnoxia ouili Christi,ét per temporalium re rum destructionem,quandò hæc illi aduersantur,remouere ; præcipiendo quoq; Regibus,& Principibus Christiani, vt ét armata manu, & indicto bello, Ecclesiam defendant,atq; promoueant:potest .n. Pontifex iubere, ac cogere,vt quilibet Christianus secundũ suum statũ Deo,& Ecclesiæ inseruiat;tenentur aũt Reges Deo seruire,Ecclesiam defendẽdo,puniendoq; hæreticos,& schismaticos, & infideles Ecclesiã molestãtes cõpescẽdo,vt docet Aug.epist.50.ad Bonif.& Leo epist.75. ad Leonẽ Augustum,& Greg.lib.2. epist.61.ad Mauritium. Idem August.in alia epist.194. ad eundem Bonif.Comit.Vtile tibi, tuisq; dabo consiliũ, (quod in casu necessitatis euadit præceptũ) arripe manibus arma , oratio aures pulset auctoris. Et iterum ad eundem:Noli æstimare,neminem Deo placere posse,qui armis bellicis ministrat,in his enim erat Sanctus Dauid, cui Dominus magnum testimonium perhibuit.

S.Augustin. S.Gregor.

DICO tertio,Ecclesiã habere ius,& potestatem prædicandi,& diuulgandi Euangelium omni creaturæ in toto orbe terrarum,Matt.28.& Marci vlt.*Eũtes in mundũ vniuersũ,prædicate Euangeliũ omni creaturæ*; immo quilibet Christianus idem ius habet,vt affirmat Soto in 4.dist.5.q.vnica art.10.Habet igitur Ecclesia seu Papa ius hmõi potestatis,immo ex onere ei à Christo iniuncto, debet procurare in oĩbus regionibus,ét infidelium exerceri prædicationẽ Euangelij , & actu exhiberi cõgruis medijs,& personis adhibitis,cũ ad illum potissimum pertineat cura oĩum ouium Christi,Ioan.20.& nõ solũ earũ,quæ sũt intra,sed ét, quæ sunt extra ouile Ecclesiæ,à fide Christi aberrantes,de quibus Ioan.10.dicitur; *Alias oues habeo,quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere*, scilicet per me, & per meos ministros, & maximè per Papam, ad quẽ maximè pertinet de prædicatione nunc illis prouidere, vt qui voluerint,liberè,non coactè ad fidẽ Christi conuertantur,& vocem eius audiant,vt doctè Roffensis cõtra Lutherum art. 25. dicit.Quòd si recusent,facta eis prius debita monitione,ac præmissa sufficienti diligentia in cohortandis illis ad recipienda,quæ pertinent ad salutem ipsorum,illis; nihilominus recusantibus,vel negligentibus,põt Ecclesia,immo ét alij Principes Christiani,iustũ mouere bellum cõtra illos,præsertim si cum sufficientibus monitionibus sint ét miracula manifesta,cum vita honesta, & secundum legem naturalem studiosa,& bona doctrina, ét per rationes naturales , eorum, qui ad prædicandum missi sunt,itaut vltra infidelitatis peccatum, reddantur culpabiles in non recipienda,& audienda sufficienti prædicatione fidei Christianæ,& conuersione ad Christum;de qua re legendus est Caiet.2.2.q.1.art.4. & Victoria in relectione 1.de Insulanis §.27.& 40. & in 1. relect.de potest.Eccl.art.5.§.5. & nouissimè Ant.Cordub.lib.1.q.Theol.q.57. præsertim si causæ fidei iniuriã inferant,si.n. causæ fidei nulla inferatur iniuria, nõ est vis inferenda,vt recipiant fidem, cum sine baculo, & virga à Christo mittantur Apostoli Luc. 9.

Ecclesia Catholica habet ius prædicandi Euangeliũ Christi per totũ orbem.

Ioan.10.

SI quis aũt Tyrannus,vel Princeps infidelis impediret eandem prædicationẽ,ac minis,& carceribus,alijsq; infestationibus eã diuerteret,tũc iure possumus eius violentiam ét armis propulsare,nisi vbi experimento cõperiremus, scandalũ inde oriri in iniuriã fidei;si.n. hmõi bello prouincialibus scandalum daretur, ita ut odium fidei cõciperent,atq; adeò aduersus illã recrudescerent, cessandum esset,vt benè notat Soto loco cit. Nemo tñ ex infidelibus sola rõne fidei vi armorũ,vel minis,vel terroribus,uel bellis cogendus est,uel ad baptismi fidẽ suscipiendã,vel ad eam audiendã,vt prudenter, ac sapienter Sotus eodẽ loco docet ex S. Th.2.2.q.10.ar.8.& 12.& ex Riccar.in 4.dist.6.ar.3.q.1.& Pal.dist.4.q.4.& Durand.q.6.quicquid dicat Scotus in 4.dist.4.q.9.§. iterũ probat, quoniã Christus nõ solum dedit potestatẽ plãtandi Ecclesiã p prædicationẽ, sed ét regendi: hæc verò includit potestatem non solum faciendi statuta pro salutari regimine, sed etiam cõpescendi hostes, qui illi se opponunt,& illã impugnant. Act.20. *Attẽdite vobis*

Violentia Principum Euangelij prædicationẽ impedietiũ ét armis,& bellis est coercenda citra scandalum.

te vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sãctus posuit Epos regere Ecclesiã Dei.

Regna Christianorũ non sunt purè tẽporalia.

DICO quarto, Christianorum Regna non sunt prorsùs terrena, ac merè secularia, etiam si possideantur à Principibus Christianis secularibus.

HOC dictum prudenter, ac catholicè asseritur à Sandero in lib. 2. de visib. Monar. c. 4. his verbis. Quid? quòd fideliũ Principum regna, quorum populi Deũ timent, non prorsus terrena sunt, aut secularia? Quà n. parte in Christũ crediderunt, de hoc mundo esse quodãmodo desierunt, ac æterni regni mẽbra cœperunt esse. Nã tametsi externa rerũ facies in Regno Christiano sit, quæ in Regnis merè secularibus inuenitur; cũ tamẽ spiritus hominis lõgè potissima eius pars sit, isq; totus Christũ Regem, ac solum Dñm agnoscat; nihil video cur Christiana Regna secundum potiorẽ suã partem spiritualia potius, quam terrena iudicari non debeant. Atq; hæc est causa, cur iã olim, qui populo Dei præfuerunt, à ministris eius, nõ aliter quã Prophetæ, aut Sacerdotes inungi solebant. Fiunt. n. & ipsi Reges ministerij spiritualis aliquo modo participes, quãdo inunguntur; non vt illa faciãt, quę solis sacerdotibus ad hoc ritè consecratis cõmittuntur, sed vt ea, quæ alij Reges tñ ad finem prophanum, & terrenum referũt, isti iã ad sacrum finẽ se dirigere debere meminissent. Nã cũ ipsi facti sint spirituales, par est, vt oĩa sua, velut spiritualia ẽt haberi velint. Iã verò spiritualia oĩa Ecclesię Xp̃i ita subsunt, vt liberè de illis ad totius mistici corporis cõmodum disponere, ac statuere queat. Cum ergò Populus Israel omninò Regem sibi cõcedi postularet, ex iussu Dei Samuel tulit lenticulã, & effudit sup caput Saulis, & deosculatus est eum, & ait: ecce vnxit te Deus super hæreditatẽ suam in Principẽ 1. Reg. 13. Quod perinde mihi significare videtur, ac si dictum esset: Nisi Dñs te vngeret in Principẽ non posses rectè, atq; ordine Princeps esse in populum suum quem instar peculij de toto mundo sibi elegit, & reseruauit. In id quippe, quod est Dei, nullus homo potestatem sibi sumere absq; diuina permissione potest. Dñs autem non per se, verùm per ministrum suum Samuelem Saulem vnxit in Principem. Quapropter quisquis dominatur in populum Christianum (qui nõ minus Deo gratus est, quàm Iudæorum populus fuerat) is præter ius, quod à Deo per cõsensum populi accepit, ẽt à Christo p ministros eius agnoscere suum imperium debet; si tamen is est, qui fidem Christianam colit. Vnde ẽt in hodiernum diem omnes Christiani Reges ab Episcopo aliquo Christiano, aut alio Dei ministro inũgũtur, eò ipso deferentes Principatum suum non modo ad populum, & ita ad Deum; sed præterea per Christi Sacerdotes ad Christum, cuius illi sunt ministri. Nã Leo Papa epist. 73. alias 75. elegãter ad Leonem Augustũ scripsit. Debes incunctanter aduertere Regiã potestatẽ tibi nõ solũ ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam; vt ausus nefarios cõprimendo, & quę benè sunt statuta defendas, & veram pacem his, quę sunt turbata, restituas. Hactenus ex Sandero.

EX his sequitur, Papam plura posse in Regna temporalia Christianorũ, quã in Regna Infideliũ; qm̃ cũ illi maiori vinculo, fidei nempè, & obedientię, quam ergà Christum eiusq; Vicarium exhibere tenentur, deuincti sint, efficitur, vt plures actus suæ Iurisdictionis Pontificiæ in illos, quam in istos exercere possit; potest enim Regem Christianum deponere, mutare, transferre, eius subditos à iuramento absoluere, peccantem corrigere, & similia, prout bonum religionis postulat, aut requirit, prout alibi à nobis probatum est.

Ratio à priori cur Regna christiana Ecclesiæ subiecta sint.

RATIONEM autem, cur Imperium Regis Christiani Ecclesię subiectum sit, sapiẽtissimè idẽ Sãderus ibidẽ acceptã refert Christo Deo, & homini, à cuius incarnationis mysterio profluxit, vt oẽs Christiani Reges humanã Christi naturã suo principatu supiorem agnoscerent, & ideo ministris ẽt Xp̃i in ijs rebus, quæ ad fidem Xp̃i, aut ad salutem æternã pertinent, se inferiores esse intelligerent. & bene subdit, per prosopopeiã loquendo. Ponamus, Christũ ipsum in terris hodie versari, vt olim versatus est. Quisquã ne dubitare potest, quin oẽs Christiani Re-

ges

ge illius imperio,(vt homo est) tũ in oĩbus Ecclesiasticis,tũ in ijs secularibus cau sis,quæ causã Ecclesiæ promouere possent, subesse deberent? Regnabit quippe in domo Iacob in æternũ,& regni eius nõ erit finis. Luc.1. Si ergo Reges terreni pars domus Iacob fiant,super illos regnabit Christus, illorũq; regna suo Regno spirituali subijciet. Quæcumq; aũt potestas ad æternã salutẽ nostrã Christo inerat,illius externũ,& visibile ministeriũ ad Apostolos trãstulit,cũ diceret Ioan. 20. *sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Apostoli ergò,& eorũ successores non minus in spiritualibus causis præsũt Regibus Christianis,quoad visibile ministeriũ,q̃ Christus ipse,quoad sactã humanæ suæ naturæ potestatẽ ijs in veritate præest. Vnde Epiphan. in Hær.29. ait. Largitus est Christus sub se cõstitutis Regnũ, vt ne diceretur à paruis ad maiora ꝓcedere. Manet thronus Christi,& regni eius nõ erit finis,& sedet super thronũ Dauid,itaut Regnum Dauid vnà cum Pontificatu trãstulerit ac largitus sit seruis suis,hoc est Pontificibus Ecclesiæ Catholicę. Ecce igitur tã sacerdotalis,quã regia potestas cõmunicata est Pastoribus Ecclesiæ Christi,vt eo modo Christus in æternũ,ẽt velut homo spiritualis,& cęlestis regnare ostendatur. Atq; hoc quidẽ vnctio illa testatur, quã reges à Sacerdotibus accipiũt. Cõcludendum ergò est,ꝙ in Ecclesia Christi duplex est potestas, vna tantũ spiritualis,qualis est potestas Ecclesiastica in Christi ministris residẽs,quibus dictũ est, *Eũtes docete,baptizate, &c.* Mat.28.altera mixta,hoc est origine quidẽ secularis,quæ tũ ad finẽ spiritualẽ referenda est: Et licèt hę duę potestates origine,vsu,ac medio quodã fine differãt,vt dictũ est;tñ qñ in eodẽ corpore Ecclesię cõcurrant,& ad vnũ ęternę salutis finẽ referantur,velut vna quædã subordinata potestas haberi debent. Multa alia addit Sanderus,quę apud illũ diligẽter legas.

Duplex est in Ecclesia Christi potestas.

DICO quinto, Ecclesia,seu potestas Ecclesiastica nõ solum ob causas religionis,& fidei,sed ẽt ad bonũ cõmune alicuius Regni,Prouinciæ,& Reipublicæ põt exercere actus suæ Iurisdictionis circa huiusmodi Regna,eiusq; bona tẽporalia.

Ecclesia põt exercere actus iurisdictionis tẽporalis in omnibus Regnis etiã propter bonum cõmune.

PROBATVR hoc dictũ tùm experientia,tùm rõne:rõne quidem,quoniã cum Papa nõ solum sit Pastor,sed ẽt Pater oĩum Christianorum, põt paterna Charitate motus,qñ id exigit cõmune bonũ,assumere sibi temporalia iudicia, qñ nimirum nõ est alius,qui possit iudicare,vt cum duo Reges supremi cõtendunt,vel qñ qui possunt,& debent iudicare,nolunt sententiam ferre,vel illos cõcordare, qđ ẽt fundatur in illo Luc.22. à Christo dictũ Petro; *& tu aliquãdo cõuersus, cõfirma fratres tuos*;si fratres,multò magis filios,quales sunt Reges. Hinc est,ꝙ licet oĩbus præsertim in casu necessitatis,ad Sedẽ Apostolicam appellare,nõ solũ in causis Ecclesiasticis,sed ẽt in Ciuilibus,& secularibus,& nõ solùm ab Episcopis, & Clericis,sed ẽt à Regibus,& laicis,de qua re lege Bellarm.lib.2.de Rom.Pont.c.21.de appellationibus quoad Clericos,& 11.q.1.c.Quicũq;,Aug.de Ancona de potest. Eccl.q.1.art.3. Turrecremata in summa de Eccl.lib.2. c. 52. Vnde Hugo de S. Victore parte 2. de Sacram.inquit, spiritualis potestas iudicat terrenam.

EXPERIENTIA verò cõstat ex Innoc.IV. vt habet in c.Grandi,de supplenda negligentia Prælatorum,in sexto,qui dedit quendam coadjutorẽ Regi Lusitaniæ ad administrandũ Regnum;quandoquidẽ Regis negligentia Respublica detrimentum ẽt ciuile in Lusitania pateretur. Idem patet in translatione Imperij facta à Põtificibus à Græcis ad Germanos,i. à Leone III. Vide Bel.l.5.de Rom. Põt. c.8.& in opusc.proprio de hac re ab eo edito. De appellationibus verò habes aliũ Textũ expressũ in c.ad Rom.2.q.6.vbi sic scribitur. Ad Romanã Ecclesiã ab oĩbus,maximè tñ ab oppressis, est appellandũ,& concurrendũ, quasi ad matrem eius,vt vberibus nutriantur,auctoritate defendantur,à suis oppressionibus releuentur,quia nõ põt,nec debet mater obliuisci filium suum:lege Aug. Triũphum de Ancona q.45.de pot.Eccl.art.3.& Doctores in c.Si quis vestrum 2.q.6.vbi sic scribitur.Si quis vestrũ pulsatus fuerit in aliqua aduersitate,decenter ad hanc S. Sedem Apostolicã appellet,& ad ipsam tanquã ad caput refugiũ habeat. Idẽ ha

Multi Pontifices vsi sunt actualiter hac potestate propter solũ bonũ commune.

bes in Canone, Quicumq; litem, & Canone, Quæcumq; contentiones 11.q.1.

Quomodo intelligi debeat, S. Petro tradita fuisse omnia Regna mundi, vt canit Ecclesia.

DICO sexto, propter has oẽs rationes rectè cani ab Ecclesia in Respõsorio Cathedræ S. Petri. *Tu es Pastor ouiũ, Princeps Apostolorũ, tibi tradidit Deus omnia Regna mundi.* Quæ verba verissimũ sensum habent secundũ modos iã explicatos, habet.n. Papa auctoritatem, & Iurisdictionem in omnibus Regnis mundi, tũ ratione promulgationis, & prædicationis Euangelij, tũ ob Christianos, qui in illis forsan degunt, tum ob alias rationes superius dictas, & propter alias inferius q.3. adducendas, & explicandas.

Ecclesia habet ius puniendi pena saguinis, sed illud exequitur ministerio brachij secularis.

DICO septimo, potestas Ecclesiastica circa tẽporalia, quantũ est ex se, & ex sui natura, se extẽdit ad effusionẽ sanguinis, & ad penã mortis, vt patet in exẽplis adductis in argumentis supra positis; licèt Ecclesia ad imitandã mititatẽ, & benignitatẽ Christi, ab his abstineat, & executionẽ mortis cõmittat potestati seculari, vt patet. Iam vero argumentis in principio quæstionis positis respondendũ est.

Actus clauiũ Ecclesiæ se extendunt etiã ad tẽporalia.

AD primum dicimus, quòd actus clauiũ Regni cęlorũ, idest actus potestatis Ecclesię militãtis, quæ Regni cęlorũ nomine in Euãgelio passim nũcupatur, sunt quidem retinere, & remittere, aperire, & claudere, quocumq; tamen modo id fiat. Quo circa cõprehendit ẽt actus potestatis Ecclesiasticæ, & præsertim Pontificiæ non solũ circa spiritualia, sed ẽt circa corporalia, & terrena, in ordine ad salutem animarũ, & finẽ æternũ. Clauditur.n. & aperitur Regnũ Cęlorũ in tota, & cõpleta gubernatione Ecclesiastica, quia hi actus sunt adæquati clauiũ Regni Cœlorũ, idest potestatis Ecclesiasticæ. Aperitur quidẽ, quando ad cõmunionem Ecclesiæ militãtis aliquis primo introducitur per prædicationẽ verbi, aut per sacramenta; vel in eadẽ cõmunione cõseruatur per eandem prædicationẽ, per sacramenta varia, & per legũ salutariũ constitutionẽ; vel quando præficiuntur aliqui, qui vtrũq; hoc officiũ Ecclesiæ præstẽt, per Episcoporũ assumptionẽ, per Religionũ institutionẽ, per indulgentiarũ largitionẽ, per Imperatoris confirmationẽ, per Regũ vnctionem, & similia. Clauditur verò Regnũ Cęlorum, quando ab eadem cõmunione aliquis excluditur, vt per exclusionẽ à Sacramentorũ participatione, per suspensionem ab exercitio alicuius officij spiritualis, per depositionem, & degradationẽ ab ipso officio, per cẽsuras, & irregularitatẽ, per casuũ reseruationem, per depositionẽ Regũ, per Regnorũ trãslationem, ac deniq; per punitionẽ, & condemnationem eorũ, qui præceptis legis Euangelicæ, quã in baptismo amplexati sunt, & promiserũt, nequaquã obediunt. Hi oẽs actus cõueniunt Petro, & à Christo expressi fuere in illis verbis. *Tibi dabo Claues Regni Cœlorũ*; verba.n. illa, quæ sequũtur, *& quodcũq; solueris super terrã*, & illa alia, *quorũ remiseritis peccata, &c.* distinguuntur ab illis alijs. *Tibi dabo Claues*; tanquã pars à toto, & sunt actus partiales, non adæquati clauium Petri, quæ claues plures explicãt, & exercent actus, quã sit soluere, vel ligare, remittere, vel retinere, vt excellenter Caiet. scripsit in tractatu de institutione, & auctoritate Romani Pontificis. Et licèt claudere, & aperire non sint omnino idem, ac soluere, & ligare, cum illi duo actus latius pateant quã isti; tamen non est negandũ, illos duos actus, nempè claudere, & aperire, contineri, & includi in ipsa potestate ordinis, & Iurisdictionis Pontificiæ; neq; enim Ecclesia alias claues Regni Cęlorũ cognoscit, nisi claues ordinis, & Iurisdictionis, in qua re à Caietano discedimus, quem sequitur Bagnes 2.2.q.1.art.10. dubio 4. Lege quæ de hoc copiosius scripsimus lib.2. de anno Iubilæi c.16.

Potestas Ecclesiastica ẽt in corpora ius habet ꝓpter animas.

AD secundum respondemus, Pontificium Petri non solum ad animas se extendere; sed etiam ad corpora, immo etiam ad totum hominem, qui in vtroque sanctificatur, scilicet in anima, & corpore per sacramenta, vt dicit S. Thom. 3.p. quæst.65. art.1. licèt effectus principalis sacramentorum, vt gratia, & character, in anima tamquam in subiecto in quo, causentur, & efficiantur. Et quãtum ad vtrumq; homo ligatur præscriptis legibus, impedimentis, censuris, & soluitur dispensationibus, absolutionibus, relaxationibus, priuilegijs,

gratijs

gratijs, indultis, alijsque actibus, qui ad vincula spiritualia conijcienda, & relaxanda, seu ad soluendum, vel ligandum pertinent. Quocirca rectè in Euangelio dicit, *quodcumque ligaueris, & quodcumque solueris*, non solum animas, non solum corpora, non solum indiuidua, vel personas; sed quodcumque vniuersalissimè, aut generalissimè sumptum, siue ferendo leges, quod est etiam quoddam genus ligandi, vt Matth. 23. innuitur; vel dispensando vota, relaxando iuramenta, aliaque impedimenta etiam temporalia, vel circa res temporales existentia, quæ præpediunt viam ad salutem Regni cœlestis: & quamuis in nonnullis non recognitis Breuiarijs apponatur non incongruè illa particula, *animas ligandi, atq; soluendi*; hoc est homines, sic enim nomen Animæ ibi accipi debebat, sicut S. Paulus ad Rom. 13. teste S. Anselmo ibidem, accepit; cum dixit, *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, idest omnis homo; nihilominus ad vniuersalissimam Ecclesiasticam potestatem Pontificiam clarius ostendendam, rectius dicitur in emendato Breuiario. *Deus qui Beato Petro Apostolo tuo ligandi, atque soluendi Pontificium tradidisti*, & cum hæc oratio ex verbis Euangelij deprompta sit, non debet coarctari ad animas tantum, vel ad sola peccata tantum; Christus enim generaliter in Euangelio loquitur; & ita habetur etiam in sacramentario S. Gregorij Papæ.

AD tertium patet solutio ex dictis; Pontifex enim dum de temporalibus disponit, viuificat, quoniam illa ad ipsa spiritualia dirigit; carnalia enim & corporalia bona per se sumpta non prosunt quidquam ad vitam, sed ordinantur ad ipsa spiritualia, tanquam organa, & instrumenta, & sic prosunt & ad ipsorum spiritualium consecutionem, & ad peccatorum remotionem, & ad virtutum operationem. Vnde dicitur Thobiæ 12. quòd eleemosina, quæ de bonis temporalibus, & corporalibus fit, *à morte liberat, peccata purgat, & ipsa facit inuenire vitam æternam*. Et ad hunc finem Papa habet potestatem ordinandi de ipsis corporalibus, & temporalibus bonis; aliter non esset potestatis vsus, sed abusus. Et quamuis etiam circa temporalia versetur, non tamen secũdum temporalia ambulat, quemadmodum dicebat Paulus 2. ad Corinth. 10. *In carne sumus, non secundum carnem ambulamus; in carne ambulantes, non secundum carnem militamus*. Potestas Ecclesiæ ordinat temporalia tãquam instrumenta ad spiritualia.

AD quartum dicendum est, quòd per illud dictum. *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*; non subtrahitur potestas temporalium à Papa; sicut nec quæ sunt Cæsaris à Deo; sed datur intelligi quędam iustitia legalis, vt vnicuique reddatur, quod suum est, eo modo, quo dicit Apostolus ad Rom. 13. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum; & cui vectigal, vectigal, & cui honorem, honorem; & cui timorem, timorem*. Imperatoribus autem, & Regibus reddenda sunt temporalia, quasi pro stipendijs ipsorum, quia ministri Dei sunt, vt dicit Apostolus ad Rom. 13. Tenentur enim Ecclesiam Dei defendere, & Christianum populum gubernare, & Rempublicam in pace conseruare. Pro quo ministerio stipendiandi sunt thesauro Ecclesiæ corporali; quia quodam iure naturæ, & diuino pro tali ministerio debetur eis tale stipendium temporale, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 9. *Quis*, inquit, *militat proprijs stipendijs? Quis pascit gregem, & de lacte eius non comedit?* Super quibus verbis dicit August. & ponitur 23. q. 1. cap. Militare, quòd quædam diuina prouidentia sunt militibus stipendia constituta, ne dum sumptus quæritur, prædo grassetur. Et Apostolus ad Rom. 13. *Dei, inquit, ministri sunt, in hoc ipsum seruientes; & ideo tributa præstatis*. Ex tali ergo iure Regum, & Imperatorum accipiendi stipendia, non arguitur, Papam non habere potestatem temporalium, & corporalium, sed potius oppositum, quia sunt Reges, & Imperatores quasi ministri, & stipendiarij ipsius Papæ, & ipsius Ecclesiæ, & per eum stipendiandi

Ex eo quod Cęsari reddenda sunt, quæ sunt Cæsaris, nõ tollitur potestas tẽporalis Summi Pontificis.

1. Cor. 9.

dendi, sunt thesauro corporali ipsius Ecclesiæ, pro pace, & defensione eius, secundum taxationem ipsius; nec aliter sunt in statu salutis, si vltra stipendia eis taxata, volunt bona temporalia à fidelibus Ecclesiæ surripere. Vnde Lucæ 3. cum milites venissent ad Ioannem, vt etiam supra diximus, & quæsiuissent ab eo: *Quid faciemus nos, vt salui simus?* Respondit: *Neminem concutiatis per violentiam, neque calumniam faciatis per fraudolentam nequitiam, & contenti estote stipendijs vestris*; hoc est stipendijs pro vobis taxatis, vt exponit Chrysostomus.

Aliquid possidere pro necessarijs vsibus non tollit perfectionem.

AD quintum respondendum est, quòd ista fuit instantia Iuliani hæretici, qui bona patrimonialia Christianis auferens, dicebat. Christus vester dicebat in Euangelio. *Qui non renunciauerit omnibus, quę possidet, non potest meus esse discipulus.* Lucæ 14. Non est tamen de ratione vitæ perfectæ, & discipulorum Christi nihil temporalium possidere, cum ipsi multa temporalia in communi haberent, & vnicuiq; prouidebatur, sicut cuique opus erat, Actor. 4. Nam Abraham perfectus homo erat, & tamen multas diuitias habebat. Possidere ergò diuitias, non vt in eis spes ponatur, sed vt in eis diuinum præceptum impleatur, ad præsentis vitæ sustentationem, ad pauperum subuentionem, & virtutum operationem, est de ratione vitæ Apostolicæ.

Dupliciter Papa potest aliquẽ actum exercere circa tẽporalia.

AD illud autem de filijs Leui dicimus, quòd Papa duplicem actum exercere potest circa temporalia, vel quantum ad suę, & aliorum ministrorum Ecclesiæ gubernationem, & in hoc primitijs, oblationibus, & alijs redditibus Ecclesiasticis debet esse contentus; vel quantum ad ipsorum temporalium ordinationem, & dispositionem, quoad finem supernaturalem, nec non diuini cultus ampliationem; & sic etiam super alia bona temporalia omnium fidelium Ecclesiæ potestatem habet, immo etiam aliquo modo, vt expositum est, super bona Infidelium, lege Fran. à Victoria in Relect. 1. de Indis insulanis, ferè per totum, & Turrecrem. lib. 2. de Ecclesia cap. 114. & S. Thom. in fine secundi Libri Senten. & ea, quæ inferius q. 3. dicenda sunt.

QVAESTIO SECVNDA.

An Ecclesia ab initio habuerit forum externum Iudiciale.

Proponũtur quędã rationes dubitandi.

VIDETVR enim Christus Dominus forum Ecclesiasticis prohibuisse, Matth. 20. *Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent inter eos.* Quod idẽ dicitur Marci 10. & Lucę 22. Asseritur quoque à nonnullis Pseudotheologis, Iustinianum Imperatorem primum fuisse, qui ad petitionem Episcopi Constantinopolitani concessit Ecclesiasticis, vt in causis ciuilibus à suis Prælatis iudicari possent, exceptis causis criminalibus, & ipso non impedito, vt legitur, inquiunt, in constitutione nouella Iustiniani nu. 83.

Calumnia Centuriatorum in S. Clementem.

MAGDEBVRGENSES, vt refert Turrianus in lib. 3. pro epistolis Pontif. cap. 11. tanquam quid apocryphum notarunt in epist. 1. Clementis, & 1. Anacleti, quòd in illis iubetur, Episcopos nempè vna cum Iudicibus sæculares causas expedire, & iudicare debere, innixi in verbis illis Christi perperam ab illis intellectis, *Principes gentium dominantur eorum*; ac si dominium huiusmodi iudicandi non ad personas Ecclesiasticas, sed ad Dominos gentium pertineret.

Refutatur calũnia prædictorũ ex Turriano, &

VERVM egregiè Turrianus hanc iniuriam Clementi, & Anacleto illatam propulsat, verba vtriusque ex eorum epistolis afferens. Clementis sententia sic

tia sic se habet. Te quidem oportet, irreprehensibiliter viuere, & summo studio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abijcias, ne fideiussor sis, ne aduocatus litium fias, neue vlla alia occupatione negocij secularis implicеris; nec enim Iudicem, aut cognitorem de pecunijs, aut negotijs rerum secularium te vult Christus constituere, sic enim est Græcè. Deinde subiungit rationem præcepti. Ne curis hominum præsentibus districtus, ac præpeditus, non possis verbo veritatis secernere bonos à malis: quin potius, qui hæc discunt, sibi inter se ea administrent, & ne te à sermonibus, qui saluos facere possunt, distrahant. Vt enim tibi impietatis est crimen, sollicitudines suscipere seculares, sic laicis peccatū est, nō sibi inter se in ijs, quæ ad vsus vitę pertinent, præstò esse.

n Ecclesia semper fuisse forū externum ostēditur secūdum doctrinā S. Clementis.

DEINDE subiungit Græcè aliam sententiam, quam ita ille interpretatur latinè. Quod si, inquit, non omnes ea facere sciant, de quibus te sollicitum esse non oportet; à Diaconis discant, vt tu Ecclesiæ solùm curam habeas, quo eam rectè gubernes. Præcipit igitur Clemens, ad iudicia ethnicorum declinanda, vt causas laicorum Christianorum *Diaconi* cognoscant, & dirimant propter necessitatem, ne laici apud Infideles litigent, ad contumeliam Christianæ religionis euitandam, & ne Episcopus in his versetur, quibus incumbere non debet: commisit autem id Diaconis, non Presbyteris, vt puderet laicos Iudices Ethnicos adire, cum notum illis esset, constitutos esse in Ecclesia infrà Episcopos, immo etiam infrà Presbyteros, qui possent, & scirent sapienter causas de rebus secularibus iudicare. En vides, forum Ecclesiasticum ab initio nascentis Ecclesiæ viguisse. Quod idem Clemens lib. 2. de const. Apost. cap. 45. repetit his verbis. Pulchra quidem, inquit, Christiani hominis laus est cum nemine litigare. Sin autem alicuius opera, aut tentatione quapiam factum fuerit, vt incidat ei lis; det operam, vt dirimatur, quamuis opus sit aliquid damni facere, & ne adeat ad iudicium gentilium; immo ne patiamini, inquit, vt seculares magistratus de causis vestris iudicent, per eos enim Diabolus famulis Dei insidiatur, & probrum excitat, quasi non habeatis vos quempiam sapientem, qui possit inter vos ius dicere, aut lites dijudicare. Deinde subiungit proximo capite. Ne igitur disceptationes vestras gentiles cognoscant, nec ad dicendum contra vos eorum testimonium adhibeatur, nec ab eis iudicemini: hæc ibi. Et planè hæc verba Clementis consentiunt cum verbis S. Pauli 1. ad Corinth. 6. de quibus inferius.

EST alius quoque locus S. Clementis, in eadem epist. 1. vbi sermonem faciens de eisdem causis secularibus sic scribit. Si qui ex fratribus negotia habeant inter se, apud cognitores sæculi ne iudicentur, sed apud Presbiteros Ecclesiæ, quicquid illud est, dirimatur; & omni modo obediant statutis eorum. Sic vetus interpres vertit, quæ melius dicta sunt græcè. Qui, inquit, lites habent, ne à potestatibus mundi iudicentur: sed à presbyteris Ecclesiæ ad concordiam adducantur, eisq; omninò promptè pareant.

Clerici ad secularia tribunalia confugere non debent, ex S. Clemente.

ET iterum in cap. 47. inquit Clemens. Fiant iudicia vestra secunda feria, vt si fuerit discessum à sententia, idest si non paruerint promptè, possitis liberè vsque ad Sabbatum sedare controuersiam, & pacificare disceptantes in diem Dominicum: subiungit deinde Clemens. Assistant autem Iudicio Diaconi, & Presbyteri, qui citrà acceptationem personarum, tanquam homines Dei, iusta iudicent. Et rursus addit. Cum itaque vtraque persona, vt lex iubet, in iudicium venerit, stabit vterque disceptantium in medio, quibus auditis, ferte sanctè, & incorruptè suffragia; date operam, vt antequam Episcopus pronunciet, fiant amici, ne exeat Episcopi sententia contra eum, qui deliquit, qui habet in iudicio Christum Dei causæ conscium, & comprobatorem. hactenus ille in Apostolica constitutione.

EN

EN igitur seculares causæ laicorum, vt Christiani sunt, in Ecclesia cognoscendæ, & iudicandæ, vt tollatur peccatum, & discordiæ profligentur, & iudicium de morte, vel de peccato ad mortem tollendo. Quis nisi insipiens dicet, ad potestatem gentium illas pertinere? & pacificare disceptantes aliud est, quàm dominari in eos, vel exercere potestatem contrà eos, vt ex verbis græcis apud Turrianum luculentius cognoscitur.

Esse forum iudiciale in Ecclesia probatur ex Anacleto.

S. ANACLETVS in epist. 1. hæc verba habet. Si autem fuerit Ecclesiasticum negocium apud Episcopos, interueniente Primate iudicetur, siquidem maior causa fuerit; si vero minor Metropolitano: si vero fuerit seculare, apud eiusdem ordinis viros, iudicio tamen Episcoporum, cum Apostolus priuatorum Christianorum causas magis Ecclesijs deferri, & ibidem sacerdotali iudicio magis terminari voluerit. hæc Anacletus. Vides igitur apertè, forum Ecclesiasticum etiam in causis secularibus cum laicis in Ecclesia extitisse.

Cur in secularibus causis olim Ecclesiastica iudicia adhiberentur.

QVOD si quæras, quare tempore S. Anacleti fuerit opus auctoritate Episcopi in iudicio causarum secularium: Respondet Turrianus, & bene, quoniam Ecclesia, cum esset sub Ethnicis Imperatoribus, non poterat aliquo grauiori supplicio aliquem afficere, nisi gladio ignis, hoc est excommunicatione; neque enim magistratus, vel Imperatores Ethnici passi fuissent, vt non acquiescentes sententię, pœna aliqua ciuili mulctarentur. Vnde necesse erat, vt in iudicio magistratuum secularium in causis secularibus præesset Episcopus, vt gladio ignis comminato, cogere posset ad parendum; ne denique Christianus qui parere nollet, in peccato ad mortem remaneret. Adde, quòd per viam denunciationis, quæ innuitur à Christo Matth. 18. factæ Ecclesiæ, seu Episcopo, iudicium, etiam in foro exteriori, de quocumque peccato graui, & scandaloso in fratrem commisso, conuenit ei, vt tandem si reus in peccato ad mortem sine pœnitentia perseuerare voluerit, contra illum sententia anathematis pronunciaretur; nec Episcopus aliter poterat sententiam pronunciare, nisi prius cognouisset de peccato, cuius cognitionem rursus habere non poterat, nisi de re siue ecclesiastica, siue ciuili, ex qua peccatum emanabat, cognosceret. Hæc est lex iustitiæ, & charitatis, in qua iurisdictio ciuilis Episcopo, vel iudici ecclesiastico competit, quam Dominus Matth. 18. tradidit in illis verbis. *Quæcumque ligaueritis, &c.* vbi Christus Dominus tradidit iurisdictionem in foro fori Ecclesiæ, cum paulò antea dixisset; *dic Ecclesiæ*, hoc est Prælatis, & curiæ ecclesiasticæ.

AT verò hanc consuetudinem primitiuæ Ecclesiæ habendi forum externum pro causis Christianorum, apertissimè colligimus ex multis locis S. Pauli.

Ex S. Paulo Ecclesiæ forum iudiciale ostēditur. 1. Cor. 6.

ET Primo ex epist. 1. ad Corinth. c. 6. vbi sic scribit. *Audet aliquis vestrũ habens negocium aduersus alterum iudicari apud iniquos, & non apud sanctos. An nescitis, quoniã sancti de hoc mũdo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? nescitis, quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis secularia? secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandu.* Vides hic apertissimè haberi, causas Christianorũ non apud iniquos iudices hoc est Ethnicos, quos & cognitores seculi, Clemens, & Anacletus appellarunt, esse iudicãdas: appellat autẽ hos verbo illo, seculi, vt distinguat eos à fratribus, idest Christianis, qui ad futurum seculum, & ad Patrem futuri seculi, & ad filios resurrectionis pertinent; si tamen in fide, & dilectione vsque ad finem perseuerauerint.

1. Cor. 4.

DEINDE ex alio loco eiusdem Pauli idem conuincitur, in eadem epist. cap. 4. vbi Apostolus ait. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* Per virgam S. August. lib. 3. cap. 1. contra epist. Parmeniani, S. Chrysost. & alij huius loci interpretes intelligunt potestatem iudiciariam Ecclesiæ, etiam

etiam in foro exteriori, quæ primario residet in Papa, quod virgam communicat etiam Episcopis, & Prælatis Ecclesiæ, qui suo nomine Ecclesiam regunt, iudicia faciunt, & pœnas infligunt: hac virga Petrus Ananiam, & Saphyram verbo occidit, & Paulus Elymam excæcauit, vt superius dictum est. Atq; hac eadem virga ecclesiastica idem Paulus cædi mandauit in facie Ecclesiæ incestuosum quendam 1. Corinth. 5. necnon Alexandrum, & Hymeneum vexandum Diabolo tradidit 1. ad Thimoth. 1. quæ erat publica, & grauissima pęna, cũ, scilicèt quis in primitiua Ecclesia excõmunicabatur. Huius virgæ seueritatẽ Paulus innuit 2. Corinth. 13. *Prædico*, inquit, *quoniam si venio iterum, non parcã*; & iterum; *vt non præsens durius agam, secundum potestatem, quam dedit mihi Dominus*. Certè hæc potestas, est potestas iudiciaria in facie Ecclesiæ, & in foro exteriori, quæ etiam virga appellatur, vt dictum est. 2. Cor. 13.

PRÆTEREA est alius locus 1. ad Thimoth. 5. *Aduersus Presbyterum, accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus*. Vides hic clarissimè, Paulum docere, Episcopos suum Tribunal habere, etiam extrà forum conscientiæ, & ad reum conuincendum duos, vel tres testes adhibendos esse, prout moris est in tribunalibus, atque etiam probationes, & accusationes more iudiciali recipere, & secundum allegata, & probata iudicare. Qua in re, vt testatur S. Ambrosius, differt laicus à Clerico, facilius enim accusatores aduersus laicos admittuntur, & audiri possunt, quam aduersus Presbyterum, cuius accusatio, & quærela propter ordinis dignitatem admitti, & audiri non debent, nisi adhibitis duobus, aut tribus testibus.

Forma iudicij in causis Presbyterorũ ex 1. ad Thimot. 5.

AFFERAMVS quoque locum ex 2. ad Thessal. 3. *si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & ne commisceamini illi*. Quis non videt, hanc esse accusationem, & pœnam fori exterioris? Multa alia loca ex scriptura ad hoc probandum afferri possent, sed hæc hoc in loco sufficiant. 2. Thessal. 3.

VERVM afferamus quoque Concilia antiquissima, multò ante tempora Iustiniani habita, quæ hanc veritatem luculentissimè ostendunt.

Sacrorum Conciliorum auctoritate Ecclesiastici fori auctoritas cõprobat.

CONCILIVM Romanum sub Syluestro primo, vt habetur in causa 11. q. 1. Canone, Testimonium, vbi in publico, hoc est in seculari foro, prohibetur, Clericum examinari, sed tantum in Ecclesia, idest apud Episcopum, & forum ecclesiasticum. Idem habetur in c. placuit, desumptum ex epilogo eiusdem Concilij. Si autem episcopale iudicium ad Imperatorem postulauerit, nihil ei obest, quando nempè Imperator rogat Episcopum, vt cognoscat de causa.

IN Concilio Chalcedonensi in Canone 9. ita legitur. Si Clericus aduersus Clericum habet negocium, non relinquat Episcopum suum, & ad secularia iudicia non recurrat; sed prius negocium agetur apud proprium Episcopum.

IDEM quoque deprehenditur ex Concilio Agathensi can. 23. vbi sic scribitur. Clericus nec quemquam præsumat apud secularem Iudicem, Episcopo non permittente pulsare. Et si pulsatus fuerit, non respondeat, nec proponat, nec audeat criminale negocium in iudicio seculari proponere.

IDEM habetur in Concilio Carthag. 3. can. 9. & in Concilio Mileuitano can. 19. cuius verba aliàs à nobis narrata sunt. Et in Concilio Aphricano tempore S. Cypriani celebrato, & in Concilio Epaunensi anno 512. celebrato, & in duabus Synodis Romanis sub Symaco anno 501. & 502. celebratis.

NEC desunt grauissimi scriptores, etiam ante Iustinianum, qui anno 503. floruit, idem constanter asserentes. Hormisda Papa, qui floruit 514. in epist. ad Episcopos Hispaniæ, & epist. 10. Gelasius Primus anno 494. in epist. ad Episcopos per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam constitutos, & alibi. Et S. Leo Primus, qui floruit anno 450. multis in locis. Sozomenus, anno 440. Cyrillus Alexandrinus anno 430. Honorius Imperator in epist. ad Arcadium Principem Orientis, an-

Multorum Auctorum testimonijs eadem veritas confirmatur.

tis anno 410. Beatus Augustinus anno 400. in epist. 66. Valentinianus Imperator anno 387. Theodosius, & Arcadius, vt habetur 11. q. 1. S. Ambrosius anno 370. epist. 32. S. Athanasius anno 340. in epist. ad solitariam vitam agentes. Cōstantinus item Magnus, qui floruit anno 315. apud Nicephorum lib. 7. suę historiæ ca. 46. S. Marcellinus anno 296. epist. 2. S. Caius anno 283. epist. ad Felicem. Eutychianus anno 276. epist. 2. Episcopis per Siciliam cōstitutis, Zepherinus in epist. 1. ad Episcopos Sicilienses anno 208. vbi agit de iudicijs Episcoporum, & maioribus Ecclesiæ causis apud Sedem Apostolicam terminandis, & multa tradit de modo iudicandi. Denique Clemens I. anno 92. epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini, vbi abundè de foro ecclesiastico agit.

EX his omnibus, & alijs auctoribus, quos consultò relinquimus, clarissimè deprehenditur, forum ecclesiasticum, multò ante tempora Iustiniani Imperatoris, fuisse distinctum à foro seculari, & eius vsum, & exercitium in Ecclesia viguisse, & in viridi obseruantia semper extitisse. Habes enim de hac re perspicua testimonia Christi, Apostolorum, S. Clementis, & aliorum antiquorum Pontificum, & Imperatorū, relictis alijs, quæ ad antiquitatem non pertinent. Et quamuis argumentum de immunitate, & libertate ecclesiastica introducta iure diuino, & Dei mandato probationem huic rei irrefragabilem afferat, nobis tamen in hoc loco, cum in alijs nostris disputationibus contra recentiores Pseudotheologos euidentissimè illa probata fuerit, eo vtendum non erit.

S. Bern. Senen.

LVBET autem ex recentioribus testimonium huius rei ex B. Bernardino Senen. afferre, qui to. 2. ser. 6. feria 5. post cineres art. 1. c. 3. sic scribit. Similiter è conuerso nequaquam licitum erit iudici, vel domino seculari religiosum, vel Clericum delinquentem, ne iustitia pereat, iuris ordine prætermisso, punire, vel condemnare, licèt per suum superiorem non corrigatur, aliter non esset corrigere malum, sed addere malis mala: Nam si impium est, clericum operari scelus, iniquum quoq; est per eius superiorem non puniri scelus. Nec insuper iniquitate caret, per illum, ad quem non pertinet, castigari scelus, prohibente Domino, Deuteron. 23. Nemo mittat falcem suam in alienam messem. Non enim per hoc iustitia defensatur, sed iniustitia super iniustitiam cumulatur. Duobus enim malis, scilicet erranti, & non corrigenti tertium superadiunctum est, scilicèt iniustè corrigi delinquentem.

Aduersariorū argumenta soluuntur.

SED ad solutionem argumentorum iam progrediendum est. Ad primum dicimus, ex illis verbis Christi deduci potius contrarium, cum in eis Dominus instituerit ipsos Principes Ecclesiasticos, & Magistratum spiritualem: modum autem illis præscribit distinctum à modo fori secularis, dum dixit, *vos autem non sic*. In foro enim ecclesiastico Principes illius præesse subditis debent, non more Regum, & Dominorum, sed more Patrum, & Pastorum. Quemadmodum etiam S. Petrus hanc formam regendi, & iudicandi tradidit in sua 1. canonica cap. 5. *Non vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo*.

1. Pet. 5.

Multis modis argumentum ex Iustiniani nouella desumptū dissoluitur.

AD Nouellam Iustiniani respondendum est primo, in eadem constitutione dici, Ecclesiasticum non posse puniri à iudice seculari, nisi prius degradatus, & spoliatus fuerit dignitate clericali ab Episcopo: quod signum est, hominem ecclesiasticum, vt sic, non spectare ad forum seculare, nec esse sub manu legum secularium, sed aliud forum sortiri.

RESPONDENDVM secundò, in eadem constitutione Iustiniani dici, leges imperiales Sacros Canones sequi; quod secundum dictum destruit primum, cum Sacri Canones passim mandent, ecclesiasticos ab ecclesiasticis tantum iudicari.

TERTIO respondemus, Iustinianum plurimam auctoritatem sibi vsurpasse in iudicandis causis Ecclesiasticorum: qua propter Menna Patriarcha

Con-

Constantinopolitanus ab eodem Imperatore petijt, & obtinuit, vt saltem causæ ciuiles ecclesiasticæ Episcopis relinquerentur.

RESPONDEMVS quartò, hanc Iustiniani Constitutionem, tamquam erroneam, & incongruam, reuocatam fuisse à Federico Secundo Imperatore, sicut & alias leges contra libertatem Ecclesiasticam iam latas, vt legitur in sua prima Constitutione in illis verbis: sanè infidelium quorundam, & iniustorum adeò iniquitas abundauit, vt non dubitent contrà Apostolicam disciplinam, & Sacros Canones statuta sua confingere contra Ecclesiasticas personas, & Ecclesiasticam libertatem: hæc ille. Sicut etiam ante ipsum Federicum Basilius Imperator similem legem Nicephori Imperatoris cōtra libertatem Ecclesiasticam latam annullauit, vt alibi à nobis relatum fuit.

ALPHONSVS Tostatus in cap. 20. Matthæi, quæst. 96. tom. 5. existimat, Ecclesiæ Prælatos tempore Sancti Pauli nullam iurisdictionem neque ciuilem, neque criminalem coercendo exercuisse in Ecclesia, ad scandalum vitandum; sed introducta pace in Ecclesia, tunc primùm cœpisse exerceri. Sed nimis incautè hæc ab illo scripta fuere, vt ex supradictis constat, & multa ibidē ipse gratis asserit, sine vlla ratione, & firmo fundamento.

QVAESTIO TERTIA.

An Christus vltra spiritualem, tradiderit quoque Petro potestatem, seu iurisdictionem temporalem in vniuersum orbem, & quomodo.



ÆC quæstio potest habere duplicem sensum. Primus est, an Papa sit formaliter, & directè Dominus temporalis totius orbis, vel saltem orbis Christiani iure diuino. Secundus est, an (posito, & non concesso, quòd non sit Dominus temporalis totius mundi) potestas Pontificia tradita Petro à Christo sit summa, & suprema non solum circa spiritualia, sed etiam summa, & suprema circa res temporales, quæcumque illæ, & cuiuscumque sint, in ordine tamen ad bonum spirituale, salutem animarum, & commune commodum Christianæ Reipublicæ; atque in vtroque sensu est à nobis hæc quæstio hoc in loco tractanda, quoniam celeberrima est inter omnes alias, quæ in hac materia tractantur, & multum facit ad Ecclesiæ iurisdictionem roborandam. *In quo sensu tractetur hoc loco quæstio proposita.*

EST igitur primus sensus quæstionis, an Papa sit Dominus totius mundi: qua in re oportet nos cautè, prudenter, & modestè loqui; uerè tamen, ne vel auctoritati Pontificiæ aliquid detrahatur, neuè Principes, & Reges sæculi suo legitimo iure, & potestate priuentur, nec in re aliqua, vel minima offendantur; ne item aliquid contra Sacros, & Ecclesiasticos Canones dici videatur. Et licèt legistæ plus iusto Imperatori tribuisse videantur; contra verò plurimum Canonistæ Romano Pontifici: nos tamen quid ex sacris literis, & ex alijs probatis authoribus certius affirmandum sit, omnia æqua lance perpendendo, iam proferemus, vt omnes apertè cognoscant, nihil

nos temerè, aut inconsultò in re tanti ponderis, atque momenti asseruisse.

Christus fuit Rex totius orbis in spiritualibus, etiam vt homo est.

PRÆSVPPONENDVM est autem primo loco, Christum Dominum, etiam vt homo est, fuisse Regem totius mundi, non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus: qua in re errauit Marsilius Patauinus, & Ioannes de Ianduno, qui, vt refert Turrecremata lib. 4. suæ Summæ cap. 27. temerè asseruerunt, Christum Dominum ex obligatione, & necessitate soluisse tributum Cæsari, & proinde ex obligatione, & iure fuisse subiectum ei in temporalibus; atque hunc errorem affirmat Turrecremata fuisse damnatum cum suis authoribus à Ioanne Vigesimosecundo in extrauag. quæ incipit, Licèt iuxtà doctrinam: & certè ex ipso Euangelio damnatur, Christus. n. apertè dixit Petro Matt. 17. *Ergò liberi sunt filij, vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamũ, & eũ piscẽ, qui primus ascẽderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies statere; illum sumens, da eis pro me, & te,* in quibus verbis significauit Christus, se esse liberum ab obligatione soluendi tributum, etiam vt homo erat, & consequenter esse absolutè Dominum à quacumque lege humana iure suæ filiationis solutum. Id autem, quod supponimus, probatur.

Matth. 17.

Ius regiæ potestatis i Christo nulli infert repugnantiam.

PRIMO, quoniam quicquid decet Christi dignitatem, omninò asserendum est, dummodo nihil impediat; sed quod Christus habuerit hanc Regiam potestatem, maximè decet eius dignitatem, & nihil dicit repugnans, ergò, &c. Si enim aliquid repugnaret, illud vtique esset, quòd huiusmodi potestas fini intento à Christo, qui erat redemptio humani generis, obesset; ob id enim in exemplum summæ paupertatis ingressus est mundum; sed summa paupertas non tollit ius, & potestatem temporalem, sed tantum vsum illius, ergò, &c. Nam paupertas consistit in abdicatione vsus proprij rerum temporalium; sicut summa humilitas non consistit in hoc, quòd Christus Dominus fuerit humanis legibus subiectus: nam re vera iure, & potestate minimè fuit illis subiectus, sed tantum legi naturali diuinæ: consistit igitur summa humilitas in hoc, quòd Christus voluntariè se subiecerit hominibus, & quemadmodum votum castitatis non pugnat cum vinculo, & iure matrimonij, sed cum vsu illius, vt patet in Beata Virgine; sic etiam votum paupertatis non pugnat ex natura rei cum iure, & potestate rerum; sed cum vsu: licèt ex statuto ecclesiastico votum solemne paupertatis non solum excludat vsum, sed etiam ius, potestatem, & dominium rerum temporalium quodcumque. Igitur Christus Dominus sicut in multis alijs non accepit humana, quæ dedecebant eius dignitatem, nimirum, morbos corporis, deformitatem, vel ignorantiam; sic etiam non accepit in humilitate hoc, quod est subijci iure, & potestate legibus humanis, sed tantum vsu, & exercitio voluntario illis quandoque se subiecit: ita quoque in paupertate, & mansuetudine non accepit hoc, quod est, iure, & potestate non habere regnum mundi in temporalibus, quoniam ex vi incarnationis, & vnionis hypostaticæ illi hoc ius, & hæc potestas debita erat, cum à Patre esset constitutus redemptor omnium hominum, & reparator totius mundi tam in Cœlis, quàm in terris, & sub terris: Et sicut Deus iure creationis, & conseruationis habet potestatem in omnes res creatas, & quoad essentiam, & quoad accidentia, & quoad omnem statum illarum: sic Christus, quatenus redemptor, & reparator totius mundi, habet summam potestatem in totum mundum, etiam in temporalibus, quia quantum ad omnia est totus mundus reparatus per Christum, vt docet Apostolus ad Ephes. capit. 1. Et ad Romanos 14. inquit idem Paulus; *In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt & mortuorum, & viuorum dominetur*; & ita huiusmodi ius, & potestas sunt illi debita

Christus vt Redemptor habet supremum dominium totius Mũdi etiam in temporalibus.

debita iure redemptionis, & reparationis, vt rectè scripsit Sanderus lib. 2. de vis. Monar. capit. 4. immò Sanctus Cyrillus in Ioannem lib. 4. cap. 12. dicit, etiam impios in die nouissimo ad pœnam resurrecturos propter Christum, qui primus resurrexit, & omnes, vt homo, in se ipso continebat; Christus verò propter exemplum summæ paupertatis abdicauit etiam aliqua, quæ eius dignitatem non dedecebant, nimirum vsum, & exercitium omnium temporalium, iuxta eiusdem Apostoli doctrinam 2. ad Corinth. 8. *Cum esset diues, propter nos egenus factus est, vt eius inopia vos diuites essetis.* S. Cyrillus.

SECVNDO idem præsuppositum probatur ex scripturis: etenim ad Hebræos 2. apertis verbis Apostolus docet, Christo subiecta esse omnia; *Non autem Angelis*, inquit, *subiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. Testatus est autem in quodam loco quis, dicens: quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis: gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo enim, quod omnia ei subiecit: nihil dimisit non subiectum ei*; quæ verba sumpta sunt ab Apostolo ex Propheta Psalm. 8. quem totum Paulus refert ad Christum, & addit, *qui subiecit ei omnia, nihil dimisit non subiectum ei*, atque hæc verba iterum pronunciauit ad Ephesios 1. Si autem ius, & potestas in temporalia Christo, tamquam filio hominis, vt Dauid in Psalmo, & Apostolus locis citatis loquuntur, data non esset, multa reliquisset Pater non subiecta Christo. lege Sanctum Augustinum in eiusdem Psalmi enarratione, vbi sic scribit: Omnia, inquit, subiecisti sub pedibus eius, nihil excipit, cum dicit, omnia. Et ne aliter liceret intelligi, sic Apostolus credi iubet, cum dicit, excepto eo, qui ei subiecit omnia. Et hoc ipso huius Psalmi testimonio vtitur ad Hebreos, cum ita vult, omnia intelligi esse subiecta Domino Nostro Iesu Christo, vt nihil exceptum sit. Hæc Augustinus. Idem repetit Apostolus 1. ad Corinth. 15. loquens de Christo. *Omnia enim*, inquit, *subiecit sub pedibus eius. Cum autem dicat: omnia subiecta sunt ei: sine dubio, præter eum, qui subiecit ei omnia.* Euthymius in eundem Psalm. 8. scribit, ea omnia, quæ in eo Psalmo à Dauide dicuntur, ad Christi humanitatem absque dubio pertinere, iuxta sensum allegoricum, certum tamen, & à Spiritu sancto intentum, interprete Apostolo locis proximè citatis, ad Hebræos 2. & 1. ad Corinth. 15. Quocirca rectè iterum Apostolus ad Hebræos 1. dixit, loquens ad literam de Christo, vt homo est; *quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit, & sæcula*: quam sententiam licèt Chrysostomus, & Augustinus intelligant de Christo, quatenus est Deus; potest tamen magis ad literam intelligi de eodem Christo, quatenus est homo, nimirum, *per quem fecit, & sæcula*, idest, refecit, & reparauit; subdit enim Apostolus; *purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis*; tunc verò iure optimo constituit hæredem vniuersorum, cum omnia per ipsum restituisset, ad Ephes. 1: *Restaurauit omnia in Christo, siue quæ in Cœlis; siue quæ in terra sunt, in ipso.*

Ex Paulo ad hebr. 2. regia Christi potestas ostēditur.

S. Augustinus.

1. Cor. 15.

ad Hebr. 1.

Ad Ephes. 1.

TERTIO Matthæi vltimo dixit Christus Dominus; *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra, euntes, &c.* Omnis dum dicitur, nulla potestas excluditur; & quamuis Christus ab instanti suæ conceptionis ratione vnionis, vt affirmat S. Thomas 3. par. quæst. 13. art. 2. ad primum, omnem, hoc est, tam spiritualem, quàm temporalem potestatem, in vniuersum orbem habuerit; declaratur tamen non immerito tempore suæ resurrectionis, omni creaturæ, hoc est, omnibus hominibus, vt Remigius exponit, huiusmodi pote-

Eadem Christi potestas colligitur. Matth. vlt.

S. Thomas.

statem actu, & re ipsa etiam quantum ad vsum, & exercitium illi competere. Vnde Caietanus super hæc verba sic scribit. Data est mihi, tum quoad statum, tum quoad modum: nam qui hactenus statum, quo subiectus fui elementorum calori, ac frigori, hominum flagellis, clauis, crucique assumpsi, modo statum adeptus sum Regni, quo præsum Cœlo, & terræ. Et similiter qui prius, quatenus homo, potestatem habebam super omnia ex simplici dono diuino, modò etiam ex merito passionis, & mortis meæ adeptus sum potestatem super cœlestia, & terrestria; per hæc enim verba significatur, omnibus creaturis Christi humanitatem præesse, & ius habere in omnes. lege Iansenium in sua concordia in Euangelia cap. 149. & Sanctum Chrysostomum homil. 39. in primam epistol. ad Corinth. vbi pulchrè exponit, duo esse Regna Christi, alterum creationis, quatenus Deus est, alterum adoptionis, & familiaritatis, ratione redemptionis, in quo omnia cœlestia, & terrestria continentur, & quod tandem in fine mundi Patri tradet, hoc est, restituet, vt sit Deus omnia in omnibus, ne quis duo principia sine principio, aut Regnum quoddam aliud diuisum esse suspicetur, ne quid omninò ab ipso, Patre nempè, non dependens extet, iuxtà illud Apostoli ibidem; *Cum autem subiecta fuerint illi omnia: tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus*. Tradet autem Patri omnia, quæ continentur in suo Regno, idest Angelos, & homines, & quantū ad animas, & quantum ad corpora: Cœlum item nouum, & terram nouam, vt dicitur Apocal. 21.

Duo Christi Regna ex S. Chrysostomo.

QVARTO. Apocalyp. 1. dicitur de Christo, *qui est Princeps Regum terræ*, & cap. 19. cum de ipso prophetarer Ioannes dixit; *& habet in veste sua, & fœmore scriptum; Rex Regum, & Dominus Dominantium*; vt significaretur, omnes Reges, & Principes etiam Christo Domino subiectos esse, per mortem enim suam Christus nouo titulo huiusmodi Principatum obtinuit, iuxta illud Esai. 22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius*: per clauem enim potestas iurisdictionis, & populorum gubernatio, quæ à Prælatis, & Principibus humero, tamquam res grauissima constanter gestari debet, intelligitur, vt etiam exponit S. Thom. lib. 3. de reg. Princ. cap. 15. Quocirca rectè Zachariæ 14. dicitur. *Venient omnes gentes, & adorabunt Regem Dei*, vt Lectio Hebræa habet. Dicitur autem Christus Rex Dei, tum quia à Deo fuit Rex constitutus, tū quia est Rex excellentissimus, eo linguæ Hebrææ idiotismo, quo maxima quæque dicuntur esse Dei, vt Psalmo 79. *operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei*, idest, altissimos. Et rursus in eodem loco Zachar. *Et erit Dominus Rex super omnem terram: in die illa erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum*, vt inferius declarabimus.

Christ. Rex omnium Regum, & Principum. Apoc. 1. & 19.

QVINTO Psalm. 2. qui totus intelligitur ad literam de Christo typicè in Dauid adumbrato, & de Christi Regno manifestissimam continet prophetiam ab Apostolo explicatam Actor. 4. & 13. & ad Hebræos 1. & 5. dicitur; *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, &c.* In quibus verbis apertissimè significatur, Christum esse constitutum Regem super Sion, idest super Populum Dei; hoc item eius regnum non esse concludendum finibus Iudææ, vel Palæstinæ, sicut regnum Dauidis, & Salomonis; sed extendendum per omnes gentes, etiam infideles, & occupaturum omnia regna mundi iuxta Prophetiam Danielis cap. 2. Hanc autem potestatem Christus iam à mortuis excitatus nouo titulo obtinuit à Patre, tamquam suam hæreditatem, & possessionem iure, & merito suæ passionis sibi debitam. lege Sanctum Augustinum, & Euthymium in eundem Psalm. & S. Chrysostom. homil. 39.

Dominiū Christi super omnia Regna temporalia ex Psal. 2.

in

in primam ad Corinth. vbi de Regno filij præfatum locum Psal. exponit.

NEC obstant verba illa, *prædicans præceptum eius*; vniuersus enim orbis, cunctæque creaturæ, cuiuscumque ordinis, cœlestes, vel terrestres sint, propter Christum, tamquam Redemptorem, & illarum restauratorem factæ sunt ad eius gloriam manifestandam, & humani generis salutem constituendam, hic est enim finis omnium creaturarum, hic est vltimus terminus omnium mundi Regnorum: nec enim Deus Regna, Imperia, Dominia, Ducatus, possessiones, ceteraque bona temporalia condidit, vt in ea Reges, Principes, cæterique possessores debacchentur, & suis proprijs commodis, vel voluptatibus inseruiant, sed vt per hæc visibilia, & terrena Deum inuisibilem tamquam mundi authorem, & Monarcham, & eius filium Christum Dominum nostrum, tamquam vniuersalem Redemptorem, & cunctarum creaturarum restauratorem agnoscant, venerentur, & colant; iuxta illud Psalm. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum,* vti Augustinus, & Euthymius super eundem Psalmum exponunt: vtque terrenum regnum cælesti inseruiat, ad illudque tamquam ad postremum finem dirigatur, alias frustra, ac temerè, ac sine nobiliori fine creaturas condidisset, Regnaque, ac Dominia instituisset: qua enim ratione vniuersalissimo diluuio mundum Deus oppressit, hominibus octo demptis, cæteraque animantia extra arcam contenta, exceptis piscibus, deleuit, immò elementa ipsa deteriora reddidit, Dominia abstulit, Regna prostrauit, nisi quia vitijs, criminibusque imbuti, verum Deum creatorem homines non colebant? Est igitur vniuersus orbis, & omnium creaturarum globus propter Deum ipsum, eiusque filium Christum Iesum, propter diuinam legem, & Euangelium suscipiendum, & obseruandum conditus, & institutus, cuius vniuersalis Dominus non terrenus aliquis, sed cælestis ille Rex est constitutus, de quo dicitur; *ipse est Rex Regum, & Dominus Dominantium.*

Non solum ratione prædicationis euangelicæ, sed etiã ratione veri dominij Christus est Rex omniũ.

Psalm. 18.

SEXTO, Ioan. 13. *Sciens Iesus, quia Pater dedit ei omnia in manus*; quæ verba Cyrillus lib. 9. in Ioannem cap. 3. Augustinus tractat. 55. & Gregorius lib. 3. Moral. cap. 11. generalissimè interpretantur, vt significent, Patrem filio, vt homini, omnium potestatem dedisse, vt Lucæ 10. expressis verbis dicitur; *omnia mihi tradita sunt à Patre meo*; & Matthæi 27. quæ verba Irenæus lib. 4. cap. 37. & Tertullianus in 4. lib. contra Marcion. intelligunt de omnibus, quæ per ipsum filium facta sunt. Auctor imperf. exponit, omnia Regna cælestium, terrestrium, & infernorum Christo a Patre nouo titulo, nouaque potestate, Redemptionis nempè, meritò tradita esse, vt Sanctus Athanasius notauit in orat. contra Arrian. & Cyrillus in Ioannem lib. 2. cap. 23. de qua potestate Danielis, 7. dicitur: *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus Cœli, quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum; dedit ei potestatem, & honorem, & Regnum, & omnes Populi, tribus, & linguæ seruient ei, potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.* Hæc enim Prophetia maximè intelligitur, vt exponit S. Hieronymus, de Christo in Cœlum ascendente, statim postquam Petro principatum Apostolicum dedit, Apostolisq; dixit. *Data est mihi omnis potestas, &c.*

Qua ratione Pater omnia in Christi manus tradiderit.

Daniel. 7.

SEPTIMO Ad Philip. 2. *In nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum*, vbi significatur in illo verbo, quod proximè antea dicitur; *propter quod exaltauit illum*; radix, & origo huius Dominij, nempè eius mors, & resurrectio, vt tradit Vigilius lib. 5. aduersus Eutychet. ac si diceretur, quia filius obediuit, & factus est mundi reparator, ex obedientia debitum est illi, vt ei omni genu flectatur, &c. Clarum videtur hoc mihi testimonium

Christi Principatus colligit ex eo, quod in nomine Iesu oẽ genu flectatur.

ad Monarchiam Christi, etiam vt hominis astruendam.

Nõ semel Christus, dum esset in terris, hac regali potestate vsus fuit.

OCTAVO, quoniam Christus Dñs ad indicandum hanc regalem potestatem sibi competere, ea iterum, atque iterum, dum viueret, vsus est. Matth. 21. *Ite in Castellum, & c. soluite, & adducite mihi; et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet*; hæc enim verba non ad dominum asinæ, & pulli, vt censuit Maldonatus, sed ad Christum referenda sunt, vt notauit Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Christo cap. 7. & Auctor Imperf. homil. 37. & Caietanus in dictum locum Matthæi; prædicit, inquit, illis efficaciam auctoritatis suæ, vt securi quam primum exequantur iussa. Præterea, vt ibidem legitur, arefecit ficulneam, quæ erat in patrimonio alterius; arefecit autem tamquam Dominus, & Matthæi 8. cum Dæmones pellerentur ex corporibus hominum dixerunt Christo, *sine nos abire in porcos; dixit Christus; ite, & grex porcorum iactauit se in mare, & mortui sunt omnes*; hoc fecit, & potuit Christus facere tamquam Dominus rerum naturalium temporalium. Adde quòd Ioann. 2. dicitur, Christum accepisse flagellum, & eiecisse de templo ementes, & vendentes, & tunc clarum est, vsum fuisse absoluta potestate Dominij, qua continuit eos in officio, ne resisterent, vt fecissent, si à quocumque alio Sacerdote eiecti fuissent.

Christus nõ solum fuit sacerdos, sed etiam simul Rex verè, & propriè.

NONO, quia in Christo est ponendum Sacerdotium, & regnum, cum Paulus ad Hebræos 7. dicat expressè, fuisse Regem, & Sacerdotem; at verò ius, & potestas in spiritualibus tantùm, est solum sacerdotij: Quòd si dicas, habuisse eam potestatem temporalem, quæ requiritur ad gubernationem spiritualium: respondetur, propter hoc non est necesse ponere aliam potestatem temporalem, quia spiritualis potestas eo ipso, quòd est perfecta potestas, habet ius se tuendi, & conseruandi contra omne id, quod resistit; at verò Christo Domino dandum est regnum præter sacerdotium; vnde Dauid. Psal. 22. dicit, loquens de Imperio, & Principatu Christi, & coniungens ambas potestates; *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt*; per virgam potentiam regalem significans, per baculum Pontificiam.

Psal. 22.

Auctoritate multorum scriptorum Christi Principatus ostenditur.

DECIMO idem probatur auctoritate plurimorum Doctorum, & primùm Sancti Thomæ in lib. de Reg. Prin. cap. 13. & 14. vbi addit, Augustum Cæsarem post Christi natiuitatem, gessisse vicem Christi in Imperio quatuordecim annis, toto orbe terrarum subacto; eique propter aduentum Christi veri Domini cessisse, & non sine diuino instinctu mandasse, ne quis de Populo Romano ipsum de cætero Dominum appellaret: idem videtur asserere S. Thomas 3. par. quæst. 59. art. 1. ad primum. Henrici item quodlibeto 6. quæst. 23. Sancti Antonini par. 3. tit. 22. artic. 5. cap. 8. Almaini de potestate Ecclesiæ cap. 8. Pauli Burgensis in additione 2. super caput primum Matthæi, Turrecrematæ lib. 2. suæ Summæ cap. 116. ad secundum argumentum, Aluari Pelagij de planctu Ecclesiæ art. 37. Nauarr. in caput nonum de iudicijs, notabili 3. num. 8. & num. 130. Nicolai Sanderi lib. 2. de visi. Monar. cap. 4. Augustini de Ancona lib. 1. de potestate Ecclesiæ per totum, Glossæ in can. quoniam dist. 3. & in can. cum ad verum, dist. 96. quæ est inter Canonistas communiter recepta. Alberti Pighij lib. 5. Hierarchiæ ecclesiast. cap. 3. Roffensis art. 25. contra Lutherum, Durandi de origine iurisdictionis q. 3. Hostiensis cap. quod super his, & aliorum.

Christus non fuit Rex solius Iudææ in particulari contra Armacanum.

HINC sequitur, errasse Armacanum lib. 4. de quæst. Armenorum capit. 5. & 16. dum dicit, Christum iure hæreditario fuisse specialiter Regem in temporalibus Regni Iudææ; idq; non vsu, & exercitio, sed dumtaxat iure, potestate, & habitu, ea nimirum ratione, quia per B. Virginẽ à Dauide descẽdebat, uel certè quia Christus erat legalis heres Ioseph. Idem affirmat Bachonius in 4.

q. 1.

q.1. prologi art.2. & q.11. At licèt certum sit, B. Virginem ac Ioseph ex Regia Dauidis stirpe descendisse; non tamen constat, non fuisse ante illos alios posteros Dauidis, ad quos illud regnum hæreditario iure potius pertineret, immò contrarium est longe uerisimilius, ut dicit Molina tom. 1. de iustitia tract. 2. disput. 28. Quid? quòd ex uaticinio Hieremiæ c.22. satis apparet, in Iechonia, aut Sedecia eius Patruo Regnum Dauidis finem accepisse, licèt deinde Machabęi non tamquam Reges, uel successores Dauid, sed tamquam iudices, ac Duces Iudęorum Rempublicam administrauerint.

NEC obstat primo, quòd regnum Christi in Prophetis, & scripturis prædictum, intelligatur spirituale, & cœleste, non terrenum, & sensibile, quale expectabant Iudęi, & ideo Zachar.1. dicitur, *Ecce Rex tuus veniet tibi mansuetus sedens super Asinam*; Item quòd Christus uenerit, ut doceret spernere regna temporalia, & diuitias; & fini eius, idest, redemptioni humani generis potius aduersaretur regnum temporale, quàm prodesset.

RESPONDEMVS enim, meritò in scripturis regnum Christi promitti, & describi spirituale, & cœleste; non terrenum, & sensibile, quoniam regnum spirituale habuit non solum iure, & potestate, sed etiam vsu, & exercitio; at verò regnum terrenum habuit iure tantum, & potestate, & habitu, non autem vsu, & exercitio, seu actu: homines verò in consuetudine sermonis per regnum communiter intelligunt id, quod est regnum vsu, exercitio, & actu, non admodum solliciti de iure, & potestate; Christus verò venit quidem, vt doceret contemptum temporaliũ, vt re vera magno exemplo docuit, quia abdicauit se vsu temporalium; sicut etiam magnum humilitatis exemplum præbuit, quia se voluntariè subiecit hominibus: cęterum sicut iure, & potestate mansit semper immunis, & liber ab omni obligatione legis humanæ, quia hoc ius decebat eius dignitatem; sic etiam retinuit ius, & potestatem in temporalia, quoniam hoc ius ipsi tamquam reparatori mundi, erat per se debitum ex natura sua. Cur Christi Regnũ in scripturis dicatur esse spirituale, & cęleste.

NEC secundo obstat, quòd Christus ait Ioan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo*, & Lucæ 12. *Homo, quis me constituit Iudicem inter vos?* & Ioan.6. *cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent Regem, fugit in montem ipse solus*.

RESPONDETVR enim ad illud Ioan. 18. vt sępe dictum fuit, Christum non dixisse; Regnum meum non est in mundo, ut benè S. August. in Ioan. tract. 118. & Chrysost. Hom.82. in Ioannem tom.3. & Theophylactus in Ioan. 18. adnotarunt, sed dixisse, de hoc mundo, quasi diceret, origine, & institutione non esse ex hominibus, sicut sunt regna mundi, quæ electione populorum, vel hæreditario iure, vel bello acquiruntur: Regnum verò Christi, licèt totius mundi esset, erat tamen datum desuper, nimirum à Deo, quatenus erat constitutus mundi redemptor: & quoniam huiusmodi regnum habuit Christus iure, & potestate, non vsu, & administratione, ideo dixit, *quis me constituit iudicem?* non quòd id ex iure Christus facere non posset; sed quia iàm abdicauerat vsum temporalium: fugit verò, quando illum eligere volebant in Regem, quia iam erat Rex, licèt vsum, & exercitium regiæ potestatis recusaret. Quomodo intelligendum sit Regnum Christi non esse de hoc mundo.

NEC aduersatur tertiò, in Christo frustra poni ius, & potentiam regni, si se abdicauit ab exercitio, & usu illius; frustra enim est potentia, quæ non reducitur ad actum.

RESPONDEMVS enim, hoc Axioma Aristotelis vim habere in potentijs, & facultatibus, & instrumentis à natura tributis; aliud verò esse de iure, & potestate alicuius rei, nam sæpe accidit, vt vsus sit penes vnum, & ius, seu Dominium penes alium, præsertim in moralibus, & ciuilibus, ut etiam patet in rebus emphiteoticis, & ita quoq; uoluntariè sæpè abdicamus nos usu, uel usufructu ali- Frustra est potentia, quæ non reducitur ad actũ in naturalibus, non in moralibus.

ctu alicuius rei, retinendo ius, ac directum dominium, & sic Christus abiecit v-sum, & retinuit ius, atq; dominium rerum temporalium.

NEC obstat quartò, nō constare, quando & vbi Christus huiusmodi ius ac ceperit, verba enim illa Matthæi vlt. *Data est mihi, &c.* pronunciata fuere post resurrectionem, quo tempore omnes Christi actiones iam ferè peractæ erant. Item hoc ius, vel habuit Christus ex successione, vel ex humana electione, vel iure bellico, his enim tribus titulis regna temporalia acquiruntur, vel certè dono Dei, nullum autem horum dici potest, ergo, &c.

Ius regiæ potestatis conuenit Christo ex vi vnionis hypostaticæ, & dono Dei Patris.

SED respondemus, ex vi vnionis hypostaticę in sua Incarnatione Christum illud ius, & potestatem habuisse, vt significauit Angelus B. Virgini Lucæ 1. *Dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in Domo Iacob,* idest fidelium, *& regni eius non erit finis,* & Matth. 1. *ipse enim saluum faciet. &c.* tunc enim constitutus est iudex viuorum, & mortuorum, & Redemptor totius mundi; illud tamen opportunè, vt inferius dicemus, declarasse hominibus post resurrectionem. Similiter cum quæritur, quo iure habuerit; habuisse dicimus dono Dei, ac vnionis iure, quo reparator, & redemptor mundi constitutus fuit, Ioan. 15. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum non pereat;* nec enim fuit necessarium aliud donum speciale, quo constitueretur Rex, cum ex hoc ipso iure Regnum illi deberetur.

HIS præsuppositis, & declaratis, iam videndum est, an Romanus Pontifex habeat supremam potestatem regalem, & sacerdotalem simul; vel, vt alij proponunt, an sit supremus Dominus directus, ac proprius totius orbis in spiritualibus, & temporalibus iure diuino constitutus.

Error asserentiū duas esse in mundo supremas potestates reijcitur.

QVA in re reijciēda primum est Hæreticorum sententia, cauendusq; est in primis error Marsilij Patauini, qui dicebat, duas esse potestates summas in mundo à se inuicem distinctas, quarum neutra in his, quæ ad ipsam spectant, alteri subiecta sit; imperatoriam nempè, & Pontificiam, licèt nonnulli etiam Catholici per imperatoriam intelligant quoq; regalem, & quamcumque aliam secularem non agnoscentem in temporalibus superiorem; & consequenter aiunt, secularem potestatem regiam, vel imperatoriam esse à Deo non proximè, sed media electione populorum, vel medio iure hæreditario, vel iure iusti belli, adeo verò summam potestatem esse hanc in temporalibus apud Principes arrogāter affirmant, vt si ecclesiastici peccent in rebus, & causis ad temporalem Reipublicæ statum pertinentibus, possint, & debeant iure à sola potestate seculari puniri, nisi essent immunes, & liberi ex concessione, & priuilegio Principum secularium; potestatem autem spiritualem Ecclesiæ coarctant ad Sacramenta, & quascumq; causas, & crimina ecclesiastica: causas ecclesiasticas appellantes beneficiales, & matrimoniales; crimina Ecclesiastica, hæresim, apostasiam, simoniam, vsuram, periurium, & similia. Addunt item, in his causis, & rebus spiritualibus penes Ecclesiam esse tantum potestatem spiritualem, qua possint Prælati Ecclesiarum excommunicare, suspendere, interdicere, tam ecclesiasticos, quàm seculares, ad crimina coercenda, sed non posse vltra progredi aduersus potestatem, & iurisdictionem temporalem, sed tantum posse censuras ecclesiasticas multiplicare, augere, & aggrauare.

Fundamenta & rationes supradicti erroris.

ID autem probare conantur tum ex iure ciuili, tum ex iure canonico, immo quod amplius est, ex ipsis scripturis perperam intellectis. In Authentica, quomodo oporteat Episcopos, & cęteros Clericos ad ordinationes perduci, collat. 1. dicitur; Maxima quidem in hominibus sunt dona Dei à superna collata clementia, Sacerdotium, & Imperium, illud quidem diuinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ex vno, eodemq; principio utraq; procedentia humanam exornant uitam. In Authentica de instrumentorū cautela §. quia igitur, collat. 6.

Quia

Quia igitur Imperium Deus de Cœlo cōstituit, & in l. Deo Auctore C. de veteri iure enucleando dicitur, Deo auctore, nostrū gubernatur Imperium, quod nobis à cælesti maiestate traditum est: & in l. deprecatio ff. ad legem Rhodiā dicitur, Deprecatio Eudemij Nicomediensis ad Antoninū Imperatorē, Domine Imperator Antonine, & respondens Antoninus, dixit, ego, qui mundi Dominus, &c. & in l. cū & Iudices C. de iureiur. propter calumnias, dicitur; in omni orbe terrarum, qui Romano Imperio subiectus est, & in l. 1. C. de rei vxoriæ actione §. & cum lex, Imperator dicit, suam legem vim habere in omnibus terris. Alias similes leges adducunt, quas consultò prætermittimus, cum eandem vim habeant.

PROBANT idem ex scripturis, Matthæi 12. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo;* idest quæ sunt Ecclesiæ, reddantur Ecclesiæ, & quæ Imperatoris, Imperatori. Item Matthæi 26. & Ioannis 18. *Mitte, seu conuerte gladium tuum in vaginam*, quasi Petro ferre gladium, vel eius exercitium nō competeret. Præterea 1. Petri 2. iubet Petrus, obediri Regibus etiam Ethnicis, vel discolis, quales tunc erant Gentiles, & Paulus ad Rom. 13. *Omnis anima subdita sit potestatibus sublimioribus; non enim sine causa gladium portat, &c.*

PRÆTEREA in iure canonico reperitur, duas esse summas potestates à Deo, Imperatoriam, & Pontificiam, can. quoniam d. 10. can. cum ad verum, & can. duo sunt d. 93. & can. conuenio 23. q. 8. & can. quod sit 23. q. 4. Item sæpè dicitur in eo iure, Imperatorem nō habere in terris superiorē in temporalibus, c. Per venerabilem, qui filij sint legitimi; idem colligitur ex c. quænam sit 2. & in c. solitæ, de maioritate, & obedientia. Dicitur item in iure canonico, non esse ab Imperatore ad Papam appellandum, c. si duobus, de appellatione, & glos. in can. quoniam d. 10. Item in eodem iure dicitur, tributum esse persoluendum Imperatori etiam ab Ecclesijs, can. tributum, 13. q. 8. & can. magnam 11. q. 1.

HIS non obstantibus, quorum solutionem inferius ponemus, sit

PRIMA conclusio: in Romano Pontifice formaliter, realiter, & verè residet in totum orbē vltra potestatē spiritualē, vt in secunda conclusione dicemus, ēt temporalis, vel circa temporalia propriè, directè, & per se, diuino iure à Christo sibi tradita. Explico conclusionē. Si Ecclesia, seu Papa haberet solum formaliter spiritualem iurisdictionē, & potestatem, re vera non posset propriè, & vniuocè dici, ꝙ habeat temporalem potestatem, quia esse tale in virtute, eminenter, & causaliter, nō est esse propriè tale, sed æquiuoce, vt Sol est calidus æquiuocè, nō propriè. Vnde dicere, ꝙ in Romano Pontifice, vel Ecclesia sit solum hoc modo potestas in temporalibus eminēter, & virtualiter, est dicere, Ecclesiam à Christo accepisse spiritualē potestatem dūtaxat; quod tñ falsum est, & contra omnes Doctores Catholicos, qui omnes contendunt, Papā vtrāq; potestatē accepisse: sicut ēt, si quis diceret, in Christo vnam tantū potestatē fuisse, nimirū in spiritualibus, & quòd in illa eminenter, causaliter, & virtute esset potestas in temporalibus, quia vtraq; potestas formaliter, ac propriè in illo fuit, sicut & in Ecclesia; & probatur.

In summo Pontifice est ēt potestas temporalis in totū orbē iure diuino directè & per se.

PRIMO ex Matthæi 28. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra.* & ex Ioan. 21. *Pasce oues meas:* ex quibus duobus locis, si simul considerentur, & coniungantur, non obscurè colligitur, in Romano Pontifice vtramq; potestatem spiritualem, & temporalem formaliter inesse. Omnes Doctores cōueniunt, Christum post resurrectionē suam Apostolis declarasse in illis verbis Matth. ambas potestates ab æterno Patre se obtinuisse, cum auctoritate plenissima non solum in Cœlo, sed ēt in terra, & quantum ad spiritualia, & quantum ad temporalia: qua facta declaratione, statim, vt ex c. vlt. Marci conijcitur, Principatū Apostolicū Petro, eiusq; successoribus contulit, dicens, teste Ioanne, *pasce agnos, & oues meas*; significans vtiq; in Principatu Petri vtramq; potestatē ēt temporalē, quæ in terris haberi pōt, includi; ad quid .n. declaratio illa facta est, quoad terram,

Matth. 28. & Ioan. 21.

ram,nisi, vt significetur, Petro,qui eius in terris Vicarius cõstituebatur,oẽm potestatem in Ecclesia,& pro Ecclesia datam esse? Sicut enim declaratio illa post resurrectionẽ facta est; ita quoq; institutio Pontificatus Petri,cui omnis creatura propter Euangeliũ,& vitã æternã, ẽt Angelica ad Hebr. 1 Ecclesiæ inseruiendo,aliquo modo subijcitur,vel saltem ad eũ dirigitur: Huc.n.spectant, quæ immediatè sequũtur,& apud Matt.& apud Marcũ,*euntes in vniuersum mundũ prædicate Euangeliũ omni creaturæ*; Christo.n.& Euangelio omnis humana creatura,omne dominium, omnia Regna subiecta sunt, & consequenter Petro, cui tradidit Christus omnia Regna mundi, Matth.16. & Ioann. vlt.

Ex verbo pascẽdi, ostenditur hæc summa in Papa potestas.

SECVNDO ex verbis Ioannis 21. *pasce oues meas*. Hæc vox, *pasce*, vt inferius dicemus, apud omnes authores tam prophanos, quàm Ecclesiasticos, regere,& gubernare significat; nec solum importat regimen spirituale, sed etiam regimen temporale: sic Homerus lib. 2. Iliados, frequenter vocat Regem Agamemnonẽ, quem mirè vbiq; collaudat, ποιμένα λαῶν, idest Pastorem Populorum, & in Scriptura sacra Matthæi 2. *Ex te mihi exiet Dux, qui regat populum meum Israel*; in Græco est, εἰς ποιμανεῖ τὸν λαόν του ἰσραὴλ, quòd clarius exprimitur in lectione hebræa apud Michæam cap. 5. vnde Matthæus accepit, vbi legitur, *ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel*, & Septuaginta verterunt ἄρχων, quod idem est, vt regiam Christi potestatem exprimerent,& Dauid Psal: 22. in eundẽ sensum dixit; *Dominus regit me,& nihil mihi deerit*, pro reget est ποιμανεῖ, idest,pascet. Quo verbo, & eadem regia potestas declaratur, & ratio dominandi,ac regẽdi; ꝙ scilicet, sicut Pastor futurus erat, in quo paterna cura etiã in regimine tẽporali ostenditur. Cũ igitur in hoc verbo, *Pasce*, regimen tẽporale non excludatur, cur hoc excludẽdũ est à Petro? Nec id aduersãt verbis illis, *oues meas*, quia in illis intelliguntur oẽs homines,& cõsequenter quæ ad homines pertinẽt, qui sunt in ouili Petri, vel ẽt qui futuri sunt; quo sensu Papa habet potestatem aliquam temporalem super infideles, qui licèt actu non sint oues Christi, & Ecclesiæ; sunt tamen in potentia iuxta illud; *Alias oues habeo*, scilicèt, iure,& potestate, *quæ non sunt ex hoc ouili*, nimirum actu, *& illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, &c.* vnde S.Thom. 2.2. q.10. art.10. sic scribit; distinctio fidelium, & infidelium secundum se considerata, non tollit dominium, & prælationem infidelium supra fideles. Potest tamen iustè per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ, auctoritatem Dei habentis, tale ius dominij, vel prælationis tolli: quia infideles merito suæ infidelitatis merẽtur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei; sed hoc quidem Ecclesia quandoq; facit, quandoq; non facit. Hæc ibi S.Th. vbi Caiet. ẽt docet, Ecclesiam habere potestatem, ẽt super infideles non ei subiectos temporaliter, priuandi eos dominio tam vniuersali quàm particulari super Christianos: quamuis non faciat; lege quoque eundem eadem parte quæst. 12. art. 2.

S. Thomas.

Duo gladij à Christo cõcessi S.Petro duas supremas potestates significant.

TERTIO probatur conclusio ex illis verbis Lucæ 22. *Ecce duo gladij hic: satis est*, per quæ verba Dominum duos gladios Petro concessisse negari non potest: sanè S.Ambrosius disertè scripsit, eum, qui Christo dixit hæc verba, *Ecce duo gladij hic*, Petrum fuisse, qui vnus tamquam principalis pro omnibus responderet; illum enim gladios obtulisse credendum est, qui dux Apostolici erat exercitus,& paulò ante dixerat; *tecum paratus sum in carcerem, & in mortem ire*; & paulò post solus, vt Christum defenderet, gladium exemit; cui etiam Christus, Ioannis 18. dixit, loquens de gladio temporali; *conuerte gladium tuum in vaginam*. Hæc Christi verba eleganter S. Bernardus explicat, concedens vtrumque gladium Romano Pontifici in lib.4. de Considerat. ad Eugenium c.4. vbi sic scribit. Quid tu denuo vsurpare gladium tentas, quem semel iussus es ponere in vaginam? quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo &

S. Bernardus.

ipse:

ipse: tuo forsitan nutu, & si non tua manu euaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis: ecce gladij duo hic (nempè in Ecclesia) non respondisset Dominus: satis est; sed nimis est. Vterq; ergo est in potestate Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exerendus est. Ille Sacerdotis, is militis manu: sed sanè ad nutum Sacerdotis, & iussum Imperatoris. Hæc ille. Atque ad hunc sensum reducenda sunt verba eiusdem Bernardi in lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 5. & 6. & in lib. 3. cap. 1. in principio, de Considerat. ad Eugenium; Sunt enim nonulla alia verba Bernardi, sicut & hæc intelligenda, nimirum, Papam gaudere quidem directo dominio in temporalibus totius mundi, non autem vsu, & administratione in vniuersum; atq; hunc esse legitimum sensum illorum verborum, videtur apertè definisse Bonifacius Octauus in Extrauag. Vnam Sanctam, de maioritate, & obedientia; vbi inter cętera prædictis verbis Bernardi vtitur, excepto verbo illo, ad iussum Imperatoris; sed sic habet. Vterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius, & materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exerendus. Ille Sacerdotis, is manu Regum, & militum, sed ad nutum, & patientiam Sacerdotis.

Sentẽtia S. Bernardi explicatur circa duos Petri gladios.

ADVERTENDVM hic, quòd quamuis in illo loco Lucæ; *Ecce duo gladij hic*, ex Chrysost. alius sensus colligatur, nimirum, quòd ibi Christus fuerit ironicè loquutus, quasi diceret, quid duo gladij ad tantam multitudinem superandam? & ex Theophylacto alius item sensus, nimirum, cum Apostoli duos gladios materiales ad Christi defensionem protulissent; dixit illis, sufficit, eorum sermonem interrumpens, ne vltra progrederentur, quasi diceret; nonne satis intellexistis? nõ est hæc res armis corporalibus peragenda, sed animo virili, & virtute, ac fortitudine: & huiusmodi sensus benè possunt admitti, cum reuera nihil repugnent; quoniam vnius loci in sacris literis possunt esse multi sensus etiã literales; ità tamen sunt admittendi, vt non sit negandus alius sensus, quem tradidit Bernardus, & Bonifacius Octauus; totum enim, quod ibi gerebatur, erat etiam typus quidam, & vmbra eius, quod posteà in Ecclesia gerendum erat. Rursus quamuis Pontifex misticum sensum fuisset sequutus, dicimus, misticum sensum habere etiam vim in rebus fidei, quando constat ex alio loco scripturæ, vel ex sensu, & traditione Ecclesiæ, Concilij, vel Papæ. Adde, quòd Bonifacius vtitur verbis illis; *Ecce duo gladij hic*, tamquam proprio medio ex Euangelio acceptо ad probandum, in Christi Ecclesia esse vtramq; potestatem, spiritualem, & temporalem in Petro. Quocirca etiam si interpretatio illa esset mistica, cum tamen à Papa ex Cathedra ad dogma fidei probandum, tamquam proprium mediũ verba illa proferãtur, certũ, & infallibilẽ sensum faciunt. Vide quæ nos circa id scripsimus in lib. 5. de anno Iubilęi, cap. 7. Nec dicendum est, hanc extrauagantem Bonifacij reuocatum fuisse à Clemẽte Quinto in extrauaganti, Meruit, de priuilegijs; in hac enim tantum declaratur, Regem Franciæ, & Regnicolas nõ amplius subijci Ecclesiæ Romanæ, quàm prius erant, vt patet legenti illã.

Expositio 9. Chrys. de duobus gladijs Ecclesiæ: sicut & Theophylacti, nõ excludit sensum hic explicatum.

QVARTO eadem conclusio probatur ex definitione Nicolai Secundi, quæ habetur distinct. 22. can. 1. vbi sic ait. Ecclesiam solus ille fundauit, & super petram fidei mox nascentis erexit, qui Beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul, & cęlestis Imperij iura commisit. Lege ibidem glossam communiter receptam, quæ idem affirmat: nec Nicolaus Primus contradicit Nicolao Secundo, ille enim, dum in Epistola ad Michaelem dicit, Christum distinxisse actus, officia, & dignitates Pontificis, & Imperatoris, ne aut Imperator iura Pontificis, aut Põtifex iura Imperatoris præsumeret vsurpare; loquitur de exercitio, & administratione Imperialis dignitatis, hic verò de habitu, & iure Pontificiæ dignitatis in temporalibus.

Nicolaus Papa Secũdus hic supremã potestatem asseruit.

QVIN-

S. Thomas etiã fauet huic nostræ sententiæ.

QVINTO ex doctrina S.Tho.in fine 2. libri sentētiarū dist.44. vbi habet hæc verba,quæ hoc loco referenda sunt a nobis,ad maiorem veritatis confirmationē. Ad quartum dicēdum, quòd potestas spiritualis, & sæcularis vtraq; deducitur à potestate diuina: & ideo in tantum sæcularis potestas est sub spirituali, in quantum est ei à Deo supposita, scilicet in his, quæ ad salutem animæ pertinent, & ideo in his magis est obediendum potestati spirituali, quàm sæculari;in his autem,quæ ad bonum ciuile pertinent,est magis obediendum potestati sæculari,quàm spirituali, secundum illud Matth.22. Reddite,quæ sunt Cęsaris,Cęsari, &c, nisi forsitan spirituali potestati etiam secularis potestas coniungatur,sicut in Papa,qui vtriusq; potestatis apicem tenet, scilicet spiritualis,& secularis,hoc illo disponente, qui est sacerdos in æternum, Rex Regum, & Dominus Dominantium: apertissima sunt hæc verba S.Thomæ,nec ex incerto aliquo eius opere proferuntur,nec restringenda sunt ad Prouincias,quas Papa possidet,vt Princeps secularis,cum dicat, hanc vtramq; potestatem ex ordinatione,& dispositione summi Sacerdotis, & Regis Regum, & Domini Dominantium, idest Christi,habuisse. Idem habet S.Thomas in lib.3. de regimine Principum, cap. 10. & 19. quod opusculum,licèt nonnulli negent esse Sancti Thomæ; esse tamen alicuius authoris antiqui, & docti,ac non spernendi,non est negandum;quamuis nobis opusculum illud phrasim Doctoris Angelici maximè redoleat: nec repugnat in cap.20. illius opusculi appellari Petrum successorē Christi, simili enim phrasi vsus fuit S.Bernardus in epist. ad Conradum Imperatorem;quamuis huiusmodi locutio non sit propria, cum Petrus non fuerit successor,sed Vicarius Christi; mentio autem illa Alberti Imperatoris, quæ fit cap.20. vtiq; alicuius scioli studio interposita, vel ex margine in textū intrusa fuit, quod sæpè scriptoribus ex vitio impressorum accidit. In citato igitur cap.10.sic loquitur S.Thomas,exponens plenitudinem potestatis Petri,& verba illa; *Quæcumq; ligaueris,&c.* Quòd si dicatur, inquit, ad solam referri spiritualem potestatem, plenitudinem videlicet potestatis Pontificiæ, hoc esse non potest, quia corporale, & temporale ex spirituali,& perpetuo dependet: & cap. 19. Simile contingit in Principe totius Regni,quia pro conseruatione regiminis super subditos ampliatur eius potestas, imponendo taleas, destruendo Ciuitates, & castra pro conseruatione totius Regni. Multo igitur magis conueniet summo, & supremo Principi,idest Papæ ad bonum totius Christianitatis. Hæc ille. Vnde egregiè Albertus Magnus S.Thomæ Præceptor in cap.Lucæ 22. sic scribit: Domine ecce duo gladij hic, hoc est spiritualis,& corporalis; quorum vnum exerit Ecclesiæ minister, & pugnat in eo,& hic est,de quo dicitur Ephes.6. Gladium spiritus, quod est verbum Dei. Alter autem est defensionis gladius materialis,in quo nō pugnat,sed manus laica in ipso pugnat,quando præcipit Ecclesiæ minister: & vterq; est in Ecclesia,& ideo sequitur, At ille dixit, satis est, quia quamuis in primitiua Ecclesia,præualente iniquitate, & infidelitate,non fuerit aliquis vsus gladio illo: tamen, vt diximus,hoc præsidium in Ecclesia esse Christus voluit: sciens,quòd Ecclesia iam dilatata sine gladio materiali gubernari non potuit, Romanorum 13. qui resistit potestati,Dei ordinationi resistit;qui autem resistunt,ipsi sibi damnationem acquirunt. Ita Albertus ibi.

Electores Imperij à summo Pontifice designati.

SEXTO idem probatur ex capite, Venerabilem, de elect. vbi Innocentius Tertius ait,ius eligendi Imperatorem electoribus Imperij conuenire Apostolicæ Sedis concessu, & auctoritate,quod multis rationibus, & argumentis ibidem Pontifex probat; at id ad temporalem potestatem spectat. Præterea in cap. Ad Apostolicæ,de sententia, & re iudicata,in sexto, Innocentius Quartus in Conc. Lugdunensi Imperatorem Fridericum ob quatuor crimina anathemati subijcit, & omni potestate,& dignitate priuat: & contestatur Pontifex, se id facere pote-

state

state sibi à Domino in Petro tradita. Et in Clementina, pastoralis de sententia, & re iudicata, Clemens Quintus in Concilio Viennensi ait: Nos vacante Imperio, Imperatori succedimus: hoc autem dicit Pontifex, quia Romanus Pontifex Imperium ex Græcis ad Carolum Magnum, & deinde ad Germanos transtulit, & ius Germaniæ Principibus concessit Imperatorem Romanorum creandi; & idẽ habetur in c. licèt ex suscepto, de foro cõpetenti, ex Innocẽtio Tertio.

SEPTIMO probatur conclusio ex multorum Doctorum sententia, id .n. asserit Panormitanus in cap. nouit de iudicijs, & Hostiensis in cap. quod super his, de voto, & voti redemptione; qui multa alia addit in fauorem supremæ potestatis temporalis Pontificiæ, etiam quoad regna infidelium, Syluester verbo, Papa q. 7. & à q. 10. vsq; ad 14. & verbo, legitimus, q. 4. versus finem, Nauarrus in d. c. nouit, de iudicijs, Baldus in Procemio Decretalium, Bartholus in constitutione Henrici Septimi, in volumine post duos libros feudorum, quæ incipit: Ad reprimendum, primo, inquit, fuit Imperium Babylonis, secundo Persarum, & Medorum, tertio Græcorum, quarto Romanorum, vltimo adueniente Christo istud Romanorum Imperium cępit esse Christi Imperium: & ideo apud Christi Vicarium est vterq; gladius, scilicet spiritualis, & temporalis. Christus enim est lapis abscisus sine manibus, cuius regnum non dissipabitur: de quo prophetauit Daniel capite secundo. Post Christum igitur omne Imperium est apud eum & eius Vicarium, & transfertur per Papam in Principem secularem; & idem tenent quã plurimi alij. Inter Theologos, Aluarus Pelagius, lib. 1. de planctu Ecclesiæ, & præsertim in c. 14. Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis p. 2. c. 4. Alexander, Bonauentura, Henricus, Durandus, & alij, & Augustinus Triumphus in summa de potestate Ecclesiæ q. 1. art. 7. vbi pulcherrimis rationibus ostendit, in Papa esse directè, & per se Regalem, & Sacerdotalem dignitatem. Hac .n. inquit, ratione Papa consecratur, vt Sacerdos summus; & coronatur, vt Rex supremus, & festum coronationis nuntiat omnibus Regibus, vt indicetur, in eo esse potestatem Regalem, & Sacerdotalem, sicut etiam fuit in Christo, in quo hæc vtraq; potestas Regalis, & Sacerdotalis sæpè ostensa est, nimirũ in eius incarnatione, in eius conuersatione, in eius passione, & resurrectione; quę omnia diffusè declarat, addens, quod diuersa ratione Regalis potestas est in Papa, & alijs Regibus, cum enim aliquid est in superiori, & inferiori, vel in principali agente, & ministro, longè nobilius, & excellentius est in principali agente, quàm in inferiori, & instrumento, seu ministro; potestas ergo Regalis est, in Papa, & in alijs Regibus, & Principibus mundi; nobiliori modo tamen, & excellentiori est in Papa, quàm in eis, quia in Papa est formaliter quidem, sed eminentiori modo per confirmationem, & interdum per institutionem, & per depositionem, atq; correctionem ipsorum; in eis autem est per executionem, & administrationem; loquendo pręsertim de Regibus Christianis, qui in baptismate, & receptione fidei se, & sua Regna Deo dedicarunt, & Ecclesiæ Romanæ, ac Christo submiserunt. Quemadmodum etiam in sacerdotio leuitico summus Sacerdos habebat potestatem Regalem, præsertim in depositione, & cõfirmatione ipsorum Regum, vt patet 1. Regum 15. & 16. vbi Samuel Sacerdos Dauid Regem constituit, & Saul deposuit; & licèt Regnum Christi non fuerit de hoc mundo ea ratione, quia non fuit modo mundano acquisitũ, & institutum, quo modo sunt alij Reges, qui ex fortitudine ministrorum accipiunt potestatem regnandi, fuit tamen à Christo in hoc mundo institutum, qui sibi ipsi in regnando sufficiens est, nullo alio adminiculo indigens, Ioan. 13. quod regnum sanè Petro, & successoribus commisit, Matt. 16. & Ioan. 21. vt S. Chrys. Hom. 83. in Ioann. ait. Regnũ, inquit, meũ nõ est de hoc mundo, quasi dicat, Rex sũ, non tamen qualẽ arbitraris, sed longè præstantior, nec tyranidem affecto, nec Regno Cęsarem depellere tento, cum non terrena

Auctores, qui asserũt, in summo Pontifice esse supremam potestatẽ temporalem in totum orbem.

arripere, sed cęlestia Regna tradere venerim; quod satis ostenditur, quia nec cum purpura, nec cum diademate, nec cum ornatu, nec cum satellitibus accesserim, omnia tamen Pater tradidit in manu mea, & habeo potestatē omnis carnis, & omnium sum Dominus, & Magister. Hactenus ex August. Triumpho.

Sicut Christus fuit solus totius Ecclesiæ caput in omnibus, ita debuit vnū tantum caput, & non duo, instituere, nimirū solum Pontificē.

OCTAVO necessaria ratione suadetur conclusio, quoniā sicut Deus constituit Christum, vt homo est, caput supremum, & vnicum totius Ecclesiæ triumphantis, & militantis, Angelorum, & hominum, Cœli, & terræ, totius orbis terreni, & cœlestis, ita ut sit verè Monarcha, & caput omnium, immo primogenitus omnis creaturæ quoad naturam, gratiam, & gloriam, ad Ephes. 5. Sic decens fuit, immo necessarium, Christum Dominum instituisse, dum in terris versaretur, & vellet ascendere in Cœlum, in sua Ecclesia caput vnum, quod eius vicem gereret, itā vt in mundo, & Ecclesia militāti Monarcha vnicus esset, non solū in spiritualibus, sed ēt in temporalibus, non solū animarum, sed etiam corporum, non solum eorum, quæ intra homines sunt, sed etiam eorum, quæ extra illum sunt, nec solum bonorum externorum corporalium, sed etiam ipsius humanæ vitæ, vt patet Actor. 5. & 13. hic autem est Petrus, & eius successor Pontifex Romanus; sicut enim Ecclesia est vnum corpus, ita non duo capita, sed vnum habere oportet, vt vitium monstri euitetur; nō enim duo principia, vt Manichæi ponebant, sed vnum constituendum est, cum etiam Dominus, teste Moyse, non in principijs creauerit Cœlum, & terram; & hæc est ratio Bonifacij Papæ in citata sua Extrauag. Vnam Sāctam; vbi adducit quoq; illud Hierem. 1. *Ecce constitui te super gentes, & Regna, &c.* sicut etiam diluuij tempore vna fuit arca Noè, vnam Ecclesiam præfigurans, quæ in vno cubitu consumata, vnum (Noè videlicet) gubernatorem habuit, & in spiritualibus, & in temporalibus; extra quam omnia subsistentia super terram legimus fuisse deleta. Lege præterea Henricum quodlibeto 6. quæst. 33. qui dicit, Pontificem Romanum habere tum Sacerdotalem, tum Regalem potestatem iure super omnes alios potentatus terrenos, à qua cęteræ dignitates tam spirituales, & Ecclesiasticæ, quàm temporales, & seculares, præsertim in Christiana Ecclesia emanant, & dependent: eius verba inferius ponemus: quocirca etiam imperatoria potestas, prout hodie reperitur in Ecclesia, ab ipso Romano Pontifice proficiscitur, cum Imperator ab illo coronetur, & confirmetur.

NONO, & vltimo, ea ratione id suadetur; quoniam sicut in creatione, & promotione Episcoporū Papa in consistorio secreto speciatim dicit, *se illis*, qui promouentur, tradere auctoritatē, & iurisdictionē tā in temporalibus, quàm in spiritualibus, vt planè constat ex formula præfati consistorialis decreti, est enim huiusmodi. Prouidemus Ecclesiæ tali de tali persona, & præficimus eum in Patrem, & Pastorem, ac Episcopum eiusdem Ecclesiæ, committentes ei administrationem in temporalibus, & spiritualibus, in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti. Amen. Ita quoq;, immo maiori ratione assūpto in summum Pontificem vtramq; potestatem à Deo tradi confitendum est; neq; enim alijs potestatem in temporalibus traderet Pontifex, nisi ipse haberet, nemo enim alteri tribuere potest, nisi prius illud ipse aliquo modo habeat.

Argumenta cōtra supremā potestate Pontificis in temporalibus dissoluuntur.

NVNC respondendum est ad obiecta contra hanc primam conclusionem superius facta.

AD Authenticam primo loco adductam dicimus, habitu, & iure vtramque potestatē spiritualem, & temporalem in summo penes Romanū Pōtificē esse; sed vsu, ac functione ad eū nō pertinere temporalē potestatē extra ea loca, quæ sunt in patrimonio B. Petri, & alia quę possidet actualiter Ecclesia Romana, nisi certis ex causis, & ideo in Authentica dicitur, Pontificē spiritualia, & diuina curare, actione .s. & vsu; ad Imperatorē verò tēporalia vsu, & functione. Item vtraq; potestas

testas iure,& habitu est à Deo,sed non eodem modo: nam in Pontifice est spiritualis,& temporalis proximè a Deo;spiritualis quidem iure, & vsu; temporalis verò iure,non vsu,nisi in certis causis,vt dictum est: in Imperatore verò est temporalis tantum iure,& vsu, à Deo quidem non proximè,sed per Romanum Pontificem,à quo proximè in Imperatorem deriuatur.

AD secundam Authenticam adductam similiter respondemus, Imperiũ esse à Deo,& de Cœlo non proximè, sed per Romanum Pontificem in Imperatorem descendere,nec illum esse absolutè Mundi Dominum, sed exercere suam Imperatoriam potestatem in terris Imperio subiectis per potestatem à Deo per Romanum Pontificem acceptam.

AD locum Matthæi, *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, dicimus, Christum per ea verba non distinxisse Imperium à Sacerdotio, omnia enim sunt Dei, non autem omnia Cæsaris; sed dixisse,vt ea,quæ Cæsari debebãtur,soluerentur,iuxta illud Pauli, *cui tributum tributum, cui vectigal vectigal*; cum iterum dixit Petro, *conuerte gladium tuum,&c.* ius gladij Petro non ademit,sed noluit,ipsum eo tempore gladio vti. Petrus verò iubet,Regibus obediendum, vt par est, non tamen priuatiuè ad Romanum Pontificem, etiam vt Dominus temporalis est.Locus verò S.Pauli nihil fauet Imperatoriæ potestati, non enim ibi Paulus loquitur de potestatibus secularibus tantum,sed etiam de spiritualibus,vt ex doctrina B.Anselmi alibi à nobis demonstratum est; sed esto, sermo Pauli dumtaxat sit de potestatibus secularibus; supremam tamen temporalem non excludit, quæ formaliter reperitur in Romano Pontifice.

AD loca ex iure canonico petita,cõcedimus,vtramq; potestatem esse à Deo, Imperatoriam, & Pontificiam,sed non eodem modo, & ex æquo;Imperatori.n. datur potestas à Deo,sed per Ecclesiam,& Romanũ Pontificem,qui ipsum confirmat,vngit,consecrat, & coronat, & in casu ẽt eligit, & instituit:nec in terris Imperator habet in temporalibus superiorem eiusdem ordinis, sed Romanum Pontificẽ,qui est diuini, superioris,& altioris ordinis:nec ab Imperatore ad Ronum Pontificem prouocatur regulariter; hoc.n. pertinet ad administrationẽ, & vsum potestatis,quẽ vsum Romani Pontifices non sumunt sibi,nisi in certis quibusdam causis; soluitur ẽt tributum Imperatori ab Ecclesijs,tamquam patrono, protectori, & propugnatori Ecclesiæ, & propter ea seruitia, quæ erga Ecclesiam tamquam eius filius,ouis, membrũ,& defensor præstare debet.Quòd si S.Greg. in epist.61. lib. 2. registri sæpè vocat Mauritium Imperatorẽ suum Dominum, & se famulum,& seruum illius profitetur; respondemus,id factum esse à Gregorio propter iniquas illorum temporum conditiones; à tempore enim Iustiniani Imperatoris Ecclesiam, & Sacerdotes sibi tributarios, & quasi famulos fecerant Imperatores contra fas, & ius diuinum. Vnde tunc Imperatores Sacerdotibus, & Pontificibus dominabantur de facto, non iure: & quia id factum permittebat Deus,dicebantur, Sacerdotes esse commissi manui Imperatorum à Deo,videlicet permittente, non iubente; nec proinde sequitur Imperatorem esse Romani Pontificis Vicariũ, nimirum ad nutum eius reuocabilem; ad Imperatorẽ.n. spectat ordinaria Imperij administratio quoad vsũ,& exercitiũ eius;licèt quatenus Christianus est,Romano Pontifici sit subiectus,tãquã ouis suo Pastori,tamquã filius patri,& tamquã mẽbrum capiti;& licèt Imperator sit Dei minister, nõ tñ rectè,& propriè dicitur Vicarius Dei,vel Christi,vt superius declaratũ fuit:pari modo exponẽda sũt ea,quę dicit Leo epist.38.ad Martianũ,quẽ fatetur a Deo ad Imperiũ electũ esse,& epist.43.sui Imperij auctorẽ Deũ esse;& ea,quæ scribit Gelasius in epist.ad Anastasiũ Imperatorẽ sæpe citata, quæ habetur in decreto d.96.can.Duo sũt.Duo sunt,inquit,Imperator Auguste, quibus principaliter mũdus hic regitur,auctoritas sacra Põtificũ,& Regalis potestas,&c.est quidẽ à Deo

Explicantur ea, quæ obijciũtur ex Iure Canonico.

Imperiū, mediatè tamen, & quoad executionē Imperatori à Papa demandatum.

Suprema potestas in temporalibus in Ecclesia post aduentum Christi.

QVOD si iterum obijcias, Imperium fuisse ante Christum; respondemus, nos loqui de Imperatoribus Christianis, qui subiecti sunt Romano Pontifici, tamquam Christi Vicario; Monarchia enim Christi ab eius natiuitate cępit, vt tradit S. Thomas, lib. 3. de regimine Principum, cap. 13. & 14. & mox rerum ordo mutatus est, & in recognitionem debitæ seruitutis nouo, ac vero Monarchæ tūc vniuersus orbis descriptus fuit, Deo Cęsarem Augustum ad hoc mouente, qui post Christi veri Domini natiuitatem per quatuordecim annos eius Monarchiæ vices gessit, vt ibidem S. Thomas.

Imperator habet potestatem in tēporalibus dependenter à Papa.

QVOD si iterum quæras, an Papa, & Imperator habeant Dominium in totum orbem in solidum, vel in integrum; respondemus, quòd cum non habeat Imperator ex æquo, vel æquè principaliter cum Papa iurisdictionem temporalem, quia illam habet dependentem à Papa, in quo magis principaliter est huiusmodi etiam iurisdictio; nequaquam dici potest, habere illam in solidum cum Papa; etenim Papa illam habet principaliter, Imperator verò subordinatam Papæ, & dependentem ex eius iure. Et hęc hactenus sufficienter dicta sint circa primum sensum quæstionis propositæ.

An Pontifex habeat summā potestatē in temporalibus in ordine ad spiritualia.

SECVNDVS sensus quæstionis esse potest, an dato, & non concesso, Papam nequaquam esse Dominum totius orbis, potestas Pontificia tradita à Christo Petro, sit summa, & suprema, non solum circa spiritualia, sed etiam summa, & suprema circa res temporales, quæcumq; illæ sint, in ordine ad bonum spirituale, & salutem animarum, & bonum commune Christianæ Reipublicæ, & quomodo id competat Papæ, directè, vel indirectè, per se, vel per accidens, incidenter, vel causaliter: quocirca secundam in hac quæstione ponimus conclusionem.

Pontificem habere talem potestatē, est de fide.

SECVNDA cōclusio, de fide est; vt etiam alibi à nobis dictum est, Papam, vt Papam habere summam potestatem non solum spiritualem, sed etiam temporalem, hoc est, summam potestatem, & iurisdictionē disponendi de temporalibus rebus, saltem omnium Christianorum in ordine ad bonum spirituale. Atq; hæc potestas est ipsamet potestas pontificia supernaturalis, & spiritualis vtraq; virtute, & auctoritate pollens, Petro à Christo collata, dum illum Pastorem vniuersalem Ecclesiæ creauit, Ioannis 21. vt mox ostendemus.

Qua ratione talis potestas Pōtifici cōueniat.

EST autem scholasticè simul videndum, an hæc potestas temporalis hoc modo explicata, competat Papæ directè, vel indirectè, per se, vel per accidēs: & dicimus resolutè, quod directè, & per se, & ex Christi institutione, & de iure diuino hæc potestas tā circa spiritualia, quā circa temporalia in ordine ad spiritualia, nec non per se primo competit Papæ, vt Papa est.

PROBATVR autem hæc assertio ex textu Euangelij Ioannis, loco proximè citato: *Pasce*, hoc est, rege, & guberna, ēt cum potestate, & auctoritate, *agnos, & oues meas*, hoc.n. significat verbū, *Pasce*, vt paulò ante diximus, & ex scriptura, & Patribus latius ostendimus lib. 2. de Anno Iubil. cap. 12. Ad bonum autē, & sufficiens regimen Ecclesiæ necessaria est Pontifici hæc potestas circa temporalia. Igitur tamquā pars ad Pontificiū munus necessaria, & essentialis, non secundariò, vel indirectè, nec per accidens, vel incidenter, sed per se, & directè pertinens tradita fuit Petro, aliàs potestas ei à Christo collata non esset essentialiter integra, atq; perfecta; cura enim gregis non solum exigit à pastore, vt illum tueatur, & dirigat; sed etiam, vt contraria, & aduersantia amoueantur, & ea, quæ impediunt, vel turbant bonum regimen, propria pastoris auctoritate pellantur, præsertim, si sint inferioris ordinis, vt sunt temporalia: Hac ratione Apostoli habuerunt ius percipiendi aliquid ex bonis temporalibus laicorum ad sustentandos Euangelij, & prædicationis ministros, sicut etiam hodie habet Ecclesia, quæ laicis potest præcipere, eosque cogere ad alimenta Clericis, præsertim

ijs,

ijs, qui verbo, & doctrina in Ecclesia laborant, præstanda ex eorum facultatibus, cum opus fuerit: ita docet Sanctus Paulus 1. ad Corinth. 9. Seminantibus enim spiritualia, à Christo, & ab Apostolo conceditur, vt carnalia metant; possunt quoque laici cogi in interiori foro à confessarijs, vt eleemosynis redimant peccata sua; nec non etiam ab Episcopis in foro exteriori pœna pecuniaria mulctari, vel etiam carceribus mancipari, vt ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. liquidum est. Simili quoq; ratione Apostoli iusserunt, vt Christiani laici in caussis ciuilibus Iudices Christianos constituerent, ne ad Gentilium Magistratuum iudicia accederent, vt patet 1. ad Cor. 6.

SECVNDO idem probatur ex illo textu Matth. 16. *Tibi dabo Claues Regni Cælorum*, hoc est potestatem, & principatum regendi Ecclesiam; est enim consuetudo etiam in rebus prophanis, quòd quando alicui Principi ciuitates, & loca traduntur, in signum subiectionis, & supremi regiminis, offeruntur ei claues, sicut etiam Oeconomo, qui instituitur rector alicuius domus. Ad munus autem reserandi per se pertinet remouere obstacula, quæ reserationi officiũt, vel eam retardant. Spectat enim directè, & per se ad potestatem Petri remouere non solum spiritualia, sed etiam temporalia impedimenta, & promouere hanc rerum temporalium machinam, ad bonum Ecclesiæ, vt enim inquit Sanctus Paulus 2. Corinth. 10. *In promptu habemus vlcisci omnem inobedientiam*, & rursus. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Vnde Chrysost. homil. 22. in citatam Pauli epistolam dicit: Istud maximum ædificationis genus est, auferre ea, quæ impediunt, & quæ putria amouere, & vera ad ædificationem componere; sanè ad hoc accepimus, vt ædificemus. Si autem quis certet, & resistat, & incurabilis sit, etiam altera vtemur efficacia, destruentes illum, & deijcientes. Hæc ille. Nihil clarius, nihil apertius hac in re scribi potuit: & paulò ante dixerat, loquens in persona Apostoli. Ego enim habeo ab illo, nempè Christo, magnam illam, quos volo puniendi, & resecandi potestatem; intellige non solum quoad personas etiam laicas, sed quoq; quod minus est, quoad eorum temporalia bona, in ædificationem tamen Ecclesię: vniuersè enim Paulum loqui, affirmat S. Chrysostomus.

Matth. 16.

2. Cor. 10.

S. Chrysost.

TERTIO eadem conclusio comprobatur ex multis Doctorum auctoritatibus, ac testimonijs, qui quoniam in Ecclesia illustres scriptores fuerunt, & ab omni Pontificis adulatione alienissimi, firmum reddunt huic veritati testimonium. Sanctus Bonauentura in lib. de ecclesiastica Hierarchia, parte 2. c. 1. sic loquitur. Iam verò possunt Sacerdotes, & Pontifices ex causa amouere Reges, & deponere Imperatores, sicut sæpius accidit, & visum est, quando scilicet eorum malitia hoc exigit, & Reipublicæ necessitas sic requirit. Summus verò Põtifex, penes quem in terris prima residet auctoritas, non à Rege, non à Principe seculari, non ab homine iudicatur, sed solius Dei iudicio reseruatur.

Auctores, qui fuerunt in hac sententia.

S. Bonauent.

PETRVS de Palude in tract. de causa immediata Ecclesiasticæ potestatis art. 4. sic loquitur. Papa est superior in spiritualibus, & per consequens in temporalibus, quantum necesse est, pro bono spirituali.

ÆGIDIVS Romanus in tract. de potestate ecclesiastica p. 1. cap. 30. & sequentibus, docet, potestatem Ecclesiæ, quæ plenissima est in summo Pontifice, non ad sola spiritualia, sed etiam ad temporalia se extendere, & Reges, ac Principes non solum spiritualiter subesse Ecclesiæ, sed etiam temporaliter.

DVRANDVS de origine Iurisdictionum quæst. 3. Quia, inquit, vtraque potestas temporalis, & spiritualis est necessaria, ideo vtramq; potestatem Christus contulit Petro; & infra. Isti sunt veri termini iurisdictionis spiritualis, &

temporalis a fundatione Ecclesiæ, quos transgredi non licet; quia iurisdictio temporalis nullo modo se extendit ad spiritualia, de quibus nihil nouit: iurisdictio verò spiritualis, se extendit primo, & principaliter ad spiritualia, secundario verò, & per quandam consequentiam se extendit ad actiones hominum circa temporalia, quæ ordinantur ad spiritualia tamquam ad finem.

GABRIEL Biel insignis Theologus, lect. 23. in Canonem Missæ. Ille, inquit, regit, & custodit, qui propter ipsius Ecclesiæ regimen, vnum (Papam videlicet) præposuit vniuersis, ut omnes ab uno, sicut corpus à capite gubernentur. Et propè finē inquit. Papa transfert potestatem supremam secularem de gente in gentem, & Imperatorem deponere potest, &c.

HENRICVS de Gandauo loco superius citato, nimirum, Quodlibeto 6. q. 33. Iste, inquit, Hierarcha primus post Christū super vniuersalem Ecclesiam Petrus erat, cui ambas claues tradidit, & duos gladios commisit; sic, vt regimen vniuersalis Ecclesiæ tam in spiritualibus, quàm in temporalibus ad ipsum pertineret.

DIONYSIVS Carthusianus, in lib. de regimine politiæ, art. 19. In Ecclesia, inquit, Dei est vnus Pontifex summus, videlicet Dominus Papa, in quo est vtriusq; potestatis, atq; Dominij plenitudo, & apex, hoc est tam spiritualis, quam secularis potestatis: idcirco iurisdictionem, & dispositionem habet super omnia Regna, & Principatus fidelium, non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, dum rationabilis causa requirit. Nam & Imperatorem potest deponere, & Reges, si vita eorum id mereatur, Regnis suis priuare.

IOANNES de Turrecremata S.R.E. Card. doctissimus, in summa de Ecclesia lib. 2. cap. 113. propositione quarta, docet, Papam iure Papatus non habere extra Principatum suum Ecclesiasticum potestatem in temporalibus directè: Sed cap. 114. docet per sexdecim conclusiones, Papam in ordine ad spiritualia habere potestatem amplissimam in temporalibus. Referam hoc loco vnam tantum conclusionem. Quarta propositio, Romanus Pontifex videtur iurisdictionem etiam in temporalibus habere, quia non solum Principes seculares circa vsum suæ iurisdictionis delinquentes potest per censuram Ecclesiasticam coercere; verum etiam notabiliter negligentes à dignitate deponere. Videat lector totum caput, & commentarium eiusdem auctoris in capit. Alius. 15. quæst. 6.

CYPRIANVS Benetus in libro de prima orbis sede, in resp. ad sextum pro secunda parte conclusionis primæ. In traditione, inquit, clauium includitur etiam collatio terrenarum potestatum pro conseruatione bonorum spiritualium.

FRANCISCVS Victoria de potestate Ecclesiæ, Relectione 1. q. 5. prop. 8. In ordine, inquit, ad finem spiritualem Papa habet amplissimam potestatem temporalem super omnes Principes, & Reges, & Imperatorem; & infra. Quando necesse est, ad finem spiritualem potest, non solum omnia, quæ Principes seculares possūt; sed & facere nouos Principes, & tollere alios, & Imperia diuidere.

DOMINICVS à Soto in 4. dist. 25. q. 2. art. 1. conclus. 5. apertè tandem asserit, Papam per suam potestatem spiritualem, quæ non est merè temporalis, sed temporali vtitur, vt spiritualis ministra, posse non solum censuras Ecclesiasticas ferre contra Reges; sed etiam vti bonis temporalibus ad suum ipsius finem, & spirituale propositum, & per temporales pœnas Principes coercere; & alia in hanc sententiam.

ANTONIVS Cordubensis lib. 1. quæstionarij quæst. 57. dub. 3. Ecclesia, inquit, & maximè Papa habet potestatem, & auctoritatem, vel iurisdictionem aliquam temporalē in ordine ad finem spiritualem super omnes homines,

mines, & Principes, & res omnes, & Regna totius mundi.

LVDOVICVS Molina tom. 1.de iust.& iure, tract.2. disp.29.concl.3. Potestas, inquit, spiritualis Summi Pontificis ad finem supernaturalem adiunctam quasi ex consequenti habet supremam, & amplissimam potestatem iurisdictionis temporalis super omnes Reges, & reliquos, qui sunt de Ecclesia; præcisè tamen quantum postulat finis supernaturalis, ad quem spiritualis potestas ordinatur. Quare si id exigat finis supernaturalis, potest Summus Pontifex deponere Reges, eosque Regnis suis priuare.

IOANNES de Capistrano, qui doctrina, & miraculis Ecclesiam Catholicam illustrauit, in lib.de potestate Papæ, parte 2. secundæ partis principalis, in argumento decimo octauo. Papa, inquit, Princeps in spiritualibus, debet similiter in temporalibus eminere, vt tamquam dignior propter eminentiam, supremus in omnibus habeatur.

IOANNES Azòr p.2. instit.moral. lib.4.c.9. copiosissimè vniuersam hanc materiam de temporali potestate Papæ amplificat, nec non Cardinales Caietanus tom. 2.in Apolog. de auctoritate Pontificis, par.2.cap.13. ad 8. & cap.13.ad 1.& Bellarminus lib.5.de Romano Pontifice cap. 6. 7.& 8. atque in lib. postremo ab eodem Cardinale edito aduersus Gulielmum Barclaium de potestate Summi Pontificis in temporalibus, apud quẽ multi alij scriptores de re proposita, Itali, Galli, Hispani, Germani, Angli, & Scoti legendi sunt.

HÆC igitur summa potestas ecclesiastica, quæ non est politica, seu secularis, vel naturalis, sed spiritualis, supernaturalis, diuina, atque cœlestis, quęque politicæ præest, eamque regit, ac dirigit, sicut spiritus carnem, & anima corpus; est quidem formaliter Sacerdotalis, sed eminenter regalis, primoque loco residet in Papa; per quam illum Christus constituit in sua Ecclesia primarium, ac vniuersalissimum Pastorem omnium fidelium Christianorum, quorum æternæ saluti omnia Mundi temporalia bona ad nutum Pontificis iure diuino inseruire debent.

QVOCIRCA vbi in detrimentum animarum, ac boni status Reipublicæ Christianæ Reges, non vt Christianos decet, administrant, sed sua potestate regia abutuntur, potest, ac debet Ecclesia remedia congrua adhibere, et per translationem Dominiorum, vt apparet in translatione Imperij à Græcis ad Frãcos, & à Frãcis ad Germanos Apostolicæ Sedis authoritate facta, vt sic cognoscatur, quod Beatus Gregorius lib. 2.epist. 61. scripsit, terrestre Regnum, cœlesti Regno omninò famulari debere, & quod B. Leo epist. 71. asseruit, nimirum Reges ad Ecclesiæ præsidium, non solum ad mundi regimen potestatem recipere; & sicut Christus in mundum veniens temporalia Dominia à suis veris Dominis non abstulit, (*non enim eripit mortalia, qui Regna dat cœlestia*) ea tamen per noua media ad æternam fœlicitatem direxit; sic nec Summus Pontifex etiam vt Dominus temporalis totius orbis, vel saltem in eundem amplissimam temporalem potestatem habens, propter finem supernaturalem, non aufert Potentatus, vel Regna à suis Principibus, & legitimis possessoribus, sed illa per media Christiana ad huiusmodi finem ex debito sui pastoralis officij promouet, dirigit, atque disponit.

Quando Pontifex vti soleat hac potestate.

HAC potestate Zacharias Pontifex, vt sæpè dictũ est, Childerici Regnum, quòd eius socordia Catholica religio in Gallijs maximum pateretur detrimentum, in Pipinum, & filios eius transtulit. Hac item potestate Leo Tertius Pontifex Regem Nordamhumbrorum Regno suo iniquè pulsum, atque ad ipsum Pontificem Maximum omnium Christianorum caput, & Principem fugientem, per Legatos suos in Regnum restituit, vt testatur Aimonius lib.4.de rebus gestis Francorum c.96.& Reghino lib.2.Chronici anno 808. Multa alia exempla

Actualiter Põtifices vsi sunt hac potestate.

pla de hac re alibi à nobis adducta sunt, hæc tamen duo hoc in loco commemorauimus, vt omnes sciant, partes potestatis Ecclesiasticæ illas esse, vt non solum deponant, vbi causa Ecclesiæ, & salutis animarum id postulat, Reges, ac Dominos Christianos è suis ditionibus, sed etiam vt eosdem, cum ratio exposcit, in suis Regnis conseruent, ac protegant, ad eaque, ne iniuriam iniquè à subditis patiantur, si opus fuerit, reponant, atque restituant: in cuius rei figuram dicitur Apocal. 16. *Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, & siccauit aquam eius, vt præparetur via Regibus ab ortu solis*, ex eo enim, quòd Principes, & Reges characterem in baptismo susceperunt, & Lucifer, hoc est, Christus, qui est sol iustitiæ, ortus est in cordibus eorum per fidem; immò etiam in dies in illis per gratiam nascitur, dum Romanæ Ecclesiæ obedientiam ex conscientia pura, & fide non ficta sectantur; via illis ad Cœlorum Regnum aptius sternitur, atque paratur. Quocirca meritò digni fiunt, vt tamquam filij obedientiæ, & Christi serui ab Ecclesia patrocinium, & tutelam recipiant; quæ fidei, & obseruantiæ in Petrum, Romanorumque Pontificum professio iuxta tenorem iuramenti fidelitatis, quod Ecclesiæ Romanę in eorum coronatione præstare solent, maximam in suis Regnis, ac Populorum regimine pacem, & tranquillitatem, ac quietem gignit, vt innuitur Abachuc 3. in illis propheticis verbis; *qui ascendes super equos tuos*, hoc est, Principes, & Reges per fidem Catholicam, & obtemperantiam Romanæ Ecclesiæ exhibitam, *& quadriga tua saluatio*; seu, vt Euthymius legit, & equitatio tua salus; hæc enim equitatio Christi per huiusmodi equos, hoc est Principes pios, iustos, atque catholicos salus mundi effecta est. Hic autem est aduertendum, quòd Principes non solum debent hæc obsequia in causa fidei, religionis, & boni communis Summo Pontifici voluntariè offerre; sed etiam ex iure, & debito, cum ille ex Christi institutione habeat in prædictis causis potestatem, ac auctoritatem huiusmodi Potentatus cogendi, arctandi, & compellendi ad præfatos effectus per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, immo etiam temporales, à sede Principatus illos deponendo, & eijciendo, in carcerem trudendo, & similia alia efficiendo: isti verò, hoc est Principes per Christianæ religionis liberam acceptationē se ipsos, nec non Regna, & eorum Principatus Christo, & sponsæ eius dedicauerint, consecrauerint, & donatione irreuocabili obtulerint. Quamuis enim potestas ciuilis, politica, vel secularis ad illam cohonestandam, & decorandam, altera Ecclesiæ columna illiusuè sinistrum brachium non incongruè nuncupetur; Ecclesiastica verò potestas altera columna, seu brachium dextrum, vt quæst. 2. diximus: attamen si huiusmodi comparationes rectius, & altius considerentur, vt hoc loco à nobis faciendum est, neque congruas, neque veras ex integro esse affirmandum est. Sinistra enim columna cum dextera, vel brachium alterum cum altero, nullam profectò connexionem, vel dependentiam habet; sicut etiam nec duo humeri in corpore, quorum neuter alteri subijcitur. At verò politica potestas à spirituali, & ecclesiastica, præsertim Pontificia, omninò dependet, atque ei subijcitur, & subordinatur; & licèt illa gladius appelletur, est tamen tamquam inferior sub gladio, immo sub gladijs Petri, hoc est sub eius potestate spirituali, ac temporali; Ecclesiastica enim potestas, vt docet Greg. Naz. in orat. ad Populū timore perculsum, & Præsidē irascentē, habet se ad politicā, vt anima ad corpus; atq; ēt S. Tho. 2. 2. q. 60. ar. 6. ad 3. animā autem præesse corpori illudq; regere, eique imperare, nemo nescit. Egregia quoque similitudo est illa, quæ scribitur ab Innocentio Tertio in cap. Solitæ, de maioritate, & obedientia, vbi inquit, sicut in firmamento Cœli, ita quoque in Ecclesia fecisse Deum duo magna luminaria, idest duas dignitates, Regalem, & Pontificalem; illam verò,

Apocal. 6.

Abacuch 3.

quæ,

quæ diebus, ideſt ſpiritualibus præeſt, eſſe maiorẽ, quæ verò noctibus .i. carnalibus, eſse minorẽ, vt quanta eſt inter Slẽ, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoſcatur; adde tu, ſicut Luna dependet à Sole in ſuo lumine, & claritate, Sol enim, vt ait Tullius in ſomnio Scipionis, dux eſt, & Princeps, & moderator luminum reliquorum; eiq; ſubordinata, & inferior eſt, etiam quoad gradum naturæ, ita quoque poteſtas temporalis, quæ reſidet in Principibus, à Pontificia in regimine dependet, & ei tamquam minor ſubijcitur, Chriſto ſic inſtituente, Ioann. 21.

CONCLVDENDVM eſt igitur, Papam totius orbis eſſe Dominum, in ſpiritualibus, & temporalibus; vel ſaltem vltra ſpiritualem, habere diuino iure in illum etiam auctoritatem, & iuriſdictionem in temporalibus ad finem ſpiritualem, nimirum ad Euangelium promulgandum, ad iniurias religioni Chriſtianæ illatas propulſandas, ad pacem inter Principes, præſertim Chriſtianos componendam, & conſeruandam, ad hæreſes, & hæreticos extirpandos, ad vitia contra lumen naturæ patrata reprimenda, atque corrigenda, & alia ſimilia.

QVAESTIO QVARTA.

An Eccleſia exercuerit ſemper vſum dictæ poteſtatis ſpiritualis circà temporalia.

OSVIMVS, poteſtatem Eccleſiaſticam, quæ potiſſimum, ac pleniſſimè in Summo Pontifice reſidet, ius, & iuriſdictionem habere non ſolum circa res ſpirituales, ſed etiam circa res temporales, ſeu circa temporalia, prout bonus ſtatus rerum ſpiritualium expoſcit. Nunc videndum eſt, an ſemper Eccleſia exercuerit huiuſmodi vſum circa temporalia. Et eſt quærere, an ſit in quaſi poſſeſſione executionis prædictæ poteſtatis. Hæc res pẽdet ab exemplis, & factis particularibus, quæ ex varijs fide dignis ſcriptoribus recenſenda ſunt.

ET in primis ex teſtamento veteri, vt antiquiſſimum eſſe vſum, & praxim huius poteſtatis cognoſcamus, proferamus iterum exemplum Ioiadæ Pontificis, qui Athaliam Reginam, tyrannidem in populo exercentem, à Regno amouit, & interfici iuſſit, & Ioas Regem conſtituit, vt legitur lib. 4. Regum cap. 11. & lib. 2. Paralipomenon cap. 23. Hoc autem Pontifex non ſuaſit, ſed iuſſit Centurionibus, & militibus, vt id exequerentur; dicitur enim in loco citato Regum. *Et fecerunt Centuriones iuxtà omnia, quæ præceperat eis Ioiada Sacerdos.* Quod idem verba lib. Paralip. loco citato omninò perſuadent. *Egreſſus autem Ioiada Pontifex ad Centuriones, & Principes exercitus, dixit eis. Educite eam* (ideſt Athaliam Reginam) *extrà ſepta templi, & interficiatur foris gladio.* Atque id totum religionis cauſa factum eſſe patet ex illis verbis ſcripturæ, quę immediatè poſt illius occiſionem ponuntur in vtroque loco citato.

In veteri lege fuit vſus huius poteſtatis apud Pontifices, & Sacerdotes.

4. Reg. 11. 2. Paralip. 23.

SECVNDO proferendum eſt rurſus exemplum ex 2. Paralip. 26. vbi habetur, Oziam Regem cum Sacerdotum officium vſurparet, à Pontifice fuiſſe è templo eiectum, & lepra à Deo percuſſum, atque ob id coactum fuiſſe ex vrbe diſcedere, & Regnum filio renunciare. 2. Paral. 26.

TERTIO, eſt locus inſignis in fauorem Sacerdotum, qui præſunt, in cap. 17. Deuteron. *Qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore* Deut. 17.

mini-

ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel. Quo loco vtitur S. Cyprianus ad potestatem Prælatorum Ecclesiasticorum manifestandam, & obedientiam eisdem præcipientibus exhibendam in epist. 65. Erat igitur parata executio potestatis Sacerdotalis contrà vitam eius, qui recusauerat obedire.

Deuter. 13. QVARTO, ex Deuteron. 13. vbi Moyses tanquam summus legislator, & Pontifex Dei nomine, inter cætera hoc præceptum dedit. *Si tibi voluerit persuadere frater tuus dicens. Eamus, & seruiamus dijs alienis, quos ignoras tu, & patres tui; non acquiescas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum, sed statim interficies, &c.*

QVINTO, Elias Propheta quadringentos quinquaginta pseudoprophetas, inuito Rege, ac Regina, interfecit 3. Regum 18. Heliseus item Propheta contrà Ioram, Ochoziam, Iezabel, & omnem domum Achab, Iehu excitat, & gladium sumere, atque occidere iubet 4. Regum 9. Machabęi prętereà, & ipsi de genere Sacerdotum strenuè pro Dei lege contrà Tyrannos pugnant, vt legitur 1. Machab. & Iosue populi Dei dux ad verbum, & iussum Eleazari Sacerdotis, ingredi, & egredi, bellum, vel pacem facere iubetur. Numer. 27. Item Achimelech, alijque Sacerdotes Nobe, quę vrbs sacerdotalis erat, opem fugiẽti Dauid à facie Saul, vel capitis sui periculo tulerunt 1. Reg. 22. Denique Moses filios Leui, qui de genere Sacerdotali erant, vel contrà fratres suos armauit Exodi 32. Samuel prętereà Saulem Regem à se prius institutum, cum spiritualem functionem vsurpasset, quasi excommunicatum, Regni iure priuauit, & illud in Dauidem transtulit 1. Reg. 13. & 15. Fuit autem Samuel non solum Propheta, sed etiam aliqua ratione Sacerdos, vt patet 1. Reg. 7. quod etiam S. Ignatius in epist. ad Magnesianos affirmat, S. Cyprianus epist. 65. ad Rogatian. S. Athan. in Hom. de semente, S. Io. Chrysost. hom. 2. in ep. 2. ad Timoth. & S. Aug. lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 4. & lib. 2. Retract. cap. 43. & in Enarrat. Psal. 98. Ieroboam quoque, cum vitulos aureos posuisset, contra eum, & domũ eius vniuersam Propheta Ahia diuinum pronunciauit, & executus est iudicium, & ne mingentem quidem ad parietem, vt scriptura loquitur, de illa reliquit, 3. Reg. 14. Ad præceptum quoque Azariæ Prophetę Asa Rex Iuda Idola comminuit, & Naam matrem, eo quòd libidinosum Priapi simulachrum coleret, de augusto imperio deposuit 2. Paral. 26.

SEXTO, vt ad Euangelicam Ecclesiam propiùs accedamus, proponenda sunt exempla Summorum Pontificum, & in primis SS. Petri, & Pauli Ecclesię Principum Act. 5. & 13. deinde verò aliorum Pontificum, qui hac eadem potestate intrepidè vsi sunt. Nam Gregorius Primus in priuilegio quodam Monasterio Sancti Medardi concesso, illa postrema verba apposuit: Si quis autem Regum, Antistitum, &c. honore suo priuetur, vt habetur in lib. 2. epistolarum Sancti Gregorij, post epist. 31. Gregorius Secundus Leonem Isauricum Imperatorem Italiæ vectigalibus priuauit, vt Zonaras, Cedrenus, & alij scribunt. Zacharias deposuit Childericum, & Pipino Regnum illius tradidit, vt constat ex Annalibus Francorum, & ex alijs plurimis historicis. Fridericũ Imperatorẽ augustalibus infulis exuit iudicio Innocentius Quartus in Concil. Lugdunensi. Idem Lusitano Regi ob rerum publicarum incuriam administratione Regni interdixit, regnique curatorem; seu mitiori verbo coadiutorem adiecit. Et Ioannes Sextus anno 706. Vitizza Hispanorum Rege ob impotentem lasciuiam, ordinisque Ecclesiastici vexationem, Regni procerum rogatu, deposito, Rodericum vltimum Gothorum Regem Hispanijs præfecit. Leo Primus Pontifex Leonem Imperatorem contra Alexandriæ tyrannum, atque Euthychianos hæreticos, qui monasteria, & templa (vt hodie protestan-

tes

tes nostri euertebant) armauit, vt ex eius ad eum epistola constat; & epist. 75. Debes, inquit, incunctanter aduertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, &c. Quare si laudabile est, aduersarum gentium arma conterere, quanta erit gloria ab insanissimo Tyranno Alexandrinam Ecclesiam, in cuius contritione omniũ Christianorum est iniuria, liberare? Et Gregorius Magnus lib. 1. epist. 72. Gennadium Aphricæ Exarchum ad bellum hæreticis inferendum est hortatus, professus hoc magnam gloriam apud Deum, & homines illi allaturum esse: & relictis alijs exemplis, quæ à nobis alibi, & ab alijs sapienter in hac materia adducta sunt, proferri debet bellum, quod Episcopi, & Barones, ac Principes Saxones contrà Henricum Quartum à Gregorio Septimo iam damnatum, per totos quatuor, & viginti annos constanter gesserunt, de quo legendus est Marianus Scotus anno 1075. Nauclerus generatione 36. & Paulus Langeus in Chronico Cyzicensi. Similè huic fuit, quòd Pius V. Pontifex, inito cum Hispaniarum Rege Philippo, & Venetorum Republica fœdere sacro, Turcam armis profligauit, insignique apud Lepantum victoria maritimo bello cum ingenti hostium cæde potitus fuit.

Diluuntur obiecta hæreticorũ contra vsũ huius potestatis.

NEC obiectiones, quæ in hac parte ab hæreticis fieri solent, quicquam nos premunt; Ecclesiam videlicet non armis, sed patientia ędificari, non armorum Christum, sed tolerantię, & mansuetudinis exemplum prębuisse, & similia: vltrò enim fatendum est, Ecclesiam armis materialibus minimè plantari, aut ędificari debere, id enim nos Turcis, & Hęreticis relinquimus, qui ense potius quam veritatis verbo impietatem suam tueri solent, ac propagare: at certè etiam armis defendi, seruari, protegĩ, quis hominum vnquam prohibuit, vel Angelorum? Pugnat Michael, & Angeli eius, & primam init in cęlo contrà Draconis furias belli societatem Apoc. 12. Quid iustius dici potest, quàm vt dum Diabolum hæretici præstant, nos vicissim Michaelem præstemus? Aut quid potest esse iniquius, quàm vt improbis ad perdendam Ecclesiam simul vnitis esse liceat, nobis non liceat ad saluandam? Virtus illis sit gregem Christi dispergere; nobis vitium colligere? Et illi omnia diuina, & humana conculcãdo boni, & fideles serui nominentur, nos legẽ Dei zelando, ac sceleratorum hominũ conatus reprimendo, vitam denique nostram ab igne, ferro, flamma conseruando perduelles vocitemur? Eligitur Iosue Exodi 17. qui pro Deo, orante Moyse pugnet, æternaque memoria beantur Machabæi, qui zelatores facti, hortante Matathia, testamenti patrum, pro lege Dei viui animas suas consecrarunt 1. Machab. 2. & Deus Sabaoth, seu exercituum speciali titulo nominatur, quòd eos iuuet, qui pro nomine eius pugnant, vt in ijs sæpe probet, difficile apud eum non esse liberare in multis, vel in paucis 1. Machab. 3. & nos iustam, quæ per arma fit, religionis contra tyrannos defensionem esse dubitemus? & fœdera pro religione inita condemnemus? & ista, quæ ostenditur, mansuetudinis larua falli nos permittemus? Certè vt gladium spiritus, & verbi Dei ad manum Ecclesia habet, sic alterum ad nutum habere cum Bernardo fateamur, in lib. de consideratione ad Eug. nec in eo quidem repugnãte Christo, cui cum duos gladios in comitatu suo esse dictum esset, nequaquam alterum superuacaneum esse, sed duos satis esse dicit. Lucæ 22. scilicèt vt vtroque egere illam, ac suum vtriusque in tempore vsum esse declararet. Nec in armis pro fide, & religione sumendis scrupulus conscientiæ inijciendus est, cum strenuè, ac secura conscientia in tam iusta causa præliandum esse S. Bernardus in Serm. ad milites templi, hoc est ad sacræ pro fide defendenda militiæ deditos homines, verbis hisce planè aureis adhortetur. Securi procedite milites, & intrepido animo inimicos Crucis Christi propellite, certi, quia neque mors, neque vita poterit vos

S. Bernardus.

terit vos

terit vos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Illud sanè vobiscum in omni periculo replicantes. Siue viuamus, siue moriamur, Domini sumus. Quam gloriosi reuertuntur victores de prælio? Quàm beati martyres moriuntur in prælio? Gaude fortis athleta, si viuis, & vincis in Domino. Sed magis exulta, & gloriare si morieris, & iungeris Domino, vita quidem fructuosa, & victoria gloriosa, sed vtrique mors sacra iure præponitur. Nam & si beati qui in Domino moriuntur, num multò magis, qui pro Domino moriuntur? Et quidem siue in bello, siue in lecto quis moriatur, prætiosa erit sine dubio in cõspectu Domini mors Sanctorum eius. Cæterum in bello tantò profectò prætiosior, quantò & gloriosior. O vita secura, vbi pura conscientia. O inquam, vita secura, vbi absque formidine mors expectatur, immò & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum deuotione: & quæ sequuntur. Et infrà. Christi milites inquit, securi præliantur prælia Domini sui, nequaquam metuentes, aut de hostium cæde peccatum, aut de sua nece periculum. Quãdoquidẽ mors pro Christo, vel ferenda, vel inferenda, & nihil habeat criminis, & plurimum gloriæ mereatur. Hinc quippe Christo, inde Christus acquiritur, qui nimirum, & libenter accipit hostis mortem pro vltione, & libentius præbet se ipsum militi pro consolatione. Miles, inquam Christi securus interimit, interit securior. Sibi pręstat cum interit, Christo cum interimit. Non enim sine causa gladium portat, Dei etenim minister est ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: sanè cum occidit malefactorem non homicida, sed vt ita dixerim malicida, & planè Christi vindex in ijs, qui malè agunt, & defensor Christianorum reputatur. Cum autem occiditur ipse, non perijsse, sed peruenisse cognoscitur. Mors ergò, quam irrogat, Christi est lucrum, quam excipit suum. In morte pagani Christianus gloriatur, quia Christus glorificatur. In morte Christiani Regis liberalitas aperitur, cum miles remunerandus educitur: & alia in hác sententiam. Maiori verò efficacia, & potentiori virtute arma pro defensione religionis capiuntur, quando iussu, & edicto Ecclesiæ, & imperio Summi Præsulis mouentur, & præparantur.

VERVM. Ecclesiam Romanam, seu Summum Pontificem semper habuisse vsum potestatis temporalis in ordine ab bonum Ecclesiasticum, clarè ostendunt translationes plurimę Imperij Romani à Summis Pontificibus factæ, quas supra enumerauimus. lege Castaldum Perusinum in tract. de imper. quæst. 7. & Aluarum lib. 1. cap. 18. & 37. & Augustin. de Ancona de potestate Eccles. quæst. 37. Qua etiam auctoritate posset hodie Papa transferre imperium à Germanis ad alios, si id bonum commune Ecclesiæ exigeret. Ecclesia enim, vt inquit Augustinus epist. 204. & habetur 23. quæst. 4. cap. displicet, per incrementa temporum semper maiori potestate vtitur, hoc est validiores effectus, & actus suæ potestatis ostendit: quamuis enim ita significata sint Ecclesiæ primordia adhuc crescentis, vt essent vires etiam compellendi, nihilominus tunc primum cum Ecclesia nouello germine pullulabat, nondumque in ea fuerat completa illa prophetia, & adorabunt eum, omnes Reges terræ, omnes gentes seruient illi. Quod vtique quantò magis impletur, tantò maiore vtitur Ecclesia potestate, vt non solum inuitet, sed etiam cogat ad bonum. Hoc tunc Dominus significare volebat, qui quamuis haberet magnam potestatem, prius tamen elegit commendare humilitatem. Hoc & in illa conuiuij similitudine satis euidenter ostendit, vbi misit ad inuitatos, & venire noluerunt, & ait seruo, exi in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, cœcos, & claudos introduc huc Lucæ 14. Et ait seruus Dño, factum est, vt imperasti; & adhuc locus est, & ait Dominus seruo, Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Vide nunc quemadmodum de his, qui prius venerunt, dictum

S. Augustinus.

dictum

ctum est, introduc eos, nunc dictum est, compelle. Ista autem compulsio primum fit, vt inquit Albertus supra eundem locum Lucæ, virtute veritatis in ostensione probationis; veritas.n.oĩa vincit. Secundò virtute miraculorum, vel ad minus exempli. Matth. 7. mirabantur super doctrina Christi; loquebatur.n.sicut potestatem habens. Terti[illegible] virga, hoc est correctione, pœnis, & alijs compulsorijs medijs, quoad illos, q[illegible] fidẽ Christi receperunt, ẽt si Principes, & Reges sint, quando Ecclesię C[illegible]sti (vt tenentur) non fauent, vel contradicunt. lege S. Aug. ep. 50. ad Bonif. & lib. 2. contra secundã epist. Gaudent. c. 17. Pastores.n. in Ecclesia sunt velut mens in humano corpore, vt S. Greg. Nissenus annotauit, præter alios superius citatos, in orat. de moder. in disput. seruanda; mẽti autem, ac rationi datur potestas in oĩa mẽbra corporis, adeò vt putridum illud mẽbrum de corpore amputari iubeat, à quo reliquis membris, ne inficiatur, timeri possit: hac potestate vtitur Ecclesia in Principes Schismaticos, & Hæreticos, & eius vsus re ipsa apparuit in depositionibus Regum, & Imperatorum à Romanis Pontificibus factis iam inde ab anno Domini septingentesimo: nam ante illud tempus, vel defuit necessitas, vel opportunitas.

Qua ratione aliqui in Ecclesiam Dei intrare cõpellantur.

SED quid? Beatus quoq; Paulus Apostolus vsum huius potestatis Ecclesiasticæ circa temporalia expresse docuit 1. ad Cor. 6. *Nescitis quoniã Angelos iudicabimus* (Apostatas nempè, ipsosq; Dęmones) *quanto magis secularia?* Ex quò sequitur, Ecclesiam habere potestatem ex priuatis constituere magistratus, qui de secularibus causis, non solum de ecclesiasticis iudicent, cum fidelibus expediens fuerit. Rursus constituendi nouos Reges, ne fideles cogantur apud hæreticos, & Schismaticos Reges causas agere. lege Sanderum lib. 2. de visibili monarchia cap. 4. vbi egregiè ostendit, Pastores Ecclesiæ potestatem habere non tantum in animas, verum etiam in corpora, & bona fidelium, quoties ex ea res salus animarum promoueri potest. Vsum autem huius potestatis circa temporalia ibidem Apostolus ostendit, & præcipit, monendo fideles, vt ipsi constituant iudices ex se ipsis; & si fortè sapientes in eo genere non essent (quod tamen non erat verisimile) saltẽ vt potius contẽptibiles ad iudicandũ constituerent, quã apud infideles litigarẽt, vt supius dictũ ẽ; & idẽ in alijs ẽt locis Apostolus docuit.

1. Corinth. 6.

QVAESTIO QVINTA.

An per peccatum perdat homo iurisdictionem, & potestatem ecclesiasticam, eiusque vsum.



NON agimus hic de potestate ordinis, nec de potestate cõferendi sacramenta; nec quærimus, possint ne hęc ab hęreticis, & schismaticis, & ab his, qui sunt extra Ecclesiam, tradi, & ministrari: quia negatiuã partẽ tenẽtes, (dũmodo ipsi hæretici, vel schismatici habeant intentionẽ faciẽdi, quod facit Ecclesia) tanquã hæretici dãnati sunt in Cõcilio Nicæno, Canone 19. ante tempora S. Aug. celebrato, teste eodem Aug. lib. 2. de baptismo c. 9. in Concilio Carthaginense primo, Canone 1. temporibus Constantini habito, cuius Concilij meminit August. lib. 2. cap. 2. de baptismo contra Donatistas; item in Arelatense primo, Canone 8. eodem tempore celebrato, ac deinde in Concilio Constantiensi sess. 8. & nouissimè in Tridentino, Canone 4. sess. 7. De cuius erroris refutatione legenda sunt, quæ Beatus Stephanus Papa, & martyr pronunciauit, ac decreuit, vt refert Eusebius lib. 7. Hist. cap. 2. & sequen. Nec non epist. 1. Syricij Papæ ad Himerium, & epist. 22. Innocentij Primi ad Mace-

Qũo hæretici, vel schismatici cõferre possint vera sacramẽta.

doniæ Episcopos,& epist. Leonis 77. ad Nicetam,& epist. Anastasij II. ad Anastasiũ Imp. necnon S. Aug. in omnibus libris contra Donatistas, Optatus in libris contra Parmenianum, Hieron. in Dialogo contra Luciferianos, Nazianzenus in oratione de baptismo, S. Th. lib. 4. contra Gentes cap. 77. Tho. Vualdēsis tom. 2. ab initio per multa capita, S. Antoninus in Summa p. 4. tit. 11. c. 7. §. 2. & alij. De hoc inquam nunc non loquimur, sed difficultas hoc loco est, præcipuè de potestate iurisdictionis, eiusque vsu.

Peccatum non aufert potestatem iurisdictionis, neque vsũ illius.

DICIMVS igitur, per peccata nō auferri potestatem iurisdictionis, neq; vsum illius, licèt nonnulli hæretici falsò hoc affirment; & nostrũ dictũ probatur.

PRIMO ex epist. 1. Petr. c. 2. vbi præcipit Princeps Apostolorũ, vt Christiani obediant Dñs suis, *non tantũ bonis, & modestis, sed et dyscolis* .i. duris, seueris, crudelibus: atq; ibidē iubet, obediri Regibus, alijsq; magistratibus gentiliũ, qui infideles erant; igitur, &c. Et idē habet Iob 34. *Qui dicit Regi Apostata, qui vocat Duces impios*, & paulò post, *Qui regnare facit hominē hypocritā propter peccata populi*, & Isa. 3. *Dabo pueros Principes eorum, & effæminati dominabũtur eis*, & idem alibi habetur in scriptura.

SECVNDO, quoniam Iudas peccator erat, & reprobus, & tamen actus Apostolicos exercebat; baptizabat enim, vt colligit S. August. tracta. 5. in Ioannem, ex illo Ioan. 4. *ipse non baptizabat, sed discipuli eius*; nec non loculos habebat, & ius crumenæ, miracula fecit, Matth. 10. &c.

TERTIO, qm̃ Deus hominibus per peccata non aufert potētias naturales ad opera naturalia, vt perspicuũ est; igitur nec credēdũ est, auferre supernaturalem potestatem ad opera supernaturalia, in quibus non consistit meritũ operantis, non enim minus Deus prouidit bono totius Ecclesię, quã bono huius mūdi.

QVARTO, qm̃ per peccata non auferũtur gratiæ gratis datæ, nec hę pugnant cũ improbitate vitæ, ita vt simul cum ea esse nō possint, vt patet de Caypha, qui pessimus erat, & prophetauit Io. 11. & Matt. 7. dicitur de nonnullis alijs, *nōne in nōe tuo dęmonia eycimus?* igitur nec auferũt iurisdictionē, vel actus earũ.

QVINTO, qm̃ in veteri testamento, Deo sinente, & improbi, & nequissimi Reges iurisdictionem exercuerunt, vt patet de Saule, Salomone, &c.

SEXTO, auctoritate S. Bern. ser. 66. in Cantica, vbi expressè docet, malos mores Prælatorum non impedire, quò minus illi sint Prælati; & posse eos iubere, & nos corũ præceptis obedire teneri; cum Dñs dicat Matth. 23. *Quæ dicunt facite, secundũ opera eorum nolite facere.* Refellit ibi S. Bernardus ex professo Apostolicos hæreticos, qui dicebant, Episcopos malos non esse Episcopos. Idem Bernardus serm. 33. in Cantica deplorat vitia omnium Prælatorum sui tēporis, ita tamen, vt reprehendat vitia morum, non potestatem, vel doctrinam.

Quō Episcopi, & Presbyteri mali sint uera mēbra Ecclesię

SEPTIMO, Episcopi mali, & Presbyteri mali sunt verissima mēbra in ratione instrumenti corporis mystici, q͂ est Ecclesia; sunt. n. Epi ueri Prelati, & vera Ecclesiarũ capita; & Presbyteri plebium, &c. ergo p̄ peccata nō perdunt iurisdictionē: licèt. n. huiusmodi mali Epi, seu Presbyteri sint mēbra mortua corporis Christi, qua parte corpus Christi viuũ ex forma charitatis cōsideratur, & sic non esse mēbra uiua rōe peccati concedendũ sit; mēbra. n. constituuntur uiua p̄ charitatē, qua impij carent: sunt tamen instrumenta uera, & operatiua rōe potestatis, siuè ordinis, siuè iurisdictionis, quæ etiam sine gratia esse pōt in corpore Christi, quod est Ecclesia; in hoc corpore. n. mistico ecclesiastico pōt membrum mortuum esse uerum instrumentum operationis, q͂ nō contingit in corpore naturali uiuo, in quo op̄a pendent ex bonitate instrumenti; cũ aīa nō possit benè op̄ari, nisi p̄ bona instrumenta, nec opera uitę exercere, nisi p̄ instrumenta uiua; at in corp̄e mistico opera nō pendent ex bonitate, aut uita instrumēti: aīa. n. huius corporis, idest, Spiritus sanctus æquè benè operatur per instrumenta bona, & mala, viua, & mortua, vt rectè docet Bellarmin. lib. 3. de Eccles. milit. cap. 9.

NEC

NEC obstant verba S. Aug. lib. 2. contra Cresconium c. 21. Ac per hoc, inquit, etiã nesciẽte Ecclesia, propter malã pollutãq; conscientiã damnati à Christo, iam in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia, qm̃ non potest Christus habere membra damnata. Similia habet contra Petilianũm lib. 2. cap. vlt. lib. 4. de Baptismo c. 3. lib 6. c. 3. lib. 7. c. 49. 50. & 51. libro de vnitate Ecclesiæ c. vlt. lib. 3. Doctrinæ Christianæ c. 22. & alibi. Respondemus. n. Augustini sensum in his locis citatis, & alijs similibus esse, malos non esse eo modo in Ecclesia, quo sunt boni, nec esse vt membra corporis viua, sed propter peccatũ esse tamquam humores corruptos, ac putridos, qui licèt maneant in corpore, sunt tamen separati à membris viuis ipsius corporis, vt idem Augustinus docet tract. 3. in epist. Ioannis. Et licèt per membra mortua, & arida, quæ solùm adhærent reliquis externa coniunctione, vt sic, Christus nihil operetur, non. n. est necesse, vt Christus in omnibus suis membris operetur, illis tamen sæpe vtitur, vt instrumentis ad corpus misticum Ecclesiæ regendum, & gubernandum. lege Petrum Damianum epist. 16. cap. 5. 6. & seq. Soluitur obiectio ex uerbis S. Aug. desũpta

AN autem peccet minister malus, exercendo potestatem, alia quæstio est: & si exerceat potestatem ordinis, vtiq; peccat, vel ẽt si ministrat sacramenta, quæ sanctè, & purè tractãda sunt; si verò exerceat potestatẽ iurisdictionis, nequaquã: de qua re lege Suarez in q. 64. tom. 3. in 3. par. S. Th. Sotũ in 4. & sũmistas cõiter.

QVAESTIO SEXTA.

An Regimen Ecclesiasticum in Christi Ecclesia sit Monarchicum.

VIDETVR autem prima facie, regimen monarchicum, cum non sit optimũ, Ecclesiæ Christi non cõuenire. Primo qm̃ in c. 8. lib. 1. Regũ reprehendũtur Israelitæ à Deo, quòd sibi Regẽ postulassent. Quocirca multo vehementius, & acrius reprehendendi sunt, qui vnũ aliquẽ monarchã in Ecclesia Dei constituunt; si enim Deo non placuit, Regem institui ad Iudæorum Republicam gubernandam, multo magis displicebit illi monarchia in Ecclesia. Argumẽta contra Ecclesiasticũ Monarchiã.

SECVNDO, qm̃ monarchicum Regimen est omniũ pessimum, atq; deterrimũ, id ꝙ experientia, & auctoritate tentat probare Caluinus lib. 4. Instit. c. 20. §. 8. his verbis. Equidẽ si in se considerentur tres illæ, quas ponunt Philosophi, regiminis formæ, minimè negauerim, vel Aristocratiã, vel tẽperatũ ex ipsa, & politia, statim ab alijs omnibus longè excellere. Et paulò infrà subijcit rõnes duas, vnã ab experientia ductã, alterã ab auctoritate diuina. Id, inquit, cũ experimẽto ipso semper fuit cõprobatũ, tùm sua quoq; auctoritate Dñs confirmauit, cùm Aristocratiã politiæ vicinã apud Israelitas instituit: ꝙ etiam magis impudenter dixit c. 6. eiusdẽ libri §. 9. Verũ sit sanè, inquit, vt volunt bonũ, atq; vtile, orbẽ totũ Monarchia contineri, ꝙ est tamen absurdissimũ, sed ita sit; nunquã tamen cõcedã, id ipsũ in Ecclesiæ gubernatione valere. Fuit aũt acerrimus monarchię insectator Caluinus, ita vt non solũ in toto orbe terrarum censuerit, monarchiam inutilem esse, sed etiam in vna aliqua ciuitate, aut Ecclesia, vt constat ex c. 11. eiusdem lib. 6. vbi omnem Ecclesiasticam potestatem cœtui seniorum tribuit, & ex cap. 20. §. 8. vbi laudat eas ciuitates, quæ excusso iugo Principum, à Senatu, & Populo gubernantur, vt est Respublica Geneuensium; quinimmò ridet Caluinus rationem illam adductam à Sancto Hieronymo in epistol. ad Rusticum, & à S. Cypriano in tract. de Idolorum vanit. qua ad instar gruum, & apum, quę vnum sequuntur ordine literato, conuincitur in Ecclesia quoq; v-

num supremum esse Rectorem; ridet ille inquam in codē §.3.c.6.his verbis. Huius rei (si Deo placet) probationem sumunt à gruuibus, & apibus, quæ sibi ducē vnum semper eligunt, nō plures. Recipio sanè, quæ proferunt exēpla. Sed an ex toto orbe confluunt apes, vt regem vnum eligant? suis aluearibus contenti sunt Reges singuli; ita quoq; in gruuibus, vnaquęq; caterua proprium Regē habet, quid inde aliud euincēt, quā singulis Ecclesijs debere suos Episcopos attribui?

TERTIO, quoniam Respublica, & gubernatio hebræorum non fuit Monarchica, sed Aristocratica, & Politiæ vicina, non enim ab vno Principe, sed ab optimatibus, & populo solita fuit gubernari; habebant enim Duces, ac Iudices faciebant: & hoc est quoque argumentum Caluini.

QVARTO, qm̄ regimen monarchicum facillimè in Tyrannidē degenerat, nō est igitur verisimile, Christū in sua Ecclesia hoc genus regiminis instituisse.

QVINTO, Christus dixit Matth. 18. incorrigibiles Ecclesiæ, quæ multitudinem fidelium complectitur, denunciandos esse, non igitur monarchicum regimen instituit: & Apostoli Actorum 6. dixerunt, *considerate viros boni testimonij septem, quos constituamus super hoc opus*; ius igitur eligendi non apud vnū, sed apud populum erat; & Act. 15. prima controuersia in Ecclesia exorta nō ab vno aliquo summo Iudice, sed à conuentu Apostolorum, & seniorum definita fuit; *Conuenerunt*, inquit Lucas, *Apostoli, & seniores videre de verbo hoc, &c.* Quę omnia monarchico regimini repugnant.

Triplex forma regiminis inter homines.

IN hac quæstione, quæ maximi ponderis, & grauissima est, ad eius dilucidā declarationem. Primo notandum est ex Arist. 3. Politię. c. 5. & lib. 8. Eth. c. 10. & Platone in Politicis, S. Th. opusc. 20. atq; alijs tā philosophis, quam Theologis, tres esse formas, & modos boni regiminis, & rectę gubernationis; Monarchiā, idest vnius Principatum, cuius contrarium vitium est Tyrannis; Aristocratiam, idest regimen optimatum, cui opponitur Oligarchia; hoc est factio paucorū; & Democratiā, hoc est populi totius imperiū, q in seditiones non rarò degenerat.

Quadruplex forma mixti regiminis.

SECVNDO, notandum est, ex his tribus formis simplicis gubernationis, si misceantur, quatuor alias formas mixti regiminis proficisci. Vnā tēperatam ex omnibus tribus; alterā, ex monarchia, & Aristocratia. Tertiam ex monarchia, & Democratia. Postremam ex Democratia, & Aristocratia.

Ordo inter oēs formas regiminis adductas.

TERTIO, notādum est, inter has septem formas, seu modos gubernationis, absolutè, & ex se loquendo, simplicem Monarchiam esse optimam, & tenere primum locum. Secundum verò Monarchiam temperatam ex Aristocratia, & Democratia tanquam hominibus maximè vtilem, præsertim in natura corrupta, modò tamen primæ partes monarchiæ sint, secundas habeat Aristocratia, postremo loco sit Democratia.

Rationes, cur Monarchia sit optimū regimē inter omnia.

PROBANTVR aūt hæc oīa, & primùm, Monarchiā, remotis oībus alijs circunstātijs, absolutè loquēdo, oībus alijs regiminibus potiorē esse, his argumētis.

PRIMO, qm̄ omnes scriptores tā Hebræi, quam Græci, & Latini, vt Theologi, Philosophi, Poetę, & Historici in hac re tāquā in cōclusione à principijs naturæ deducta cōueniunt, monarchiā simplicē oēs alios modos gubernādi excellere: ita Phylo in lib. de confusione linguarū, Homeri sententiā comendans: Illud, inquit, multos imperitare malū est, Rex vnus esto, nō ad ciuitates, & hoīes magis pertinet, quā ad mundū, & Deū. Idē docet Iustinus in orat. exhortatoria ad gentes, Athanas. in orat. aduersus Idola, S. Cypr. in tract. de Idolorū vanitate ex eo potissimū probat, Deū esse vnum, quia Monarchia sit optimū, & naturalissimū regimen, S. Hier. in epist. ad rusticū Monachū, deniq; S. Th. par. 1. q. 103. ar. 3. & lib. 4. contra Gentes cap. 76. & opusc. 20. cap. 10. 11. & seq. Idem quoque inter Philosophos docuit Plato in Politico, & Aristoteles li. 4. Eth. cap. 10. & lib. 4. Polliticorum cap. 4. & 10. Metaph. in fine, entia nolunt disponi malè,

acc

nec bonum pluralitas Principatuum, vnus ergò Princeps, & Seneca lib. 2. de beneficijs, Plutarchus quoque in lib. de Monarchia. Si optio, inquit, eligendi concessa fuerit, non aliud eligat, quam vnius potestatem: idem innuit in Solone: Isocrates in oratione, quę inscribitur Nicocles, multis rationibus idem probat; Herodotus lib. 3. qui Thalia inscribitur, idem affirmat; necnō Homerus in 2. lib. Iliados.

PROBATVR idem quoque ratione, ex auctoritate scripturę deducta; quoniam Deus in institutione generis humani ex vno fecit omne genus, vt dicit Paulus Actorum 16. *non enim virum, & fœminam simul fecit ex humo, sed virum ex humo, deinde fœminam ex viro*; causam huius rei reddens S. Chrys. hom. 34. in epist. 1. ad Corinth. cap. 13. eam dicit esse, vt esset inter homines non Democratia, sed Regnum, & quod videre in exercitu licet, id in omni benè custodita domo deprehendas; & alia in hanc sententiam.

IDEM quoq; probatur ex instinctu naturali, non solum hominibus, sed etiam omnibus penè animantibus à Deo inserto; omnia enim animantia, pręcipuè homo, naturalem propensionem habent ad Monarchiam: & Regna priora, & vetustiora sunt, quam Respublicę, vt ait Iustinus lib. 1. Principio rerum, gentium, nationumq; imperium penes Reges erat.

PRÆTEREA probatur idē ratione finis, quoniam finis gubernationis est ipsum bonum, gubernatio. n. nihil aliud est, quam directio eorum, quę gubernantur ad finem, qui est aliquid bonum, vnitas verò pertinet ad rationē bonitatis, vt inquit Boetius in 3. de cōsolatione prosa 11. & est rō S. Th. p. 1. loco citato.

POSTREMO, quoniam omnes proprietates boni regiminis, quas legas apud S. Tho. opusc. 20. Monarchiæ competunt. Proprietates boni regiminis

PRIMA proprietas est ordo, quò enim gubernatio magis ordinata est, eo est melior; Optimates autem, cum pares sint inter se, nullum ordinem habent; multo etiam magis Democratia ordine caret, cum similiter omnes ciues eiusdem conditionis, & auctoritatis sint in Republica.

SECVNDA est assecutio proprij finis, quod commodius, & rectius fit, si ad vnum tantum Principem officium imperandi spectet.

TERTIA est robur, & potentia Reipublicæ; Monarchia verò, cum vires Reipublicæ magis coniunctas efficiat, eandem quoque fortiorem, ac potentiorem reddit. Cur enim Assyriorum, Persarum, Græcorū Respublicæ mirificè creuerunt, nisi quia à Regibus gubernabātur? immo etiā Romana indiguit aliquādo Dictatore, & tandem sub Augusto Monarcha mirum in modum floruit.

QVARTA est diuturnitas, atque stabilitas Reipublicæ; Monarchia. n. difficilius soluitur, seu diuiditur, quam vlla alia forma regiminis: id enim minus facilè diuiditur, quod magis est vnum, iuxta regulam Christi Matth. 12. *Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur*; at Monarchia est vnū per se, & naturaliter; Aristocratia verò, vel Democratia, quia pendent à multitudine conspirante in vnum, sunt vnum per accidens, & ex arte. Hinc est, quòd Assyriorum Monarchia per 1240. annos sine interruptione durauit, vt scribit Eusebius in Chronico. Iustinus lib. 1. dicit, eam durasse 1300. annis; Diodorus lib. 7. cap. 7. scribit, durasse 1400. Scytharum vero Regnū, cum à nullo externo hoste destrui potuerit, vt scribit Iustinus lib. 2. aliquot annorum millibus durasse necesse est. Nulla verò Respublica reperitur, quæ multum diuturna, & stabilis fuerit. Romana. n. quæ potentissima fuit, vix ad annos 480. peruenit: Venetorum verò, quæ annos numerat supra 1200. adhuc nō peruenit ad annos Scytharum, vel Assyriorum, immo nec Francorum, licèt huius Reipublicæ regimen sit Aristocraticum, & Monarchicum simul; nec in ea locum habet Democratia.

QVINTA proprietas est facilitas gubernationis; facilius est enim regi ab

vno, quàm à multis; hæ omnes proprietates arguunt, monarchiam optimum regimen præ alijs formis gubernandi complecti.

Monarchia cõiuncta cũ Aristocratia optima.

MONARCHIAM autem temperatam ex Aristocratia, maximè vtilem esse hominibus propter naturę corruptionẽ, quod secũdo loco in tertio notabili posuimus, ex eo constat, quòd hoc genus regiminis temperatum præter bona, quæ simplex Monarchia continet, alia complectitur, nimirum, quòd cum sit magis gratum hominibus, optimates enim saltem illius participes sunt, ad ęmulationem honoris accendit, & virtutes inter homines nutrit, ob quas sepositο interdum sanguinis genere, homines de cœtu regentium vocantur: præterquam quòd Prouinciæ, & Ciuitates singulæ per proprios Principes, vel administratores, qui ad vnum aliquem respectum habent, facilius, & commodius gubernantur: hoc genere regendi vsus est Deus in testamento veteri, atq; etiam in nouo, vt inquit Bagnes quæst. 103. art. 3. in primam partem S. Tho. & nos paulò inferius demonstrabimus.

Quadruplex Monarchia.

QVARTO notandum est, Monarchiam quadruplicem diuisionem recipere. Alia est enim sacerdotalis, alia regalis, alia politica, alia œconomica, vt tradit S. Thom. opusc. 20. cap. 5. 10. & 12. & alij, quorum dominiorum, & Monarchiarum expositionem legas apud illum.

Christi Monarchia à Romanorũ Monarchia distincta.

QVINTO notandum est, Monarchiam Christi, & Ecclesiæ distinctam esse à Monarchia, & Imperio seculari Romanorum; non enim idem, & vnum est Regnum Romanorum, & Regnum Christi, & Ecclesiæ, vt Iudæi censent, teste Paulo Burgense, Danielis 8. Esto enim Christus, seu Messias venerit Romanis Monarchiam obtinentibus, vt patet Danielis 2. & Lucæ 2. non tamen vtrorumque eadem est Monarchia. Nam Romanorum Monarchia ab Augusto Cæsare cœpit; Monarchia Ecclesiæ post Christi passionem: illa bello, ac formidine, inuito Romano populo, parta est; hęc Christianorum per totum orbem prædicatione, omnibus populis libenter consentientibus, est propagata: illa Augustum Cæsarem, Tyberium, reliquosque Romanos habuit Imperatores; hæc Christum habet Monarcham è cœlo gubernantem, & Summos Pontifices illius Vicarios in terris, rem Christianorum publicam administrantes: illa caduca fuit, ac perijt; hæc æterna est, ex orbe terrarum in orbem Cœlorũ transitura, atque inibi in sempiternum permansura. Illa Monarchiæ Græcorum successit; hæc Romana florente cœpit: illa bestię similis fuit, hęc cœlestiũ Seraphynorum similitudinem, speciemq; refert: illa ab hominibus potestatem habuit, hęc à Deo habet; neque enim ab alio potest Ecclesię potestas in animos, quàm à Deo emanare: illius terrena tantum fuit potestas; huius maximè cœlestis est; cœlorum enim claues Romano Pontifici Deus tradidit: denique illa Regnum fuit animale, ac corporale; hæc Regnum est cœleste, ac diuino spiritu plenum.

Christi Monarchia omnibus alijs superemiñet.

SEXTO notandum est, quòd sicut Monarchia Romanorum præcelluit tribus alijs Monarchijs Chaldæorum, Persarum, & Grecorum; sic Monarchia Christi ceteris omnibus eminentissimè pręeminet: ita Daniel vaticinatus est, cap. 2. postquam statuam Nabuchodonosor narrasset, quę omnia illa Regna figurabat, vt notissimum est; *In diebus,* inquit, *Regnorum illorum suscitabit Deus Regnum, quod in æternũ non dissipabitur, & Regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet vniuersa Regna hæc, & ipsum stabit in æternum, secundùm quòd vidisti, quòd de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, &c.* Dum autem dicitur, *in diebus Regnorum illorum,* non ita accipiendum est, quasi in diebus Regnorum illorum simul, cum non simul extiterint omnia illa Regna, sed in diebus alicuius ex illis, durante nempè aliquo ex illis quatuor Mo-

nar-

narchicis Imperijs, Romano nempè, suscitabit Deus Regnum Messiæ. Ea autem fuit connexio inter has quatuor Monarchias, vt vna alteri ita proxime successerit, vt posterior euerteret priorē, & prioris ruina posterioris Imperij origo, & dilatatio esset. Quocirca Monarchia Christi Romanæ Monarchiæ occasum dedit, quemadmodum etiam Iudaici templi, & sceptri ruina fuit. Quod autem Daniel cap.7. dixit, Romanorum imperio iam deleto, & extincto Christum imperaturum orbi, intelligendum est de Regno Christi, quod iam extincto Antichristo, & Romanorum Regno omninò deleto, hoc est decem Regnis seù regionibus, quæ ex Monarchia Romanorum remanserant, quæ à Daniele decem cornua appellantur, post iudicatum terrarum orbem, in Cęlo, terraque erit gloriosissimum, vt S. Hieronymus ibidem exponit. Lege Pererium lib. 2. in Danielem.

SEPTIMO Notandum, quòd licet multæ fuerint Monarchiæ, & post Christum, vt Gothorum, Saracenorum, & Turcarum, & etiam aliæ tempore ipsius Danielis vigentes, quamuis his essent obscuriores, angustiores, & humiliores, vt Sicyoniorum, Atheniensium, Lacedemoniorum, Lydorum, & Carthaginensium: nec non aliæ ante Danielem, vt Monarchia Assyriorum, quæ ducentis circiter annis ante Danielem destructa, & euersa fuit; tamen illorum quatuor Dominiorum dumtaxat tamquam principalium à Daniele mentio facta fuit, quòd hæc quatuor potissimum fuerint media, viæ, & dispositiones ad regnum Christi introducendum, ita vt per illorum proximam successionem posterius euerteret prius, & prioris ruina posterioris imperij origo esset. Quòcirca non rectè Prosper in libro de promiss. & prædictionibus Dei, parte 2. cap. 33. secutus Paulum Orosium interpretatus est, per ventrem, & fœmora ærea statuæ Nabuchonosor figuratum esse Punicum, seu Carthaginense Imperium; cum hoc nullum ordinem, & seriem successionis cum prædictis quatuor regnis habeat. Medorum verò regnū in Monarchia Persarū cōprehendi, ostendit figura eiusdē statuæ in parte pectoris, cum duobus brachijs, licèt horum dominium tunc fuerit valde angustum, & restrictum, ac proinde non peculiariter expressum. His positis. (Cur Daniel tantum quatuor Monarchias descripserit.)

DICIMVS primo, Ecclesiæ Christi monarchicam gubernationem conuenire: hæc cōclusio est contra Caluinum, Illyricum, Brentium, & alios hæreticos, qui vt Papatui aduersentur, pleno ore negant, licèt quantum ad modum inter se discrepent, Ecclesiasticum regimen esse Monarchicum; sed vel Aristocraticum, vel Democraticum esse volunt. (In Ecclesia Christi est vera Monarchia: cōtra quosdā hæreticos.)

PROBATVR autem nostra conclusio. Quoniam licèt Christus solus sit Rex liber, & absolutus totius Ecclesiæ Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion Montem Sanctum eius*, & Lucæ 1. *Et regni eius non erit finis*; commisit tamen hominibus, suis nempè ministris, & dispensatoribus, iuxtà illud Pauli 1. Corinth. 4. *sic nos existimet homo, vt ministros Christi, ac dispensatores mysteriorum Dei*; taliter regimen Ecclesiasticum, vt præcipuè penes vnū summum totius Ecclesiæ præsidem, & Sacerdotem resideret, vt euidenter constat ex Ioan. 21. & Matt. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c.* igitur regimen Ecclesiæ etiam visibiliter monarchicum est; etenim Ecclesia sicut habet cætera membra visibilia, vt Episcopos, Presbiteros, Doctores, & similes, ita quoq; debet habere caput visibile, quod omnia inferiora membra moueat, dirigat, in officioque contineat: caput autem in corpore non monstruoso vnicum tantum existit; ergo, &c.

SECVNDO certum est, Ecclesiam Dei à sapientissimo Principe Christo institutam esse, itaut optima semper gubernatione regatur, id enim spectat ad sapientiam institutoris, Prouerb. 24. *Sapientia ædificauit sibi domum*, ergò regimen Ecclesiæ Monarchicum esse debet, cum inter formas omnes regiminis, vt ostensum est, Monarchia sit optima, ac præstantissima.

TER-

Etiā in veteri lege extitit Monarchia in summo Sacerdote.

TERTIO idem probatur ex Republica testamenti veteris, quæ fuit figura noui 1. ad Corinth. 10. *omnia in figura contingebant illis:* in veteri autem testamento fuit semper ex Leuitarum genere vnus summus Sacerdos, in vno certo loco iuxtà Domini templum residens, qui omnibus totius orbis Iudæis præerat, quoad illa, quæ ad legem, & religionem pertinebāt, & præsertim ab eo tempore, quo Hebræi cęperunt redigi ad formam populi, & gubernari legibus, & magistratibus; quod cępit fieri post eorum egressionem ex Ægypto; igitur & Ecclesia Christi præter inuisibilem Rectorem, habebit quoq; vnicum supremū Rectorem visibilem, qui omnes mundi fideles, tam subditos, quam præfectos regat, atque gubernet. Idem fatentur Magdeburgenses Centuria 1. lib. 1. cap. 7. de Ecclesia populi Iudaici, in qua, inquiunt, erat tantum vnus lege diuina Sacerdos summus, quem omnes cogebantur agnoscere; & idem etiam affirmauit Caluinus lib. 4. Instit. cap. 6. §. 2. qua igitur ratione id Ecclesiæ Christi negabunt? cum exactiùs perfectio, quæ in figura reperitur, in exemplari reperiri debeat; præsertim cum populus Christianus maior sit amplitudine, & numero, quam populus Iudaicus, & plures hostes habeant Christiani, quam Iudæi, ac proinde magis illis, quam istis vnum caput necessarium sit.

QVARTO conuincitur idem ex similitudinibus, quibus Ecclesia in scriptura describitur, quæ omnes necessariò ostendunt, in Ecclesia debere esse vnum caput visibile: comparatur enim Ecclesia exercitui ordinato Cant. 6. corpori humano, seu mulieri speciosæ Cant. 7. Regno, Daniel. 2. Ouili, Ioan. 1. Domui 1. Timoth. 3. naui, seu arcæ Noè, 1. Petr. 3. in his autē omnibus requiritur vnus, qui tamquam caput præmineat, vel vt Rex, vel vt Pastor, vel vt Pater familias, vel vt rector; igitur, &c.

QVINTO Ecclesia militans hominum mortalium habet proportionem, & similitudinem cum Ecclesia Angelorum, & immortalium, vt testatur S. Greg. lib. 4. epist. 52. & S. Bernardus lib. 3. de consideratione ad Eugenium; est enim hæc veluti idæa, & exemplar illius, vt innuit S. Paulus ad Hebr. 8. & S. Ioann. Apoc. 21. *Vidi Ciuitatem Sanctam Hierusalem nouam descendentem de Cęlo.* Inter Angelos verò, præter Deum omnium summum Regem, esse vnum, qui omnibus alijs præsit, Michaelem nempè omnium Angelorum Principem, colligitur ex Apocal. 12. cum dicitur, *Michael, & Angeli eius*; hoc est, exercitus Angelorum ei subiecti; & ex Ecclesiastico officio, vbi Sāctus Michael Paradisi præpositus, & & Princeps cęlestis militiæ nominatur, licèt ab initio hunc primarium locum inter Angelos tenuerit Lucifer, quem nunc Diabolum appellamus, vt docet Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, S. Hier. in c. 40. Iob, S. Gregorius Hom. 34. in Euangelia, & lib. 32. Moralium cap. 24. Cyrillus in cap. 14. Isaiæ, vbi etiam lege Hieronymum; Augustinus præterea lib. 11. de Ciuitat. Dei cap. 15. & Isidorus lib. 1. de summo bono c. 12. igitur etiam in Ecclesia militanti præter Christum summum Regem, erit qui præsit omnibus fidelibus, & hic est summus Pontifex.

Ab initio sui Ecclesia semp habuit vnum caput visibile.

SEXTO ex primordijs gubernationis Ecclesiæ id euidenter deducitur; Ecclesia enim à Christo congregata ab initio cępit habere regimen visibile, & externum Monarchicum, & non Aristocraticum, aut Democraticum, cum Christus in terris degens eam visibiliter administraret, vt summus eius Pastor, & Rector, igitur etiam nunc debet habere Ecclesia externum, & visibile regimen Monarchicum, alioquin moderna Ecclesia non esset eadem cum illa, quæ fuit tempore Christi; ciuitas enim eadem specie dicitur, donec remanet eadem forma Reipublicæ, idest idem gubernandi modus, quo mutato, etiam ciuitas mutatur, vt habet Philosophus lib. 3. politicorum cap. 2.

SEPTIMO idem deprehenditur ex vnitate fidei, omnes enim fideles idem

idem omninò sentire debent in rebus fidei, est .n. vnus Deus, & vna fides ad Ephes.4. At vna fides in Ecclesia esse non potest, si non sit vnus summus Iudex, cuius iudicium omnes sequi teneantur; nec sat est ad vnitatem fidei, esse seruandum consilium, vel ab alijs consocijs petendum esse cōsilium, sed requiritur imperium, præsertim inter pares; neq; sufficit Concilium etiam generale, si desit authoritas summi Pontificis, cum tunc errare possit, sicut experimento constat de Ariminensi, & Ephesino secundo.

OCTAVO Idem quoque colligitur ex propagatione Ecclesiæ, quæ fieri non potest, nisi sit vnus summus Ecclesiæ Princeps, cuius sit curæ conseruatio, & propagatio fidei; Ecclesia enim semper crescit, & crescet, donec in toto mundo Euangelium prædicatum fuerit Matth. 24. mittere verò ad prædicandum non pertinet ad particulares Episcopos, quibus id tātum competit intra fines suarum Diæcæsum; spectabit igitur ad aliquem vnum primum, & supremum Pastorem; & ita semper Romani Pontifices ab Apostolorum tempore miserunt aliquos ad prædicandum Euangelium, in diuersis mundi partibus: sic Gregorius Primus misit S. Augustinum Monachum ad conuertendos Anglos, & Cunon Papa Sanctum Chilianum ad conuertendum Francones, & Gregorius Secundus misit S. Bonifacium ad conuertendos Germanos, Innocentius quoq; Primus in epist. 1. constanter affirmat per omnem Hispaniam, Galliam, Aphricam fundatas esse Ecclesias per eos, quos Petrus, & eius successores miserunt.

Ecclesia propagari non posset, nisi in ea esset vnus supremus Princeps.

NONO sumitur argumentum ex Lucæ 22. *Qui maior est in vobis, fiat sicut iunior, & qui præcessor, est sicut ministrator,* Grecè legitur ἡγούμενος, idest Dux & Princeps, sicut ministrator; vbi vides, vnum esse à Domino Ducem, maiorem, & præcessorem inter Apostolos designatum. Quod autem Dominus addidit; *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic,* non repugnat Monarchiæ Ecclesiasticæ, sed cum eam instituisset, admonuit, diuersam esse à Monarchia Ciuili gentium, ac si dixisset; præeritis quidem, sed aliter quam Reges gentium præsunt, idest, cum humilitate, & in vtilitatem, & commodum subditorum; quod magis suo exemplo declarauit, subiungens statim; *sicut ego non veni ministrari, sed ministrare;* & iterum, *ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat,* cum tamen de se ipso dixerit Ioann. 13. *Vocatis me magister, & Domine, & benè dicitis, sum etenim.* Vnde Bernard. lib. 3. de consideratione dixit. Quid, inquit, præesse non negas, & dominari vetas? planè sic, quasi non benè præsit, qui præest in sollicitudine: præsis vt prouideas, vt consulas, vt procures, vt serues; præsis, vt prosis, præsis, vt fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

DICO secundo, Regimen Ecclesiasticum à Christo hominibus cōmissum, esse quidem Monarchicum, sed temperatum, vt iam diximus, ex Aristocratia, & Democratia: de qua re legendus est S.Tho. in 4. contra Gentes c. 76. Turrecremata lib. 2. de Ecclesia c. 2. Sanderus in lib. de visibili Ecclesiæ Monarchia, & alij, quos supra citauimus.

Ecclesiæ monarchia mixta est ex Aristocratia & Democratia

HOC dictum ostenditur ex S.Paulo ad Ephes. 4. vbi vniuersa ecclesiastica hierarchia, quam Christus post ascensionem suam in terris reliquit, describitur; ait autem sic Paulus: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas; alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores.* Quod etiam clarius dixerat 1. Corinth. 12. *Et ipse posuit primum in Ecclesia Apostolos, deinde Prophetas;* vbi vides, potestatem illam Apostolicam singulariter Petro traditam, vt ordinario Pastori; fuisse quoq; delegatam ceteris Apostolis: aliosq; hominum gradus positos esse in Ecclesia, vt etiam Aristocraticum regimen in ea cognoscatur.

Ad Ephes. 4. 1. Cor. 12.

SECVNDO ostenditur, quoniam hebræorum populus semper habuit suæ

siue Ducem, siue Iudicem, siue Regem, qui toti multitudini imperaret; quod pertinet ad Monarchiam: habuit præterea multos Principes minores, de quibus ita legimus Exodi 18. *Electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui iudicabant plebem omni tempore.* Id autem ad Aristocratiam pertinet. Deniq; ex omni plebe, non ex vna aliqua Tribu Principes assumebantur, vt ibidẽ habetur, & etiam ex Deuter. 1. apertè colligitur, quod aliquo modo Democratiæ est: similiter ergo Christi Ecclesia habet non solum summi Pontificis Monarchiam, sed etiam Episcoporum, qui Principes veri, & Pastores Ecclesiarum sunt; nec non Conciliorũ Aristocratiã. Democratiã verò, quia vnusquisq; Christianus virtutis stimulo, & amore gloriæ Christi inflammari, & accendi debet ad labores, & onera pro corpore Christi, quod est Ecclesia, ex cuius multitudine eliguntur viri ad gubernationem, & regimen illius. Lege S. Tho. 1.2.q.105. art. 1.

Exod. 18.

Aduersariorũ argumenta soluuntur.

NVNC ad argumenta in contrariũ respondendũ est. Ad Primũ dicimus, non displicuisse Deo, quòd Iudæi Regem sibi peterent ad suam gubernationem, cum illis tandem Regem optimum designauerit; sed id ingratum illi fuit, quòd non contenti eo statu, in quo illi à solo Deo tanquam proprio, & peculiari eorum Rege gubernabantur, petierunt alium modũ gubernandi per inferiorem Regem, qui homo esset; quem Dominus ad petitionem populi quasi indignatus ijs concessit, cum dixerit Samueli; *non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos:* Dominus enim à principio hebræis Regem non instituit cum plena potestate, sed Iudicem, & gubernatorem in eorum custodiam eis tradidit, cum limitata auctoritate, vt inquit S. Tho. loco cit. in solut. ad secundum: erant autem Duces, & Iudices tanquam Proreges, qui toti quidem populo præerant, sed Regi primario, hoc est Deo subijciebantur: voluerunt autem Iudæi proprium habere Regem, qui vniuersum Regnum, vt suum, & proprium possideret, & ad filios, & nepotes, tanquam hæreditatem aliquam transmitteret, in quo meritò à Deo reprehensi, & puniti fuerunt.

AD secundum dicimus, quòd licèt Caluinus perperã irrideat Monarchiam, nos tamen, & alij omnes catholici eius rationes tanquam friuolas, ludibrio dignas esse iudicamus; cum iam probatum sit, Monarchiam iudicio omniũ Theologorum, Philosophorum, & Poetarum primum locum inter omnia genera regiminis tenere.

AD tertium respondemus, iam explicatum esse, apud hæbreos fuisse Monarchiam temperatam cum Aristocratia.

AD quartum respondet S. Tho. loco cit. ad secundum, potestatem Monarchicã si perfectè virtuti innitatur, nunquam degenerare in Tyrannidẽ; Christus autem vnum instituit Principem in Ecclesia secundum virtutem, sub quo etiam sunt nonnulli alij, qui principantur etiam secundùm virtutem, quocirca Tyrannidi nullus locus in Ecclesia conceditur, si Christi institutionem, & instructionem Prælati sequantur.

AD quintum dico, nomine Ecclesiæ in eo loco Matthæi intelligi Præsulem, uel Episcopum, & Principem Ecclesiasticum, ut exponit S. Chrysost. ibidem & Innocentius Tertius cap. Nouit, extra de iudicijs; uel certè cœtum fidelium cum suo capite; ut enim inquit Cyprianus in epist. ad Florentium, quæ est nona lib. 4. Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens.

AD locum Actorum 6. responsio depromitur aptissimè ex uerbis Lucæ in eodem loco. Nunquam enim ius eligendi Diaconos fuit apud Populum, sed apud Apostolos, & Episcopos, licèt populus potuisset nominare, postulare, seu offerre Apostolis aliquos idoneos ad illud munus, quos deinde oblatos, Apostoli non Populus, in Diaconos creabãt: vnde Cyprianus lib. 3. epist. 9. benè dixit, Apostolos

los Dominus elegit; Diaconos Apostoli sibi constituerunt.

AD illud Actorum 15. dicimus, primam illam controuersiam à Petro tanquam capite, qui in eo Concilio præerat, etiam præsente Iacobo Episcopo, definitam fuisse, vt patet ex textu, & lectione illius capitis. Sed de hac re satis, plura enim in duabus sequentibus quæstionibus circa illam dicturi sumus.

QVAESTIO SEPTIMA.

An Ecclesiasticum Regimen sit aliquo modo penes Principes seculares.

NONNVLLI hæretici, vt Brentius, Illyricus, & Henricus Octauus Angliæ Rex, illum conantur defendere errorem, quòd Ecclesiæ regimen ad Principes seculares, tanquam ad capita Ecclesiarum, pertineat, exclusis omninò Episcopis, quos vocant mancipia Principum, & infimos eorum seruos.

AD hanc falsitatem probandam adducunt verba B. Pauli 2. Corinth. 4. *non nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum, nos autem seruos vestros per Iesum*; si Episcopi sunt serui Ecclesiæ, & Populorum, multò magis Regum, de quibus B. Petrus in prima sua Canonica cap. 2. *Subiecti estote*, inquit, *omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi tanquam præcellenti, siue Ducibus, tanquam ab eo missis*, ergò, &c.

Hæretici probare conantur, seculares Principes habere potestatem in Ecclesiasticos.

SECVNDO quoniam huius rei passim habentur exempla in veteri testamento, in quo legimus, Moysem, Iosue, Dauidem, Salomonem, Iosiã, qui Duces, aut Reges erant, sæpè se in negocijs Religionis immiscuisse.

TERTIO Quoniam Regibus commissa est à Deo custodia Religionis, & legis diuinæ, & idcircò ad eos curam Ecclesiæ pertinere, asserendum est, sic .n. Apostolus ait Rom. 13. *Non sine causa gladium portat; minister enim Dei est, vindex in iram ei, qui malè agit*.

QVARTO quoniam Actorum 1. tota Ecclesia elegit Matthiam, & Actorum 6. septem Diaconi ab Ecclesia, seu Populo electi fuere, & hodie in multis partibus Populus eligit Parochos; & Patres docent, electionem, & causas Episcoporum ad populum pertinere; vt Cyprianus lib. 3. epist. 14. ad Presbyteros, & Diaconos de quibusdam turbulentis fratribus scribens innuit. Interim prohibeantur offerre, acturi & apud nos, & apud plebem vniuersam causam suam, &c. item Ambrosius lib. 5. epist. 32. cum ageret de iudicio, & causa fidei, sic scribit: Ille populus iudicat. Item: Auxentius vestrum refugit examen, ergò, &c.

IN contrarium est Textus Ioan. 21. cum soli Petro vniuersaliter dicatur, *pasce oues meas*, vt supra sæpè dictum est.

FACILIS est huius quæstionis resolutio; & in scripturis sacris, præcipuè noui testamenti, nil clarius, quam regimen Ecclesiæ non ad Populum, vel optimates, sed ad Principes Ecclesiæ, & præcipuè ad summum Pontificem pertinere: & ita firmissimè tenendum, & asserendum est.

Ecclesiæ regimen ad Papam & Prælatos ecclesiasticos tantum pertinet.

ET probatur Primo, quoniam nec cętus fidelium, nec optimates sęculi sunt Principes Ecclesiæ, solùm enim de Apostolis, eiusq; successoribus dictum fuit à Dauide Psal. 44. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram*; quem locum S. August. S. Hieron. S. Chrysost. & Theodoretus intelligunt de Episcopis; ergò ad optimates seculi non pertinet Aristocratia Ecclesiæ.

Psal. 44.

SECVN-

1. Cor. 12. Ephes. 4.

SECVNDO quoniam Apostolus 1. ad Corinth. 12. & Ephes. 4. gradus ecclesiasticos ponens, Reges, & optimates, nec primo, nec medio, nec vltimo loco ponit quoad officium gubernandi Ecclesiam; *Deus enim* inquit, *posuit primum in Ecclesia Apostolos, deinde Prophetas, tum Pastores, & Doctores*; vt inde aperte cognoscamus, vt S. Damascenus animaduertit, in secunda oratione pro imagin. Apost. non esse Ecclesiæ Reges, magistratus, vel optimates, sed tantum seculi.

Actor. 20.

2. Paral. 19. & 26.

TERTIO Ecclesiæ regimen est supernaturale; nec alicui conuenire pot, nisi cui Deus commisit; sed Actorum 20. dicitur. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo:* vbi de Populo, & optimatibus nec vllũ verbũ. Præterea 2. Paralipomenon 19. Iosaphat Rex optimus, *Amarias* inquit, *Sacerdos, & Pontifex in omnibus, quæ ad Deum pertinent, præsidebit; porrò Zabadias super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent:* & 2. Paralip. 26. cum Ozias Rex vellet thus adolere, prohibuit eum Pontifex dicens. *Non est tui officij Ozia, adolere incensum Domino, sed Sacerdotum.* S. Ambrosius epist. 33. ad sororem dicit, se Valentiniano dixisse, vt etiam supra retulimus. Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina sunt, aliquod imperiale ius habere. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum, &c. Item Theodosio Imperatori dixisse eundem Ambrosium. Purpura Imperatores facit, non Sacerdotes; refert Theodoretus lib. 5. cap. 17. hist. qui etiam lib. 4. cap. 16. scribit, Eulogium quendam, cum ei Modestus præfectus Valentis Imperatoris Arriani dixisset; Communica cum Imperatore, facetè respondisse. Nunquid cum Imperio est etiam Sacerdotium consequutus? Sulpitius lib. 2. historiæ sacræ in extremo narrat, S. Martinum Maximo Imperatori dixisse, nouum esse, & inauditum nefas, vt causam Ecclesiæ iudex seculi iudicaret. B. Athanasius in epist. ad solitariam vitam agentes, redarguit Constantium, quòd se rebus Ecclesiasticis misceret, quod etiam docuit S. Gregorius lib. 5. epist. 25. vbi loquens de Mauritio Imperatore sic ait. Scimus, pijssimos Dominos disciplinam diligere, ordinem seruare, Canones venerari, & se sacerdotalibus negocijs non miscere. Lege quoq; Damascenum in 1. & 2. oratione pro imagin. Apostolorum, vbi fusissimè idem docet. Porrò Basilius Imperator in octaua Synodo expressis verbis affirmauit, nec sibi, nec vllis laicis licere negocia sacerdotalia tractare. Valentinianus quoq; senior teste Sozomeno lib. 6. cap. 7. idem publicè professus est. Quid? quod primus Imperator Constantinus idem docuit, vt refert Euseb. de vita Constantini lib. 4. cap. 24. dum sic ad Episcopos loqueretur. Ego quidem communis quidam sum Episcopus, sed vos eorum, quæ sunt in Ecclesia; ego eorum, quæ extra sunt, à Deo constitutus Episcopus, seu speculator, & superintendens videor. Quod etiam in Regum coronatione Pontifex dum illos inungit, significat illis in verbis, quæ in Pontificali Romano habentur. *Accipe coronam regni tui, quam sanctitatis gloriam, & honorem, & opus fortitudinis intelligas significare, & per hanc te participem nostri ministerij non ignores, vt sicut nos in interioribus pastores, rectoresq; animarum intelligimur,* præcipuè nępe, *ita & tu contra omnes aduersitates Ecclesiæ Christi defensor existas.* Præterea multorum aliorum exempla, & sententiæ, quæ sunt apud diuersos Auctores, possent ad rem hanc cõfirmandam adduci: sed si aduersarij prætitatos non audiunt, neq; Moysen, neque prophetas audient.

QVOD autem neq; ad plebem, neq; ad Populum, vel ad cœtum fidelium spectet regimen Ecclesiæ, ea, quæ ad popularem gubernationem requiruntur, omninò declarant.

Populus omninò excluditur ab Ecclesiæ regimine.

ET primo in regimine populari nullus est magistratus, qui non ex consensu totius, maiorisue partis populi constitui debeat, & pro eiusdem populi arbitrio

trio remoueri possit; immò ab eodem auctoritatem, & potestatem recipit; cum enim populus per se ad ius dicendum sedere non possit, necesse est, saltem alios constituere, qui suo nomine id faciant. Atqui in Christi Ecclesia plebs nec creare, nec remouere Pastores, & Principes Ecclesiarum potest; & ideò Paulus ad Galath. 1. clamabat, se ad Apostolatum non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem vocatum esse; ergo, &c. Adde, Christum primum magistratum Ecclesiæ, hoc est Apostolos, non per suffragia discipulorum, sed auctoritate sua creasse, vocando ad se, vt scribitur Marci 3. quoscumque voluit ipse. Cur igitur nunc Episcoporum creatio ad plebem spectabit? certè eadem Ecclesia est nunc, quæ erat cum viueret Christus, quarè eandem formam, qua tempore Christi regebatur, retinere debet, aliàs non esset eadem, vt colligitur ex Aristotele lib. 5. Politic. capit. 2.

SECVNDO Regimen populare admittit appellationem à sententia magistratus in rebus saltem grauioribus ad plebis iudicium, teste Liuio lib. 2. & 4. & Plutarcho in Solone: at in Ecclesia Christi nunquam est auditum, appellationes fieri ab Episcopis ad populum, neque populum absoluisse, vel ligasse, quos Episcopus ligauerat, vel soluerat; immo ex multis Concilijs generalibus, & Decretis Apostolicis habetur, plebem, seu populum de controuersijs fidei iudicare non posse, vt à nobis alibi ostensum est; ergò, &c. *Non datur appellatio in Ecclesia à sententia Prælatorum ad populum.*

TERTIO in regimine populari leges, quibus gubernatur Respublica, à magistratu proponuntur, & à Plebe iubentur, vt patet ex Liuio lib. 3. & ex Tullio in orationibus de lege Manilia, & de lege Agraria; atqui omnes leges Ecclesiasticæ sine suffragijs populorum, vel à Pontificibus, vel à Concilijs latæ sunt, nec est lex in Ecclesia, quæ Plebiscitum dici possit. *Leges Ecclesiæ latæ sunt sine suffragijs populi.*

QVARTO Magistratus in eo regimine solent accusari apud Populum, & ab illo, vel dignitate priuari, vel in exilium deportari, vel etiam morte mulctari, si ita populo visum fuerit; nullus autem in Ecclesia ostendi potest Episcopus, qui à Populo fuerit depositus, vel excommunicatus, ergo, &c. At hæc nimis clara sunt, præsertim si definitionem Populi, quam Sanctus Chrysostomus Homil. 2. in Ioannem tradit, attendamus. Est, inquit, Populus quiddam tumultus, perturbationisq; plenum, è stultitia maiori ex parte constans, atque compositum, temerè instar fluctuum maris, varia, & pugnante sententia sæpè numerò iactatum; deinde subdit. Qui ergò sub eiusmodi seruitio premitur, nonne omnium est sanè miserrimus? Sed iam ad argumenta superius posita respondendum est. *Nunquã Ecclesiæ Prælati à populo iudicati sunt.*

AD primum dicendum, Episcopos, & Præpositos Ecclesiasticos esse ea ratione seruos, quia laborant, & seruiunt alijs, eos in diuinis regendo, eisque in commodum spirituale præsidendo; sicut etiam Reges, & Principes seculares inseruiunt Populo in rerum Politicarum regimine, cura, & gubernatione: Qui tamen omnes non sunt serui propriè, quasi seruiant obediendo, & parendo, quo genere seruitutis propriè dictę mancipia comprehenduntur. Vnde Sanctus Gregorius primum genus seruitutis intelligens, dixit, summum Pontificem esse seruum seruorum Dei, & Sanctus Augustinus lib. nono confessionum capit. vltimo. Inspira Domine, inquit, seruis tuis, fratribus meis, filijs tuis, dominis meis, quibus voce, & corde, & literis seruio. Et Sanctus Bernardus lib. 2. de consideratione ad Eugenium ait, cum factus esset Pontifex, eleuatum super gentes, & regna, sed ad ministrandum, non ad dominandum. Idem Gregorius lib. 3. epist. 61. ex humilitate, & vrbanitate Imperatorem serenissimum Dominũ suum appellat; se verò profitetur seruũ indignũ eius esse; *Soluũtur argumẽta cõtraria.*

sic autem: cum Imperatore loquebatur. Quoniam Imperator, dum dominium temporale in vrbe Romæ tenebat, & Gregorius eius amicitia, & opere vehementer indigebat, vt à Longobardorum gladio, & furore, non solum bona temporalia Ecclesiæ, & Populus Romanus, sed etiam ipse defenderetur. Addit item Gregorius, Imperatorem Sacerdotibus debere reuerentiam exhibere, quod certè inferioris est, non superioris. Lege eundem lib. 4. epist. 31. & 34. & licèt sint etiam Reges in Ecclesia, tamen populis præsunt in his tantùm rebus, quæ ad statum Politicum pertinent, nec Christianis hominibus imperant, vt Christiani sunt, sed vt sunt homines politici; Reges tamen, vt Christiani, sunt oues, & Pastoribus, ac Episcopis subiecti, vt docet Nazianzenus in oratione ad ciues timore perculsos, & S. Ambrosius in oratione de tradendis Basilicis scribit, nihil honorificentius dici posse, quàm vt Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur. Imperator enim bonus intrà Ecclesiam, non supra Ecclesiam est; membrum, non caput Ecclesiæ est.

Moyses fuit dux, & Sacerdos simul.

AD secundum dicimus, Moysem & Ducem, & etiam summum Sacerdotem fuisse, vt demonstrauimus in prima disput. contra pseudotheologos; cæteros autem nonnullas actiones, quæ alioquin ad Sacerdotes ex officio spectabāt, extraordinaria auctoritate, non vt Reges, sed vt Prophetas ex diuina inspiratione egisse; ordinariè tamen in dubijs de religione homines remittebantur non ad Regem, sed ad Sacerdotem Leuitici generis, vt patet Deuteron. 17. Alij Reges Synagogæ, qui boni fuerunt, numquam se miscuere in negocijs sacerdotalibus, & si quando id tentarunt, puniti fuere, vt patet de Ozia 2. Paralipomenon 26.

Principes à Prælatis discūt ea, quę in regimine Ecclesiæ facienda sunt, & illos adiuuant.

AD tertium respondemus, Reges esse quidem custodes, & defensores Ecclesiæ, & legis diuinæ, debereq; edictis, & pęnis impedire blasphemias, hæreses, sacrilegia, & alia etiam bello, & armis remouere, quæ officiunt religioni Christianæ; sed tn̄ quæ sint hæreses, & quid sit contra fidem, & quales ritus sint in diuinis recipiendi, debent ab Episcopis discere. Lege S. August. epist. 48. 50. & 166. atq; hac ratione Principes Christiani portant gladium, vt Ecclesiam tueantur, & iustitiam administrent.

Regis, & Sacerdotis officia distincta.

AD quartum dicimus, officia Regis, & Sacerdotis diuino iure distincta esse, vt patet 2. Paralip. 19. vbi Iosaphat Rex optimus sic loquitur, vt supra diximus. *Amarias sacerdos, & Pontifex in omnibus, quæ ad Deum pertinent præsidebit: porrò Zabadias, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent,* & id constat Matth. 16. 18. Ioan. 20. & 21. Lucæ 22. Marci 10.

Nunquā Populus habuit ius creandi Episcop. nec supra illos auctoritatem habuit.

AD quintum iam responsum est, Populis, seu cętui fidelium nunquam ius competijsse creandi ministros ecclesiasticos, sed tantum postulandi, vel nominandi; sed estò quòd ab eis eligerentur, non proinde continuò sequitur, regimen ecclesiasticum, esse Democraticum, non Monarchicum, vt patet de Imperatoribus Romanis, qui eligebantur à militibus, & nunc à quibusdam Principibus eliguntur, & nihilominus Imperium ad Monarchiam pertinet; quando enim in populo non remanet maior potestas, quàm in electo, itaut à sententia Principis electi ad iudicium populi liceat prouocare, tunc Monarchia non tollitur: quod egregiè Valentinianus senior, cum ei milites collegam in imperium dare vellent, teste Sozomeno lib. 6. cap. 7. expressit his verbis. Me ad Imperium eligere penès vos erat, sed cum iam à vobis electus sim, consortem Imperij quem postulatis, non amplius in vestra, sed in mea tantum potestate eligere situm est.

Explicatur S. Cyprianus.

AD testimoniū Cypriani dicimus, perpetuò morem ei fuisse oīa maiora negocia

gocia coram Clero, & Populo tractare, & sine eorum consensu nihil agere, quod non coactus vlla lege, sed ad bene esse, & sua sponte agebat, vt constat ex lib. 3. epist. 10. vbi sic scribit. Ego à primordio Episcopatus mei statueram nihil sine consilio vestro, & sine consensu plebis, mea priuatim sententia gerere, &c. hinc tamen non sequitur, Populum ius habuisse ad illa negocia, sed ex mera Cypriani benignitate, & vrbanitate ad illa tractanda vocatum fuisse, quæ etiam sine illorum consensu terminare potuisset.

VERBA autem S. Ambr. intelligenda sunt de iudicio priuato, quo quisq; decernit, & eligit, quid sibi sit sequendum, non autem de iudicio publico, quod auctoritatem habet decernendi, defendendi, ac obligandi alios, vt ex verbis eiusdem Ambrosij clarè cognoscitur. Veniant, inquit, planè si qui sunt ad Ecclesiam, audiant cum populo, non vt quisq; iudex resideat, sed vnusquisque de suo affectu habeat examen, & eligat quod sequatur. Agitur de istius Ecclesiæ Sacerdote. Si audierit illum (id est Auxentium) populus, & putauerit melius disputare, sequatur fidem eius: non inuidebo. Vides, Ambrosium per iudicium populi non aliud intelligere, quam vt domi, & priuatim vnusquisq; apud se discernat, cuius velit esse fidei, vtrum Catholicæ, an Arrianæ, & quem Episcopum sequi malit, Ambrosium ne, an Auxentium; non quòd Ambrosius commiserit id prudentiæ cuiuscumque, sed quòd tunc aliud obtinere non poterat, cum Imperator potius faueret Arrianis, quàm Catholicis, & rectè nouerat Ambrosius, populum suum esse Catholicum, vt ex sequentibus in eadem epist. planè cognoscitur. Lege Sanderum lib. 2. de visib. Monarchia, cap. 3. & Bellarm. lib. 1. de Romano Pontifice, cap. 6. S. Ambrosij dictũ quomodo sit intelligendũ

QVAESTIO OCTAVA.

An summum ecclesiasticum regimen sit præcipuè penès Episcopos.

CALVINVS existimauit, Episcopos, & Presbyteros iure diuino esse pares, & item in cetu seniorum, hoc est Sacerdotum, seu presbyterorum supremam Ecclesiæ potestatem sitam esse. Docuerat hunc errorem ante ipsum Ioan. Huss, vt ex sess. 15. Concilij Constantien. apparet. Afferunt autem ad illum fulciendum nonnulla loca scripturæ. Hæreticorum sententia.

PRIMVS est, Actorum 15. vbi habetur, à conuentu Apostolorum, & seniorum primam cōtrouersiam exortam in Ecclesia definitam fuisse; *Conuenerunt*, inquit Lucas, *Apostoli, & seniores videre de verbo hoc*; igitur, &c.

SECVNDVS ex 1. Petr. 5. vbi sic loquitur. *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro consenior, & testis Christi passionum, pascite, qui in vobis est gregem Dei*: & ex verbis Pauli Actorum 20. *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiã Dei.*

ABVTVNTVR quoq; nonnullis sententijs SS. Patrum, nimirum Cypriani lib. 3. epist. 19. vbi ad Clerũ sic scribit. Quæ res, cum omniũ necessarium consilium, & sententiã spectet, præiudicare ego, & solum mihi rem oēm vendicare non audeo. Necnō Ambrosij, qui in cōmentario quinti capitis prioris epist. ad Timoth. sic ait. Et Synagoga, & postea Ecclesia seniores habuit, quorũ sine cōsilio nihil agebatur. Atq; et B. Hieron. qui in cap. 1. ad Titum sic loquitur. Antequam diaboli instinctu dissidia in religione fierēt, & diceretur in populis: Ego sum Pauli; ego Apollo, ego vero Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò vnusquisq; eos, quos baptizauerat, suos

putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur cęteris, ad quē omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.

TERTIVM ex Matth. 18. cum dicitur; *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Episcopis igitur congregatis ius competit ex diuino verbo gubernandi Ecclesiam. Hæc, & alia similia maligni machinatores contrà Monarchiam Ecclesiasticam, hoc est, vnius summi Pontificis Romani auctoritatem, afferunt.

In Papa præcipuè residet regiminis Ecclesiæ summa potestas.

SED contra hos omnes statuitur hæc Conclusio Catholica; nimirum: Ecclesiæ regimen non esse potissimum apud Presbyteros, & Episcopos, sed in summo Pontifice. Probatur Primo, quoniam omnis potestas concessa à Christo Apostolis, cęterisq; discipulis nō solum fuit tradita omnibus collegialiter; sed et singulis particulatim, itaut quilibet sine Concilio posset, sicut et nunc singuli Episcopi, baptizare, docere, ligare, soluere, ordinare, sacramenta administrare, & similia, vt patet Matth. 28. *euntes docete, &c.*

SECVNDO si Regimen Ecclesiasticum penès Episcopos præcipuè esset, Respublica Ecclesiastica omnium miserrima esset; vt plurimum enim careret rectoribus, quibus commune bonum cordi non esset, quod enim communiter possidetur, communiter negligitur. Concilia .n. generalia, in quibus optimates Ecclesiæ conueniunt, rarissimè celebrantur, & primis trecentis annis nullum fuit habitum Concilium generale, & postea vix centesimo quoq; anno; nec Episcopi, vel Patriarchæ, excepto Romano, extra suas Prouincias, vel regiones circa negocia ecclesiastica aliquid gesserunt: sic Hier. testatur in epist. ad Pammachium aduersus Ioannem Episcopum Hierosolymæ. Responde, inquit, mihi. Ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? Et Chrysost. in Epist. priore ad Innocētium Primum, grauiter queritur de Theophylo Patriarcha Alexandrino, qui se negocijs ecclesiasticis extrà suam Prouinciam ingerebat. Neque enim; inquit, æquum est, vt qui in Aegypto sunt, iudicent eos, qui in Thracia.

TERTIO si in congregatione optimatum summa potestas ecclesiastica resideret, quò numerosior esset, eò plus ponderis, & auctoritatis haberet, neq: minori Concilio vnquam plus tribuendum esset, quam maiori. Cur igitur quæso (respondeant pleno ore) Ariminense Concilium Episcoporum 600. nullius vnquam auctoritatis fuit in Ecclesia Catholica? Concilium verò primum Constantinopolitanum 150. Episcoporum summæ semper fuit auctoritatis? nulla alia causa certè assignari potest, nisi quia illud fuit à Papa, in quo summa est Ecclesiæ potestas, reprobatum, hoc verò confirmatum; non igitur apud Episcopos residet ecclesiasticum regimen.

VLTIMO quoniam Aristocratia est perniciosior Ecclesiæ, quàm vllum aliud regimen, vt experientia constat: hæreses enim ferè omnes ab optimatibus potius, quàm ab alijs hominibus excitatæ sunt; hæresiarchæ namq; omnes fermè fuerunt, vel Episcopi, vel Presbyteri; & hæreses quid aliud sunt, nisi optimatum factiones, ex quibus Populorum seditiones in Ecclesia nascuntur? Quando autem optimates regunt, tunc frequentius, ac facilius factiones oriuntur, vt Philosophorum testimonijs, & experimentis in dies constat. Reliquum modo est, vt ad argumenta in contrarium posita respondeamus.

Soluuntur argumenta aduersariorū supra posita.

AD primum dicimus, primā illā controuersiā à Petro, qui erat caput illius Concilij, præcipuè definitam fuisse; nec enim præsente Iacobo Episcopo loci illius, primus loqui ausus esset Petrus, nisi toti Concilio præfuisset. Adde, quòd adhibere consilium, & consensum communem Principum in publico aliquo conuentu, presente summo præside, non arguit Aristocratiam, immo potius

Monar-

Monarchiam temperatam cum Aristocratia.

AD secundum respondemus; aliud esse Ecclesiam Dei pascere, & regere, tanquam particularem Episcopum, cuius potestas definitis limitibus alicuius certę Diœcesis cõtinetur, de quibus loquitur Petrus; & aliud esse quærere, in quo resideat summa vniuersalis Ecclesiæ potestas; nũ scilicet in cœtu Præsbyterorũ, an in aliquo vno homine; atq; de hoc secundo in locis citatis nihil dicitur, sed admonentur Episcopi, vt populos sibi subiectos dignè regant.

AD Cypriani testimoniũ dicimus, illũ id ausũ non esse, nõ quia non posset, sed quoniã spõte seipsũ obstrinxerat, cũ Episcopatũ suscepit, nihil sine Cleri, & populi consilio, & cõsensu esse facturũ, vt constat ex epist. 10. eiusdem lib. 10.

AD illud Ambrosij dicimus, quòd adhibere consilium Presbyterorum, & Episcoporum, non arguit Aristocratiam, quando illud adhibetur ab eo, qui habet summam potestatẽ super illos: sic Senatus, & Consilium Regium non pellit Monarchiã in Regno; Salomon enim 3. Reg. 12. Seniorũ cœtum habuit à consilijs, & Assuerus Esther 1. sapientiũ cõsilio in rebus omnibus vtebatur, nec tñ desierunt esse Reges: licèt igitur sit vtile, ac salutare consiliũ Presbyterorũ adhibere in iudicijs, nõ tñ est necessariũ, cũ Ambrosij quoq; tẽpore illud nõ adhiberet.

AD verba S. Hieronymi respondemus, illum eo in loco, non loqui de regimine Ecclesiæ vniuersalis, sed solùm particularium Ecclesiarum, cũ dicat ab initio cępisse Ecclesias gubernari communi presbyterorum consilio, quia idem Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum expresè docet, Petrum à Christo totius Ecclesiæ caput constitutum esse. Ex duodecim, inquit, vnus eligitur, vt capite constituto, schismatum tolleretur occasio. Et quamuis Aristocratia presbyterorum licèt non sola, primo tempore in multis Ecclesijs vigeret, quia tamen non benè succedebat, & plurimę inde oriebantur dissensiones, & schismata, communi orbis terræ consilio, hoc est omnibus cognoscentibus, melius, & expedientius esse, mutata fuit in Monarchiam, nimirum, vt omnes causæ grauiores ad vnum ad hoc à Christo institutum deferrentur, Petrum scilicet; quod etiam tempore Apostolorum exequi cęptum fuit. Nec vlla mutatio facta est quantum ad potestatem, sed solum quantum ad executionem, & seriem facti, vel ordinem causarum, & sic semper Monarchia quoad omnia in Christi Ecclesia præualuit.

AD tertium respondemus, ex verbis Matthæi non aliud deduci, nisi Congregationes in nomine Christi factas, hoc est cum capite, & eius Vicario, legitimas, & ratas esse.

QVAESTIO NONA.

An peccent, & quas pęnas incurrant Principes seculares impedientes vsum potestatis ecclesiasticæ temporalis, vel spiritualis.

IN primis illud certũ est, omnes cuiuscumq; gradus, & conditionis existant, temerè impediẽtes vsum, & exercitium iurisdictionis ecclesiasticæ peccare mortaliter, cum quilibet suo superiori, qualis est inter Christianos Prælatus Ecclesiasticus, obedire teneatur, ad Hebr. 23. *Obedite præpositis vestris*; ita quoque Sanctus Thom. communiter receptus docet 2.2. q. 104. art. 2. & ibidem Caietanus, & clarissimum est, opponentes se vsui, & executioni prædictæ iurisdictionis peccatum inobedientiæ incurrere, præsertim si id faciant animo, vel non faciendi, vel impediendi illud, quod iubetur, vel quod ad exequendum proponitur.

Peccant mortaliter impediẽtes iurisdictionem Ecclesiasticam.

ponitur. Ex quo sequitur, Principes seculares eodem vinculo culpæ teneri, atque ligari, si vel non obediant, vel id impediant, quod à potestate spirituali proponitur exequendum, etiam si id quod proponitur, non obligaret ex sui natura ad plus, quàm veniale, vt probat Caiet. ibidem, & Nauarr. in Manuali cap. 23. num. 35. & 36. quod eo casu intelligendum est, quando impedirent, vel omitterent id quod iubetur, ea ratione principaliter, quia iubetur, aut proponitur, vt ibidem Nauarr. benè limitat; est enim tunc nouum peccatum habens turpiorem deformitatem, & est specialis inobedientiæ species; si tamen crederet probabiliter, superiorem per errorem iussisse, aut si veritatem nouisset, non iussurum fuisse, nequaquam peccaret non parendo, vt ibidem Nauarrus, per text. in capit. si quando, & c. pastoralis de rescriptis: lege Siluestrum verbo, Religio sexto. Quòd si ex contemptu quisquis principaliter id ageret, eò quòd auctoritatem mandantis, aut proponentis parui faceret; tunc grauiorem contraheret culpam, vt inquit Sanctus Thom. 2.2. quæst. 189. art. 9. & Archid. in cap. quicunq; 81. dist. & Dominic. in cap. nullus 55. dist. quicquid dicat *Felin.* in cap. cum quidam, de iureiura. col. 3. & 4. Nec ab hoc contemptu excusat consuetudo, vel potius abusus resistendi, seu impediendi actus, & executionem iurisdictionis ecclesiasticæ, vt ait S. Thom. ibidem, licèt aliter sentiat Riccardus in quodlib. 1. quæst. 19. & Angelus verbo, inobedientia §. 1. & verbo feriæ §. 22. quoniam vbi non est iusta causa impediendi, apponere impedimentum, contemnere est; contemptus autem nulla consuetudine excusatur; iusta autem causa semper à mortali peccato excusat, vt definit S. Thom. 1.2. q. 96. art. 6. & 2.2. quæst. 147. art. 3. & Archid. in capit. vtinam 76. distinct. & Panormit. in rubr. de obser. ieiun. Quæ autem iusta causa dicenda sit, exponit Nau. loco citato nu. 43. nimirum, quando si legislator adesset, impedientem excusaret, per Glossam singularem receptam in l. tale pactum §. qui procurauit ff. de pactis. Præterea causa, quæ bona fide pro iusta habetur, & ob quam nisi eam talem iudicaret, quis contra mandatum non faceret, etiam à peccato mortali excusat, vt ait Palud. in 4. dist. 15. q. 4. & Siluest. verbo ieiunium q. 8. quod singulariter explicat Caiet. 2.2. q. 147. art. 3. & ne longiores in hac re simus, legenda sunt circa hanc materiam ea, quæ scripsimus in 2. disp. contrà Pseudotheologos cap. 4. & quæ scribit S. Thom. 1.2. q. 69. art. 5. receptus in hoc communiter à Theologis, & Canonistis; & Nauar. etiam ibidem n. 48. & seq.

Quænā sit iusta causa excusans à peccato mortali.

Excōmunicatione incurrunt impedientes iurisdictionē Ecclesiasticam in multis casibus.

QVOAD pœnas autem canonicas, quas incurrunt Principes, cæteriq; impedientes iurisdictionis ecclesiasticæ executionem, habemus mentem summi Pontificis, valde dilucidatam, & declaratam in bulla cænæ Domini n. 65. 66. & seq. vbi excōmunicantur primo impedientes cursum causarū ad Romanā curiā, vel in curia, secundo impedientes executionē litterarū curiæ, & Sedis Apostolicæ, tertio tractantes malè personas illas agentes, & impedientes dari instrumenta super his petita, quarto impedientes impetrationes litterarum gratiæ, vel iustitiæ à Sede Apostolica, siue id faciant auctoritate iudiciaria laica, siue priuata, vel Ecclesiastica, de qua te legendus est quoq; textus cap. Quoniam, de immunit. Ecclesiast. in 6. & cap. 2. de rebus Ecclesiasticis non alien. in 6. & Siluester excommunicatio 9. casu 19. & Suarez disput. 33. tomo 5. & alibi sæpe. Solet autem Deus, qui summopere iustitiam, & iudicium diligit, punire Principes, ac Magistratus seculares impedientes potestatem ecclesiasticam, extraordinarijs, ac grauissimis penis; amissione nempè Regni, morte filiorum, & similibus: sic Saul dum Samueli, qui erat Dei Sacerdos, summitatē pallij scidit 1. Regum 15. debitas pœnas luit: *Scidit Deus Regnum tuum à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Et si nō licet in Prophetis Dei malignari sub pœna exterminij, iuxtà illud Psalm. 104. & Psalm. 36. *& in Prophetis meis nolite*

lite malignari, quoniam qui malignantur exterminabuntur, quomodo iniquum non erit, Sacerdotes noui testamenti qui illis successerunt, & maioris ponderis sunt, tangere, disturbare, ac molestare? Certè non solùm talia agentes sunt molesti hominibus Dei ministris, sed etiam ipsi Deo vero, qui proprio ore dixit, *qui vos spernit, me spernit*: ita quoque Rex Balthasar cum vasa templi prophano vsui applicasset, quamuis non ipse, sed Pater eius è loco sacro abstulisset; & depositione Regni, & vitæ amissione ex Danielis prophetæ Dei prædictione punitus fuit. Sed acrius, & magis graue supplicium merentur, qui personas ipsas Deo dicatas prophanant, percutiunt, & ad terram vsque prosternunt. Nec priuilegia, si quæ alicui Principi, seù Reipublicæ à Sede Apostolica circa Clericos concessa sunt, extra casus concessionis extendenda sunt, cum nouum priuilegium, & noua concessio ad id requiratur, & sine illa similia perpetrantes, tanquam violatores diuini, & humani iuris sunt corrigendi. Simile quid accidit Dathan, & Abyron, qui Moysi tanquam Dei Sacerdoti resistentes, aperiente terra os suum, operti humo viui in infernum descenderunt, vt legitur Num. 16. & Eccles. 45. S. Chrys. ante annos 1200. lib. 3. de Sacerdotio, de hac materia ita scribit. Corporis lepram purgare, seu verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Iudæorum sacerdotibus solis licebit, neque nescis quanta cum ambitione, quanto cum studio, ac concertatione sacerdotalis dignitas id temporis conquireretur: At verò nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est: quare iudicio quidem meo, qui istos contemnunt, multo sceleratiores maiorique supplicio digni fuerint, quam Dathan cum suis omnibus. Hactenus Chrysostomus.

QVAESTIO DECIMA.

An iurisdictio spiritualis interdicta sit excommunicato.

DIFFICVLTAS hoc loco est, an excommunicatus ità sit priuatus spirituali iurisdictione fori contentiosi, vt omnis eius actio ipso facto irrita sit. Canonistæ, Summistæ, necnon Theologi duo in hac re, vt certissima ponunt.

PRIMO, excommunicatum exercentem aliquem actum iurisdictionis peccare grauiter, & ferè semper mortaliter; & ratio euidens est, quoniam materia huius præcepti interdictæ iurisdictionis grauis est, & pertinens ad directam, ac primariam actuum priuationem, quæ fit per excommunicationē, & re uera in indiuiduo rarissimè contingere potest, vt ex leuitate materię peccatum hoc veniale sit. *Grauiter peccat excommunicatus exercēs act⁹ iurisdictionis spiritualis.*

SECVNDO, vt rem certam, & communem ponunt, omnem vsum iurisdictionis spiritualis, etiam in foro contentioso, esse prohibitum excommunicato; ita habetur in c. audimus 24. q. 1. vbi dicitur, excommunicatum non posse alterum excommunicare, quod profectò prouenit ex defectu iurisdictionis. Idem quoque colligitur ex cap. 1. de officio Vicarij in 6. vbi dicitur, illum qui vicesgerebat alicuius officialis, seu iudicis ecclesiastici, hoc excommunicato existente, non posse munera illius officij exercere: Cuius rei ratio est, quia per excommunicationem suspenditur principalis iurisdictio in eo, qui excommunicatione innodatur, & inde fit, vt nec fluere, nec deriuari possit ad eū, qui illius vices gerit. Atque ob eandem causam dicitur in cap. si is cui, de offic. deleg. & potestate iudicis in 6. Quando delegatus excommunicatus est, subdelegatum carere iurisdi- *Etiā in foro exteriori non potest excommunicatus exercere vsum iurisdictionis spiritualis.*

risdi-

risdictionis vsu, & ideò non ad ipsum, sed ad Sedem Apostolicam esse appellandum. Idem quoque probari potest ex cap. 1. de supplen. negligentia Prælatorum in 6. vbi dicitur, excommunicato Episcopo, iurisdictionem non deuolui ipso iure ad Archiepiscopum. Vnde supponitur, quòd iurisdictio tollatur, & ad aliquem deuoluatur, licèt negetur deuolui ad talem personam. A fortiori etiam idem probatur ex cap. decernimus, de sent. excommun. in 6. & ex cap. veniens, 2. de testibus, & alijs, ex quibus habetur, excommunicatum, neque testem, neque actorem posse esse in iudicio; quoniam omnis communicatio ecclesiastica ei interdicta est; & indignus est qui ab Ecclesia separatus existit, vt in illa iudicet, aut alium actum iurisdictionis ecclesiasticæ exerceat. Extenditur autem hæc prohibitio ad omnes actus, qui spectant ad iurisdictionem propriè dictam, cuiusmodi sunt actus iudicis, & superioris ecclesiastici, vt præcipere, edicta promulgare, leges ferre, dispensare, iudicare, tradere licentiam ecclesiastica munera exercendi, & similia, quæ numerantur in cap. Accedentibus, de excessibus Prælatorum, & in cap. dilectus filius, de officio ordinarij. Præterea delegare iurisdictionem, cùm id sit quoque iurisdictionis vsus, l. imperiũ ff. de iurisdictione omnium iudicum; ideò si fiat ab excommunicato nulla est, vt constat ex cap. 1. de officio Vicarij in 6. & ibi Glossa verbo, recipiunt, & verbo, vigorem; & si res sit integra, cessat quoq; iurisdictio delegata propter superuenientem excommunicationem, quæ fulminatur id delegantem; nequaquam verò si res integra non sit, sed iam inchoata. Inter hos actus quoque ponenda est concessio Indulgentiarum, vt notat Nauarr. in Comment. de Iubilæo notab. 31. nu. 10. Siluester verbo Indulgentia num. 13. Abbas quoque in cap. Accedentibus, de excess. Prælat. non enim prædicta iura semper loquuntur specialiter de prohibitione iurisdictionis in ordine ad officium contentiosum, sed interdum loquuntur de iurisdictione simpliciter, & absolutè: eo enim quòd quis suspensus est ab officio, suspensus quoque censetur ab omni actu eidem officio connexo; lege Canonistas in cap. cum dilectus, de consuetudinibus; Innocentium, & Abbatem in cap. Veritatis, de dolo, & contumacia, & in cap. ad probandum, de sententia, & re iudic. & Theologos in 4. dist. 18. & 20. Lege quoque Summistas verbo excommunicatio, & specialiter Caietanum in summa, verbo excommunicatio, cap. excommunicato plura sunt illicita, & Nauarrum in summa cap. 27. num. 21. Vnde neq; Episcopus, si ligetur vinculo alicuius excommunicationis, poterit benedicere populum, etiam priuatim, nec conferre beneficia, vel ad illa instituere, nec absoluere à iuramento, & similia, quia hæc omnia sunt actus iurisdictionis. Hæc igitur duo tanquam certissima ponuntur ab omnibus.

An omnia acta publici excommunicati irrita sint?

TERTIO dicunt, omnia acta à quocunque excõmunicato publico iuxta antiquum ius, hodie verò iuxta nouum, à manifesto Clerici percussore, aut nominatim denunciato, irrita esse, & nullius valoris, & adducunt textum in cap. ad probandum, de senten. & re iudic. vbi non solum sententia ab vno Iudice excommunicato lata, sed etiam lata à multis, ex quibus vnus tantum excommunicatus est, cassanda dicitur; & addit Gloss. ibidem, ideò cassandam dici, quia cassa, & irrita declaranda est, indicans non fuisse validam ab initio, sed nullam, tanquam sine iurisdictione probatam; & ibi textus loquitur de publico excommunicato. Ex quibus sequitur, reum non ligari sententia, vel præcepto à tali Iudice, vel superiore lato, est enim iure ipso nullum, nec subditus tenetur ad parendum superiori excommunicato præcipienti, quia illi obedire, vt talis est, esset communicare cum illo. Sequitur ex hoc, improbabilem esse opinionem Paludani in 4. dist. 25. q. 2. & Siluestri verbo. Vnctio. num. 4. & Armillæ num. 5. dicentium, Parochum excommunicatum posse dare licentiam alteri ad conferendum Sacramentum extremæ vnctionis, cum eius administratio ad potesta-

tem

tem ordinis, non iurisdictionis pertinent, quorum sententia rectè à Suarez reprobatur tomo 5. in 3. par. S. Tho. disp. 14. sect. 1. licèt enim vngere formaliter sit actus ordinis, tamen dare licentiam, seu facultatem ungendi, est actus iurisdictionis: & rursus, quamuis ad validè vngendum non sit necessaria iurisdictio ad vngendum tamen licitè, & iure necessaria est, vel iurisdictio propria, vel licentia valida ab eo accepta, qui ad eam dandam vsum iurisdictionis habeat. Cum igitur excommunicatus huiusmodi vsu careat, certum videtur, neque ipsum posse talem licentiam conferre, neque alium illa vti. Verum quamuis vterq; peccaret, sacramentum tamen validum, & constans esset. Vide quæ scribit idem Suarez eodem tomo disp. 11. sect. 2. contra Vgolinum Tabel. 1. de Censuris cap. 13. §. 16. nu. 13. Similiter omnes benedictiones, seu consecrationes ab Ecclesia introductæ, quæ solùm Sacerdotalem, vel Episcopalem ordinem, non autem iurisdictionem requirunt, ab excommunicato factæ, validæ, & ratæ sunt, sicut benedictio solemnis Candelarum, Palmarum, & illa, quæ in Ecclesia dari solet coniugatis, & similia, si minister huiusmodi ordinem habeat, & in reliquis debitum ritum seruet, ita Siluester verbo, Consecratio 2. num. 6. & Angelus eodem verbo, & nu. & Tabiena nu. 8. & Suarez disp. 11. sect. 2. tom. 5. hæc enim Sacramentalia cum ab Ecclesia instituta sint, & nulla alia sit apposita conditio, vt necessaria ad substantiam talis actus, valida sunt, etiam ab excommunicato ministrata, licèt grauiter peccet, qui illa sic administrat. Præterea Sacramentum Pęnitentiæ à publico excommunicato collatum, extrà casum extremæ necessitatis ipsius pœnitentis, non est validum, minister enim Sacramẽti Pęnitentiæ si non habeat iurisdictionem, non conficit Sacramentum, vt constat ex c. omnis vtriusque sexus, de pęnit. & remiss. & in Decreto Concilij Florentini, & ex Tridentino sess. 14. cap. 7. Publicè autem excommunicatus, vt diximus, omni iurisdictione caret; vt præter ea, quæ adduximus, patet ex cap. Romana, de officio Vicarij in 6. & cap. si is cui, de officio, & potest. iudicis deleg. in 6. lege Nauarr. in Manual. cap. 9. n. 8. & Medinam tractatu 2. de confess. quęst. de absol. trib. à Curato excommunicato denũciato, & quæst. de absol. trib. ab excommun. manifesto percussore Clerici: quando autem ab huiusmodi Sacerdote sic excommunicato recipit quis sciens, & prudens præfatum Sacramentum, tunc duplex concurrit causa nullitatis, altera ex defectu iurisdictionis, vt dictũ est; altera ex defectu materiæ essentialis, qualis est integra confessio cum sufficienti dolore; hanc enim habere non potest, qui actu, & voluntariè peccat mortaliter in ipsa confessione: quod Suarez loco citato censet esse verum, etiã de illo, qui hoc facit ex ignorantia, quæ à mortali culpa non excusat. Quòd si ignorantia est inuincibilis, dicit Suarez distinguendum esse; si enim illa ignorantia procedat ex communi, & publica existimatione, vt si Sacerdos taliter excommunicatus in vno loco, ad alium remotissimum recedat, & ibi beneficium recipiat, vel ad hoc ministerium exponatur publicè; in hoc casu absolutio ab illo bona fide suscepta valida erit, & Ecclesia propter commune bonum iurisdictionem in illo fouet, atque conseruat, vt etiam dixit Vgolinus Tab. 1. cap. 13. §. 16. num. 12. Si verò ignorantia procedat ex solo priuato, & particulari errore, tunc licèt illa inuincibilis sit, & propterea excuset à culpa, tamen Sacramentum inualidum est ex defectu iurisdictionis, estque confessio illa reiteranda, nec est subiecta clauibus, nec iudici vero, seu competenti in illo foro, & cum cesset ibi ratio publici officij secũdum communem existimationem, Ecclesia non supplet illum defectum; quoniam leges morales non attendunt incommoda particularia, sed id quod bono communi expedit, vt Medina, Couarr. Vgolinus, & Suarez locis citatis tradunt. Addit Suarez, Parochum excommunicatum non posse vices suas alteri committere, nec dare licentiam audiendi confessio-

siue Ducem, siue Iudicem, siue Regem, qui toti multitudini imperaret; quod pertinet ad Monarchiam: habuit præterea multos Principes minores, de quibus ita legimus Exodi 18. *Electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui iudicabant plebem omni tempore.* Id autem ad Aristocratiam pertinet. Deniq; ex omni plebe, non ex vna aliqua Tribu Principes assumebantur, vt ibidē habetur, & etiam ex Deuter. 1. apertè colligitur, quod aliquo modo Democratiæ est: similiter ergo Christi Ecclesia habet non solum summi Pontificis Monarchiam, sed etiam Episcoporum, qui Principes veri, & Pastores Ecclesiarum sunt; nec non Conciliorū Aristocratiā, Democratiā verò, quia vnusquisq; Christianus virtutis stimulo, & amore gloriæ Christi inflammari, & accendi debet ad labores, & onera pro corpore Christi, quod est Ecclesia, ex cuius multitudine eliguntur viri ad gubernationem, & regimen illius. Lege S. Tho. 1.2.q.105.art.1.

Exod. 18.

NVNC ad argumenta in contrariū respondendū est. Ad Primū dicimus, non displicuisse Deo, quòd Iudæi Regem sibi peterent ad suam gubernationem, cum illis tandem Regem optimum designauerit; sed id ingratum illi fuit, quòd non contenti eo statu, in quo illi à solo Deo tanquam proprio, & peculiari eorum Rege gubernabantur, petierunt alium modū gubernandi per inferiorem Regem, qui homo esset; quem Dominus ad petitionem populi quasi indignatus ijs concessit, cum dixerit Samueli; *non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos*: Dominus enim à principio hebræis Regem non instituit cum plena potestate, sed Iudicem, & gubernatorem in eorum custodiam eis tradidit, cum limitata auctoritate, vt inquit S. Tho. loco cit. in solut. ad secundum: erant autem Duces, & Iudices tanquam Proreges, qui toti quidem populo præerant, sed Regi primario, hoc est Deo subijciebantur: voluerunt autem Iudæi proprium habere Regem, qui vniuersum Regnum, vt suum, & proprium possideret, & ad filios, & nepotes, tanquam hæreditatem aliquam transmitteret, in quo meritò à Deo reprehensi, & puniti fuerunt.

Aduersariorū argumenta soluuntur.

AD secundum dicimus, quòd licèt Caluinus perperā irrideat Monarchiam, nos tamen, & alij omnes catholici eius rationes tanquam friuolas, ludibrio dignas esse iudicamus; cum iam probatum sit, Monarchiam iudicio omniū Theologorum, Philosophorum, & Poetarum primum locum inter omnia genera regiminis tenere.

AD tertium respondemus, iam explicatum esse, apud hæbreos fuisse Monarchiam temperatam cum Aristocratia.

AD quartum respondet S. Tho. loco cit. ad secundum, potestatem Monarchicā si perfectę virtuti innitatur, nunquam degenerare in Tyrannidē; Christus autem vnum instituit Principem in Ecclesia secundum virtutem, sub quo etiam sunt nonnulli alij, qui principantur etiam secundùm virtutem, quocirca Tyrannidi nullus locus in Ecclesia conceditur, si Christi institutionem, & instructionem Prælati sequantur.

AD quintum dico, nomine Ecclesiæ in eo loco Matthæi intelligi Præsulem, uel Episcopum, & Principem Ecclesiasticum, ut exponit S. Chrysost. ibidem & Innocentius Tertius cap. Nouit, extra de iudicijs; uel certè cœtum fidelium cum suo capite; ut enim inquit Cyprianus in epist. ad Florentium, quæ est nona lib. 4. Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens.

AD locum Actorum 6. responsio depromitur aptissimè ex uerbis Lucæ in eodem loco. Nunquam enim ius eligendi Diaconos fuit apud Populum, sed apud Apostolos, & Episcopos, licèt populus potuisset nominare, postulare, seu offerre Apostolis aliquos idoneos ad illud munus, quos deinde oblatos, Apostoli non Populus, in Diaconos creabāt: vnde Cyprianus lib. 3. epist. 9. benè dixit, Apostolos

los Dominus elegit; Diaconos Apostoli sibi constituerunt.

AD illud Actorum 15. dicimus, primam illam controuersiam à Petro tanquam capite, qui in eo Concilio præerat, etiam præsente Iacobo Episcopo, definitam fuisse, vt patet ex textu, & lectione illius capitis. Sed de hac re satis, plura enim in duabus sequentibus quæstionibus circa illam dicturi sumus.

QVAESTIO SEPTIMA.

An Ecclesiasticum Regimen sit aliquo modo penes Principes seculares.



NONNVLLI hæretici, vt Brentius, Illyricus, & Henricus Octauus Angliæ Rex, illum conantur defendere errorem, quòd Ecclesiæ regimen ad Principes seculares, tanquam ad capita Ecclesiarum, pertineat, exclusis omninò Episcopis, quos vocant mancipia Principum, & infimos eorum seruos.

AD hanc falsitatem probandam adducunt verba B. Pauli 2. Corinth. 4. *non nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum, nos autem seruos vestros per Iesum*; si Episcopi sunt serui Ecclesiæ, & Populorum, multò magis Regum, de quibus B. Petrus in prima sua Canonica cap. 2. *Subiecti estote*, inquit, *omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi tanquam præcellenti, siue Ducibus, tanquam ab eo missis*, ergò, &c. — Hæretici probare conantur, seculares Principes habere potestatem in Ecclesiasticos.

SECVNDO quoniam huius rei passim habentur exempla in veteri testamento, in quo legimus, Moysem, Iosue, Dauidem, Salomonem, Iosiã, qui Duces, aut Reges erant, sæpè se in negotijs Religionis immiscuisse.

TERTIO Quoniam Regibus commissa est à Deo custodia Religionis, & legis diuinæ, & idcircò ad eos curam Ecclesiæ pertinere, asserendum est, sic .n. Apostolus ait Rom. 13. *Non sine causa gladium portat; minister enim Dei est, vindex in iram ei, qui malè agit*.

QVARTO quoniam Actorum 1. tota Ecclesia elegit Matthiam, & Actorum 6. septem Diaconi ab Ecclesia, seu Populo electi fuere, & hodie in multis partibus Populus eligit Parochos; & Patres docent, electionem, & causas Episcoporum ad populum pertinere; vt Cyprianus lib. 3. epist. 14. ad Presbyteros, & Diaconos de quibusdam turbulentis fratribus scribens innuit. Interim prohibeantur offerre, acturi & apud nos, & apud plebem vniuersam causam suam, &c. item Ambrosius lib. 5. epist. 32. cum ageret de iudicio, & causa fidei, sic scribit: Ille populus iudicat. Item: Auxentius vestrum refugit examen, ergò, &c.

IN contrarium est Textus Ioan. 21. cum soli Petro vniuersaliter dicatur, *pasce oues meas*, vt supra sæpè dictum est.

FACILIS est huius quæstionis resolutio, & in scripturis sacris, præcipuè noui testamenti, nil clarius, quam regimen Ecclesiæ non ad Populum, vel optimates, sed ad Principes Ecclesiæ, & præcipuè ad summum Pontificem pertinere: & ita firmissimè tenendum, & asserendum est. — Ecclesiæ regimen ad Papam & Prælatos ecclesiasticos tantum pertinet.

ET probatur Primo, quoniam nec cœtus fidelium, nec optimates seculi sunt Principes Ecclesiæ, solùm enim de Apostolis, eiusq; successoribus dictum fuit à Dauide Psal. 44. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij; constitues eos Principes super omnem terram*; quem locum S. August. S. Hieron. S. Chrysost. & Theodoretus intelligunt de Episcopis; ergò ad optimates seculi non pertinet Aristocratia Ecclesiæ. — Psal. 44.

SECVN-

1. Cor. 12. Ephes. 4.

SECVNDO quoniam Apostolus 1. ad Corinth. 12. & Ephes. 4. gradus ecclesiasticos ponens, Reges, & optimates, nec primo, nec medio, nec vltimo loco ponit quoad officium gubernandi Ecclesiam; *Deus enim* inquit, *posuit primum in Ecclesia Apostolos, deinde Prophetas, tum Pastores, & Doctores*; vt inde aperte cognoscamus, vt S. Damascenus animaduertit, in secunda oratione pro imagin. Apost. non esse Ecclesiæ Reges, magistratus, vel optimates, sed tantum seculi.

Actor. 20.

2. Paral. 19. & 26.

TERTIO. Ecclesiæ regimen est supernaturale; nec alicui conuenire pot, nisi cui Deus commisit; sed Actorum 20. dicitur. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei; quam acquisiuit sanguine suo:* vbi de Populo, & optimatibus nec vllũ verbũ. Præterea 2. Paralipomenon 19. Iosaphat Rex optimus, *Amarias* inquit, *Sacerdos, & Pontifex in omnibus, quæ ad Deum pertinent, præsidebit; porrò Zabadias super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent:* & 2. Paralip. 26. cum Ozias Rex vellet thus adolere, prohibuit eum Pontifex dicens. *Non est tui officij Ozia, adolere incensum Domino, sed Sacerdotum.* S. Ambrosius epist. 33. ad sororem dicit, se Valentiniano dixisse, vt etiam supra retulimus. Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina sunt, aliquod imperiale ius habere. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum, &c. Item Theodosio Imperatori dixisse eundem Ambrosium. Purpura Imperatores facit, non Sacerdotes; refert Theodoretus lib. 5. cap. 17. hist. qui etiam lib. 4. cap. 16. scribit, Eulogium quendam, cum ei Modestus præfectus Valentis Imperatoris Arriani dixisset: Communica cum Imperatore, facetè respondisse. Nunquid cum Imperio est etiam Sacerdotium consequutus? Sulpitius lib. 2. historiæ sacræ in extremo narrat, S. Martinum Maximo Imperatori dixisse, nouum esse, & inauditum nefas, vt causam Ecclesiæ iudex seculi iudicaret. B. Athanasius in epist. ad solitariam vitam agentes, redarguit Constantium, quòd se rebus Ecclesiasticis misceret, quod etiam docuit S. Gregorius lib. 5. epist. 25. vbi loquens de Mauritio Imperatore sic ait. Scimus, pijssimos Dominos disciplinam diligere, ordinem seruare, Canones venerari, & se sacerdotalibus negocijs non miscere. Lege quoq; Damascenum in 1. & 2. oratione pro imagin. Apostolorum, vbi fusissimè idem docet. Porrò Basilius Imperator in octaua Synodo expressis verbis affirmauit, nec sibi, nec vllis laicis licere negocia sacerdotalia tractare. Valentinianus quoq; senior teste Sozomeno lib. 6. cap. 7. idem publicè professus est. Quid? quòd primus Imperator Constantinus idem docuit, vt refert Euseb. de vita Constantini lib. 4. cap. 24. dum sic ad Episcopos loqueretur. Ego quidem communis quidam sum Episcopus, sed vos eorum, quæ sunt in Ecclesia; ego eorum, quæ extra sunt, à Deo constitutus Episcopus, seu speculator, & superintendens videor. Quod etiam in Regum coronatione Pontifex dum illos inungit, significat illis in verbis, quæ in Pontificali Romano habentur. *Accipe coronam regni tui, quam sanctitatis gloriam, & honorem, & opus fortitudinis intelligas significare, & per hanc te participem nostri ministerij non ignores, vt sicut nos in interioribus pastores, rectoresq; animarum intelligimur*, præcipuè nẽpe, *ita & tu contra omnes aduersitates Ecclesiæ Christi defensor existas.* Præterea multorum aliorum exempla, & sententiæ, quæ sunt apud diuersos Auctores, possent ad rem hanc cõfirmandam adduci: sed si aduersarij præcitatos non audiunt, neq; Moysen, neque prophetas audient.

QVOD autem neq; ad plebem, neq; ad Populum, vel ad cœtum fidelium spectet regimen Ecclesiæ, ea, quæ ad popularem gubernationem requiruntur, omninò declarant.

Populus omninò excluditur ab Ecclesiæ regimine.

ET primo in regimine populari nullus est magistratus, qui non ex consensu totius, maiorisue partis populi constitui debeat, & pro eiusdem populi arbitrio

trio remoueri possit; immò ab eodem auctoritatem, & potestatem recipit; cum enim populus per se ad ius dicendum sedere non possit, necesse est, saltem alios constituere, qui suo nomine id faciant. Atqui in Christi Ecclesia plebs nec creare, nec remouere Pastores, & Principes Ecclesiarum potest; & ideò Paulus ad Galath. 1. clamabat, se ad Apostolatum non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem vocatum esse; ergo, &c. Adde, Christum primum magistratum Ecclesiæ, hoc est Apostolos, non per suffragia discipulorum, sed auctoritate sua creasse, vocando ad se, vt scribitur Marci 3. quoscumque voluit ipse. Cur igitur nunc Episcoporum creatio ad plebem spectabit? certè eadem Ecclesia est nunc, quæ erat cum viueret Christus, quarè eandem formam, qua tempore Christi regebatur, retinere debet, aliàs non esset eadem, vt colligitur ex Aristotele lib. 5. Politic. capit. 2.

SECVNDO Regimen populare admittit appellationem à sententia magistratus in rebus saltem grauioribus ad plebis iudicium, teste Liuio lib. 2. & 4. & Plutarcho in Solone: at in Ecclesia Christi nunquam est auditum, appellationes fieri ab Episcopis ad populum, neque populum absoluisse, vel ligasse, quos Episcopus ligauerat, vel soluerat; immo ex multis Concilijs generalibus, & Decretis Apostolicis habetur, plebem, seu populum de controuersijs fidei iudicare non posse, vt à nobis alibi ostensum est; ergò, &c. Non datur appellatio in Ecclesia à sententia Prælatorum ad populum.

TERTIO in regimine populari leges, quibus gubernatur Respublica, à magistratu proponuntur, & à Plebe iubentur, vt patet ex Liuio lib. 3. & ex Tullio in orationibus de lege Manilia, & de lege Agraria; atqui omnes leges Ecclesiasticæ sine suffragijs populorum, vel à Pontificibus, vel à Concilijs latæ sunt, nec est lex in Ecclesia, quæ Plebiscitum dici possit. Leges Ecclesiæ latæ sunt sine suffragijs populi.

QVARTO Magistratus in eo regimine solent accusari apud Populum, & ab illo, vel dignitate priuari, vel in exilium deportari, vel etiam morte mulctari, si ita populo visum fuerit; nullus autem in Ecclesia ostendi potest Episcopus, qui à Populo fuerit depositus, vel excommunicatus, ergo, &c. At hæc nimis clara sunt, præsertim si definitionem Populi, quam Sanctus Chrysostomus Homil. 2. in Ioannem tradit, attendamus. Est, inquit, Populus quiddam tumultus, perturbationisq; plenum, è stultitia maiori ex parte constans, atque compositum, temerè instar fluctuum maris, varia, & pugnante sententia sæpè numerò iactatum; deinde subdit. Qui ergò sub eiusmodi seruitio premitur, nonne omnium est sanè miserrimus? Sed iam ad argumenta superius posita respondendum est. Nunquã Ecclesiæ Prælati à populo iudicati sunt.

AD primum dicendum, Episcopos, & Præpositos Ecclesiasticos esse ea ratione seruos, quia laborant, & seruiunt alijs, eos in diuinis regendo, eisque in commodum spirituale præsidendo; sicut etiam Reges, & Principes seculares inseruiunt Populo in rerum Politicarum regimine, cura, & gubernatione: Qui tamen omnes non sunt serui propriè, quasi seruiant obediendo, & parendo, quo genere seruitutis propriè dictę mancipia comprehenduntur. Vnde Sanctus Gregorius primum genus seruitutis intelligens, dixit, summum Pontificem esse seruum seruorum Dei, & Sanctus Augustinus lib. nono confessionum capit. vltimo. Inspira Domine, inquit, seruis tuis, fratribus meis, filijs tuis, dominis meis, quibus voce, & corde, & literis seruio. Et Sanctus Bernardus lib. 2. de consideratione ad Eugenium ait, cum factus esset Pontifex, eleuatum super gentes, & regna, sed ad ministrandum, non ad dominandum. Idem Gregorius lib. 3. epist. 61. ex humilitate, & vrbanitate Imperatorem serenissimum Dominũ suum appellat; se verò profitetur seruũ indignũ eius esse; Soluũtur argumẽta cõtraria.

Ee sic

sic autem: cum Imperatore loquebatur. Quoniam Imperator, dum dominium temporale in vrbe Romæ tenebat, & Gregorius eius amicitia, & opere vehementer indigebat, vt à Longobardorum gladio, & furore, non solum bona temporalia Ecclesiæ, & Populus Romanus, sed etiam ipse defenderetur. Addit item Gregorius, Imperatorem Sacerdotibus debere reuerentiam exhibere, quod certè inferioris est, non superioris. Lege eundem lib. 4. epist. 31. & 34. & licèt sint etiam Reges in Ecclesia, tamen populis præsunt in his tantùm rebus, quæ ad statum Politicum pertinent, nec Christianis hominibus imperant, vt Christiani sunt, sed vt sunt homines politici; Reges tamen, vt Christiani, sunt oues, & Pastoribus, ac Episcopis subiecti, vt docet Nazianzenus in oratione ad ciues timore perculsos,& S. Ambrosius in oratione de tradendis Basilicis scribit, nihil honorificentius dici posse, quàm vt Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur. Imperator enim bonus intrà Ecclesiam, non supra Ecclesiam est; membrum,non caput Ecclesiæ est.

Moyses fuit dux, & Sacerdos simul.

AD secundum dicimus, Moysem & Ducem, & etiam summum Sacerdotem fuisse, vt demonstrauimus in prima disput. contra pseudotheologos; cęteros autem nonnullas actiones, quæ alioquin ad Sacerdotes ex officio spectabāt, extraordinaria auctoritate, non vt Reges, sed vt Prophetas ex diuina inspiratione egisse; ordinariè tamen in dubijs de religione homines remittebantur non ad Regem, sed ad Sacerdotem Leuitici generis, vt patet Deuteron. 17. Alij Reges Synagogæ, qui boni fuerunt, numquam se miscuere in negocijs sacerdotalibus, & si quando id tentarunt, puniti fuere, vt patet de Ozia 2. Paralipomenon 26.

Principes à Prę latis discūt ea, quę in regimine Ecclesiæ facienda sunt, & illos adiuuant.

AD tertium respondemus, Reges esse quidem custodes, & defensores Ecclesiæ, & legis diuinæ, debereq; edictis, & pęnis impedire blasphemias, hæreses, sacrilegia, & alia etiam bello, & armis remouere, quæ officiunt religioni Christianæ; sed tñ quæ sint hæreses, & quid sit contra fidem,& quales ritus sint in diuinis recipiendi, debent ab Episcopis discere. Lege S. August. epist. 48. 50. & 166. atq; hac ratione Principes Christiani portant gladium, vt Ecclesiam tueantur, & iustitiam administrent.

Regis, & Sacerdotis officia distincta.

AD quartum dicimus,officia Regis,& Sacerdotis diuino iure distincta esse, vt patet 2. Paralip. 19. vbi Iosaphat Rex optimus sic loquitur, vt supra diximus. *Amarias sacerdos, & Pontifex in omnibus, quæ ad Deum pertinent præsidebit: porrò Zabadias, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent,* & id constat Matth. 16. 18. Ioan. 20. & 21. Lucæ 22. Marci 10.

Nunquā Populus habuit ius creandi Episcop, nec supra illos auctoritatem habuit.

AD quintum iam responsum est, Populis, seu cętui fidelium nunquam ius competijsse creandi ministros ecclesiasticos, sed tantum postulandi, vel nominandi; sed estò quòd ab eis eligerentur, non proinde continuò sequitur, regimen ecclesiasticum, esse Democraticum, non Monarchicum, vt patet de Imperatoribus Romanis, qui eligebantur à militibus, & nunc à quibusdam Principibus eliguntur, & nihilominus Imperium ad Monarchiam pertinet; quando enim in populo non remanet maior potestas, quàm in electo, itaut à sententia Principis electi ad iudicium populi liceat prouocare, tunc Monarchia non tollitur: quod egregiè Valentinianus senior, cum ei milites collegam in imperium dare vellent, teste Sozomeno lib. 6. cap. 7. expressit his verbis. Me ad Imperium eligere penès vos erat, sed cum iam à vobis electus sim, consortem Imperij quem postulatis, non amplius in vestra, sed in mea tantum potestate eligere situm est.

Explicatur S. Cyprianus.

AD testimoniū Cypriani dicimus, perpetuò morem ei fuisse oīa maiora negocia

gocia coram Clero, & Populo tractare, & sine eorum consensu nihil agere, quod non coactus vlla lege, sed ad bene esse, & sua sponte agebat, vt constat ex lib. 3. epist. 10. vbi sic scribit. Ego à primordio Episcopatus mei statueram nihil sine consilio vestro, & sine consensu plebis, mea priuatim sententia gerere, &c. hinc tamen non sequitur, Populum ius habuisse ad illa negocia, sed ex mera Cypriani benignitate, & vrbanitate ad illa tractanda vocatum fuisse, quæ etiam sine illorum consensu terminare potuisset.

VERBA autem S. Ambr. intelligenda sunt de iudicio priuato, quo quisq; decernit, & eligit, quid sibi sit sequendum, non autem de iudicio publico, quod auctoritatem habet decernendi, defendendi, ac obligandi alios, vt ex verbis eiusdem Ambrosij clarè cognoscitur. Veniant, inquit, planè si qui sunt ad Ecclesiam, audiant cum populo, non vt quisq; iudex resideat, sed vnusquisque de suo affectu habeat examen, & eligat quod sequatur. Agitur de istius Ecclesiæ Sacerdote. Si audierit illum (id est Auxentium) populus, & putauerit melius disputare, sequatur fidem eius: non inuidebo. Vides, Ambrosium per iudicium populi non aliud intelligere, quam vt domi, & priuatim vnusquisq; apud se discernat, cuius velit esse fidei, vtrum Catholicæ, an Arrianæ, & quem Episcopum sequi malit, Ambrosium ne, an Auxentium; non quòd Ambrosius commiserit id prudentiæ cuiuscumque, sed quòd tunc aliud obtinere non poterat, cum Imperator potius faueret Arrianis, quàm Catholicis, & rectè nouerat Ambrosius, populum suum esse Catholicum, vt ex sequentibus in eadem epist. planè cognoscitur. Lege Sanderum lib. 2. de visib. Monarchia, cap. 3. & Bellarm. lib. 1. de Romano Pontifice, cap. 6. S. Ambrosij dictũ quomodo sit intelligendũ

QVAESTIO OCTAVA.

An summum ecclesiasticum regimen sit præcipuè penès Episcopos.

CALVINVS existimauit, Episcopos, & Presbyteros iure diuino esse pares, & item in cętu seniorum, hoc est Sacerdotum, seu presbyterorum supremam Ecclesiæ potestatem sitam esse. Docuerat hunc errorem ante ipsum Ioan. Hus, vt ex sess. 15. Concilij Constantien. apparet. Afferunt autem ad illum fulciendum nonnulla loca scripturæ. Hæreticorum sententia.

PRIMVS est, Actorum 15. vbi habetur, à conuentu Apostolorum, & seniorum primam cõtrouersiam exortam in Ecclesia definitam fuisse; *Conuenerunt*, inquit Lucas, *Apostoli, & seniores videre de verbo hoc*; igitur, &c.

SECVNDVS ex 1. Petr. 5. vbi sic loquitur. *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro consenior, & testis Christi passionum, pascite, qui in vobis est gregem Dei*: & ex verbis Pauli Actorum 20. *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiã Dei.*

ABVTVNTVR quoq; nonnullis sententijs SS. Patrum, nimirum Cypriani lib. 3. epist. 19. vbi ad Clerũ sic scribit. Quæ res, cum omniũ necessarium consilium, & sententiã spectet, præiudicare ego, & solum mihi rem oẽm vendicare non audeo. Necnõ Ambrosij, qui in cõmentario quinti capitis prioris epist. ad Timoth. sic ait. Et Synagoga, & postea Ecclesia seniores habuit, quorũ sine cõsilio nihil agebatur. Atq; et B. Hieron. qui in cap. 1. ad Titum sic loquitur. Antequam diaboli instinctu dissidia in religione fierét, & diceretur in populis: Ego sum Pauli; ego Apollo, ego vero Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò vnusquisq; eos, quos baptizauerat, suos

putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur cęteris, ad quē omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.

TERTIVM ex Matth. 18. cum dicitur; *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Episcopis igitur congregatis ius competit ex diuino verbo gubernandi Ecclesiam. Hæc, & alia similia maligni machinatores contrà Monarchiam Ecclesiasticam, hoc est, vnius summi Pontificis Romani auctoritatem, afferunt.

In Papa præcipuè residet regiminis Ecclesiæ summa potestas.

SED contra hos omnes statuitur hæc Conclusio Catholica, nimirum: Ecclesiæ regimen non esse potissimum apud Presbyteros, & Episcopos, sed in summo Pontifice. Probatur Primo, quoniam omnis potestas concessa à Christo Apostolis, cęterisq; discipulis nō solum fuit tradita omnibus collegialiter; sed et singulis particulatim, itaut quilibet sine Concilio posset, sicut et nunc singuli Episcopi, baptizare, docere, ligare, soluere, ordinare, sacramenta administrare, & similia, vt patet Matth. 28. *euntes docete, &c.*

SECVNDO si Regimen Ecclesiasticum penès Episcopos præcipuè esset, Respublica Ecclesiastica omnium miserrima esset; vt plurimùm enim careret rectoribus, quibus commune bonum cordi non esset, quod enim communiter possidetur, communiter negligitur. Concilia. n. generalia, in quibus optimates Ecclesiæ conueniunt, rarissimè celebrantur, & primis trecentis annis nullum fuit habitum Concilium generale, & postea vix centesimo quoq; anno; nec Episcopi, vel Patriarchæ, excepto Romano, extra suas Prouincias, vel regiones circa negocia ecclesiastica aliquid gesserunt: sic Hier. testatur in epist. ad Pammachium aduersus Ioannem Episcopum Hierosolymæ. Responde, inquit, mihi. Ad Alexandrinum Episcopum Palæstinæ quid pertinet? Et Chrysost. in Epist. priore ad Innocētium Primum, grauiter queritur de Theophylo Patriarcha Alexandrino, qui se negocijs ecclesiasticis extrà suam Prouinciam ingerebat. Neque enim, inquit, æquum est, vt qui in Aegypto sunt, iudicent eos, qui in Thracia.

TERTIO si in congregatione optimatum summa potestas ecclesiastica resideret, quò numerosior esset, eò plus ponderis, & auctoritatis haberet, neq; minori Concilio vnquam plus tribuendum esset, quam maiori. Cur igitur quæso (respondeant pleno ore) Ariminense Concilium Episcoporum 600. nullius vnquam auctoritatis fuit in Ecclesia Catholica? Concilium verò primum Constantinopolitanum 150. Episcoporum summæ semper fuit auctoritatis? nulla alia causa certè assignari potest, nisi quia illud fuit à Papa, in quo summa est Ecclesiæ potestas, reprobatum, hoc verò confirmatum; non igitur apud Episcopos residet ecclesiasticum regimen.

VLTIMO quoniam Aristocratia est perniciosior Ecclesiæ, quàm vllum aliud regimen, vt experientia constat: hæreses enim ferè omnes ab optimatibus potius, quàm ab alijs hominibus excitatæ sunt; hæresiarchæ namq; omnes fermè fuerunt, vel Episcopi, vel Presbyteri; & hæreses quid aliud sunt, nisi optimatum factiones, ex quibus Populorum seditiones in Ecclesia nascuntur? Quando autem optimates regunt, tunc frequentius, ac facilius factiones oriuntur, vt Philosophorum testimonijs, & experimentis in dies constat. Reliquum modo est, vt ad argumenta in contrarium posita respondeamus.

Soluuntur argumenta aduersariorū supra posita.

AD primum dicimus, primā illā controuersiā à Petro, qui erat caput illius Concilij, præcipuè definitam fuisse; nec enim præsente Iacobo Episcopo loci illius, primus loqui ausus esset Petrus, nisi toti Concilio præfuisset. Adde, quòd adhibere consilium, & consensum communem Principum in publico aliquo conuentu, presente summo præside, non arguit Aristocratiam, immo potius

Monar-

Monarchiam temperatam cum Aristocratia.

AD secundum respondemus; aliud esse Ecclesiam Dei pascere, & regere, tanquam particularem Episcopum, cuius potestas definitis limitibus alicuius certę Diœcesis cōtinetur, de quibus loquitur Petrus; & aliud esse quærere, in quo resideat summa vniuersalis Ecclesiæ potestas; nū scilicet in cœtu Præsbyterorū, an in aliquo vno homine; atq; de hoc secundo in locis citatis nihil dicitur, sed admonentur Episcopi, vt populos sibi subiectos dignè regant.

AD D. Cypriani testimoniū dicimus, illū id ausū non esse, nō quia non posset, sed quoniā spōte seipsū obstrinxerat, cū Episcopatū suscepit, nihil sine Cleri, & populi consilio, & cōsensu esse facturū, vt constat ex epist. 10. eiusdem lib. 10.

AD illud Ambrosij dicimus, quòd adhibere consilium Presbyterorum, & Episcoporum, non arguit Aristocratiam, quando illud adhibetur ab eo, qui habet summam potestatē super illos: sic Senatus, & Consilium Regium non pellit Monarchiā in Regno; Salomon enim 3. Reg. 12. Seniorū cœtum habuit à consilijs, & Assuerus Esther 1. sapientiū cōsilio in rebus omnibus vtebatur, nec tñ desierunt esse Reges: licèt igitur sit vtile, ac salutare consiliū Presbyterorū adhibere in iudicijs, nō tñ est necessariū, cū Ambrosij quoq; tēpore illud nō adhiberet.

AD verba S. Hieronymi respondemus, illum eo in loco, non loqui de regimine Ecclesiæ vniuersalis, sed solùm particularium Ecclesiarum, cū dicat ab initio cępisse Ecclesias gubernari communi presbyterorum consilio, quia idem Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum expresè docet, Petrum à Christo totius Ecclesiæ caput constitutum esse. Ex duodecim, inquit, vnus eligitur, vt capite constituto, schismatum tolleretur occasio. Et quamuis Aristocratia presbyterorum licèt non sola, primo tempore in multis Ecclesijs vigeret, quia tamen non benè succedebat, & plurimę inde oriebantur dissensiones, & schismata, communi orbis terræ consilio, hoc est omnibus cognoscentibus, melius, & expedientius esse, mutata fuit in Monarchiam, nimirum, vt omnes causæ grauiores ad vnum ad hoc à Christo institutum deferrentur, Petrum scilicet; quod etiam tempore Apostolorum exequi cęptum fuit. Nec vlla mutatio facta est quantum ad potestatem, sed solum quantum ad executionem, & seriem facti, vel ordinem causarum, & sic semper Monarchia quoad omnia in Christi Ecclesia præualuit.

AD tertium respondemus, ex verbis Matthæi non aliud deduci, nisi Congregationes in nomine Christi factas, hoc est cum capite, & eius Vicario, legitimas, & ratas esse.

QVAESTIO NONA.

An peccent, & quas pęnas incurrant Principes seculares impedientes vsum potestatis ecclesiasticæ temporalis, vel spiritualis.



IN primis illud certū est, omnes cuiuscumq; gradus, & conditionis existant, temerè impediētes vsum, & exercitium iurisdictionis ecclesiasticæ peccare mortaliter, cum quilibet suo superiori, qualis est inter Christianos Prælatus Ecclesiasticus, obedire teneatur, ad Hebr. 23. *Obedite præpositis vestris*; ita quoque Sanctus Thom. communiter receptus docet 2.2.q.104.art.2. & ibidem Caietanus, & clarissimum est, opponentes se vsui, & executioni prædictæ iurisdictionis peccatum inobedientiæ incurrere, præsertim si id faciant animo, vel non faciendi, vel impediendi illud, quod iubetur, vel quod ad exequendum proponitur.

Peccant mortaliter impediētes iurisdictionem Ecclesiasticam.

ponitur. Ex quo ſequitur, Principes ſeculares eodem vinculo culpæ teneri, atque ligari, ſi vel non obediant, vel id impediant, quod à poteſtate ſpirituali proponitur exequendum, etiam ſi id quod proponitur non obligaret ex ſui natura ad plus, quàm veniale, vt probat Caiet. ibidem, & Nauarr. in Manuali cap. 23. num. 35. & 36. quod eo caſu intelligendum eſt, quando impedirent, vel omnitterent id quod iubetur, ea ratione principaliter, quia iubetur, aut proponitur, vt ibidem Nauarr. benè limitat; eſt enim tunc nouum peccatum habens turpiorem deformitatem, & eſt ſpecialis inobedientiæ ſpecies; ſi tamen crederet probabiliter, ſuperiorem per errorem iuſſiſſe, aut ſi veritatem nouiſſet, non iuſſurum fuiſſe, nequaquam peccaret non parendo, vt ibidem Nauarrus, per text. in capit. ſi quando, & c. paſtoralis de reſcriptis: lege Siluestrum verbo, Religio ſexto. Quòd ſi ex contemptu quiſquis principaliter id ageret, eò quòd auctoritatem mandantis, aut proponentis parui faceret; tunc grauiorem contraheret culpam, vt inquit Sanctus Thom. 2.2. quæſt. 189. art. 9. & Archid. in cap. quicunq; 81. diſt. & Dominic. in cap. nullus 55. diſt. quicquid dicat *Felin.* in cap. cum quidam, de iureiura. col. 3. & 4. Nec ab hoc contemptu excuſat conſuetudo, vel potius abuſus reſiſtendi, ſeu impediendi actus, & executionem iuriſdictionis eccleſiaſticæ, vt ait S. Thom. ibidem, licèt aliter ſentiat Riccardus in quodlib. 1. quæſt. 19. & Angelus verbo, inobedientia §. 1. & verbo feriæ §. 22. quoniam vbi non eſt iuſta cauſa impediendi, apponere impedimentum, contemnere eſt; contemptus autem nulla conſuetudine excuſatur; iuſta autem cauſa ſemper à mortali peccato excuſat, vt definit S. Thom. 1.2. q. 96. art. 6. & 2.2. quæſt. 147. art. 3. & Archid. in capit. vtinam 76. diſtinct. & Panormit. in rubr. de obſer. ieiun. Quæ autem iuſta cauſa dicenda ſit, exponit Nau. loco citato nu. 43. nimirum, quando ſi legiſlator adeſſet, impedientem excuſaret, per Gloſſam ſingularem receptam in l. tale pactum §. qui procurauit ff. de pactis. Præterea cauſa, quæ bona fide pro iuſta habetur, & ob quam niſi eam talem iudicaret, quis contra mandatum non faceret, etiam à peccato mortali excuſat, vt ait Palud. in 4. diſt. 15. q. 4. & Silueſt. verbo ieiunium q. 8. quod ſingulariter explicat Caiet. 2.2. q. 147. art. 3. & ne longiores in hac re ſimus, legenda ſunt circa hanc materiam ea, quæ ſcripſimus in 2. diſp. contrà Pſeudotheologos cap. 4. & quæ ſcribit S. Thom. 1.2. q. 69. art. 5. receptus in hoc communiter à Theologis, & Canoniſtis; & Nauar. etiam ibidem n. 48. & ſeq.

Quænã ſit iuſta cauſa excuſans à peccato mortali.

Excõmunicatione incurrunt impedientes iuriſdictionẽ Eccleſiaſticam in multis caſibus.

QVOAD pœnas autem canonicas, quas incurrunt Principes, cæteriq; impedientes iuriſdictionis eccleſiaſticæ executionem, habemus mentem ſummi Pontificis, valde dilucidatam, & declaratam in bulla cænæ Domini n. 65. 66. & ſeq. vbi excõmunicantur primo impedientes curſum cauſarũ ad Romanã curiã, vel in curia, ſecundo impedientes executionẽ litterarũ curiæ, & Sedis Apoſtolicæ, tertio tractantes malè perſonas illas agentes, & impedientes dari inſtrumenta ſuper his petita, quarto impedientes impetrationes litterarum gratiæ, vel iuſtitiæ à Sede Apoſtolica, ſiue id faciant auctoritate iudiciaria laica, ſiue priuata, vel Eccleſiaſtica, de qua te legendus eſt quoq; textus cap. Quoniam, de immunit. Eccleſiaſt. in 6. & cap. 2. de rebus Eccleſiaſticis non alien. in 6. & Silueſter excommunicatio 9. caſu 19. & Suarez diſput. 33. tomo 5. & alibi ſæpe. Solet autem Deus, qui ſummopere iuſtitiam, & iudicium diligit, punire Principes, ac Magiſtratus ſeculares impedientes poteſtatem eccleſiaſticam, extraordinarijs, ac grauiſſimis pœnis; amiſſione nempè Regni, morte filiorum, & ſimilibus: ſic Saul dum Samueli, qui erat Dei Sacerdos, ſummitatẽ pallij ſcidit 1. Regum 15. debitas pœnas luit: *Scidit Deus Regnum tuum à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Et ſi nõ licet in Prophetis Dei malignari ſub pœna exterminij, iuxtà illud Pſalm. 104. & Pſalm. 36. *& in Prophetis meis nolite*

lite malignari, quoniam qui malignantur exterminabuntur, quomodo iniquum non erit, Sacerdotes noui testamenti qui illis successerunt, & maioris ponderis sunt, tangere, disturbare, ac molestare? Certè non solùm talia agentes sunt molesti hominibus Dei ministris, sed etiam ipsi Deo vero, qui proprio ore dixit, *qui vos spernit, me spernit*: ita quoque Rex Balthasar cum vasa templi prophano vsui applicasset, quamuis non ipse, sed Pater eius è loco sacro abstulisset; & depositione Regni, & vitæ amissione ex Danielis prophetæ Dei prædictione punitus fuit. Sed acrius, & magis graue supplicium merentur, qui personas ipsas Deo dicatas prophanant, percutiunt, & ad terram vsque prosternunt. Nec priuilegia, si quæ alicui Principi, seù Reipublicæ à Sede Apostolica circa Clericos concessa sunt, extra casus concessionis extendenda sunt, cum nouum priuilegium, & noua concessio ad id requiratur, & sine illa similia perpetrantes, tanquam violatores diuini, & humani iuris sunt corrigendi. Simile quid accidit Dathan, & Abyron, qui Moysi tanquam Dei Sacerdoti resistentes, aperiente terra os suum, operti humo viui in infernum descenderunt, vt legitur Num. 16. & Eccles. 45. S. Chrys. ante annos 1200. lib. 3. de Sacerdotio, de hac materia ita scribit. Corporis lepram purgare, seu verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Iudæorum sacerdotibus solis licebit, neque nescis quanta cum ambitione, quanto cum studio, ac concertatione sacerdotalis dignitas id temporis conquireretur: At verò nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est: quare iudicio quidem meo, qui istos contemnunt, multo sceleratiores maiorique supplicio digni fuerint, quam Dathan cum suis omnibus. Hactenus Chrysostomus.

QVAESTIO DECIMA.

An iurisdictio spiritualis interdicta sit excommunicato.

DIFFICVLTAS hoc loco est, an excommunicatus ità sit priuatus spirituali iurisdictione fori contentiosi, vt omnis eius actio ipso facto irrita sit. Canonistæ, Summistæ, necnon Theologi duo in hac re, vt certissima ponunt.

PRIMO, excommunicatum exercentem aliquem actum iurisdictionis peccare grauiter, & ferè semper mortaliter; & ratio euidens est, quoniam materia huius præcepti interdictæ iurisdictionis grauis est, & pertinens ad directam, ac primariam actuum priuationem, quæ fit per excommunicationẽ, & re uera in indiuiduo rarissimè contingere potest, vt ex leuitate materię peccatum hoc veniale sit. *Grauiter peccat excommunicatus exercẽs act⁹ iurisdictionis spiritualis.*

SECVNDO, vt rem certam, & communem ponunt, omnem vsum iurisdictionis spiritualis, etiam in foro contentioso, esse prohibitum excommunicato; ita habetur in c. audimus 24. q. 1. vbi dicitur, excommunicatum non posse alterum excommunicare, quod profectò prouenit ex defectu iurisdictionis. Idem quoque colligitur ex cap. 1. de officio Vicarij in 6. vbi dicitur, illum qui vicesgerebat alicuius officialis, seu iudicis ecclesiastici, hoc excommunicato existente, non posse munera illius officij exercere: Cuius rei ratio est, quia per excommunicationem suspenditur principalis iurisdictio in eo, qui excommunicatione innodatur, & inde fit, vt nec fluere, nec deriuari possit ad eũ, qui illius vices gerit. Atque ob eandem causam dicitur in cap. si is cui, de offic. deleg. & potestate iudicis in 6. Quando delegatus excommunicatus est, subdelegatum carere iurisdi- *Etiã in foro exteriori non potest excommunicatus exercere vsum iurisdictionis spiritualis.*

tem ordinis, non iurisdictionis pertinent, quorum sententia rectè à Suarez reprobatur tomo 5. in 3. par. S. Tho. disp. 14. sect. 1. licèt enim vngere formaliter sit actus ordinis, tamen dare licentiam, seu facultatem ungendi, est actus iurisdictionis: & rursus, quamuis ad validè vngendum non sit necessaria iurisdictio ad vngendum tamen licitè, & iure necessaria est, vel iurisdictio propria, vel licentia valida ab eo accepta, qui ad eam dandam vsum iurisdictionis habeat. Cum igitur excommunicatus huiusmodi vsu careat, certum videtur, neque ipsum posse talem licentiam conferre, neque alium illa vti. Verum quamuis vterq; peccaret, sacramentum tamen validum, & constans esset. Vide quæ scribit idem Suarez eodem tomo disp. 11. sect. 2. contra Vgolinum Tabel. 1. de Censuris cap. 13. §. 16. nu. 13. Similiter omnes benedictiones, seu consecrationes ab Ecclesia introductæ, quæ solùm Sacerdotalem, vel Episcopalem ordinem, non autem iurisdictionem requirunt, ab excommunicato factæ, validæ, & ratæ sunt, sicut benedictio solemnis Candelarum, Palmarum, & illa, quæ in Ecclesia dari solet coniugatis, & similia, si minister huiusmodi ordinem habeat, & in reliquis debitum ritum seruet, ita Siluester verbo, Consecratio 2. num. 6. & Angelus eodem verbo, & nu. & Tabiena nu. 8. & Suarez disp. 11. sect. 2. tom. 5. hæc enim Sacramentalia cum ab Ecclesia instituta sint, & nulla alia sit apposita conditio, vt necessaria ad substantiam talis actus, valida sunt, etiam ab excommunicato ministrata, licèt grauiter peccet, qui illa sic administrat. Præterea Sacramentum Pœnitentiæ à publico excommunicato collatum, extrà casum extremæ necessitatis ipsius pœnitentis, non est validum, minister enim Sacramenti Pœnitentiæ si non habeat iurisdictionem, non conficit Sacramentum, vt constat ex c. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss. & in Decreto Concilij Florentini, & ex Tridentino sess. 14. cap. 7. Publicè autem excommunicatus, vt diximus, omni iurisdictione caret, vt præter ea, quæ adduximus, patet ex cap. Romana, de officio Vicarij in 6. & cap. si is cui, de officio, & potest. iudicis deleg. in 6. lege Nauarr. in Manual. cap. 9. n. 8. & Medinam tractatu 2. de confess. quæst. de absol. trib. à Curato excommunicato denũciato, & quæst. de absol. trib. ab excommun. manifesto percussore Clerici: quando autem ab huiusmodi Sacerdote sic excommunicato recipit quis sciens, & prudens præfatum Sacramentum, tunc duplex concurrit causa nullitatis, altera ex defectu iurisdictionis, vt dictũ est; altera ex defectu materiæ essentialis, qualis est integra confessio cum sufficienti dolore; hanc enim habere non potest, qui actu, & voluntariè peccat mortaliter in ipsa confessione: quod Suarez loco citato censet esse verum, etiã de illo, qui hoc facit ex ignorantia, quæ à mortali culpa non excusat. Quòd si ignorantia est inuincibilis, dicit Suarez distinguẽdum esse; si enim illa ignorantia procedat ex communi, & publica existimatione, vt si Sacerdos taliter excommunicatus in vno loco, ad alium remotissimum recedat, & ibi beneficium recipiat, vel ad hoc ministerium exponatur publicè; in hoc casu absolutio ab illo bona fide suscepta valida erit, & Ecclesia propter commune bonum iurisdictionem in illo fouet, atque conseruat, vt etiam dixit Vgolinus Tab. 1. cap. 13. §. 16. num. 12. Si verò ignorantia procedat ex solo priuato, & particulari errore, tunc licèt illa inuincibilis sit, & propterea excuset à culpa, tamen Sacramentum inualidum est ex defectu iurisdictionis, estque confessio illa reiteranda, nec est subiecta clauibus, nec iudici vero, seu competenti in illo foro, & cum cesset ibi ratio publici officij secũdum communem existimationem, Ecclesia non supplet illum defectum; quoniam leges morales non attendunt incommoda particularia, sed id quod bono communi expedit, vt Medina, Couarr. Vgolinus, & Suarez locis citatis tradunt. Addit Suarez, Parochum excommunicatum non posse vices suas alteri committere, nec dare licentiam audiendi confessio-

sessiones, nec Episcopum excommunicatum posse aliquem in confessorem approbare, vel exponere, quia hi omnes actus, sunt actus iurisdictionis, quibus illi carent, ac proinde nulli.

Occultè excommunicatus exercere potest act. iurisdictionis spiritualis.

QVARTO dicunt, excommunicatum occultum posse exercere validè omnes actus iurisdictionis, & ratio est, quoniam qui exercet in Repub. munus publicum, licèt habeat defectum occultum, gesta illius ex eiusdem Respublicæ interpretatione, & concessione valida sunt l. Barbatius ff. de offic. Pretoris, 3.q.7.cap.infamis §.verumtamen: sic in Ecclesia dum quis priuatim excommunicatus toleratur, nō intendit Ecclesia ab eo auferre iurisdictionem. Quocirca nec acta publica excommunicati occulti, ex eiusdem Ecclesiæ prouidentia, & benignitate euitantur; & licèt quatenus est excommunicatus sit priuatus vsu iurisdictionis, tamen quatenus est minister publicus toleratus, recipit alia ratione illum vsum, non vt illi liceat per se loquendo exercitium eius, sed vt valorem habeat, si de facto illum vsum exercuerit.

Quisnā censeatur esse occultè excommunicatus.

QVINTO dicunt, hodie secundum ius nouum, quod omninò obseruandum est, omnem excommunicatum, qui non sit nominatim denunciatus, vel nominatim publicatus, nec sit manifestus, aut publicus percussor Clerici, occultū censendum esse, eiusque acta ratione publici muneris, in quo toleratur, valida esse, quantumuis notorius sit notorietate, vt dicunt, facti: ita Suarez loco citato disp. 14. & Couarr. in c. alma mater 1. par. §. 7. nu. 9. Et probant, quoniam ille nō est vitandus per extrauag. Ad euitanda, habent igitur subditi ius petendi actiones publicas officij sui, ergo necesse est, vt tales actiones ab illo factæ validæ sint, alioquin licentia illa subditorum in extrauag. concessa frustratoria esset; ille igitur publicè excommunicatus censendus est tantùm, qui per publicam sententiam, & denunciationem sub proprio nomine factam iuridicè notorius est: limitat hoc dictum Suarez, quando quis iuridicè sit publicus excommunicatus, & euadit de facto aliquando occultus, vt puta si ab alijs, vel omnibus, vel saltem pluribus ignoratur, publicè illum esse sic excommunicatum, vt si alio accedat, vel tempore procedente denunciatio memoria excidat, vel iam publicè credatur absolutus, cum re vera non sit. Quo casu decidit Suarez, acta huiusmodi excommunicati valida esse, & quantum ad hunc effectum censeri occultum, etiam ex iure antiquo.

QVAESTIO VNDECIMA.

De nonnullis vitijs potestatis, & iurisdictionis temporalis.



NOMINE vitiorum hoc loco intelligimus, quæcumque acta Principum propria, non autem ea, quæ Principibus cum cæteris priuatis hominibus sunt communia.

Maximum in Principe vitiū iniustitia.

PRIMO igitur in Principibus maximum vitium est iniustitia, cum ex officio incumbat illis suum ius cuique tribuere. Quocirca si tributa iniqua Populis sibi subiectis imponant, si antiqua augeant, absque publica Reipublicę necessitate peccant, cum obligatione ad restitutionē, vt habetur in c. militare 23. quæst. 1. quod sumptū est ex S. Augustino in lib. seu sermone 19. de verbis Domini: lege Bedam, & Glossam ordinariam Lucæ 3. Peccant item si subditos cogant ad seruitia sibi præstanda, non soluta illis debita sui laboris mercede, verbi gratia, vt agros colant, vineas fodiant, equos ad iter non necessarium publicę cōmoditati peragendum gratis accommodent,

modent, seu paratos habeant: ita S. Antoninus par. 3. tit. 3. c. 4. §. 4. & Nauarr. in Manuali cap. 25. num. 6.

SECVNDVM vitium est, leges iniquas condere, videlicet contra ius diuinum, naturale, vel Canonicum; atque hoc peccatum est maximè familiare omnibus Principibus, nempè dum statuto, vel etiam facto Clericos, ac personas ecclesiasticas suis legibus molestant, vexant, impediunt, & insectantur; dum bona, & iura ecclesiastica sibi vsurpant, & arrogant; dum sacris ædibus prophanè vtuntur; dum plerosque à diuina, & naturali lege, sine iusta, & debita causa exemptant; dum non permittunt, vt communitates, etiam laicę immunitatibus sibi iure diuino, vel naturali concessis gaudeant; dum minis, aut importunis precibus, aut per vim, vel fraudem compellunt subditos ad donandum sibi bona sua, & tenentur in conscientia donata restituere; neque enim talis donatio vim, & locum habet, nec Reges sunt Domini eorum bonorum, quæ subditi iure possident, vt Nauarr. loco citato, & d. cap. Præterea; dum gerunt bellum iniustũ ex defectu auctoritatis, aut iustæ causæ, cum obligatione restituendi; aut iustum ex se, sed animo, & fine iniusto sine obligatione restituendi: est doctrina S. Thomę 2. 2. q. 40. art. 1.

Leges iniquas condere valdè vitiosum in Principe.

TERTIVM vitium est, si impediant visitationem monialium iuridicam, vt habetur in Clem. Attendẽtes, de statu Monach. & sunt excommunicati, si admoniti non desistant, eadem Clem. §. fin. Vide Cõcil. Trid. sess. 6. de reform. c. 4. sessio. 7. de reform. cap. 8. sess. 25. de Regul. cap. 8. & 9. An verò idem dicendum sit de Principibus impedientibus Visitatores quorumcunq; locorum Religiosorum, et virorum. Respondet Paul. & Gloss. verb. Cecidisse, in eadem Clem. negatiuè; fœmininum enim non comprehendit masculinum, licèt benè e contra: & nomine monialium non comprehenduntur monasteria virorum ff. de leg. §. si ita scriptum. Vide Nauarr. in Manual. capit. 25. num. 6. & cap. 27. num. 140. vbi id restringit ad ea, quæ statuuntur in dicta Clement. circa præfatas sanctimoniales, hoc autem meo iudicio intelligendum est de censuris latis vigore dictæ Clement. nam cæteræ, quæ emanarunt à Sede Apostolica, & habentur in priuilegijs Regularium, etiam illos complectuntur, qui loca virorum Religiosorum impediunt, ne visitentur.

Peccant Principes impediẽdo visitationẽ Monialium, & sunt excommunicati, & quid de alijs locis Religiosorum.

QVARTVM vitium est auaritia in regimine, dum leges condunt, & exequuntur ad sua tantùm priuata commoda, & libidinosas, ac iniquas concupiscentias adimplendas, cum obligatione restituendi. Nauarr. loco citato nu. 6. Item dum officia publica Magistratuum, & Iudicum vendunt, aut in dotem dant, & mercedes obsequiorum tàm carè exquirunt, vt inde oppressiones subditorum probabiliter nascantur; est enim huiusmodi lucrum sordidum, quod non sine peccato mortali acquiritur, præsertim quando pretium inhonestum est, & à personis non idoneis accipitur, vt rectè dicit Panorm. in cap. 1. & 2. Ne Prælati, Vic. &c. lege S. Thomam ad Ducissam Brabantiæ in opusc. 21. q. 1. Nauarrum eodem loco nu. 7. Sollicitudo verò ambientium huiusmodi officia, quæ administrationem iurisdictionis annexam habent, damnata fuit à Pio V. in sua constitutione edita Anno 1571. mense Decembri, prout Nauarr. refert loco citato nu. 7. ex quo etiam sequitur, Principes in eo grauiter peccare, quod præficiant indignos, & imperitos ministros, seu etiam malos, & peruersæ conscientiæ, cum obligatione reficiendi damna illata, vt optimè tradidit Sotus in 4. lib. sent. dist. 15. q. 2. art. 4. & Nauarr. loco cit. nu. 7. §. 20. peccat.

Auaritia graue peccatum in Principe.

QVINTVM vitium est, cogere aliquem subditum, vel quemcumque alium directè, vel indirectè ad contrahendum matrimonium cum hac, vel illa persona, vel à contrahendo impedire, sub pœna excommunicationis: ita decernit Concil. Trident. in sess. 24. cap. 9. de reformatione matrimonij, quod etiam antea

Principes impedientes, vel cogẽtes ad matrimoniũ subditos excõmunicantur.

antea scripsit S. Antoninus 3.par.tit.3.cap.4.§.5.Nauarr.ibid.nu.7.

Peccant Principes præsentando indignos ad beneficia.

SEXTVM vitium est, præsentare ad Ecclesiastica beneficia eos, qui ætate, moribus, & scientia indigni, vel minimè idonei sunt, vel etiam inducere Episcopos, & alios collatores ad conferendū talibus, aut patronos ad huiusmodi præsentandos. Nauarr.eodem in loco num.6.Hoc vitium est commune Principibus, & omnibus habentibus ius præsentandi, sed quia crebrius, ac violentius ab illis exercetur, inter dominantium peccata libenter retulimus.

Negligentia Principū in tollēdis abusibus.

SEPTIMVM vitium est negligentia in eradicandis, & abolendis abusibus, & prauis consuetudinibus sui status, vt notat Riccardus in 4. li.sent. *distin.* 15.art.5.quæst.5.& Nauarr.eodem loco, num.8.tenetur enim Princeps corrigere mala publica, si possit sine dāno Reipublicæ, vt notat Emanuel Sà in Aphorismis, verbo Rex, num.3.

Quàm grauiter peccent exercēdo iurisdictionē i Episcopos, uel Clericos.

OCTAVVM vitium est, prohibere, vel curare legibus, vel edictis, vel etiam factis, ne Episcopi à residentijs suarum Ecclesiarum absint, ne item Ecclesiarum bona dissipent, ne decimas vltra consuetum exigant, ne item Clerici arma gestent, ne extrahant, vel afferant merces prohibitas, ne sine lumine noctu incedant, ne vinum, vel frumentum, quæ ex possessionibus suorum beneficiorum colligunt, carius vendant, quàm sit Principum lege taxatum, hæc enim, & similia prohibere, vel præcipere ad Principes non spectat, quoniam Laici nullam in Clericos potestatem, vel iurisdictionem habent, vt superius demonstratum est; licèt ad Reges pertineat, seruato iuris ordine, Ecclesias tueri, ministros Dei defendere, & Ecclesiasticam disciplinam fouere, tenetur enim Princeps causam populi agere, ideòque curare, vt Episcopi, & Curati resideant quantum iure permittitur. Et quamuis illi nequeant Clericos punire, tamen possunt significare Romano Pontifici, vt studeat ecclesiasticam disciplinā ab Episcopis seruari: possunt quoque monere Legatos, & Nuncios Apostolicos, nec non Episcopos, vt eorum cura, & diligentia Clerici in officio contineātur; in quo sensu intelligenda sunt iura in can. Principes 23.quæst. 6. & in can. Res autem, & in can. Regum, eodem loco: leges autem Principum, etiam Christianorum, de decimis soluendis, aut non soluendis, de Episcopis, Clericis, & Monachis, necnō de bonis Ecclesiarū, vt sunt illæ à Iustino Imperatore editæ, vim & locum non habent, nisi quatenus iure Canonico, aut Ecclesiæ, & Romani Pontificis auctoritate fuerint approbatæ, vel confirmatæ: lex enim sine Iurisdictione ferri non potest; at Laicos in Clericos, & in Ecclesiastica bona, & in Ecclesias nullum prorsus ius habere, omnibus compertum est. Similiter solent Reges, ac Principes sub alio colore sacris rebus se immiscere, nempè vt eas inspiciant, ac recognoscant, tuendi magis, quàm cognoscendi causa; sed hic color à peccato eosdem nō excusat, cū patrocinium tātum rerum sacrarum habeant, quoad externa impedimenta remouenda, nequaquam verò in rerū sacrarum recognitione, aut inspectione: sunt quidem Reges patroni, tutores, & defensores illarum, quatenus arcere debent violentias, fraudes, & seditiones iniquorum hominum ab Ecclesijs, locisuè religiosis, reddendo quieta, pacata, & tranquilla templa, & alia externa; sacra verò Episcopis, & Sacerdotibus relinquenda sunt; sicut etiam inuentaria sacræ suppellectilis, & similia. Vnde Aug. tractat. 11.in Ioann. Pertinet hoc ad Reges seculi Christianos, vt temporibus suis pacatam velint habere matrem suam Ecclesiam. Leo Primus ad Imperatorem Leonem. Debes Imperator incunctanter aduertere, regiam potestatem tibi, non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam. Ambr. in epist. ad Valentin. Cum enim omnes homines, qui sub ditione Romana sunt, vobis militent Imperatoribus terrarum, atque Principibus, tum ipsi vos omnipotenti Deo, & sacræ fidei militatis. Atque militiæ primū Sacramentum

tum est, tueri salutem, commoda, & dignitatem eius, cui militamus. Isa. 49. ait. *Erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ:* & iterum; *ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi.*

NEC obstat, olim apud Gentiles, immo etiam apud Hebræos, Regnum, & Sacerdotium fuisse duo munera inuicem coniuncta; ex sententia enim Diogenis Pythagorici, tria in Rege requirebantur, vt. s. esset belli Dux, Iudex, & Sacerdos: & ex institutione Augusti Imperium deinceps iunctū fuit Summo Pontificatui; & Dauid Rex sacra curauit, & ordinauit, Cantores instituit, Sacerdos reprehendit, quòd arcam Domini suis humeris non imposuissent, & benedixit populo in nomine Dei, Iosue quoque præscripsit Sacerdotibus, atque Leuitis, quando Arca Domini mouenda esset, vel Populus circūcidēdus. Respondendum enim est, in Ecclesia Euangelica ex Christi institutione, Sacerdotium à Regno diuisum fuisse, Matth. 16. 18. & 22. Ioann. 21. & huic curationem tantum rerum ciuilium quoad actum, illi verò rerum diuinarum, atque etiam ciuilium in ordine ad diuina eo modo, quo supra diximus, commissa fuisse: huius autem diuisionis ea assignatur ratio à S. Thoma in opusc. 20. lib. 1. cap. 14. quòd apud veteres primum, ac principale munus Regium erat, cui etiam Sacerdotes imperfecto Sacerdotio fruentes famulabantur; at in Ecclesia Christi contra accidit, primum enim locum obtinet Sacerdotium, tamquam res pfectissima, atq; diuina, secūdū auctoritas Regia, & potestas ciuilis, atq; terrena.

Apud Ethnicos, & Iudæos Principatus tēporalis cum Sacerdotio iungebatur.

Christus diuisit Regnum à Sacerdotio quoad actum, & exercitium.

NONVM vitium est, permittere in Regno, seu dominio liberam Religionem, ita vt vnusquisq; impunè quicquid voluerit credat, colatq; Deum pro suo arbitratu, etiam recedēdo ab Ecclesiæ Romanæ dogmatibus, ac ritibus vniuersalis Ecclesiæ: est grauissimum hoc peccatum, & à crimine hæresis non multum; immo potius nihil distat. Quatuor inueniuntur, qui libertatem credendi Populis concesserunt. Constantinus Magnus initio sui imperij libertatem religionis omnibus permisit, teste Eusebio lib. 10. hist. c. 5. licèt postea mādauerit, templa Idolorum claudi, & solam religionem Christianam vbiq; vigere, vt scribit Optatus lib. 2. contra Parmen. quem deinde Constans, & Constantinus eius filij imitati sunt, vt refert S. Aug. epist. 166. Scribit Ruffinus lib. 10. cap. 5. Cōstantinum ijs omnibus exilium minatum fuisse, qui non acquiescerent Nicæni Concilij definitioni. Iouinianus eandem libertatem credendi permisit, qui tamen à Concilio Antiocheno admonitus est, ne Catholicos cum hæreticis misceret: ita Socrates lib. 3. c. 21. Valens quoq; Imperator Arianus omnibus hereticis, & Ethnicis liberam concessit religionem, vt inquit Theodoretus lib. 4. cap. 22. Postremò Iulianus Apostata ad hoc, vt Christianismus interiret, eandem tradidit libertatem, vt ait Sanctus Augustinus epist. 166. qui etiam in lib. de hæresibus capit. 27. refert, quendam hæresiarcam nomine Rethorem, omnes hæreses, & sectas veras esse docuisse. Germani Anno 1526. hanc eandem libertatem obtinuerunt à Principibus Imperij, Spiræ congregatis, & multi mali Christiani hodie eam petunt, quatuor præcipuè rationibus adducti, nimirum, quòd fides sit libera, quòd sit donum Dei, quòd experientia doceat cogendo nihil profici, quòd Christiani semper Iudæos hostes Christi tolerauerint. Themistius Philosophus, vt habet Socrates lib. 4. historiæ cap. 27. Valēti Imperatori enixe persuadebat, sectarum varietatem Deo placere, cum ita pluribus modis coleretur; & pluris fieret, cum difficilius cognosceretur. Perniciosissimus est hic error, atque vanissimus, & non solum Sacræ Theologiæ, sed etiam veræ, ac bonæ philosophiæ repugnans.

Libertas cōscientiæ, & Religionis exitiosa.

Cur aliqui petant hanc pessimam libertatē religionis, & fidei.

QVARE nonnullis rationibus probabimus euidēter, ac solidè, teneri sine dubio Principes Christianos subditis suis nō permittere libertatē credēdi, sed omnem operam sedulo nauare debere, vt ea fides, & religio seruetur, quā Summus

Rationibus ostēditur, quam peruersa sit ista libertas fidei, & Religionis.

Pontifex, cęterique Episcopi, & Doctores Catholici tenendam esse tradiderunt, & docuerunt.

PRIMO ex Prouerb. 20. *Rex, qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.* Et iterum; *dissipat impios Rex sapiens*; officium igitur sapientis Principis erit, omnem falsitatem veritati contrariam, tamquam quid malum, ac perniciosum non permittere, sed abijcere, ac dissipare; similiter et impios hæreticos, atque Politicos, qui à veritate Catholica recedunt: quare rectè Dauid Psalm. 2. cecinit, *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, seruite Domino in timore. Apprehendite disciplinam*, hoc est Christi eiusque Vicarij in terris doctrinam, de qua in eo Psal. ad literam agitur, summo studio, & constanter tenete; vbi Euthymius eleganter notat, dictum esse, apprehendite, ex Metaphora eorum, qui pugno aliquid constanter tenent.

SECVNDO ex Apoc. 2. vbi reprehenditur Angelus Pergami, quòd haberet apud se aliquos tenentes doctrinam Nicolaitarum, & Angelus Thyatirę, quòd permitteret Iezabel seducere seruos Dei; ex quibus primo cognoscitur, Deum ægrè ferre non solum omne perditorum hominum genus, sed longè molestius ferre solere scelerum artifices, ac magistros, quamobrem maximè reprehenduntur illi Iudæi, qui Hierosolymis erexerunt gymnasium, in quo Gentilium leges, ac mores docerentur, quemadmodum dicitur. 1. Machabæorum 1. *In diebus illis exierunt ex Israel filij iniqui, & suaserunt multis dicentes. Eamus, & disponamus testamentum cum gentibus, quæ circa nos sunt, quia ex quo recessimus ab eis, inuenerunt nos mala: & bonus visus est sermo in oculis eorum, & ædificauerunt Gymnasium in Hierosolymis secundū leges nationum*; idest, vt interpretatur Lyranus, scholam, in qua omnes docerentur, & addiscerent leges, & statuta Gentilium. Deinde ex his deprehenditur, mistionem hæreticorum cum Catholicis, & falsarum doctrinarum coniunctionem valde perniciosam esse Ecclesiæ. Quare ad Rom. 16. iubentur Christiani hæreticos declinare, & ad Galath. 5. dicitur; *Vtinam abscindantur, qui vos conturbant.* Reges igitur, qui sunt Ecclesiæ, vt diximus, nutricij, Isai. 49. huiusmodi confusionem permittere non debent, sed illi pro viribus, etiam comminatis pœnis, se se opponere.

1. Machab. 1.

S. Augustinus.

TERTIO, idem probatur auctoritate Sancti Augustini epist. 50. vbi sic scribit. Aliter seruit Rex Deo; quia homo est, ei seruit viuendo fideliter, quia verò etiam Rex est, seruit, leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti vigore sanciendo: sicut seruiuit Ezechias lucos, & templa Idolorum destruendo: sicut seruiuit Rex Iosias, talia & ipse faciendo: sicut Rex Niniuitarum vniuersam ciuitatem ad placandum Dominum compellendo: sicut seruiuit Darius, Idolum frangendum in potestatē Danieli dando: sicut seruiuit Nabuchodonosor, omnes in Regno suo positos à blasphemando Deo lege terribili prohibendo; & alia in hanc sententiam. Vides igitur, partes Regis esse, falsas doctrinas, & malas actiones è regno suo pellere.

QVARTO probatur idem ex testimonijs Pontificum: Leonis, epistol. 75. ad Leonem Augustum, Anastasij Secundi, in epist. ad Anastasium Imperatorem, Magni Gregorij lib. 9. epist. 60. ad Regem Angliæ, & in lib. 11. epist. 44. ad Leontiam Augustam, & Agathonis in epistol. ad Constantinum Quartum. Quorum verba hic consultò omittimus, cum ex parte illa in nostra quæstione 8. libri tertij de fuga retulerimus.

QVINTO confutatur idem error ex factis multorum piorum Imperatorum. Theodosius I. cunctos populos. C. de summ. Trin. & fide Cath. libertatem credēdi à nonnullis Principibus antea permissam radicitus euulsit, & insuper mādauit, cūctos eo modo credere debere, quo Romanus Pōtifex credēdū esse docet. S. Ambr. in oratione funebri summoperè laudat Valentinianū Iuniorem, quòd

Romæ

Romæ quærenti antiquam libertatem in religione, vt colere posset sacrificijs Deos, fortissimè restiterit. Martianus quoque l. Nemo C. eodem, acriter prohibet, ne quis ea, quę sunt in Concilijs Episcoporum definita, reuoluat, aut de ijs publicè disputare præsumat.

SEXTO ratione. Quoniã ille peccat mortaliter, qui aliquid agit, aut docet, aut permittit cõtra, id quod præcipitur ab Ecclesia; sed Ecclesia docet extrà ipsam non esse salutem, ergo qui contrarium sequitur, non est in statu salutis, & per consequens est in peccato mortali, & est ignobilis 1. Reg. 2. *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*.

SEPTIMO, quoniam libertas credendi est res perniciosa etiam temporali bono Reipublicæ, atque Regnorum; sicut enim vnio in fide gignit charitatem, beneuolentiam, pacem, & amicitiam inter ciues; sic dissensio in fide parit animorũ, & voluntatum dissensiones: *Omne autem Regnum in seipsum diuisum desolabitur.* Quocirca rectè dicit Gregorius lib. 4. epist. 32. Reipublicæ ciuilis incolumitatem ex Ecclesiæ pace pendere. Et vnde quæso tanta inter Germanos dissensio, nisi ex recessu à Catholica fide? S. Gregorius.

OCTAVO, libertas credendi est illis ipsis, quibus conceditur, perniciosa; nihil enim est aliud libertas credendi, seu libertas conscientiæ, nisi libertas errandi, & errandi in re omnium grauissima; vna est enim fides vera, ad Ephes. 4. libertas igitur ab hac vna fide recedendi est libertas errandi, & pereundi, & ruendi in barathrum errorum; quare rectè à S. August. in epist. 156. hæc libertas, perditionis libertas appellatur.

POSTREMO, hãc libertatem vanissimam esse ostendit ratio naturalis: Quoniam mendacia, & falsitates non sunt fouendæ, vel amplexandę, prout ratio boni, & virtutis omninò suadet; cum igitur veritas vnica tantum sit, non potest in varijs, & diuersis sectis, pręsertim inter se contrarijs reperiri, sicut igitur vna est veritas, vnica quoque erit fides, & Religio, quã sequi debemus, quę certè est fides Catholica à Christo proprio ore annuntiata, ac confirmata.

NEC valet dicere, fidem esse liberam: duobus enim modis liberum accipi potest. Primo ab obligatione, in quo sensu dicimus, liberum esse vouere castitatem, vel ingredi religionem, & non liberum frangere votum, vel egredi religionem, & hoc modo fides, quoad illos qui eam numquam receperunt, libera est ab obligatione humani iuris, sed non diuini, & ij si ab hominibus cogi non possunt, à Deo tamen punientur; quòad eos verò, qui in baptismo eam semel receperunt, non est libera ab obligatione, nec iuris diuini, nec humani, & ideò possunt compelli ab hominibus, vt eam seruent. Dupliciter sumitur liberum.

SECVNDO accipitur liberum, vt distinguitur contra necessarium; & sic liberum est non credere, sicut liberum est alia peccata committere; at hęc libertas non impedit, quin homines malè agentes puniantur, immo potius requirit, vt puniantur; si enim est alicui liberum credere, & non credere, potuit vtique credere, & manere in Ecclesia sicut debuit, & cum id non fecerit, meritò punitur; & non solum ille, qui non credit, seu discredit; sed etiam qui occasionem non credendi propinquam nutrit, & exhibet, quemadmodum agunt aliqui Principes, qui varias sectas publicè in suo statu permittunt, & vtinam cõsultò, & ex professo non admitterent: & est responsio S. Aug. in epist. 40. ad Bonifacium, & lib. 2. contra epistolam Gaudentij c. 11. Datum est homini, inquit, liberum arbitrium, sed vt si esset malefaciens, fieret mala patiens. S. Augustinus

SIMILITER dicendum est, fidem esse donum Dei, & quidem electum, Sapientię 3. & ad Ephes. 2. & ad Phil. 1. sed esse quoq; actum liberi arbitrij, quod donum Deus conseruat varijs modis in his, qui eam semel liberè receperunt,

quorũ vnus est correptio, per quam cogi debent homines, ne primã fidẽ, quam in baptismo Deo dederunt, irritam faciant; sic quoq; sapientia est donum Dei, & tamen dicitur Prouer. 29. *Virga, & correptio tribuunt sapientiam.*

Soluũtur quædam obiectiones contra supradicta.

NEC experientia docet contrarium, immo antiquos hæreticos semper non solum Ecclesia, sed etiam pij, ac Sanctissimi Imperatores, vt Donatistas, Manichæos, & Albigenses, armis profligarunt, extinxerunt, & tanquam pestilentissimos homines à Ciuitatibus eiecerunt. Quamuis Sanctus Augustinus epist. 48. scribat, quam plurimos suo tempore ob metum penè conuersos esse. Vtinam hodie sic fieret.

Cur Ecclesia tolerat Iudæos.

NEC iterum valet obiectio de Iudæis, qui ab Ecclesia tolerantur cum suis synagogis; cum diuersa sit ratio: Iudæi enim numquam susceperunt fidem Christianam, sicut Hæretici: & secta Iudæorum Ecclesiæ vtilis est, cum eorum libri sint Oracula, & Prophetiæ rerum Christianorum, & eorum cæremoniæ figuræ nostrorum mysteriorum, & hinc probamus contra Gentiles; à nobis hæc vaticinia non adinuenta, vel conficta esse, cum à nostris inimicis custodiantur, & seruentur. Adde quòd cæteræ sectæ conantur peruertere Christianos, in quo non multum laborant Hebræi; in illos verò Hebræos, qui hoc etiam vitio laborant, seuerè animaduertit Ecclesia. Vide Concilium Toletanum 4. can. 55. & 56. & Augustinum in Psal. 59. Item Bernardum in epist. 322. ad Spirenses, & 323. ad Episcopum Moguntinum. Apud Paganos verò sunt variæ inanium Religionum sectæ cum pace, quoniã apud eos non sunt conclusiones, nec publicæ disputationes de rebus diuinis, & vnusquisq; in sua secta salutem æternam sibi promittit, nec docet, suam sectam ad salutem æternam esse necessariam, & nullum in alia secta saluari posse.

Nõ debẽt Principis aliquid innouare in reb⁹ fidei & Religionis.

DECIMVM vitium Principũ est, innouare aliquid in diuinis ritibus, & Ecclesiasticis cæremonijs, seù in Religione: id enim est munus proprium, ac potissimum Summi Pontificis, cuius curę est interpretari, & declarare ea, quę sunt in Religione ambigua, dubia, & obscura, nec permittere, immo prohibere ne in negocio religionis aliquid innouetur. Possunt tamen Christiani Reges consulto prius Romano Pontifice, huiusmodi religionis innouatores pellere, & arcere. Iosephus lib. 11. contra Appionem scribit, apud Athenienses legem fuisse, vt ij, qui minimum verbum protulissent pręter leges de Deo receptas, absq; vlla licentia Magistratus punirentur: Apud Grẹcos, Socrates, & Protagoras damnati, Anaxagoras, & Aristoteles de hac re accusati fuere. *Liuius lib.* 39. scribit, antiquis temporibus Magistratibus commissum fuisse, vt sacra externa fieri vetarent. Dion Cassius lib. 52. loquens de inani, & falsa religione Deorum, sic scribit. Eos verò, qui in diuinis aliquid innouant, odio habe, & coerce, non Dei solùm causa, quem tamen qui contemnit, nil aliud sanè magni quidquam fecerit, sed quia noua quædam numina hi tales introducẽtes, multos impellant ad mutationem rerum; vnde coniurationes, seditiones, cõciliabula existunt; res profectò minimè conducibiles principatui. Lactantius lib. 5. insti. c. 20. Nihil est in rebus humanis Religione præstantius, eamq; summa vi oportet defendere, & lib. 4. Instit. c. vlt. Religio vnius Dei tenenda est, nam hic est fons veritatis, hoc domicilium fidei, hoc templum Dei, quod si quis nõ intrauerit, vel à quo si quis exiuerit, à spe vitæ, & salutis æternæ alienus est.

Grauiter peccant Principes impediendo sãctæ Inquisitionis officiũ circa hæreticos.

VNDECIMVM vitium est, & grauissimũ quidem, non consignare Romano Põtifici, seu sacrosancto officio Inquisitionis Romanę eos, qui ab illis citãtur ob causã fidei, vel ob propositiones scãdalosas, temerarias, suspectas, falsas, & cõtra dignitatẽ, & obedientiam Romanæ Sedi præstandã prolatas, scriptas, & publicatas; peccãt aũt mortaliter, quia agunt contra ius diuinũ, & naturale humõi scriptores retinendo, fouendo, stipendijs alendo, honoribus ornando, ac deniq;

non

non consignando, nec vt tenentur remittendo: clarissimi enim iuris diuini lex est, auctore S. Paulo ad Hebr. 13. obediendum esse Præpositis spiritualibus, quos qui audit, Deum audit; neque est aliquod dominium, vel iurisdictio, & potestas temporalis in terra æqualis, vel par Summo Pontifici Romano; sed ei si Christiana est, & esse cupit, subiecta, & subdita est; Ioann. 21. *Pasce agnos meos, pasce oues meas:* & hoc est de fide. Qui huic veritati resistit, Catholici honore, & nomine priuandus est: ei qui aliter sentit, docet, scribit, anathema clamandum est: sic nostris temporibus Magni Reges, & Duces ex Hispania, & Etruria Romano Pontifici hæreticos, & de hæresi suspectos ad eius simplicem petitionem transmiserunt; quamobrem magnam apud Deum, & homines laudem, & copiosam benedictionem in suis personis, familijs, ac Regnis cœlitus sunt consequuti.

DVODECIMVM vitium est, prohibere Synodi celebrationem, non solum generalis, sed etiam Prouincialis, ac Diœcæsanæ: quisquis enim Princeps id egerit à Sacramentali communione est suspēdendus, can. quoniam quidem §. hunc ergo, & ibi gloss. in verb. communione 18. dist. Principes Synodi celebrationem impedire non debent.

TERTIVMDECIMVM vitium est, subtrahere, lacerare, comburere instrumenta, seu scripturas in fauorem bonorum Ecclesiæ facientes, ex quibus Ecclesia sua iura, ac iurisdictiones tueri possit. can. si quis 12. q. 2. est hoc vitiũ maximè domesticum Principibus, qui Deo nolunt reddere, quæ Dei sunt. Nec debēt occultare, vel auferre scripturas Ecclesiarum.

DECIMVMQVARTVM vitium est, velle discutere, & examinare Bullas, Diplomata, sententias, & præcepta emanata à Principe Ecclesiastico, & præsertim à supremo, hoc est à Romano Pontifice; hoc vitium præclarè describitur ab Hugone de Sancto Victore lib. 2. par. 2. de Sacramentis fidei, & de eo nos fuse egimus in Disput. de interdicto cap. 9. est perniciosissimus hic error à Politicis introductus, vt supremam Petri potestatem floccipendant, & eneruēt, impediant, & retardent. lege Gregorium Nazianzenum in orat. ad Iulianum Exæquatorem; vbi sic scribit. Oues Pastores ne pascite, nec supra fines vestros assurgite: satis enim vobis est, si rectè pascamini. Iudices ne iudicate; nec legislatoribus leges præscribite. Et S. Basilius in lib. de constit. Monast. cap. 23. Si igitur qui mundo huic præsunt, ex lege humana illam imperandi potestatem habuerunt, ijs diuina lex pietatis cultores tantoperè voluit esse subiectos, & quod maius est, quorum vitia tota tunc erat impietas; quam magna tandem ei à pietatis cultore præstanda obedientia est, qui à Deo constitutus præses sit, & imperandi potestatem à legibus illius acceperit? & qui defendi potest, eum non Dei ordinationi resistere, qui Antistiti resistat suo? præsertim cum apertissimè Apostolus iubeat, omni honesta in re parendum esse spiritualibus præpositis? Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non lugentes; hoc enim non expedit vobis: lege Gregorium Septimum in epist. 21. lib. 8. regist. vbi sic scribit. Quis dubitet, Sacerdotes Christi, Regum, & Principum, omniumq; fidelium patres, & magistros censeri? Nonne mirabilis insania esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subijcere, à quo credit, non solum in terra, sed etiã in cęlis se ligari posse, & solui? quę verba refert Gratianus dist. 96. Pōtificis diplomata, & Prælatorum Ecclesiæ sentētiæ à Principibus examinari nō debēt.

QVAESTIO DVODECIMA.

An Princeps temporalis possit aliquo modo prohibere, ne iuramentum in contractibus donationis, compromissi, testamenti, alienationis, & similibus interponatur; & an pœnis in tabelliones constitutis, vetare queat, ne iusiurandum in prædictis adhiberi cogant, vel sinant, siue permittant.

Couarruuiæ sententia, & eius rationes.

SOLENT impij, & irreligiosi Principes huiusmodi prohibitionem facere in fraudem iuris Canonici, & iniuriam Ecclesiæ, & spiritualis potestatis. Couarruuias in c. Quãuis pactum, de iureiur. in sexto par. 1. §. 3. num. 7. & 8. affirmat, id posse Imperatores, ac Reges, & citat Innocẽtium, & Dominicum super idem cap. atque etiam Imolam. Probat id, quoniam in l. Quæ sub conditione ff. de conditionibus institutionum, habetur, hæredem à testatore iussum aliquid iureiurando adhibito promittere, minimè compellendum, vt iuramentum præstet, sed tamen cogendum id facere, quod testator iniunxerit. Præterea in l. 2. C. de indicta viduitate, prohibetur, ne iusiurandũ interponatur de viduitate seruanda, etiam si id à Testatore, vel à lege antiquitus edita indictũ fuerit. Et idem est de Matre, quæ tutelam filij suscipit ex lege: non enim cogitur iurare, se viduitatem seruaturam, vt notatur in Authent. Matri, & Auiæ, & Authen. Sacramentum. C. Quando mulier tutelę officio fungi potest. Item quia solet Principes, & liberæ ciuitates statuta condere, quibus prohibetur, ne Laici iusiurandũ præstare cogantur in contractibus, vel quasi contractibus, qui absq; iureiurando interposito vim habẽt, quãuis cogantur iurare in contractibus, qui iureiurando remoto, aut nulli per se sunt, aut irriti iure censentur, aut beneficio legis rescindi possunt.

CONTRARIA sententia est certissima, nec licet Principibus, prohibere huiusmodi iusiurandum in contractibus, præcipuè propter tres rationes.

Rationes cur nõ possũt Principes prohibere iuramenta in cõtractibus adhibenda.

PRIMO, quoniam id esset agere contra ius naturale, quod ius omninò persuadet, & dictat nullam firmitatem, & soliditatem contractibus esse denegandam; nemini verò dubium est, ex præstatione iurisiurandi summam contractibus firmitatem accedere, contractum autem, atque conuentionem, quam maximam firmitatem oportere habere, euidentissimi iuris naturalis est. Hinc est, quòd statutum reprobans iuramentum, etiam in causis fœminarum, vel minorũ est omninò irritum, & inane, cum iuri Canonico, in cap. quamuis, de pactis, in 6. & cap. cum contingat, & cap. mulieres, de iureiurand. & cap. significante, de pignoribus, aduersetur, quod præcipit iusiurandum esse seruandum, si absque peccato seruari potest, vt rectè definit Azor. tom. 1. institut. lib. 5. cap. 26. q. 9. Quicquid dicat Baldus in l. 1. C. si aduersus donationem: Videndi sunt Federicus Senen. in consil. 272. Decius cons. 59. & 532. & in l. Nec ex prætorio, ff. de reg. iur. Corneus consil. 7. lib. 2. Paulus in Authen. Sacramenta puberum, C. si aduersus venditionem, Alexander in l. stipulatio hoc modo 2. ff. de verborum obligat. Castaldus in lib. de Imperatore quæst. 19. ver. 24. nec enim Princeps, vel Communitas potest negare subdito hoc genus præsidij in suis ciuilibus contractibus.

SECVNDO, Deum frequenter suis dictis iusiurandum adhibuisse ad firmitatem

mitatem suæ promissionis significandam, euidentissimè in sacris scripturis constat: cur ergò hominibus in eorum contractibus id non licebit? vel cur ipsi huiusmodi iustitiæ beneficio priuandi erunt?

TERTIO idem demonstratur, quoniam huiusmodi Princicipum constitutiones conduntur in fraudem iuris canonici, & iniuriam potestatis spiritualis; & licèt contractus ex sui natura sit firmus, & validus sine iuramento, tamen & coram Deo, & coram hominibus ex eo firmiorem valorem, & consistentiam recipere negari non potest: nec adhibetur iusiurandum in fraudem iurisdictionis Ciuilis, sed in eius confirmationem, & stabilitatem. Malitia autem Principum aliud excogitauit. Neq; enim iusiurandum à iure can. vel positiuo originem trahit; sed à iure naturali atq; diuino, à quo cuncta, quæ procedunt bona sunt, nec prohibenda.

NON me latet, ob venerationem ac sanctitatem iuramenti in omnibus ferè contractibus, præsertim inter Christianos, ius Canonicum peruagari, & cum eius absolutio, & relaxatio ad potestatem Ecclesiasticam dumtaxat pertineat, vtique hæc ab omnibus alijs potentatibus inuidetur: licèt enim Principes possint voluntates vltimas testatorum, & alias promissiones factas hominibus, nec non obligationes inter ipsos contractas rescindere, atq; mutare, non tamen promissiones Deo factas; nec item actionem illam, in qua Religionis causa Deum, vt testem adhibemus, qualis est iuramentum. Lege Azor. tom. 1. lib. 6. cap. 1. Matrimonium autem inter Christianos contractum nequit Principum auctoritate dissolui, cum Sacramentum sit, & ad Ecclesiam id pertineat, quæ dissoluit auctoritate sibi diuinitus concessa, ratum nondum consumatum. Inter Paganos vero Principes Matrimonia irritant, cum inter illos matrimonia sint tantummodo humani contractus.

Non habent Principes potestatem relaxandi iuramenta, aut ab illis absoluendi.

QVAESTIO DECIMATERTIA.

An cognitio de crimine vsuræ spectet ad forum Principis secularis.

Ad Ecclesiæ tribunal pertinet iudiciū de crimine vsuræ.

CRIMEN vsuræ cognoscere quoad quæstionem, an sit, & quid sit, absolute ad forum Ecclesiasticum pertinet: ita colligitur ex Gloss. in Clem. Dispendiosam, de iureiuran. & in cap. Ex literis, & cap. 1. de officio ordin. & in cap. Cum sit generale, de foro compet. & habetur expresse apud Sanctum Thomam 2.2. q.78. art. 1. & in quæstion. de Mal. q. 13. art. 4. & quodlib. 3. art. 19. & Opusc. 73. cap. 1. atq; ita sentit Bartolus, Paulus de Eleazaris, Archidiaconus, Antonius Butrius, Cardinalis, Ioannes Andreas, & Ioannes Monachus; quos citat, & sequitur Ponormitanus in cap. cum sit generale, de foro competen. num. 17. Ita quoq; Leo X. in sua constitutione 9. & Pius V. in bulla 148. & Clemens Septimus in bulla 23. & Paulus Tertius in bulla 32. & licèt hoc crimē cognoscere nō pertineat ad Inquisitores hæreticæ prauitatis, vt decidit Alexander Quartus, in sua bulla decima; negari tamen non potest, præcipuè ad cęteros Iudices Ecclesiasticos pertinere: & cū ius ciuile aliquas vsuras permittat, quas tamen omnes ius diuinum, naturale, & canonicum damnat, profectò Iudices, qui inspectis Ciuilibus iuribus de re aliqua sententiam proferunt, competentes huius criminis Iudices non erunt, cum non per leges ciuiles, sed per Canones huiusmodi iudicium proferri debeat; habet enim hoc crimen pe-

culiarem quandam deformitatem contra ius diuinum,& naturale, quam lex ciuilis non agnoscit: hinc sequitur, statutum, vel legem ciuilem decernentem, contractum ex aliquo facto pro vsurario habendum esse, non valere. Ita Federicus consil. 94. Abbas in cap. Cum contingat, de iureiurando nu. 12. Corneus cons. 7. vol. 2. concedi tamen posset, ad Iudices seculares quoque pertinere de pęnis vsurariorum cognoscere ab illis latis, & de solutione, vel restitutione vsurarum, & de alijs quæstionibus, quæ non iuris, sed facti causam concernunt; has enim mixti fori esse facile concedimus: lege Sotum lib. 6. de iust. & iure q. 1. aduersus Ancaranum contrarium scribentem.

An Princeps tẽporalis peccet permittẽdo vsuras.

QVÆRI item posset hoc loco: An Principes seculares permittentes vsuras sint puniendi, & à iure Canonico condemnati sint. Respondemus cum Soto, ius Ciuile non aduersari directè Canonico, circa contractum vsurarium, non enim ius Ciuile asserit, vsuras licitas esse in foro Dei. Absit, esset enim hæc hæresis condemnata in Clement. Vnica de vsuris; sed Principes seculares permittunt illas non puniendo, sicut etiam Męretrices. Quocirca Baldus rectè in hac re carpitur à Soto, loco cit. Principes enim illa tantum puniunt, quæ paci, & quieti Reip. aduersantur; cętera relinquunt, præsertim vbi nullum ius intercedit: multis autem pęnis ius Canonicum vsurarios afficit, quas legas apud Siluestrum in verbo vsura 9. & Sotum ibidem.

QVAESTIO DECIMAQVARTA.

An Rex, vel Princeps secularis prohibere possit, ne spolia clericorum Fisco Apostolico, tanquam debita, in eorum dominijs soluantur.

Cur in quibusdam Regnis nõ soluuntur spolia Cameræ Apostolicæ.



AVARRVS in lib. de spolijs clericorum. §. 14. refert, in Italia non solum Episcoporum, sed etiam aliorum quorumcumque beneficiariorum spolia Cameræ Apostolicæ deberi; in Regno vero Castellæ in Hispania, Episcoporum dumtaxat spolia Papæ solui, non autem aliorum beneficiariorum: in tota autẽ Germania, Gallia, Lusitania vsu esse receptum, vt nulla beneficiariorum, etiam Episcoporum bona, tamquam spolia, ad Cameram Apostolicam pertineant. Quo igitur iure prædicta non soluunt? an consuetudine approbata, an Principum decreto, an vero auctoritate, vel permissu Summi Pontificis id faciunt? Doctor Ioannes Azor tom. 2. instit. Mor. lib. 8. cap. 4. egregiè hanc rem definit dicens, Reges ac Principes non posse sua auctoritate laica statuere, ne spolia Clericorum Romano Pontifici dentur, non enim id est laicorum, nec penes Reges residet potestas aliquid de bonis Ecclesiarum statuendi; nec sola Principis auctoritas potest afferre huic rei iustam excusationem: licèt vero habeant Principes ius imperandi, ne pecuniæ ex eorum Prouincijs extrahantur, tamen nec fructus beneficiorum, aut Ecclesiarum bona huiusmodi laicorum legibus subiecta sunt, nec Romanus Pontifex hisce statutis ligatur; recurrendum est igitur, vel ad iustam, & approbatam consuetudinem, à Romano Pontifice permissam, & non damnatam; vel certè ad priuilegia pontificia, sine quibus præfata Regna, & Prouincias huiusmodi solutiones spoliorum non præstare, nequaquam credendum est.

AN autem liceat saltem ex consuetudine Regibus, & Principibus, Ecclesia vacante, ea, quæ ad illam pertinent, tàm temporalia, quam spiritualia administrare:

strare: absq; dubio respondendum est, id nec ratione præscriptionis, nec iure patronatus, nec iure Regio sine consensu Papæ tacito, vel expresso licere, cum sacris Canonibus aduersetur, Lege Azor. tom. 1. lib. 5. c. 19. in fine:

QVAESTIO DECIMAQVINTE.

An Princeps secularis possit impedire Religiosos cuiuscumque ordinis in suo statu degentes, ne accedant ad Capitulum Generale celebrandum in Ciuitate extra suum Dominium existente.



TVRPISSIMVM, & irreligiosissimum est, aliquos rem hanc certissimã in disputationem, aut in dubium reuocare, cum Principes seculares nullum habeant ius, vel auctoritatem in religiosos, quia hi non illis, sed Papæ, suisq; ipsorum superioribus subditi sunt: nec quæcumq; excusatio, coniectura, prætextus, seu color illos excusare potest, cum alienam in hac re potestatem vsurpent, & spirituali detrahant, nec non hæreticis adinuentionibus faueant. Porrò velle Religiosis præcipere, etiam impositis pęnis, & illos in suam potestatem redigere, & a potestate Romani Pontificis subtrahere; quid quæso aliud est, quàm caput Ecclesiæ in suo dominio se constituere? quod est hæreticum, & Anglicanum schisma impijssimum. Christus enim institutor, & auctor non solum Ecclesiæ Christianæ, sed etiam status Religiosi fuit: ita S. Hieron. contra Iouin. lib. 1. Dam. in Epiphania, Basil. in Psal. 44. Nazian. exhort. ad Virgines, Chrysost. Hom. 17. ad Populum, Athanas. de human. Ver. Ambros. lib. 1. de Virgini. Orig. in cap. 10. & 13. Matthæi, & in lib. 7. contra Celsum, Aponius lib. 4. in Cantica, Canisius lib. 2. Marialis cap. 12. & 14. Bellarm. 2. de Monach. cap. 5. Cano lib. 3. de loc. cap. 4. §. 1. Religiosi verò in religioso statu viuentes Papæ, & Episcopis in casibus in iure expressis, & suis Prælatis subiecti sunt, non autem laicis personis, quacumq; dignitate terrena fulgentibus: & sicut Imperator, vel Rex non possunt prohibere Clericis, ne ad Concilium generale, Prouinciale, vel Diœcæsanum accedant; ita nec Religiosos impedire potest, nisi tyrannicè, & irrationabiliter, ne ad eorum comitia generalia, vbicumq; celebrentur, accedant. Sicut neq; possunt validè, & licitè aliquid statuere, circa Prælatorum in Ecclesijs Regularium institutionem, vt aliqui Principes faciunt, qui eos Religiosos, qui non sunt sub eorum dominio, à Prælaturis Ecclesiarum eiusdem dominij excludunt, quod profectò incongruum, & intolerabile videtur.

Quam impium sit seculares Principes in Religiosos dominium vsurpare.

QVAESTIO DECIMASEXTA.

An Princeps secularis possit absq; licentia Papæ ingredi Monasteria Monialium.

Certum est hoc non licere Principibus temporalibus.

VALDE puerile est, de re proposita dubitare, vel quærere; nihil enim in toto iure Canonico clarius, & magis exploratum reperitur, quàm prohibitio ingressus domorum sanctimonialium absq; licentia legitimi, & Ecclesiastici superioris: ita habetur in Concil. Trident. sess. 25. cap. 5. de Reg. & Monial. & cap. periculoso de stat. mon. in 6. & in bullis Pij V. & Gregorij XIII. & aliorum summorum Pontificũ. Si quis verò Principum temerè, & absq; legitima facultate superiorum spiritualium contrarium facere, vel tentare præsumpserit, in excommunicationis pęnam ipso facto incurrit; & qui ex propria laica auctoritate id sibi competere pertinaciter defendit, hæresis vitio laborat, existimans laicam potestatem à spirituali, & præsertim summi Pontificis, non dependere, sed illi vel æqualẽ, vel superiorem esse. Detestabilis est huiusmodi Politicorum sapientia, qui animalem, & carnalem scientiam sectantes, inimicos Dei, & suæ Ecclesiæ se constituunt; animam carni, Adam Euæ, Abraham Saræ, Dauid Bersabeæ, Cœlum terræ, Deum ipsum terrenis, & humanis legibus subijcientes.

QVAESTIO DECIMASEPTIMA.

An Principi seculari liceat prohibere impressoribus librorum, ne libros tractantes de iurisdictione Ecclesiastica temporali, vel spirituali imprimant.

Grauiter peccant Principes hoc facientes.

SINE vlla dubitatione huic quæstioni respondendum est, Principes grauiter peccare, si id prohibeant; etenim id agere, est veritatẽ impedire, ne ab omnibus cognoscatur; est Ecclesiæ Dei detrahere, & arma defensiua ab ea auferre; quæ omnia vix absq; graui peccato mortali effici possunt, præsertim, cum Ecclesiæ partes sint, stultis iuxta eorum stultitiam respondere, non solum verbis, sed etiam scriptis: Prouerb. 26. *Responde stulto iuxta stultitiam suam*, nec solùm lingua, sed etiam calamus stulti, hoc est hæretici, verbis ac scriptis retundendus est, decet enim Catholicos omni via, ac modo paratos esse ad reddendam rationem de ea, quæ in illis est, fide 1. Petr. 3. Vide S. August. lib. contra mendacium cap. 6. & lib. 1. de Trinit. cap. 3. atq; ita duplici confusione sunt hæretici confundendi, Isaiæ 71. immo etiam conterendi, Ier. 17. verbis, s. ac scriptis: sic fundæ. i. scripta Doctorũ lapidibus verborum sacræ scripturæ hæreticos obruent, Zachar. 9. *& obruerunt eos lapidibus fundæ*, ita Septuaginta trãstulerunt quod in vulgata legitur; *& subijcient lapidibus fundæ*, vt enim rectè ibidem exponit Ribera, lapides fundæ sunt verba sacræ scripturæ, & quæ Spiritus Sanctus docet magistros Ecclesiæ, quæ magnis viribus torquentur in hostes, iuxta illud Luc. 21. *Ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri*. Metaphora à fundibularijs militibus sumitur, sed

Prouerb. 26.

Zachar. 9.

Lucæ 21.

sed tacitè, vt arbitror, alludit ad lapides fundæ Dauidis, quibus percussit Philistæum 1. Regum 17. & per quos verba scripturarum intelliguntur. Hæc ille. Sixtus Senensis in præfatione Bibliothecæ Sanctæ, de vtilitate librorum Ecclesiasticorum eleganter sic scribit. Nihil enim ad erudiendam, & docendam Ecclesiasticam plebem vtilius est, quàm diuina librorũ suppellex, & nobilium Ecclesiæ procerum scripta nihil non continentia cœlestium, & immortalium bonorum. Ex his etenim, veluti ex vberrimis, & vernantissimis campis, Hermonij montis rore perfusis, pascitur Christianus populus salubribus alimentis, auditorum sitis de purissimis aquæ viuæ fontibus, & æternis Paradisi fluminibus extinguitur, & spiritalibus morbis, tanquam ex medicis hortis, præsentissima herbarum, ac florum nullo senio intereuntium remedia colliguntur. Ex his perinde, atq; ex opulentissima diuitiarum gaza, inopum animarum egestas ditatur, nec aliter, quàm ex confertissimis armamẽtis, arma sumũtur, vnde infidelium insaniæ, & hæreticorum furores prosternantur. Ex his non secus, ac de schola, & gymnasio virtutum omnium, vniuersa Christiani hominis vita, mores, & officia formantur, docentur indocti, exercentur docti, iuuantur lapsi, vt surgant: stantes, ne cadant, armantur nudi spiritualibus armis, armati in prælium educuntur, animantur præliantes, ne vincantur: admonentur vincentes, ne victoriam amittant. In summa, nihil est vsquam, vel honestum, vel vtile, vel iucundum, nihil magnum, aut rarum, quod in his ad Christianam eruditionem, ad vitæ pietatem, & ad ueram felicitatem consequendam optari queat. Hęc ille. Posuit autem Deus in Ecclesia Episcopos, & Doctores, vt non solum vetera, sed etiam noua contra hæreses, falsasq; doctrinas proferant. Matth. 13. ex thesauro tamen sacrarum scripturarum, & expositionum sanctorum Patrum illa educentes, vt ibidem S. Hieron. egregiè notauit.

Quã sit vtiles libri Ecclesiastici.

CONANTVR nouatores recentem Deum, nouamq; Ecclesiam sub laicorum regimine constituere, Petrum à Christo ipsius Ecclesiæ rectorem perpetuum institutum pellere, remouere, deponere; Cęsaremq, eius loco more Anglicano, diabolica, ne dum humana, & propria auctoritate sufficere, & ipsum Petrum, non caput, sed pedem facere in corpore Ecclesiastico: sed quid? *Portæ inferi*, Christo verò Deo, & verò homine sic promittente, *non præualebunt aduersus eam.* Super petram enim à Christo electam fundata est Romana fides, & Ecclesia, cuius soliditati atq; virtuti cunctæ potentiæ, artes, atq; industriæ internales, ac Sathanicæ resistere, vsq; ad consummationem seculi non præualebunt, vti Hilarius optimè sic exponit. Quæ, inquit, petra infernas leges, & Tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. Sic dissoluit Aug. hæreses Manichæorum, Hieron. Iouiniani ac Vigilantij, Basilius, Athanasius, Nazianzenus, Chrysost. Arij, Eunomij, Nestorij, & aliorum; & nouissimè Echius, Hosius, Canisius Lutheri; Sanderus, Turrianus, Valentia, Bellarm. Caluini, Illyrici, & Chemnicij, Modernorum autem pseudotheologorum falsas doctrinas dissoluent alij scriptores moderni, numero non pauci, doctrina, & auctoritate non vulgares; sed vtiq; idem ipse Spiritus Sanctus, qui docet nos omnia, siue scribendo, siue concionando; *Lingua mea*, inquit Dauid Psalmo 44. *calamus scribæ velociter scribentis*; vbi quærit S. August. cur non solum lingua, verbo, & prædicatione Catholica veritas pronuncianda sit, sed etiam scriptis exaranda? Respondet, quoniam verbum transit, scriptum manet, ac perseuerat. Atq; hac optima ratione non solum prædicationibus, sed etiam scriptis, impressionibus, libris est Ecclesia aduersus Nouatores in dies ornanda, ac munienda. Sed cur Psalmista dixit, *velociter scribentis?* Respondet idem S. August. ad repellendam pigritiam Doctorum in concionando, vel scribendo rem diuinam; debent enim hi esse veloces, celeres, ac paratissimi in Dei verbo promulgando, iuxta illud Psalm. 147. *velociter*

Impij nouatorũ conatus contra Ecclesiam.

Psal. 44.

citer

citer currit sermo, vel vt alij legunt, verbum *eius*. Et quamuis prior, & antiquior sit Ecclesia, quam scriptura; multis enim seculis ante Moysen fuit illa, & nostra Christiana ante Euangelia conscripta ab Euangelistis, nihilominus in omni Ecclesiæ Euangelicæ ætate non defuerunt scriptores, qui Catholicam veritatem non solum verbo, sed etiam scripto copiosissimè defenderent, ac validissimè confirmarent, quorum Catalogum seriatim posuimus lib. 1. nostrorum cõmentariorum in canticum Magnificat cap. 25. Nunc nonnullos, ab hac ętate non valde remotos recitabimus, qui pro amplissima summi Pontificis auctoritate, de hac enim in liberis Italię dominijs multę hac tẽpestate oriũtur quęstiones, ex omnibus ferè nationibus scripserunt, præter alios multos, qui nondum ad nostram notitiam deuenerunt.

Auctores ex omnibus ferè nationibus pro Summi Pontificis potestate scripserunt.

EX Italia, S. Thomas in opusc. contra Græcos, B. August. Triumphus Anconitanus, in summa de potestate Papæ, B. Anton. 3. p. tit. 22. summæ Theologiæ, Thomas Caietanus de institutione, & auctoritate Romani Pontificis, Gaspar Contarenus de potestate Romani Pontificis, Thomas Campegius in lib. eiusdem tituli, Ioannes Antonius Delphinus lib. 1. & 2. de Ecclesia, Card. Bellarm. in suis controuersijs, & alij.

EX Hispania, Ioannes de Turrecremata lib. 2. de Ecclesia, Alphonsus de Castro lib. 12. contra hær. Melchior Canus lib. 6. de locis, Petrus de Soto in defensione suæ confessionis, à cap. 74. vsq; ad finem, Franciscus Horantius lib. 6. de locis Catholicis, Franciscus Turrianus in libris contra Antonium Sadeelem, Gregorius de Valentia, part. 7. & 8. suæ Analysis fidei Catholicæ, & Ioan. Azor. in suis Inst. moral.

EX Anglia, Thomas Vualden. lib. 2. doctrinalis fidei, art. 1. & 3. Ioannes Roffensis in refut. art. 25. Reginaldus Polus Cardinalis lib. de summo Pontifice, & lib. 1. & 2. ad Regem Henricum Octauum, Alanus Copus Dialogo 1. Nicolaus Sanderus in libris de visib. Monarchia, Thomas Stapletonus lib. 6. Controuersiarum, & alij.

EX Gallia, Remundus Ruffus in lib. aduersus Carolum Molinæum pro summo Pontifice, & Robertus Arboricensis, in opere de vtriusq; gladij potestate, & alij.

EX Germania, Ioannes Ekius in libris tribus de primatu S. Petri, Ioannes Faber, in refutatione libri Lutheri, de Pontificis potestate, Ioannes Cochlæus in quarta Philippica, Gaspar Schatzgerus in controuersijs, Conradus Eligius, *lib.* 3. de locis communibus.

EX inferiori Germania, Ioannes Dried. lib. 4. cap. 3. p. 2. de scripturis, & dogmatibus Eccles. Albertus Pighius lib. 3. 4. & 5. Eccles. hier. Ioannes à Louanio de perpetua Cathedrę Petri protectione, & firmitate, Iacobus Latomus lib. de primatu Petri, Gulielmus Lindanus lib. 4. Panopliæ, Ioannes Bunderius in compendio Concertationum, tit. 31. & alij.

EX Polonia, Hosius Cardinalis in explicatione Symboli c. 26. & in lib. 2. contra Brentium, & in lib. de auctoritate summi Pontificis.

EX Græcia, Gennadius Scholarius in defensione capituli quinti.

SIC decet Prædicatores, Episcopos, atq; Doctores in templo Dei vocales atq; sonantes esse; quemadmodum enim S. Cyrillus lib. 11. de Adoratione ait, & S. Isidorus in Exod. cap. 54. vestis illa antiqui Pontificis tintinnabulis aureis tunicam Sacerdotis ambientibus mirificè personabat, dum Sacerdos illa indutus tabernaculum ingrediebatur; ita eruditio, & scientia Pontificis in Ecclesia Euangelica tanta esse debet, vt & gressus eius, & motus, manus, item digiti, & vniuersæ partes corporis vocales sint, ita vt veritatem mente concipiens, & toto eam habitu resonet, & ornatu. S. Hier. affirmat epist. 128. ad fabiolam.

Sum-

SVMMÆ in sanctis libris scribendis, atque legendis deliciæ reperiuntur, teste S. Augustino in Commentarijs Psal. 38. Gaudia, ait, spiritualia vnde erunt adhuc ambulantibus super terram, nisi ex diuinis eloquijs, ex verbo Dei, ex parabola aliqua scripturarum scrutata, & inuestigata, ex dulcedine inuentionis, quam præcessit labor inquisitionis: sunt quædam deliciæ sanctæ, & bonæ in libris: sic Aug. Huc allud spectat Damasi summi Pontificis ad Hieronymũ epist. 124. Nullã puto digniorẽ disputationis nostræ confabulationẽ fore, quã si de scripturis sermocinemur inter nos, id est, vt ego interrogem, tu respondeas, qua nith nihil puto in hac luce iucũdius, quo animæ pabulo omnia mella superantur. Cęsarius Nazianzeni Gregorij frater scripta modernorum, seria odorifera, fragrantesq; coronas ex roseto Patrũ collectas vocat. Non quædam, ait Cęsarius initio Dialogi, propriè mea, leuiaq; proferam, sed quæcumq; clarorum, beatorumq; Patrũ prata peragrãs de illorum roseto collegi. Quorũ rosæ aqua ex latere Dei, ac Verbi, quod carnẽ assumpsit, manãte rigãtur, & à iugi sanguinis indidem orti riuo, rubro colore tinguntur, totumq; mundũ suaui odoris fragrantia replẽt. Qui & splendore suo firmamenti luminaria vincunt, & vitæ sermonem continẽt. Nihil enim, vt inquit S. Hieron. in Commen. Zachariæ cap. 9. ita percutit hæreticos, peruersosq; magistros, vt exemplũ de scripturis sanctis, & testimoniũ rotatu oris emissum; est enim verbũ Dei sagitta electa, Isaię 49. *Posuit me sicut sagittam electam, & in pharetra sua abscondit me*; vbi Hieron. Sagitta electa, verbum Dei est; pharetra in qua sagitta absconditur, dispensatio carnis assumptæ. Hac impletur Ephraim, vt cum armatus fuerit, & paratus ad bellum, & ipse pungentibus sagittis Domini vulneretur; ex cuius tribu primus populum scidit Hieroboam, quem in hæreticorũ persona accipi, Osee Propheta plenius demonstrat, & quod supra diximus: *Filij Ephraim intendentes, & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli.* Suscitante enim Domino filios Sion, hoc est, filios Ecclesiæ, & contrariorum dogmatum magistri, & philosophorum omnis assertio, atq, argumenta gentilium destruentur: quia ipse Dominus gladius fortium est, de quo dicitur: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, prospere procede, & regna: Propter veritatem & mansuetudinem, & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua, &c.* Addit alia verba quæ maximè ad rem nostram faciunt; *Hoc gladio vos æthiopes, vulnerati meo gladio eritis*; Sophoniæ secundo, qui post quam Christi gladio fuerint vulnerati, deponẽt tetrum colorem, & exultantes loquentur. *Erit splendor Domini Dei nostri super nos*: quod & Dauid sibi post pęnitentiã repromittit: *lauabis me, & super niuẽ dealbabor.* Iste est gladius, de quo scribit Apostolus: *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsq; ad diuisionem animæ, ac spiritus, &c.* ita S. Hieron.

Quã suauis lectio sacrorũ librorum.

S. Cæsarius.

S. Hieronym.

SCRIPTORIS ergò & Concionatoris verba, si rationabiliter proferantur, sunt tela acutissima, ex sanctis scripturis deprompta; sunt efficaces rationes ad ecclesiasticam potestatem confirmandam; sunt Patrum ac Scholasticorum dicta præclara, oris pectorisq; valido coniecta rotatu, idest spiritu, ad nouatorum stultiloquia reuincenda. Quòd si lapides de pariete clamabunt, & ligna, quæ inter iuncturas ædificiorum sunt, aduersus hæreticos, corruptoresque veritatis respondebunt, vt dicitur Habacuc. 2. cur non etiam manus, digitique Christiani doctoris? est sanè sacra Theologia, cum præcipuè scripturis sanctis innitatur, diuinitùs inspirata, vt Apostolus docet 2. ad Timoth. 3. & est vtilis non solum ad erudiendum, & docendum, sed etiam ad arguẽdũ, & corripiendũ, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonũ instructus, atq; adeo ex diuinarũ scripturarũ Thesauro non solũ vetera ad veteres errores arguẽdos, sed & noua ad nouas falsitates cõprimẽdas à Doctore Ecclesiastico sũt depromẽda; nec solũ Thesauro diuina Theologia est similis, sed & fonti largis, perennibusq; scaturienti

Catholicorum scriptorum, & cõcionatorum laudes.

S. Chrysost.

fluentis, vt scribit S. Chrysostomus Hom. 3. in cap. 1. Gen. Magna, inquit, est huius thesauri abundantia, & larga fontis huius vbertas. Nec mireris dilecte, si nobis hoc accidat; etiam qui ante nos fuere, pro viribus suis aquas inde hauserunt: & similiter, qui post nos futuri sunt, idem attentabunt, neq; sic totũ euacuare poterunt: sed magis interim augescunt flumina, & increscunt. Hæc.n. spiritualium fluminum natura est, vt hoc magis scaturiãt, & accrescat spiritualis gratia, quo quis magis inde haurire studet. Propter hoc, & Christus dicebat: si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dixit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuẽtis. Quibus verbis horum fluminum dapsilitatem, & largitatem nobis indicat. Hæc ille.

BEATVS Augustinus in exposit. Psal. 44. quærit cur hæc inscriptio illi Psalmo præponatur, nimirum, Pro ijs, qui commutabuntur; sic scribens. Quid ergo dicam, hoc omnis mutatus agnoscit. Qui audit hæc, pro ijs, qui commutabuntur, videat quid erat, & quid nunc sit; & primo ipsum mundum videat cõmutatũ, nuper adorantem idola, modo adorantem Deum; *nuper seruientem* ijs, quæ fecit, modo ei à quo factus est. Pro ijs, qui cõmutabuntur, *videre* qñ dictum sit. Modo iam residui Pagani mutata expauescunt, & qui nolunt mutari, vident repletas Ecclesias, templa deserta, in his celebritatem, ibi solitudinem. Mirantur mutata, legant prædicta; aurem accõmodent promissori, credant exhibitori. Vide quã copiosè, & efficaciter Augustinus suppeditet materiã scribendi contra Paganos; sed præterea etiam contra politicos: in eadem expositione plura alia inuenies, quæ mirificè ea, quæ diximus, illustrant, & præsertim in expositione primi versus, *Eructauit cor meũ verbum bonũ, dico ego opera mea regi.*

IGITVR concludendũ est, eos qui viam præcludunt veritati agnoscendæ, impediendo, ne scriptores, qui conscientia bona, & fide non ficta verba Dei eructant, & scribunt, illa ad cõmunẽ vtilitatẽ, & ad publicũ Christianę Reipublicæ cõmodũ in lucem edant, grauissimè peccare, & eidem veritati maximã iniuriam inferre: sed velint nolint, semper magna est veritas, & præualet.

QVAESTIO DECIMAOCTAVA.

An potestas secularis, vel politica partem aliquam habeat in recognoscendis nouis miraculis, vel sanctorum reliquijs.

Cur seculares iudices, & Principes in his cognoscendis ius non habeant.



NOVA miracula, quæ Deus optimus Maximus in diuersis orbis christiani locis, pro maxima sua prouidentia, & benignitate ad suam gloriam, & fidelium commodùm iugiter operatur, teste S. Irenæo lib. 22. cap. 56. & Eusebio lib. 5. cap. 7. innumeram populorum multitudinem, promiscuamque plebem alliciunt, ac intima quadam, laudabili, pijssimaque curiositate replendo pertrahunt ad illa intuenda, & conspicienda; quod non sine aliqua populari cõmotione, ac tumultuaria multorũ festinatione fieri vix posse compertissimum est: qua ratione Magistratus secularis fortasse hisce in rebus se immiscere, licèt sine vllo fundamento, præsumere posset, sicut ẽt in peregrinationibus ad loca sancta, in processionibus, & alijs pijs, ac religiosis actionibus, in quibus frequentior concursus populorũ esse solet. Sed sicut cęcus non iudicat de coloribus; sic nec potestas laica de huiusmodi diuinis, & humanis factis, & operationibus; cũ hæc pleno iure totaliter ad solã potestatẽ ecclesiasticã pertineãt, vt videre est in Conc. Trid. sess. 25. sicut etiam curare, vt viæ pro habendis processionibus competenter purgentur, ornentur, ac præparentur, & ab illis omnes pi-

ſturæ minus honeſtæ, cęteriq; actus ſcęnici arceantur, vt in Romano nouo Cęremoniali præſcribitur.

De imaginibus ſudore, vel ſangui e emittentibus.

QVOD ſi aliqua pictura, ſeu imago ſudoré, vel fletum, ac lachrymas emittere videatur, vtiq; id etiam ad eamdem poteſtatem Eccleſiaſticam cognoſcere ſpectabit, licèt id interdum ex cauſis naturalibus, vel etiam artificialibus, vt ſæpè contigit, eueniret; immò etiam ex diabolica fraude id ſæpe apud Gentiles accidiſſe liquidum eſt. Apud multos quoq; Poetas fabuloſè ſimulachra ſudaſſe, & ſanguinem emiſiſſe non rarò legitur.

Quid in hac materia a prophanis ſcriptoribus proditũ fuerit.

CICERO lib. 1. de diuinat. exponit (loquitur de Siſenna ſcriptore) initio belli Marſici, & Deorum ſimulachra ſudauiſſe, & ex illis ſanguinem fluxiſse. Idẽ eodem loco: Quid? Lacedemonijs paulò ante Leuctricã calamitatem, quæ ſignificatio facta eſt, cũ in Herculis fano arma ſonuerũt, Herculiſq; ſimulachrum multo ſudore manauit? Idem ibidem: Quid cum Cumis Apollo ſudauit, Capuæ victoria? Idem in ſecundo de diuinatione; ſanguinem pluiſſe Senatui nuntiatum eſt; & atratum fluuim fluxiſſe ſanguine: Deorũ ſudaſſe ſimulachra. Num cẽſes, his nuntijs Thalem, aut Anaxagoram, aut quemquam Phyſicũ crediturum fuiſse? nec. n. ſanguis, nec ſudor, niſi è corpore eſt. Sed & decoloratio quædam ex aliqua contagione, terrena maximè, põt ſanguinis ſimilis eſse: & humor allapſus extrinſecus, vt in tectorijs videmus, Auſtro ſudorem imitari.

PLVTARCHVS in Coriolano. Ligna, & lapides plerumq; oriundam ex humore putredinem contrahunt, ſubinde multos ex ſe colores emittentia, variaſq; ex aere tincturas ſuſcipientia. Quæ res, quominus Deorum immortalium prodigia ſint, nihil impedimento eſse arbitramur.

EVTROPIVS in Epitome belli ciuilis. Cõuerſa ſimulachra alia fleuerũt, alia ſudarunt. Idem de geſtis Romanorum lib. 3. In Sardinia, bello Punico ſecundo, ſanguinem duo ſcuta ſuderunt.

VIRGILIVS lib. 2. Aeneidos de Palladio rapto.

Vix poſitum caſtris ſimulachrum, arſere coruſcæ.
Luminibus flammæ arreptis, ſalſuſq; per artus,
Sudor ijt, &c.

SENECA in Thyeſte act. 4. fleuit in templis ebur.

SILIVS Italicus lib. 1.

Tum magico volitant cantu per inania manes,
Exciti, vultuſq; in marmore ſudat Eliſæ.

Idem lib. 8.

Atque atro ſanguine flumen,
Manauit Iouis in templis; lacrymiſque vetuſta,
Effigie patris largè fluxere Quirini.

Idem lib. 12.

Tum vultus modo non paruo ſudore madentes,
Nunc lętos Iouis aſpectant, &c.

STATIVS lib. 9. Thebaidos, dixit.

Fletuque ſoluto,
Aſpicit, & niueæ ſaxum maduiſſe Dianæ.

CATENA lib. 11. lec. 3. fuit Lebethris Orphei ſimulachrũ ex cupreſſo, quod cum Alexandri temporibus ſudorẽ multũ emiſiſset, oĩbus eo prodigio perterrefactis, reſponsũ eſt ab Ariſtandro viro ſapiẽte; Bene ſperandum, ſiquidem, quod tunc opus Alexander aggrederetur, ob rerum geſtarum magnitudinem, maximum eſset ſudorem, & laborem poetis allaturum. Nonnulli interpretationem prodigij Alexandro ipſi tribuunt.

VALERIVS Max. lib. 1. c. 6. In Sicilia, inquit, ſcuta duo ſãguinẽ ſudaſse.

NARRAT Vicciardinus lib. 1. anno Domini 1444. cum Carolus de Angio in Italiam cum exercitu veniret, vt Neapolitanum Regnum in suam potestatem, ac ditionem redigeret, in multis Italiæ locis statuas, & sacras imagines sanguineum palàm emisisse sudorem.

Multa in hanc rem ex sacris Historijs proferũtur.

VERVM hæc prophana, & fabulosa missa faciamus: illud certum est, legi in lib. 4. Esdræ cap. 5. *De ligno sanguis stillabit*; & quamuis liber hic quartus, Esdræ non sit Canonicus, sed apochryphus, sicut et est Tertius, vt docet B. Hier. multiq; alij Patres, quicquid scripserit Genebrardus in Chronologia sua, pag. 90. cum tamen citetur à S. Ambrosio in lib. de bono mortis, & in lib. 2. in Lucam, ac in epist. 21. ad Horantium; placuit etiam nobis hoc loco ex illo hanc sententiam citare; in libris enim apocryphis aliquid veri reperiri nõ repugnat, vt scribit idem S. Hieron. in caput primum ad Titum, & Augustinus lib. 15. de Ciuitate Dei c. 23. & lib. 18. cap. 38.

IDEM B. Aug. lib. 3. de Ciuitate Dei c. 11. ex Romanorũ Historijs ità refert. Apollo Cumanus, cum aduersus Achæos, Regemq; Aristonicũ à *Romanis* bellaretur, quatriduò fleuisse nuntiatus est. Quo prodigio aruspices territi, cũ id simulachrũ in mare putauissent esse projiciendũ, Cumani senes intercesserũt, atq; retulerunt, tale prodigiũ & Antiochi, & Persidis bello in eodem apparuisse figmento: Et quia Romanis fęliciter prouenisset, ex Senatus consulto eidem Apollini sua dona esse missa testati sunt. Tunc vero peritiores acciti aruspices responderunt, simulachri Apollinis fletũ ideo prosperum esse Romanis, quoniam Cumæ colonia Græca esset, suisq; terris vnde accitus esset, idest, ipsi Græciæ luctum, & cladem Apollinem significasse plorantem. Deinde mox Regem Aristonicum victum, & captum esse, nunciatum est, quem vinci vtiq; Apollo nolebat, & dolebat: & hoc sui lapidis etiam lachrymis indicabat.

LVDOVICVS Viues in hũc Augustini locũ sic scribit. Hęc Apollinis lachrymatio contigit Appio Claudio, M. Perpẽna Coss. vt Iulius obsequens narrat in fragmento libri de prodigijs; inquit enim: Appio Claudio, M. Perpenna Coss. P. Crassus aduersus Aristonicum dimicans occisus, Apollinis simulachrũ lachrymauit per quatriduum. Vates portenderunt Græciæ fore exitium, vnde deductum esset. Hæc ille. Fletus simulachrorũ malũ aliquod prænunciabant his, quibus fauerẽt, vt fletũ Iunonis Sospitæ Lauinij L. Æmylio, Paulo Gn. Bebio Pamphylo Coss. ingens pestilẽtia secuta. Sic Lucanus in prodigijs bellorũ Ciuilium,

Indigetes fleuisse Deos, vrbisq; laborem.
Testatos sudore lares.

VERVM exempla sacra proferamus. In Piceno apud Tolẽtinum brachia S. Nicolai, quæ summa cũ veneratione in Ecclesia eius nomine Deo dicata seruantur, quotiescumq; magna aliqua calamitas Ecclesiæ imminet, sanguinem sudare visibiliter conspiciuntur, quod etiam quando contingit, Episcopus coram Magistratu, ac populo per Cancellarium Episcopalem notari iubet.

NOTISSIMVM est miraculũ, quod Neapoli quotannis accidit; cũ enim sanguis B. Ianuarij, qui in vitrea ampulla concretus asseruatur, in conspectu capitis eiusdem martyris ponitur, mirum in modum colliquefieri, & ebullire perinde atq; recens effusus conspicitur.

HORATIVS Tursellinus in vita Beati Francisci Xauerij lib. 4. scribit, Christi Crucifixi effigiem in Xaueria villa sanguinẽ sudasse, dũ Franciscus moreretur. In Xaueria villa, inquit, quæ Francisci incunabula fuisse diximus, Christi Crucifixi effigies religiosissima, & illis locis antiquissima visitur. Hic prodigiũ fuit visu, euẽtuq; mirabile. Cõstat lineũ hoc, quod dixi Christi simulachrũ, eo ipso anno, quo Xauerius extinctus est, ferijs sextis deinceps omnibus per annum totum sudasse sanguine: sudandi autem initium feria item sexta fecisse.

Quod

Quod homines sic sunt interpretati, perinde quasi Francisci (qui crucis mortificationem iugiter in suo corpore portauerat) mortem post maximos diutinos labores Christi causa exsudatos portenderet. Sic ille.

EXTAT sermo Sancti Athanasij de imagine Domini Nostri Iesu Christi, & de miraculo in Beryto Ciuitate patrato, cum imago illa cęsa fuisset à perfidis Iudæis; nam percusso latere sanctæ imaginis, continuò exiuit sanguis, & aqua, cuius multa vasa in diuersis Ecclesijs plena cernuntur.

CVM Sacras vrbis Ecclesias, & Sanctorum reliquias religionis gratia inuiseret S. Siluester Abbas, Congregationis Siluestrinorum institutor, inter cęteras diuersorum Sanctorum reliquias, summa cũ veneratione manibus accipiens sacrum Sancti Cyriaci martyris ante multa sæcula pro Christo martyrium passi caput, multis adstãtibus, repẽtè ex arido illo cranio, in S. viri manibus existente sanguis vndiq; abundè diffluere cępit, ipso etiam viro Sancto lacrymas vberes fundente, vt narrat Andreas Iacobi in vita ipsius lib. 2. cap. 23.

IN oppido etiam Saxi Ferrati in Vmbria insignis Ecclesia cum Cœnobio prædictorum Monachorum Siluestrinorũ erecta cõspicitur, in qua summa cũ veneratione seruatur, & colitur imago Christi Domini Crucifixi, quã, imminente quodã belli tumultu in Italia, sanguinis sudorẽ emisisse constat: & ex eo tempore imago illa maximis, & plurimis miraculis vsq; ad hæc nostra tẽpora coruscauit.

Etiam splẽdor & ignis editus à sacris imaginibus.

NEC solum sudorem, sed etiam ignem lucentem, seu splendorem reliquias Sanctorum edere compertissimum est. Euagr. lib. 4. hist. capit. 26. & Procopius lib. 2. de bello Persico narrant, Apameæ fuisse particulam Sanctæ Crucis, quam sibi ostendi populus voluit, cum ciuitas diù obsessa iam iã capienda videretur, vt nimirum conspecta Cruce Domini, alacrius morerentur. Sed cum ab Episcopo Crux illa ostenderetur semel, & iterum, & tertiò, effulsisse semel, & iterum, & tertiò splendidum ignem, non comburentem, sed lucentem, quo territi hostes obsidionem soluerint. S. Ioannes Chrysostomus scribit in sermone de Sanctis Iuuentio, & Maximo, vultus eorum corporum ita splendere cępisse post mortem, vt nõ posset in eos intendi sine horrore quodã, & planè tales fuisse, qualem describit vultum Stephani S. Lucas Actor. 6. cum ait; *Intuebantur vultum eius tamquam vultum Angeli.*

Odor ex Sãctorum reliquijs.

IMMO etiam suauissimum odorem, vt Scribit Euagrius lib. 2. c. 3. agens de reliquijs Sanctæ Euphemiæ, vbi sic loquitur. Cum aliquis eò loci accedat, vbi sacra capsa, in qua sunt conditæ sanctissimæ illæ reliquiæ, reponitur; tã fragranti repletur odore, vt alij omnes odores, quibus homines vti solent, ab eo longè superentur: nã neq; odori florum, qui ex pratis colliguntur, similis est; neq; illi, qui ex rebus suauissimè olentibus capitur; neq; talis, qualis conficitur ab vnguentarijs: sed peregrinus est, & præ cęteris eximius, ex ipsius martyris reliquijs vim, & virtutẽ illam ei tribuentibus efflatus. S. Hier. in vita Hilarionis scribit, corpus eius post decem menses adhuc omnino integrum repertũ, & tantis fragrans odoribus, vt delibutum vnguẽtis videretur. De corpore B. Martini post eius mortem scribit Sulpitius in epist. ad Bassulam socrũ, glorificati hominis habuisse figuram, & eius carnẽ vitro puriorem fuisse, & lacte candidiorem, vt decorẽ septennis pueri ostenderet. Quod idem refert S. Bonau. de corpore Beati Francisci. Apud Surium mense Ianuario legitur de S. Eduardo Anglorũ Rege, qui ante annos 400. floruit, ipsius corpus anno 36. ab eius obitu, integrũ inuentum esse, plenum succo, flexibile, quasi tunc viueret; non solum ossa, & carnes in nullo lęsas, sed nec pilos capitis, aut barbæ, nec ipsas vestes, aut calceos. Vide etiam quod refertur de corpore S. Siluestri Abbatis lib. 3. de vita ipsius c. 5.

MVLTA alia exempla religiosa possent in hanc rẽ adduci, sed hæc nobis pro statuta breuitate sufficiãt. Cũ aũt hæc oĩa ad potestatem Ecclesiasticam propriè

 per-

pertineant, vtique illa, quæ eis accessoria sunt, pertinebunt; huiusmodi verò sunt, arcere scandala à multitudine concurrente, ordinemq; statuere, vt res diuina religiosissimè peragatur: præcipuè cum in huiusmodi rebus possint subesse multæ fallaciæ, & artificia, quę omnia cognoscere spectat ad ecclesiasticā iurisdictionem. Aiunt enim, inter cætera, viri non imperiti, si depicta aliqua tela sale perfricetur, mox soli opponatur, fore, vt humescẽtibus coloribus, præcipuè si recentes sint, sal liquefiat, & in minutas quasdam stillas conuertatur, quę sudoris speciem præseferant: & sic de alijs similibus.

QVAESTIO DECIMANONA.

An magistratus secularis possit indicere dies festos, & in eorum transgressores animaduertere, vel in eis dispensare.

De sceptro dierum festorum, à quo pendeat, & quale sit.

ROPRIVM est munus Episcoporum, & personarum ecclesiasticarum, quæ iurisdictionem habēt, sacros dies festos indicere, & præcipere, vt seruētur, vt habetur sessione vigesima quinta cap. 12. Conc. Trident. Comprehenditur autem hæc festorum dierum celebratio sub tertio Decalogi præcepto, & partim morale, partim cæremoniale iudicatur, vt docet S. Thomas 1.2.q.100.art.3. ad secundum & 2.2.q.122. artic. 4. in quantum enim præcipitur, quòd homo aliquo tempore vacet diuinis rebus, iuxta illud Psalmi, *Vacate, & uidete quoniam ego sum Deus*; morale, naturale, & diuinū præceptum est, & hoc modo inter præcepta decalogi connumeratur; at quoad temporis determinationem, cęremoniale fuit. Cum igitur iure diuino naturali præcipiatur, vt aliqui dies festi seruentur; inest enim homini, vt inquit S. Thomas, naturalis inclinatio ad hoc, quod cuilibet rei necessariæ deputetur aliquod tempus, sicut corporali refectioni, somno, & alijs huiusmodi: vnde etiam spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur, secundum dictamen naturalis rationis aliquod tempus deputandum erat; ideo, cum nulli sint ad id certi dies à iure diuino determinati, debuit esse in Ecclesia potestas determinandi certos dies, & obligandi subditos ad eorum obseruationem; alioquin nullum profectò circa id seruaretur ius diuinū, si determinatio huiusmodi Ecclesiæ non obligaret; possent enim fideles ad libitum nō seruare diem Dominicum, nec Pascha, nec alia festa indicta, ac proinde nulla seruarētur, nec enim vlla alia festa reperiuntur, quæ seruari possint.

VERVM à qua potestate huiusmodi festa sint indicenda, & tempus ad ea opportunum taxandum, & determinandum sit, iam exponamus.

Festiuitates totius Ecclesiæ Catholicæ à sũmo Pontifice sunt indicẽdę, vel solo, vel cũ Conc. generali

DICO primo, festa, quæ sunt communia toti Ecclesiæ, debent indici, & proponi, seu determinari à publica potestate Ecclesiastica, hoc est à Papa, qui prò Diœcæsi habet totum orbem, & est ordinarius ordinariorum. Probatur, quia cum sint festa communia vniuersis fidelibus, à summo, & vniuersali Pastore, ad hoc vt illi obligentur, debent præcipi, vel etiam à Concilijs generalibus à Papa confirmatis: sic in Conc. Agathensi ante mille annos de die dominica dicitur capit. 47. Missas die dominico secularibus totas audire speciali ordinatione præcipimus, ita vt ante benedictionē Sacerdotis egredi populus non præsumat. Quòd si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur. Concilium Laodicenum ante M CC. annos, capi. 29. Non oportet, inquit, Christianos iudaizare, & in Sabbatho vacare, sed operari eos in eadem die, Dominicam

eam præponendo eidem diei. Concilium Aurelianense III. etiã ante annos mille can. 27. præcepit, vt puniantur, qui diebus festis operantur, & simul dãnat eos, qui iudaico more ita vacant, vt non putent licere, parare in die Dominico, quę necessaria sunt ad victum. Antissiodorense ante annos D C C C C. cap. 16. Nõ licet, inquit, die Dominico boues iungere, vel alia opera exercere. Similia habẽtur in Concilio II. Matisconensi cap. 1. Concilium Moguntinum ante annos D C C. can. 36. & 37. enumerat festa præcipua totius anni, & iubet omninò ab opere in eis diebus vacare: plura decreta Conciliorum, vel Pontificũ habes extra, de Ferijs.

FESTVM autem diei Dominicæ esse omnium Christianorum antiquissimum festum, habemus Apocalyp. 1. vbi dicitur, *Ego Ioannes fui in Spiritu in Dominica die*; Quem locum de nostra Dominica die exponunt ferè omnes, vt Oecumenius, Anselmus, Primasius, & alij. Præterea dies Pentecostes, in quo descendit Spiritus sanctus super Apostolos, & in quo propriè cœpit Ecclesia Christiana, ob Euangelij publicationem, fuit dies Dominicus, vt omnes Patres, & consensus vniuersalis Ecclesiæ docet. Item Act. 20. dicitur. *Vna Sabbathi cum conuenissemus ad frangendum panem*; quem locum de die Dominica exponunt S. Chrysostomus, & Beda, & S. Augustinus epist. 86. nec est qui dissentiat, præter Caluinum in catena Augustini Marlorati, & Magdeburgenses, Centuria 1. lib. 2. cap. 6. Sed hi, vt semper, falluntur, sacris Doctoribus se opponentes. Item 1. ad Corinth. 16. *Per vnam sabbathi vnusquisq; vestrum apud se seponat*; qui locus similiter de die Dominica exponitur ab omnibus Græcis, & Latinis interpretibus. Chrysostomo, Ambrosio, Theophilacto, Beda, & Augustino, locis citatis, atque etiã Gaudentio in tractata 1. de Pascha; in Dominica enim die Christiani conuenire solebant in Ecclesiam, vt inter alios monet Hieronymus libro contra Vigilantium, immo etiam ipsi hæretici, vt Petrus martyr in eundem locum ad Corinthios, & Commentarium Erasmi, tàm Act. 20. quàm in 1. ad Corinth. 16. id fatentur.

De celebritate diei Dominicę.

DE antiquitate diei Dominicæ legendus est S. Ignatius epistola ad Magnesianos, vbi eam Reginam, & Principem omnium dierum appellat, Clemens can. 65. Apostolorum, Iustinus apologia secunda, Tertullianus, de corona militis, & in Apologetico cap. 16. & secundo libro ad vxorem, Clemens Alexãdrinus lib. 7. Strom. Origenes Homilia septima in Exo. & lib. contra Celsum, Athanasius Homilia in illud; *omnia mihi tradita sunt à patre meo*; Ambr. epist. 83. Hieronymus in cap. 4. ad Galath. & aduersus Vigilantium, Basilius libro de Spiritu sancto cap. 27. Augustinus lib. contra Adimantum cap. 16. epist. 119. ad Ianuarium ca. 15. & sermone 251. de tempore, Gregorius lib. 11. epist. 3. Leo epist. 81. ad Dioscorum cap. 1. Hilarius Præfatione in Psalmos.

Dominicę diei antiquitas.

RATIO autem institutionis festi Dominicæ diei illa fuit, vt Sabbatho, quod Iudæi celebrabant, succederet; cum enim ius diuinum requireret, vt dictum est, vt vnus dies hebdomadæ cultui diuino dicaretur, nec conueniret apud Christianos Sabbathum seruari; ideò ab Apostolis, vt tradit S. Aug. sermo. citato, Sabbathum in diem Dominicum translatum fuit, Apostolos verò hanc celebritatem Dominicæ diei à Christo accepisse, scribit Iustinus Philosophus, & martyr in 2. Apologia pro Christianis. Rectè autem huius celebrationis Dominicę diei institutio facta est, quoniam decuit in statu Euangelico, abolito iam Sabbatho, festum aliud obseruari, quod Sabbathum in significatione, & mysterijs superaret; Sabbathum enim, quod festum antiquissimum, & excellentissimum erat apud Iudæos, cuius nempè dumtaxat mentio facta est in Decalogo, celebrabatur in memoriam primi, & communissimi beneficij, idest creationis mundi, quo beneficio nihil maius receperunt Iudæi: sicut enim Reges, vt inquit

Dominicę diei celebratio cur instituta.

Phylo

Phylo in lib. de opificio mundi, iubent coli natalē diem filiorum suorum, ità Deus coli voluit diem natalem operis sui, hoc est mundi, ad excludendum errorem Philosophorum, qui dicturi erant, mundum principium non habuisse.

Sabbathū tria significabat.

ERAT item Sabbathū figura triū beneficiorū, quæ Deus hominibus collaturus erat, ad quæ omnia alia reuocantur. Primo in sensu allegorico erat figura quietis Christi in sepulchro, in Sabbatho enim quieuit Christus ab opere Redemptionis, vt animaduertit Paulus ad Hebr. 4. sicut Deus Sabbatho quieuit ab opere creationis. Secundo erat figura in sensu tropologico quietis humanæ mentis ab operibus seruilibus peccatorum, id enim significabant Iudæi, dum Sabbatho ociabantur, vt exponit S. Augustinus tractatu 30. in Ioannem, & alibi. Tertio in sensu anagogico figurabat quietem sanctarum animarum, quam post mortem in sinu Abrahæ expectabant, vt Augustinus docet epist. 119. & colligitur ex Paulo ad Hebræos 4.

Qantum dies Dominica Sabbatho præstet.

AT verò dies Dominica, quantum ad memoriam præteritorum, longè superat Sabbathum, cum nobis referat memoriam Natalis Christi, & Resurrectionis eius, & Aduentus Spiritus sancti, quæ omnia mysteria in die Dominica contigerunt, & pluribus nominibus antecedunt mundi creationem, vt palam est omnibus. Immò etiam repræsentat memoriam ipsius creationis mundi excellentius, quàm Sabbathum, cum in die Dominico mundus fieri cœperit, & lux, cætereque partes mūdi principales factæ fuerint, nempè Cælum, Terra, Angeli, &c. vnde Iustinus, & Leo, locis citatis, dicunt, diem Dominicum coli, tam ob memoriam creationis mundi, quam ob Christi resurrectionem. Adde tu, & ob memoriam redemptionis, quæ die octaua, hoc est in die resurrectionis perfecta, & consummata est. Quid? quòd gloria Sanctorum per diem Dominicum melius significatur, quam per Sabbathum; quare S. Augustinus epist. 119. egregiè ponderauit, Sabbathum rectè Hebræis datum, qui post mortem ad quietem in sinum Abrahæ in Limbum ibant; Christianis autem datam esse diem Dominicam, quia iam reuelata est gloria resurrectionis in Christo, & quod præcessit in capite, totum corpus expectat.

Paschatis celebratio i Dominica die.

SIMILITER festum Paschæ, quod est vniuersalissimum omnibus Christianis, die Dominico proximo Lunæ quartædecimę post Æquinoctium vernū celebrandum, à Romano Pontifice, necnon a Concilijs institutum est, vt ex Cōcilio Nicęno, ex Epiphanio, Eusebio in vita Cōstantini, & alijs constat: vbi notandum est, ex S. Aug. in epist. 119. hanc differentiā esse inter diem Natalis, & diem Resurrectionis Christi, quòd licèt vtraque dies Dominica fuerit, illa tamē celebratur solum ob memoriam, & ideò semper ipsa die 25. Decembris; at ista celebratur ob memoriam, & Sacramētum, & ideò variatur. De festo autem Paschæ lege post infinitos alios Bellarm. lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 12.

PARI quoque ratione festa alia magna Ecclesiæ, vt Ascensionis, Epiphaniæ, Eucharistiæ, Assumptionis Beatæ Virginis, Conceptionis, Natiuitatis, Purificationis, Visitationis, &c. omnia fuerūt à Summis Pontificibus indicta; sicut etiam festa SS. Martyrū, & Confessorum, Virginum, & aliorum, etiam sine consensu Populi, & Magistratus. Et rectè, cum Christus potestatem gubernādi Ecclesiam non tribuerit Apostolis ea conditione adiecta, si populus consentiret, sed simpliciter, & absolutè.

INSTITVTIO autem dierum determinatorum ad feriādum in honorem Dei, & Sanctorum, non fuit ab Ecclesia decreta disciplinæ, ordinis, ac politiæ causa tantū, vt nonnulli Hæretici iactant, sed etiam ratione mysteriorū, quę in festis recolūtur, ita vt dies festi sint alij alijs sanctiores, & sacratiores, vt optimè B. Aug. ostendit in epist. 119. & in Ps. 110. Quocirca nec omnes dies festos æquales esse, & vnius, ac eiusdem ordinis asserendum est: ita docet Ignatius, loquens

Nō oēs dies festi sunt æqualis solemnitatis.

quens de die Dominico,& appellans illum eminentissimum omnium dierum, in epist.ad Magnesianos,& Diuus Leo serm.12.de quadragesima,vocat diem Paschæ Festum festorum omnium maximum,Nazianzenus orat.2. de Pascha dicit,Pascha esse Festum Festorum,& celebritatem celebritatum , tanto cæteris omnibus maiorem, quanto sol sideribus omnibus excellit; & oratione de obitu patris sui, dicit, Paschæ diem esse Regem dierum,Chrys.hom.de Sãcto Phylogonio,diem natalem Christi festum maximũ, & festorum metropolim vocat. Nec obstat illud Pauli ad Rom. 14. *alius iudicat diem inter diem, alius omnem diem*;loquitur enim ibi Apostolus de festis Iudæorum, quæ obseruare,iam cœperat malum esse,vt exponit S.Hier.lib.2.in Iouinianum,vel certè Paulus non loquitur ibi de festis diebus,sed de ieiunijs,quæ ab aliquibus certis diebus, ab alijs omni die fiebãt,& vtriq; rectè agebant;licèt nõ sit eadẽ ratio in Ecclesia ciborum,& festorum: nam ciborum delectus non est ab Ecclesia inductus propter significationem;dies autem festi instituti sunt ob significationem , non quidem talem,qualis erat Iudæorum,sed aliam valdè diuersam.

DICO secundo;nonnulla festa ab Episcopis priuatis institui posse, & à populis obseruanda esse : sic festum Conceptionis B. Virginis tempore S. Bernardi cœpit à nonnullis Episcopis celebrari in eorum Ecclesijs, licèt deinde publicè à tota Ecclesia receptum fuerit post decretũ Sixti Quarti Pontificis,quod habetur in extrauaganti;Cum præexcelsa, de reliquijs, & veneratione Sanctorum; neque vnquam festum de Iustiniano institutum fuit, etiam à priuato aliquo Episcopo,& id non dicit Nicephorus lib.17.ca.31.vt Tilmannus hęreticus obijcit. Dicit autem Nicephorus, Episcopum quendam Constantinopolitanum solitum fuisse eius memoriam celebrare, laudando nempè in suis concionibus Iustinianum,quòd multa pia opera,& Ecclesiæ vtilissima fecisset,licèt huiusmodi simplicis laudationis celebritatem successores eius mox omiserint. Episcopi possũt dies aliquos festos instituere.

DICO tertio,in festis,nõ solum proprijs,& ab Episcopo institutis,sed etiã à Summo Pontifice,& à Concilijs generalibus indictis, possunt Episcopi rationabili causa intercedente,vel ex parte,vel interdum in totum dispensare; non autem populus,vel Magistratus,vt de se patet.

DICO quartò, Magistratum, seu populum posse ob causas aliquas priuatas, & pias, & religiosas festa aliqua in eorum terris, & dominijs de consensu Diœcęsani Episcopi indicere. Dixi,de consensu Episcopi Diœcęsani,quoniam sine illo non obligarentur populi, & præsertim Clerici ad eius obseruationem, etiam in foro conscientiæ,cum proprium Episcoporum sit,ea quæ ad religionẽ pertinent,& cultum diuinum respiciunt,ordinare : est enim ordinatio Festorum pars quædam diuini cultus,neque in his festis ad instãtiam populorum propositis, potest persona laica dispensare,sed solus Episcopus loci,si commodè adiri poterit,aliàs sufficit dispensatio simplicis Sacerdotis, qui sit proprius Parochus, vel Cõfessor:ita S.Raimũdus in sum.lib.1.de Fer.circa finem:lege ea,quæ postquam hæc scripsimus, in lucem edidit Suarez lib.2.de Religione c.12.tom.1. Quis punire debeat dierum festorum violatores.

DICO quinto,Magistratum,seu populum non posse animaduertere in transgressores,& violatores Festorum,etiam eorum Festorum,que festa Cõmunitatum dicuntur,ex iure suo, seu propria laica auctoritate, sed tantum ex cõmissione, & delegatione iudicis ecclesiastici : & sic intelligenda est Constitutio Pij V.de obseruatione Festorum,nimirum,quantum ad pęnas temporales,quas incurrunt hi,qui aliquod opus illicitum fecisse deprehensi fuerint; in hoc enim tantum datur præuentio,non autem quantum ad alia, quæ ad diei festi obseruationem necessariò requiruntur,si omittantur; quæ Iudici Ecclesiastico dumtaxat cognoscenda relinquuntur. Nec Iustinianus Festum Purificationis, & Mauritius Festum Assumptionis Beatę Virginis instituerunt,vt Hęretici ex Ni-

cephoro

cephoro lib.7.cap.28.& Paulo Diacono lib.16.rerum Romanorum obijciunt, cum vtrumque Festum tempore Hieronymi,& Chrysost.qui ducentis annis Iustiniano antiquiores fuerunt,institutum sit; licèt forsan illi instituta iam Festa ab Ecclesia,suis etiam legibus confirmauerint, & ornauerint; quo etiam sensu præfati Auctores dicunt, Iustinum Imperatorem instituisse Festum Natiuitatis Christi, quod ex Amb.Aug.Leone, & alijs, qui Iustinum præcesserunt, longè antiquius esse constat.

QVAESTIO VIGESIMA.

De qualitate iuramenti fidelitatis à Principibus exigendi, & à subditis præstandi.



HOC loco tractandum est vltimum dubium, *nimirum*. Quale iuramētum fidelitatis Principes, seù Reges à subditis exigere debeant, & consequenter quale iuramentum fidelitatis illis exhibere eorum subditi teneantur.

Quomodo bonum sit iuramētum fidelitatis, & quõ malum.

IVRAMENTVM solius fidelitatis,quo subditi omnes,etiam Catholici,Regi,seu Principi,etiam infideli, seu hæretico non declarato ciuilem obedientiam pollicentur, & spondent in ijs omnibus rebus, quæ contra fidem Catholicam,& obedientiam Deo, Summoque Pontifici debitam non militant,licitum,sanctissimum,ac religiosissimum est;& à Principibus iure exigi,& à subditis sanctè exhiberi nemo dubitare potest. Verùm quando callidè iuramentum fidelitatis,vel primatum Pontificis Romani in spiritualibus negat, vel secularem Principem caput Ecclesiæ in spiritualibus iure suo directè, vel indirectè profitetur,tamquam perniciosum, ac diuinæ maiestati, Christiq; ordinationi contrarium,vtiq; etiam cum periculo mortis constanter reijciendum,& refutandum est.Etenim huiusmodi iuramentum,salua fide Catholica,& salute animarum,præstari non potest,cum ea contineat,quæ fidei, & saluti æternę apertè aduersantur.Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur,animæ verò suæ detrimentum patiatur? Sic se habent formulæ illæ iuramenti de primatu Regis Anglicani Ecclesiastico,in quo primatum Romani Pontificis in omnibus Christiani orbis Ecclesijs; & præsertim Regni Anglicani negari omninò conuincitur:cum eò tendant quatuordecim illæ propositiones, quæ in eo iuramento comprehenduntur:neq;.n.iuramentum fidelitatis Anglicanum merā dumtaxat ciuilem obediētiam petit, sed sub colore fidelitatis erga Regem, abnegationē primatus Apostolici continet,cōtra verbum Christi Ioannis vltimo, Petro,eiusq; successoribus dictum.*Pasce oues meas*,& Matth.16.*Tu es Petrus,& super hanc petrā,&c.* & iterum, *tibi dabo claues Regni cœlorum,* quæ verba apertè ostendūt,non Regibus,& Principibus seculi,sed soli Petro, eiusq; successoribus primatum Ecclesię vniuersalis in omni Regno,& parte Christiani orbis à Christo traditum fuisse:lege Nicolaum Primum in epist. ad Michaelem Imperatorē,vbi docet Romanū Pontificē esse ἔξαρχος, hoc est propriè primatem, & verè Principē cuiuslibet Christianę diœcęseos, vt dicitur in Cōc.Chalc.can.9.& 17.

Iuramētum, q in Anglia nūc requiritur, quale sit.

Quid dicendū sit,de iuramento præstādo Regi hæretico declarato.

HIC animaduertendum est,Regi hæretico,excommunicato, atq; per claues Petri,seu(quod idem est)ab Ecclesia publica auctoritate per sententiam legitimè deposito, nullum fidelitatis iuramentum exhibendum esse à subditis; immo neque obedientiam,sub pœna peccati; cum legitimus Rex esse desierit, & pro non Rege habendus sit,vt re vera non est; qui enim re aliqua iure priuatus

tatus est, eius priuilegijs, ac prærogatiuis deinceps, vt sic, gaudere non debet; immo nec potest: sicut etiam Princeps propter apostasiam à fide amittit dominium in subditos, si de ea sententialiter sit punitus, vel per sententiam excommunicatus, & denunciatus propter eandem apostasiæ causam, vt definit S. Thomas 2.2. quæst. 12. art. 2. vbi lege Bagnem, & Caietanum, qui addit, quòd quandiu notorium facti toleratur à Iudice, tolerandum quoque insinuatur priuatis: peruersusque ordo statuitur, vt priuati teneantur facere, quod superior timet attentare. Quod eueniret, si Principe existente notoriè hæretico, Ecclesia tacens vellet, subditos illi non parere; & licèt notorium facti sortiatur effectum sententiæ declaratoriæ, quantum ad manifestationem, & claritatem notitiæ, nō tamen sortitur quantum ad auctoritatem. Vnde quamdiu Iudex tolerat, non obligantur subditi ad exequendum.

SIMILITER dicendum est, iuramentum, quod aliquid illicitum, etiam cōtra bonos mores continet, non esse exigendum, nec præstandum, vel seruandum, vt docet S. Tho. 2.2. q. 89. art. 3. & eadem quęst. art. 7. & q. 110. art. 3. ad 5. immo iurās aliquid illicitum facere, non solum non obligatur seruare illud, sed ipso facto est periurus, vt S. Tho. docet, 2.2. q. 98. art. 1. ad 1. & alibi, cum quis autem iurat facere voluntatem alterius, vel promittit, subintelligenda est debita conditio, s. s. id quod ei mādatur, licitum sit, & honestum, & portabile siue moderatum, vt S. Tho. tradit, 2.2. q. 98. art. 2. ad 3. Principes. n. debent suis legibus, mandatis, atq; præceptis, maximè ciuium probitati, commodis, virtutibusque prospicere, vt docet Arist. 1. Politicorum cap. vlt. debentq; subditos suis legibus non malos, sed bonos facere, vt idem affirmat in secundo Politicorum, alias leges, & præcepta tyrannica essent, qualia sunt ea, quę legi diuinę naturali, vel canonicę aduersantur. Vide de hac materia Ioannem Azoriū par. 1. lib. 11. c. 6. §. Quartò quęritur, & c. 7. Vide quoque inter Canonistas Hostiensem lib. 2. summę in titulo de iureiurando. §. Quomodo censeatur illicitum iuramētum, vbi habet hęc verba: Quisquis ergo iuramento se firmauerit aliud facturum, quo sequuto, corporalis salus, vel spiritualis amittitur; vel sine quo vtraque salus, vel altera reparari, vel conseruari non possit, fidem seruare prohibetur, & habes multa exempla. 22. q. 4. §. vlt. vers. iuramentū itaq; multipliciter: aliàs si tale est, quod seruari pōt sine detrimento salutis ęternę, seruandum est. Addit quoq;, quod omne iuramētum habet implicitam conditionē, nisi factū sit in superioris potestatis pręiudicium, quoniā in præiudicium superioris non tenet. Qui autem rem illicitam iurat, non solum tenetur non adimplere, sed etiam peccat mortaliter, huiusmodi illicitum iuramentum pręstando, vt benè notat Caietanus 2.2. q. 89. art. 7. & Nauarrus in Manuali, cap. 12. num. 15. lege quoque Sotum lib. 8. de Iustitia, & iure q. 1. art. 2. & 3. & Summistas, verbo Iuramentum, & pręcipuè Astensem lib. 1. summę tit. 17. de iuramento, art. 8. & Turrecrematā super decreto, vigesimasecūda q. 4. c. 1. Iuramētū cōtra bonos mores illicitum.

QVÆRIT S. Aug. in serm. 11. qui est secundus in Decollatione S. Ioānis Baptistæ, An Herodes debuerit implere iuramentum, vel negligere, & sic respōdet. Videtis miserum istum Herodem, Ioannem Sanctum virum, & Dei hominē dilexisse; sed quoniam temerè iurauit, ebrius lætitia, & delectatione saltātis, daturum se promisit quicquid illa puella, quæ saltando placuerat, poposcisset: at vbi poscit rem crudelem, & nefariam, contristatus est quidem. Videbat. n. tātum scelus fieri: sed potius inter iurationem suam, & puellæ petitionem, vbi videbat cruentum facinus, ibi rursus timebat reatum periurij. Ne Deum offenderet periurando, Deum offendit sæuiendo. Dicit mihi aliquis: quid ergo debuit facere Herodes? Si dixero, non debuit iurare: quis non videat, hoc eum non facere debuisse? sed non consulor de homine, vtrum iurare debeat, sed quid facere debeat, qui iurauit. Ipsa est magna deliberatio. Temerè iurauit; quis nesciat? Tamen De Iuramento Herodis aduersus S. Io. Baptistam.

men

RVTILII BENZONII
ROMANI
EPISCOPI LAVRETANI,
ET RECANATENSIS
EXPLICATIO
SALVTATIONIS
ANGELICÆ.

MACERATAE,

APVD PETRVM SALVIONVM. M D CXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

DE LAVRETANÆ VIRGINIS AEDICVLA.

HYMNVS.

QVAM Nazarethi mœnia
Cinxere quondam Cellulam,
Et Dalmatarum finibus
Breuis resedit hospita:
Nunc additæ Picentibus
Fremente circum Dalmata
Matrona Cœlo dedita
Laureta nomen indidit.
Quis dignitatem Cellulæ,
Quis Cellulæ præstantiam
Scriptor beati nominis
Digne satis vulgauerit?
Hic fœtus Annæ Regius
Post cæca ventris vincula
Terris beatè redditus
Duxit beatè spiritum.
Hic & Deo par Filius
Occlusus aluo Virginis
Humanitatis sarcinam
Impulsu amoris induit.
Quos culpa sontes vellicat,
Curæque edaces lancinant,
Huc dum nocentes confluunt,
Hinc innocentes refluunt.
Si templa par est Principum
Donarijs ditescere,
Locum sibi non vltimum
Princeps reposcit Cellula.
Auersor auri pondera,
Regumque turres abnuo:
Hic, oro, detur vltimos
Soles quiete condere.

ODA IN EPISCOPVM SALVTATIONEM ANGELICAM EXPLICANTEM.

INIVRIOSO pressa silentio
Resume priscā Musa licentiā, &
Lyræ iacenti, languidoque
Pone modum rediuiua plectro.
Sunt, & loquaci præmia carmini
Manetq; merces tuta; silentij
Quandoq; frangentem insolentis
Fræna: nocet tacuisse semper.
Ergo æstuantem nectare paginam, &
Delapsa summo dic opus æthere,
Opus quod ætas tollat omnis
Nulla pede immemori retundat.
O qui thiara lucidus aurea
Laureti habenas, & Recinæ sacras
Torques, & æternante cornu
Ducis opes animosus altas.
Lapsumque multo lumine, Regiæ
Dicis puellæ diuite Nuncium
Vena, verecundosq; vultus
Virgineumq; sinum trementem.
Aegyptiorum mole profundior
Ipsaq; fama, cartha, perennior
Exacta; seruam æternitas cui
Victa manum dabit. impotentem
Cui mancipato gloria vertice
Ponet tumorem: cui famulum genu
Inflectet, æterno reuinctum
Tempus edax adamante collum.
Non omnis Orci victima, liuidas
Innabis vndas: maxima pars tui
Stabit superstes, posterorum
Laude recens; adolescet vsque.
Suoque viuet funere gloria,
Labentur amnes dum pede lucido
Pontique Neptunnus tyrannus
Per superas equitabit vndas.
Ast hic vagantis fræna licentiæ
Cauens timores, Musa, reprehēdito,
Resiste tandem. exaggeratis
Est aliquid voluisse rebus.
Portum ergo functus nauta periculis
Auere dico. tuq; diu ò Aue
Numquam Vale auditure. semper
Magne Aueas Valeasq; Præsul.




IN EXPLICATIONEM SALVTATIONIS ANGELICAE.

PRAEFATIO.



NTER cæteras laudes, quas Ecclesia Deiparæ tribuit, eximia, atq; suprema est illa, quam Gabriel Angelus, cum ad ipsam salutandam ingressus est, diuino iussu, atque imperio vsurpauit: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Et quoniam in ea omnes virtutes, prærogatiuæ, excellentiæ, & encomia Virginis cumulatissimè continentur; placuit etiam nobis peculiari opere dilucidam illius expositionem afferre. Quemadmodum enim Christus Dominus habet matrem suam prę cęteris sanctis sibi propinquiorem, & cariorem, ac ad interpellandum pro nobis apud ipsum potentiorem; ita cupit, ipsam à nobis suprà omnes sanctos prædiligi, præhonorari, crebriùs salutari, & sanctissimè coli. Contemplatio enim & attenta meditatio virtutum Deiparę ad ipsum Christum eius filium, & ad summas eius virtutes cognoscendas, & intimiùs introspiciendas summopere conducit. Nam sicut diuinitas Verbi, immò ipsum Verbum perfectè, & adęquatè cognosci non potest, nisi diuinitate Patris, immò ipso Patre cognito, & intellecto, iuxtà illud: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me; qui videt me, videt & Patrem meum*, & illud. *Si cognouissetis me, & Patrem meum, vtiq; cognouissetis.* Io. 14. Sic nec Christi humanitas, immò nec ipse Christus perfectè, & completè cognosci potest, nisi cognita matre. In cuius rei figuram illud ex 3. Reg. 2. cum S. Bernardino Senensi in explic. sal. Angel. & Echio hom. 2. in Annuntiationis festo, & alijs adduci potest, quòd Rex Salomon, dum Bethsabee Regina mater ad eum accederet, *vt loqueretur ei pro Adonia, surrexit rex in occursum eius, adorauitq; eam, & sedit*, ait scriptura, *super thronum suum, positusq; est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram eius.* Adeò enim Christus, & Maria inter se coniuncti sunt, vt quoties adores Regem Christum, adores etiam aliqua ex parte, licèt non eodem modo, Christi matrem, & ei quoque qui adorat Matrem, in Christum respectu aliquo adorationem referre necesse sit. Sic etiam cognitio matris, filij cognitionem desiderat, & è contra. Non enim alius Christus, quàm ex Maria, vt inquit Tertullianus, de præscriptionibus hæreticorum. Et Bernardus sermone 4. super, Missus est, ait; Quicquid in laudem matris proferimus, id totum ad filium pertinere: & rursus cum filium honoramus, nos à gloria matris non recedere.

Angelica salutatio omnium laudationum Deiparę suprema.

Ioann. 14.

3. Reg. 2.

Coniunctio maxima iter Christũ, & Mariam.

Est enim vtraque cognitio velut rota in medio Rotæ, circulus in medio circuli, & tamquam centrum in medio circumferentiæ, neq; vna ab alia diuelli, aut disiungi potest. Tanta est enim dignitas Dei Matris, vt eam filius summa veneratione, eminentiq; adoratione dignam faciat: hoc est.n. filium adorare matrem, nempè illam adorandam, ac venerandam hominibus proponere, eamq; honore religioso, & hyperduliæ cultu dignissimam esse, Angelis, & hominibus declarare. Quare rectè Petrus Chrysol. vt alibi etiam retulimus, serm. 140. scripsit: Quantus sit Deus, satis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur: pauet Cœlum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit; & vna puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, vt pacem terris, Cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cęlestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium pro ipsa domus exigat pensione. Quapropter iterum à nobis laudanda, & nouis encomijs, salutationibus, congruisq; acclamationibus, præter ea, quæ in alijs operibus à nobis scripta sunt, commendanda, & prosequenda est. Quod satis cumulatè pro nostro modulo præstabimus, si salutationem angelicam, nempè, *Aue Maria gratia plena*, explicare conemur. Quod quidem in ipsius Virginis Matris laudem, ipsa duce, ac præuia, in sequentibus capitibus præstabimus.

S.Pet.Chrysol.

CAPVT PRIMVM.

De excellentia, & dignitate salutationis angelicæ.

Angelicæ salutationis dignitas ex Athanas.



SANCTVS Athanasius sermone in Euang. de sanctissima nostra Deipara, circa finem, his verbis splendorem, atque dignitatem huius Cantici describit: Iam tertia, loquitur de cęlestibus hierarchijs, vt inferius dicemus, ex *Principibus*, Angelis, & Archangelis acies, quibus mandatum fuit à Deo mittente, vt per vnum Gabrielem Archangelum ederet splendidissimũ, & capacissimũ hymnũ in hæc verba: *Aue gratia plena, Dominus tecũ.* Est quidē splēdidissimus rõne authoris, capacissimus verò rõe materiæ, vt suo loco explicabimus.

ORIGENES Athanasio antiquior hom. 6. in Lucam hanc salutationem nouam, & insolitam, & vsque in eum diem inauditam vocat. Neque enim, inquit, in omni scriptura reperitur, similem salutandi formulam, siuè ad virum, siuè ad mulierem factam fuisse.

S. Ambr. in c. 1. Lucæ hāc salutationem, benedictionem appellat. Benedictionis, inquit, nouam formulam mirabatur, quæ nusquam lecta est, nusquam comperta: soli Mariæ hæc salutatio seruabatur. Eadem ferè verba repetit Beda in Commen. ad Luc. c. 1. Cum prudentia, inquit, pauebat, quia benedictionis nouā formam mirabatur, quæ nusquam lecta est, nusquam ante comperta. Soli Mariæ hæc salutatio seruabatur. Benè.n. sola gratia plena dicitur; quę sola gratiā, quā nulla alia meruerat, consecuta est. S. Chrys. hom. 4. in c. 1. Matth. vocat illā satis honorificā salutationē, cum diuinis honoribus Gabriel Virginē in ea prosequutus fuerit. Vnde Fulgentius in ser. de laudibus Marię: quos, inquit, per Angelũ Maria suscepit honores assumite; vbi etiam salutationem cœlestem appellat.

S. Ephrem Syrus S. Basilij Diaconus nuncupat illam, salutationem maximè congruam, & dignissimam: melos item angelicum, celebratissimum, à Gabriele in Nazareth alta voce decantatum.

Cur salutatio angelica dicatur benedictio.

S. Bernar. in ser. signũ magnũ, similiter hanc salutationē, benedictionē appellat. Rectè autem hæc salutatio dicitur Benedictio, quoniā Deipara per illā omnes benedictiones cęlestes, diuinasq; gratias, quę purę creaturę cōferri possunt, acce-

accepisse monstratur; immò ad summum quendam gradum gratiæ gratis datæ, quæ soli B. Virgini ex æterna Dei electione competit, ad diuinam nempè maternitatem peruenisse. Congruum item fuit, vt sicut Deus primam mulierem ante peccatum, in prima scilicet eius formatione, benedixit; ita quoque in spirituali humani generis recreatione ipsa mulier, hoc est, Deipara diuinam benedictionem reciperet. A benedictione quippe carnalis hominum multiplicatio incepit. *Benedixitque illis Deus, & ait; Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Genes. 1. Cur ergò spiritualis hominum regeneratio à benedictione exordium sumere non debebat? Genes. 1.

S. Hieronymus, seu Sophronius antiquissimus scriptor, non solum insuetam, in ser. de Assumpt. Virginis, illam esse scribit; sed etiam ex eo commendat, quòd omni admiratione sit digna, atque ab Archangelo maxima cum veneratione, ac reuerentia, summoq; stupore prolata; ita vt non solum in ea diuinitùs declararetur, qualis quantaq; esset Virgo ad summum illud prælecta mysteriũ; sed etiam, vt inde idem Archangelus Virginis præstantiam summoperè miraretur. Idem etiã habet S. Aug. in ser. 2. de Annun. dicens: maledictio Euæ mutatur in benedictionem Mariæ; *Aue,* inquit, *gratia plena Dominus tecum.*

VERVM eminẽtia huius Cantici nõ solũ, vt statim dicemus, ab Authoribus illius, sed ẽt ex quinq; alijs, nẽpè ex verbis à Gabriele prolatis; ex phrasi altissima eiusdẽ Cãtici, ex mõ salutationis, ex multis maximisq; mysterijs tã paucis verbis cõprehẽsis, ac deniq; ex copiosissimis fructibus, & vtilitatibus, quę ab eo in Ecclesia Dei emanarũt, & perpetuò emanant, luculentissime cognoscitur. Vnde colligatur præstãtia salutationis Angelicæ.

AVCTORES huius angelicæ salutationis, prout in Ecclesia quotidie recitatur, tres fuerunt, vt notat S. Th. opusc. 4. Immò si accuratè res perpẽdatur, quatuor assignandi sunt, nimirum, Deus, Angelus, Elisabeth, Ecclesia. Fuit. n. huius salutationis (si primæuam eius originem spectes) primus author Deus, non solum quòd totius Sanctissimæ Trinitatis nomine, imperio, ac iussu pronunciata fuerit; sed etiam quòd ipsamet verba salutationis Angelo, qui mittebatur, à Deo in Cęlo dictata, præfinita, & præscripta fuere. Gabriel. n. non solum sentẽtiam, & voluntatem Dei Virgini reuelauit, seu nuntiauit, sed etiam eadẽ phrasi, ac eisdem verbis in salutatione præcisè vsus fuit, quæ à Deo mittente planè accepit. Quamuis. n. humanis vocibus Angelus in humana specie Virgini apparẽs vsus sit; ea tamen verba protulit, quæ à summo Deo acceperat, & ea locutus est, quæ in mandatis non solum quantum ad substantiam, vel rem ipsam, sed etiam quantum ad modum, & formulam dicendi, habebat. Sic. n. & grauitas negocij, quod in legatione tractãdum erat, & maiestas mittentis, & virginalis sanctitas puellæ, quæ salutanda erat, exigebat: & id non obscurè Lucas indicat in illis verbis: *Missus est Angelus Gabriel à Deo.* Et si. n. Deus potuisset per se ipsum reuelare Beatissimæ Virgini opus incarnationis, ab eaq; immediatè exigere consensum ad Verbi incarnationem faciẽdam, (id. n. vtique Deus facere potuisset, si voluisset) tamen per Angelum placuit illi mysterium incarnationis Mariæ reuelare, vt per eandẽ viã homo restauraretur, qua perditus erat, nẽpè per Angelũ, vt docet S. Aug. ser. 14. de Nat. & Ber. ser. 2. de Pentecoste: nec ordinario, ac regulari modo angelico nũtio ea in re vsus fuit, sed insigniori, ac secretiori modo, & forma misit Angelum splendidissima nempè, ac fulgentissima, ad diẽ gratiæ, & Euangelij, quæ iam appropinquabat, vt inferius dicemus, significandam. Quatuor illius Auctores.

DVPLICITER aũt Angelus à Deo mitti põt. Primò, vt ille, cũ sit creatura rationalis, agnoscat imperiũ, & sententiam eius, à quo mittitur. Qua in re differt à creatura irrationali, quę dũ mittitur, nõ agnoscit imperiũ mittẽtis, sed à Deo excitatur, & mouetur ad hunc, vel illum effectum, vt innuit Hier. in illud Matth. 8. *Imperauit ventis, & mari.* Et hoc modo Angelos ad plerosq; in scripturis legi- Missio Angelorum à Deo duplex.

mus missos fuisse; ita vt agnoscentes imperium mittentis, consilium, ac voluntatem eius illis reuelarent. Secundò, vt non solum cognoscat imperium, voluntatem, & sententiam mittentis, sed etiam illam annuntiet ijsdem verbis, vocabulis, seu vocibus, quas à Deo in mysterio nuntiando sibi ordinatas, & prædefinitas esse cognouit, vel accepit. Quo etiam modo dicimus, scripturam canonicam non solum esse à Deo, sed etiam singula eius verba à Spiritu sancto canonicis scriptoribus dictata fuisse. Sicut.n. Archangelo Gabrieli circumstantias quasdã peculiares mysterij Incarnationis Deus cum illum mitteret reuelauit, vt putà, præsentiam facti, horam determinatam, seu instans temporis, locum, in quo Virgo salutanda erat, statum Virginis, in quo inuenit illam Angelus, dum ad eam ingressus est, & similia; ita quoq; certa verba illi præscripsit ad Virginẽ salutãdã.

4 Singula etiam scripturę verba à Spiritu sancto dictata.

PARS autem, quam Angelus dixit, his verbis continetur. *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, Hic.n. terminatur propriè Angelica salutatio. Vnde subdit Euangelista: *Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Reliqua .n. quæ sequuntur, ad substantiã negocij legationis spectant. Huic parti Ecclesia addidit vocem, *Maria*; Angelus enim non dixit, *Aue Maria*, sed *Aue gratia plena*; eam.n. in exordio suæ legationis sic affari decebat, vt explicabimus. Alia Angelicæ salutationis pars desumpta est ex verbis Elisabeth matris Ioannis Baptistæ, s. *benedictus fructus ventris tui*. Huic secundæ parti addidit Ecclesia nomen, *Iesus*, ad dulcedinem meditationis excitandam. Tertiam partem addidit quoque Ecclesia. s. deprecationem, & obsecrationem Deiparæ dicens. *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis, &c.* Quamuis autem omnes dictæ orationis partes ab Angelo prolatæ non sint; nihilominus rectè tota illa oratio, Angelica salutatio appellatur, quandoquidem Angelum primarium habeat authorem, & ei præcipuè hæc salutatio debeatur, in qua & Angelicam sui memoriam, & religiosissimum exemplum à nobis imitandum reliquit, nimirum, vt Deiparam ijsdem Angelicis verbis salutando, Angelicum officium præstare conemur. Sic enim illi grata nostra salutatio erit, si Angelicis virtutibus præditi, deuotè, ac reuerenter illam deprecemur. Est igitur hæc salutatio, diuina, angelica, sancta, sublimis, magnifica, atque omni obseruatione, & meditatione dignissima; nec primum ab Ecclesia cõdita, sed à Deo, & à Gabriele profecta; non ab hominibus inuenta, sed cœlitus primum allata; non humano studio, sed totius Sanctissimæ Trinitatis nomine, ac iussu pronunciata, scripta, ac conseruata, vt egregiè Canisius in suo Mariali lib. 3. cap. 2. scripsit. Verba autem, quæ in hoc Hymno Angelus adhibuit, natura sua laudatoria sunt; grauissima item, modestissima, atque virgineo statui conuenientissima, vt Athanasius dixit loco citato.

Angelicæ salutationis encomia.

S. Petrus Damianus Card. ser. 1. de Natiuit. Virginis, vocat hanc salutationẽ altissimæ vocis rugitum, docet.n. in Euangelio præcipuè duo verba esse notanda. Primum verbum, quod ipse rugitum, vt diximus, altissimæ vocis appellat, in hoc Archangeli dicto statuit, *Aue gratia plena, &c.* In eo.n. Dei incarnatio, hominum redemptio, ac mundi renouatio continetur. Alterum verbum, tonitruum Altissimi vocat, atque hoc Ioanni Euangelistę tribuit, qui vocem illam acutissimam, & altissimam protulit, *In principio erat Verbum*. His duobus verbis nihil altius, nihil eminentius nuntiari, aut dici potest: quamuis enim flumina scripturarum voces aquarum multarum, hoc est mysteriorum Christi habeãt, in his tamen duobus eleuant vocem suam. Psalm. 92.

IDEM Athanas. loco proximè citato has voces ex re ipsa desumptas, & suaptè natura laudatorias, ex laudabili nimirũ persona Virginis iure acceptas, maximũ Virginis encomiũ continere affirmat. Ideò.n. laudauit illã, quia gratiosa, seu gratia plena erat, quia Dominus cum illa erat, ac benedicta inter mulieres,

Fuerunt

Fuerunt item hæc verba iucundissima, atq; dulcissima, cum primitias laudis, vt idē Athanasius innuit, humanæ salutis continerent. Lege de ea re S. Thomam 3.p.q.30.ar.4.ad 1.vbi dicit, Angelum à laude Virginis inchoasse salutationē, vt eam attentam redderet ad dicenda. Vt enim inquit S. Laurentius Iustinianus ser. de Annunc. Virg. Gabriel summo affectu, eximiaq; reuerentia, ac veneratione ad Virginem salutandam descendit, grauissimaq; verba protulit, quæ & grauitas negocij, quod tractabat, & religiositas Virginis, ad quam loquebatur, desiderabant. Sic autem ipse scribit. Meritò Angelus ad Virginem mittitur, vt nouam gratiam noui partus, noua salutatione differeret; visitationis enim aderat tempus, in quo liberaretur reus, sapientia corporaretur, deleretur culpa, atq; cęlestis Hierusalem reædificarentur mœnia. Quamobrem lætus paranymphus effectus pro officio, exhilaratus pro gratia, pro obsequio expeditus, insolito fulgore vestitus in humana effigie descendit ad Virginem. Didicit sanè ex præsagio, quanta, qualisq; erat, ad quam dirigebatur salutandam. *Aue*, inquit, *gratia plena Dominus tecum*. Obseruat pręterea S. Athanasius, vocem illam salutationis, fuisse quidem vocem Angeli, quæ pro sono suo, quo efferebatur, significationē habuit. Verum eā ipsam nequaquam fuisse filij hypostasin, aut carnem esse factā; sed pro suo sono, loquendiq; ratione diuersam fuisse à Verbo Dei, quod in vterum Virginis pariter descendit. Prorsusq;, inquit, blasphemias dicunt, qui autumant, vocem Angeli fuisse materiam, substantiāq; Verbi. Nobis ergo ob istam execrabilem blasphemiam, visum est, locum præsentem annotare. Hæc ille. At de hac hæresi fusius inferius agendum est.

EX phrasi vero Archangeli præstantia huius salutationis dignoscitur, cum latentem quandam vim cœlestē spiret, dotesq; Deiparæ proprias, quibus à Spiritu sancto ornata fuerat, ad viuū exprimat. Quid.n. Angelus hominibus significare voluit, dicens: *Aue gratia plena*; nisi Deiparam omni carere culpa, ab omniq; labe peccati immunē esse? Quid itē illud, *Aue*, significat, nisi hanc Virginē non mœstitię, sed gaudij, & lætitiæ fuisse parentē? Quid illud, *Dominus tecū*, nisi Verbū mox incarnandū, atq; in vtero eius incorporādū? Quid illud, *Benedicta tu in mulieribus*, nisi hanc solā inter cæteras mulieres ab vniuersali maledictione ereptā fuisse? Verba.n. hęc Gabrielis non optatiua, sed affirmatiua phrasi prolata fuere, cū iam illa copiosam plenitudinē gratię possideret. Sed quid iubet Angelus gaudere Mariā? Causam gaudij reddit; Benedictam, cœlesti partu iā iam perfundendam annuntiat. Spiritus sancti obumbrationē in ea declarat, Altissimi virtutem, opusq; significat. O Altissima, ò rarissima, atq; suprema salutatio. O sacrum colloquiū, ò breuis, sed cœlestis Dialogus. Breuis sanè, quia abbreuiationem Verbi in carne Angelus nuntiabat. Illustris, atq; diuinus, quia Verbū diuinum ad Virginem descensurum pronuntiabat: Cœlestis, quia de reparando ad æternā vitam homine, non perdendo, vt Euæ accidit, agebatur. Vnde D. P. Chrysol. ser. 143. ait; Angelus ergo, & Virgo diuinū agūt officiū, nō humanū.

EX nouo quoq; modo, quo Angelus Virginē allocutus est, dignitas, & eminentia huius salutationis deprehenditur; neq; .n. solū Angelus eā salutauit; hoc .n. sæpè Angelos fecisse legimus, vt Iudic. 6. quando Gedeonē alter Angelus allocutus est, & idē Gabriel Zachariam; sed inaudito, & insigniori modo, singularibus nēpè, ac exquisitissimis verbis eam salutauit, vt decebat inferior superiorem, seruus heram, & Dominam, creatura matrem Creatoris, ac Dei minister eam, quę Deum ipsum, & hominem paritura erat. In eo autem præcipuè nouitas huius salutationis dignoscitur, quòd Angelus numquam homines salutauit, nisi peccatores, & culpa aliqua saltem veniali obuolutos. Quocirca illis tamquā superior in virtute, & sanctitate loquebatur. At Deipara cū esset gratia plena, omniq; culpa careret, immò sanctitate ipsos quoq; Angelos, Archāgelos,

 Sera-

B. Virgo non solum ab hominibus, sed etiam ab Angelis veneranda.

Seraphinos, ac Cherubinos longè superaret; maxima cum reuerentia, honore, subiectione, veneratione, & admiratione ab Angelo salutata fuit. Est enim Deipara, vt inquit Beda, non solum hominibus, sed etiam ipsis Angelis venerāda. Hæc prima in orbe fuit sine peccato salutata. Hæc eminentissima sanctitate pollens ab Angelo adorata. Hæc denique sola, vt Mater Dei, honorata, ac nuntiata. Hæc *Halma* declarata. Hæc mater Emanuelis. Postremò inter, & supra omnes fœminas singulariter benedicta, atque beata. Quæ omnia, immò singula nouam, insignem, illustrem, atque præclaram Gabrielis salutationem reddunt.

Mysteria in Angelica Salutatione contenta.

AT altissima mysteria, quæ in ea continentur expressius, ac luculentius salutationis dignitatem ostendunt: summa Dei Charitas erga humanum genus declaratur, dum Deus Angelum ob hominum salutem ad Virginem mittit; eius cura, ac prouidentia circa naturam humanam aperitur; Prædestinatorum media, merita, ac præmia præparantur; Prophetarum vaticinia adimplentur; puella Virgo in Dei matrem ab æterno prælecta significatur, æterni Verbi incarnatio, & humani generis redemptio adesse monstratur, præsens beneficium humanæ salutis annuntiatur, & prædicatur; ipsam quoq; Virginem iam tunc cum Angelus illam salutauit, immò etiam antea luculentissimam mysterij Sanctissimæ Trinitatis fidem, & cognitionem habuisse, pluribus Albertus ostendit in lib. de laudibus Virg. & Dionysius Richelius lib. 2. art. 17. de Mariæ præconio, & dignitate; contra Erasmum falsò aliter docentem: lege Ambrosium de Ioseph Patriar. c. 2. & Aug. ser. 9. de Natali Domini, quod etiam ex Angelico colloquio euidentissimè demonstratur, in quo trium diuinarū personarum distincta, & exacta commemoratio continetur.

Fructus Angelicæ salutationis.

VERVM vberes fructus Angelicæ salutationis, grauitatem, & pondus illius apertissimè demōstrant. In ea laudatur Virgo, & Deus in eius Matre adoratur, & colitur. Per illam informatur Ecclesia, quibusnam verbis, Angelicis nempè vocibus, Deipara laudanda, & obseruanda sit. Docemur, quid cœlestes Hierarchiæ, quid item terrestres Virginem celebrando perpetuò dicant. Etenim teste Athanasio, vt dictum est, etiam Angeli, Archangeli, cæteriq; beatissimi Spiritus in Cęlo hunc cœlestem hymnum frequentant, eam benedicendo. Vnde sic scribit. Tibi inquā, gratiosæ Dominæ nostræ, Reginæ, heræ, matri Dei, arcę sanctuarij, ecce iam nunc, & in exordio diei, vt primitias laudis, tibi hoc encomiū Archangelus contexit, dicens: *Aue gratia plena, Dominus tecum*: beatam te prędicant omnes Angelorum, & terrestrium hierarchiæ, & hierarchicas manus attollentes benedicunt tibi, quæ & in Cœlis benediceris, & in terris beata prædicaris. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*: istiusmodi. n. benedictionibus te celebrat prima acies, quæ ex Thronis, Cherubinis, & Seraphinis constat, qui aut flammei, aut magni Regis Dei cognitores appellantur. Beata tu in mulieribus, & beatus vterus tuus Dei gestator, & vbera, quæ ille adhuc infantulus suxit. Secunda verò hierarchia, quę in se dominationes, virtutes, potestatesq; complectitur, ad te respectans clamat, vt potè quæ hæc didicerit à sublimiori hierarchia, priusquā initiata sit; *benedicta tu in mulieribus*, & benedictus venter tuus, qui Deum concepit, & mammillæ, quæ Deum educauerunt puerum factum. Iam tertia ex Principibus, Angelis, & Archangelis acies, quibus mandatum, & permissum fuit à Deo mittente, vt per vnum Gabrielem Archangelum ederet splendidissimum, & capacissimum hymnum in hæc verba. *Aue gratia plena, Dominus tecum*. Ab istis deinde nos hierarchiæ terrestres exaltationes Dei in gutture ferentes, siuè quod didicimus, siuè quòd mutuo hæc verba sumpserimus, exaltamus te magna, & canora voce, dicentes: *Aue gratia plena, Dominus tecū*. Intercede Hera, & Domina, & Regina, & Mater

S. Athanasius.

Dei

Dei pro nobis: quoniam ex nobis tu oriunda es, & is, qui editus est ex te, carnigerus Deus noster est, quem decet gloria, & magnificētia, omnisq; honor, & adoratio, & gratiarum actio, cum Patre initij experte, & cum sancto, bono, vivifico Spiritu, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. Preclarissimum est hoc S. Athanasij testimonium ab omnibus orthodoxis amplexandum & celebrandum.

B. Bernardinus Senensis in serm. feriæ tertiæ post Dominicam oliuarum, agens de Salutatione Angelica, scribit, huiusmodi salutationem tres proprietates insignes habere. Est enim, inquit, admirabilis considerationis, mirificè enim excitat humanam mentem ad ruminandum, & contemplandum, quod in ea proponitur. Vnde B. Virgo, vt dicitur Lucæ 1. *Cogitabat qualis esset ista salutatio*, hoc est huiusmodi salutationis mysteria, altissimè, ac grauissimè ponderabat. In singulis enim eius verbis multa, ac rarissima mysteria nostræ salutis continentur, vt inferiùs exponemus. Est deindè summoperè commendanda, æstimanda, ac in pretio habenda, tum propter eius altitudinem, tum ob eius dulcedinem, ac suauitatem. Est enim hæc salutatio hæreditas gloriosæ Virginis, quam apud homines deuotione hæreditauit, vt iā, *Aue maria*, sicut *Pater noster*, cuilibet Christiano libeat frequentare, iuxtà illud Eccles. 24. *Spiritus meus super mel dulcis, & & hæreditas mea super mel, & fauum.* Postremò mirabiliter hominem impellit ad gratitudinem Deo, ac Deiparæ propter obtenta beneficia rependendam. Vnde Eccles. 41. exprobrando dicitur. *Erubescite à salutationis silentio*. Quocirca in huius rei mysterium rectè nos extimulat Paulus ad Rom. vlt. dicens, *Salutate Mariam*, Si enim hæc Ciuis Romana ob multos labores perpessos, ob suorum Ciuium salutem spiritualem procuratam iussu Pauli salutanda fuit, quantò magis fideles debent illam Mariam frequentissimè salutare, quæ tantoperè pro totius humani generis salute æterna laborauit, & Mater omnium viuentium spiritualiter effecta est? Est autem hæc gloriosissima Virgo summa humanitate, & comitate prædita Regina, nec potest salutari sine humanissima, ac benignissima resalutatione. Etenim si millies *Aue maria*, dicas in die deuote, millies à Virgine resalutaris. Tota autem, ait, ista salutatio Angelica triplex mysterium principaliter comprehendit ex ordine declarandum. Primum est salutationis, ibi; *Aue maria*. Secundum est commendationis, ibi: *Benedicta tu*. Tertium est supplicationis, ibi, *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostræ Amen*.

Habet hæc salutatio tres proprietates insignes.

SCRIBVNT nonnulli, Angelum humillimè genua flexisse, dum cepit salutare Virginem. Quod etiam probant ex vniuersali Ecclesiæ consuetudine, quæ in picturis Angelum genuflexum salutantem Virginem repręsentat. Quod etiam in discessu ab ea fecisse Angelum, probabile est, licèt in scripturis expressè de hac rè nihil habeatur. Verum si Virginem Angelus adorauit, vt pro certo ponendum est, vtiq; genuflexus illam salutauit; imò totum colloquium genibus flexis peregisse cum ea, credendum est. Neque cum rudioribus quibusdam existimandum est, Gabrielem cum alis ad Virginem aduolasse, nam quòd alatos pingunt vulgo Angelos, tantum fit, vt ipsa pictura ab hominibus secernantur, vt notauit Echius serm. 2. de Annun. vel, vt eorum declaretur celeritas, vt notauit Chrysost. Hom. 3. de incomprehensibili Dei natura: qua ratione Gabriel volitans repræsentatur, vt intelligamus, eum ex supremo domicilio, & cęlesti collegio ad terram post Dei iussionem velocissimè descēdisse; vel deniq; vt eius naturæ vires, sublimes, atq; excellsæ super pennas significentur, vt ibidem Chrysostomus. Dum autem loquebatur, semper habuit oculos directos ad Virginem, vt eam attentam redderet, ipsa vero verecūdia virginitatis vultum à colloquutore auertebat, vt obseruauit S. Aug. serm. 18. in Natali Domini. Quare S. Ambros.

brof. rectè cecinit. *Angelus affatur Mariam quæ, parca loquendi,*
Ora verecundo soluit suffusa rubore.

Octo puncta in Annũtiationis mysterio meditanda.

HIERONYMVS Natalis in opere, in quo Imagines Euangelicæ historiæ complectitur, Tom. 2. octo singularissima puncta, seu admiranda mysteria in Deiparæ Annuntiatione est meditatus. Ac Primò omnium Angelorum in Cœlo conuentum, in quo manifestat Deus incarnationem Christi, & designatur Gabriel legatus. Secundò Gabrielem Nazareth venientem, sibi ex aere corpus accommodantem. Tertio nubem è cœlo, vnde radij ad Mariam Virginem pertingunt. Quartò cubiculum, quod visitur Laureti in Agro Piceno, vbi erat Maria. Quintò ingressum Angeli ad Mariam Virginem, qui eam salutat, & dum assentitur Maria, fit Deus homo, & ipsa mater Dei. Sexto creationem hominis, quo die Deus factus est homo. Septimo eadem die Christum morientem, vt homo perditus recreetur. Octauo Angelum missum in lymbum, ad Christi incarnationem patribus nuntiandam; quod tamen, inquit, piè credi potest.

HÆC singula ab eodem Auctore in prima eius operis Imagine ingeniosissimè exprimuntur, & arte exquisitissima repræsentantur. Quæ omnia excellentiam, & dignitatem Angelicæ Salutationis mirificè declarant.

VNDE Iacobus Sannazarius lib. 1. de Partu Virginis eleganter cecinit.

Hæc ait: & celerem stellata in veste ministrum
Qui castæ diuina ferat mandata puellæ,
Alloquitur, facie insignem, & fulgentibus alis.
Te, quem certa vocant magnarum exordia rerum,
Fide vigil, pars militiæ fortissima nostræ,
Te decet ire, nouumque in sæcula iungere fœdus, &c.

Et infra.

Hanc mihi Virginibus iampridem ex omnibus vnam
Delegi, prudensque animo interiore locaui:
Vt foret, intacta sanctum quæ numen in aluo
Conciperet; ferretque pios sine semine partus.
Ergo age, nubiuagos molire per aera gressus:
Deueniensque locum castas hæc iussus ad aureis
Efflare, & pulchris cunctantem hortatibus imple:

Et paulò post.

Audierat. Proh quanta alti reuerentia Cœli
Virgineo in vultu est? oculos deiecta modestos
Suspirat; matremq; Dei venientis adorat:
Felicemque illam, humana nec lege creatam
Sæpè vocat: nec dum ipsa suos iam sentit honores,
Cum subito ex alto iuuenis demissus Olympo,
Purpureos retegit vultus: numenque professus
Incessuque habituque ingenteis explicat alas:
Ac tectis latè insuetum diffundit odorem.
Mox prior hæc. Oculis salue lux debita nostris,
Iampridem notum cœlo iubar, optima Virgo:
Cui se se tot dona, tot explicuere merenti
Diuitiæ, superum: quicquid rectique probique
Aeterna de mente fluit: purissima quicquid
Ad terras summo veniens sapientia Cœlo
Fert secum, & plenis exundans gratia riuis.

Et in hymno primo in Christi natalem diem sic canit.

Consortem statuit natum demittere Olympo,

Certa

Certa salus terris quo veniente foret.
Mox simulans agili corpus iuuenale figura
Ales ab ætheria labitur arce poli.
Atque vbi virginei successit limine tecti
Nuntiat æterni maxima iussa patris.
Hanc subit a summis demissus spiritus astris:
Concipit, & salua virginitate Deum.
Incorrupta pio complentur viscera fetu:
Fœcundi verbum seminis instar habet.

CAPVT SECVNDVM.

In quo exponitur vox illa, Aue, & excellentia naturæ B. Virginis demonstratur.

SANCTVS Thomas Opusc.5. primùm hoc loco obseruandum esse admonet, apud veteres maximum quid existimatũ fuisse, quòd Angeli hominibus apparerent, atq; etiam pro eximio honore, summaq; laude homines ducebant, si Angelis reuerentiam exhiberent. Vnde & ad laudem Abrahæ scribitur, quòd Angelos hospitio recepit, eisque reuerentiam exhibuit; nunquam tamen fuit auditum, Angelum homini reuerentiam exhibuisse, nisi postquam B.Virginem summa cum reuerentia salutauit, dicens, *Aue*. Cur autem in veteri lege non hominem Angelus, sed homo Angelum reuereretur, eam rationem assignat; quòd Angelus erat maior homine. Tria enim in Angelo existebant, propter quæ homini summopere eminebat; nimirum dignitas naturæ, familiaritas cum Deo, amplitudo, atque splendor diuinæ gratiæ. Etenim Angelum spiritualem naturam sortitum, dignitate hominem, qui est natura corruptibilis, longe, latèque excedere liquidum est; cum coruptibile, & incorruptibile differant plusquam genere. Vnde rectè Abraham maturè id pōderans dicebat: *Loquar ad Dominum meũ, cũ sim puluis, & cinis.* Non ergo erat decens, vt spiritualis, & incorruptibilis creatura reuerentiam exhiberet corruptibili, scilicet homini. Est item Angelus Deo familiaris, atque domesticus: Daniel. 7. *Millia milli ũ ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Homo verò est quasi extraneus, & elongatus à Deo per peccatum Psal.54. *Elongaui fugiens*, & Psal.72. *qui elongant se, à te peribunt*, Vnde August. ser.9. de Natali Domini, dixit, longè ab illo sumus, inquantum dissimiles sumus. Ideo conueniens est, vt homo reuereatur Angelum, vt potè propinquum, & familiarem Regis. Denique Angeli participāt ipsum lumen diuinum in maxima plenitudine. Iob 25. *Nunquid est numerus militum eius? Et super quem non surget lumen illius?* Quem locum S.Thom. & Dionysius de lumine diuinæ illuminationis, & reuelationis, quo Angeli à Deo illustrantur, accipiunt: illudq; adeo efficax, ac vigens in illis esse describitur, vt in dies exoriri, ac surgere videatur. Quocirca Angeli (de bonis est sermo) semper apparent cum lumine, ac claritate; homines verò, & si aliquid participent de ipso lumine gratiæ, parum tamen, & in obscuritate quadam. Non ergo decens erat, vt homini reuerentiam exhiberent, quousque aliquis inueniretur in humana natura, qui in his tribus excederet Angelos, & hæc fuit B. Virgo. Quare ad significandũ, quòd in his tribus ipse inferior esset, voluit illi Angelus humiliter reuerentiam, & obsequium exhibere; vnde dixit. *Aue.*

Angelus antequã Virgo esset non exhibebat homini reuerẽtiam sicut postea.

Dan. 7.

Psal. 54. & 72. S. August.

A D-

ADDE, quòd Angeli, licèt ante Christi aduentum se adorari passi sint, postea tamen id omnino refugerunt, ob naturam humanam in Christo exaltatam; & quoniam à Deipara Christi humanitas quantum ad carnem suscipienda erat; ideo personam Virginis Archangelus reuerenter alloquitur. Quare Sanctus Gregorius Hom.8. in Euangelia, in hanc sententiam hæc scripsit. Quia Cœli Rex terram nostræ carnis assumpsit, infirmitatem nostrã angelica celsitudo non despicit. Hinc est, quòd Loth, & Iosue Angelos, ipsis non prohibentibus, adorarunt: Ioannes verò in Apocalypsi adorare Angelum volens, ab ipso prohibetur. Quid est, quod ante Redemptoris aduentum ab hominibus adorantur Angeli, & tacent: postmodum verò adorari refugiunt? nisi quòd naturam nostram, quam prius despexerant, postquam hanc super se assumptam conspiciunt, sibi prostratam videre pertimescunt, nec iam sub se velut infirmam contemnere ausi sunt, quam super se videlicet in Cœli Rege venerantur. Hæc ille. Quæ doctrina non solum de humanitate Christi procedit, sed etiam de ea muliere, ex qua caro Christi assumpta est.

S.Greg.

DVPLICITER autem Angelos, etiam in forma humana, cum hominibus locutos esse inuenimus in scripturis; vno modo agentes personam Dei, cuius nomine loquebantur: ità Genes. 18. tres viri apparuerunt Abrahæ, & locuti sunt, quasi Deus, cum Angeli essent, qui personam Dei repræsentabant; sic etiam eidem Abrahæ, & Prophetis sæpè apparuisse, & locutos esse legimus. Altero modo apparuerunt Angeli propriam personam agentes, & tamquam Dei ministri, & nuntij loquentes. Sic Danieli, & Thobiæ Angeli apparuerunt, & locuti sunt, Daniel. 10. & Thobiæ 12. Atque hoc modo Gabriel cum Virgine loquitur, non Dei personam repræsentans, sed propriam, quasi Dei nuntius, ab eo missus.

Dupliciter Angeli sub humana specie cũ hominibus locuti sunt.

FVIT autem hæc locutio, siue apparitio, & manifestatio efficacissima, quia non modò intellectum Virginis, & eius imaginationem, seu phantasiam, sensusq; interiores, sed præterea etiam exteriores sensus visibiliter, ac sensibiliter mouit; ostendendo se ipsum, & manifestando se Virgini non solum per voces in aere formatas, sicut contigit Abrahæ Gen. 22. aut per vnam tantum partem corporis, vt in visione illa Balthassaris Daniel. 5. qui vidit tres digitos manus hominis in pariete scribentis verba illa, *Mane, Thecel, Phares*: aut per speciem alicuius animalis bruti, vt legimus accidisse Ezechieli cap. 1. cui apparuerunt similitudines leonis, vituli, & aquilæ: aut per imaginem alicuius rei inanimatæ, qua ratione Deus Exodi 3. apparuit in specie ignis: sed in specie integra, & perfecta humanæ naturæ, non tamen fœminea, sed virili; peregrina quidem, & insolita, sed pulcherrima, atq; speciosissima, in qua oculis, ac sensibus virgineis exterioribus se ipsum obiecit, & humanis vocibus, atque humano more prolatis eius perculit aures, & per auditum ad summum illud mysterium eius animum excitauit: ita S.Hieron. epist. ad Eustochium, S. August. serm. 14. de Nat. & S. Ambr. 1. libr. offic. cap. 18. talis enim apparitio optimè congruebat diuino mysterio, in quo Verbũ caro factum est, & habitu inuentum, vt homo; in quo B. Virgo non solum mente, sed etiam sensu interiori, & exteriori tunc Deo seruiebat; ad quod significandum Angeli in lege, & ante legem visibili, & humana specie sæpè visi sunt. Vide S.Thomam 3.p. q.30. art. 3. & 1.p. q.51. art. 2. ad 1. vbi dicit, quòd omnis apparitio Angelorum in veteri testamento ordinabatur ad apparitionem filij Dei in carne. Dixi, Angelorum, nam interdum apparuit Deus Pater, vel Spiritus Sanctus in forma humana, qui tamen incarnandi non erant: lege S.Augustinum lib. 2. de Trinitate cap. 11. qui existimat, in illis tribus viris, qui apparuerunt Abrahæ Genes. 18. apparuisse tres personas Trinitatis, & lib. eod. cap. vlt. conuincit, Patris personam visam esse in for-

Cur locutio Angeli cũ Virgine fuerit efficacissima.

Apparitio Angelorum in veteri testamento

in forma humana ex Daniele cap.7. vbi dicitur, visum esse antiquum dierum in throno, qui filio hominis, idest Christo regnum tradebat; & tamen nec tota Trinitas, nec Deus Pater incarnādus erat; licèt effectiuè ad incarnationem Verbi concurrerit. Vide Card.Bellarm.lib.2. de imag. Sanct.c.8.

SOLENT autem humani oratores in extremo sermonis, aut orationis quasi omnibus, quæ dixerunt, vim, pondus, & auctoritatem tribuentes, attentè, distinctè, ac grauiter pronunciare, *Dixi*. At Euangelista, non quidem in calce angelici sermonis, sed in eius exordio vtitur hoc verbo; *& ingressus Angelus ad eam dixit*, vt innuat, non ex humana, vel angelica persuasione, sed ex diuino consilio, atque decreto à Gabriele exposito, rem totam, vt grauissimam, atque altissimam, pendere. Dixit autem summa cum humilitate, reuerentia, & grauitate; maxima deinde efficacia, & proprietate verborum; ac deniq; eo modo conuenientissimo, quem matrem Dei, ad quam missus fuit, decebat. Dixit rem inauditam, altissimam, vtilissimam, & perquam necessariam humano generi. Dixit profundissimum, atque dignissimum opus, quòd cuncta opera ab initio seculi à Deo patrata in infinitum superabat. Dixit denique tria coram Virgine. Primò, *Aue*, reddendo mentem eius attentam ad tantæ rei, quam nuntiaturus erat, considerationem. Secundo. *Ecce concipies, &c.* instruendo illam de Incarnatione complenda in ea. Tertio inducendo eam ad consensum, protulit exemplum Elisabeth, & rationem ex diuina omnipotentia sumptam. Vide S.Th. 3.p. q.30. art.4.

ALBERTVS Magnus in c.1. Lucæ animaduertit, quòd in annuntiatione Ioannis, quæ plus habuit de patre, quàm de matre; cum senex magis sit idoneus ad generandum, quàm vetula ad concipiendum, annuntiatio incepit à patre, & deriuata est ad matrem; eo quod in huiusmodi *caput mulieris est vir*, vt dicitur, 1.Cor.11. At contra in annuntiatione Christi, qui in terris est sine patre, annuntiatio incepit à matre: ac deinde multa accepit ab Angelo monita Ioseph pater eius, putatiuus nimirum, vt non timeret accipere eam, & quod in ea natum erat, de Spiritu Sancto erat: Matthæi 1. Atque id eodem ordine præcesserat in figura; in annuntiatione enim Isaac, qui risus interpretatur, incepit Angelus a patre, & deriuabatur in matrem, quia illum significat Isaac, in cuius natiuitate multi gauisi sunt. In annuntiatione autem Sampsonis Angelus primò nuntiat matri, & per mulierem nuntium deuenit ad patrem, quia Sampson Sol fortis interpretatur, & significat Christum, de quo dicitur Malach. 3. *Vobis timentibus nomen meum, orietur Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Sic ergo Angelus Gabriel ingressus in conclauis secretum, ostio clauso, & firmato, ad Virginem, quæ erat futura mater, dixit, *Aue, &c.*

Cur annuntiatio S.Ioannis incepit à patre, Christi verò à matre.

Malach.3.

FVIT autem huiusmodi Angeli ingressus ab Esaia cap. 8. pronunciatus his verbis, vt Sanctus Epiphanius exponit, hæresi 78. *Accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium*. Accessus, est Angeli salutantis ingressus; Prophetissa Deipara, conceptio, & partus, est Natiuitas, & conceptio Christi, opera Spiritus Sancti facta. Vide quoque Basilium in citatum caput Esaię: & Hieronymum ibidem eandem expositionem sequentes.

Isai.78.

CA-

CAPVT TERTIVM.

Declaratur ex Græca locutione verbum, Aue.

An Verbum, AVE, idem sit quod salue & gaude.

VE, Græcè χαῖρε. Magna est inter Interpretes disceptatio, quid hoc in loco significet verbum, *Aue*; Salue ne, an gaude, quod idem est, teste Perotto, vt refert Iansenius, ac *Aue*. Nonnulli, vt idem Iansenius, & Maldonatus scribunt, putant, hoc verbum respondere hæbraico verbo *Salom leca*, quod interpretatur, Pax tibi, & est forma salutandi hæbreis familiaris, & ea Angelum hebraicè Virginem alloquentem vsum fuisse, valde verisimile affirmant. Quo etiam sensu dixit Christus mulieribus post Resurrectionem, *Auete*, Matth. 28. & Iudas, cũ osculatus est Dñm, *Aue Rabbi*, Matth. 26. & 2. Io. 1. dicitur; *Nec aue ei dixeritis*, & Iudæi ad Christum, *Aue Rex Iudæorum* Ioan. 19. vbi Græcis est χαῖρε & χαίρετε. Alij, vt Caietanus, & Toletus volunt, hoc nomen græcum nouum modum gaudendi significare, & salutationem inusitatam Virgini attulisse, quasi diceret Angelus, Salue, annuntiando illi cum veneratione & gaudio salutem, quam humano generi allatura erat; insuper indicans, illam fore principium huiusmodi salutis, sicut Eua principium fuit mortis, & miseriæ: & hoc sensu canere videtur Ecclesia. *Salue sancta parens, &c. Salue Regina, &c.*

S. Basil.

BASILIVS Hom. de Christi humana generatione, Gregorius Nissenus orat. de Natiuitat. Domini, Euthymius in Lucam, & August. serm. 15. de Natiuit. Domini putant, hanc vocem ad gaudium referendam esse. Maria, inquit Basilius, edocta, & iussa est ab Angelo gaudere: Nec vllo modo esse vocem imprecantis, sed annuntiantis, & exhortantis, vel excitantis ad gaudium, & lætitiam, tum de proprio bono, cum super omnes creaturas ad gradum maternitatis diuinæ exaltanda esset, quare iubilanter & ipsa cecinit: *& exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo: Quia fecit mihi magna, &c.* Tum etiam de communi bono, hoc est salute humani generis, quam ipsa paritura erat. Vndè lætabunda cantauit. *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Et hæ omnes expositiones veræ sunt, & ad eundem sensum tendunt, & tum hæbraico, tum græco verbo optimè quadrant. Verum, quicquid sit, Angelus iubet, Virginem gaudere, lætari, bono animo esse, non timere, vt ostendat se bonum, non malum Angelum esse; non inimicum, sed amicum; non triste, aut mestum, sed lætum nuncium afferre. Quo loquendi modo solent quoq; hebræi vti, cum timorem ab eis, quos salutant, excutere volunt, vt Genes. 43. Iudic. 6. & 19. & 1. Reg. 1. & 2. Reg. 15. vt rectè ibidem notauit Maldonatus. Sed hæc vulgaria, illa non item.

SYRIACA lectio sic habet: Et ingressus est ad eam, & dixit ei, Pax tibi, ò plena gratia, Dominus noster tecum est, benedicta es inter mulieres. Chrysostomus Hom. de Natiuit. S. Io. Baptistæ ait: quando Angelus Gabriel ingressus est ad Mariam, salutauit eam dicens; Pax tecum, quæ inuenisti gratiam apud Dominum. Suadet igitur hæc lectio, quam sequitur Sebastianus Barradius in sua concordia Euangelica, Iansenius, Maldonatus & alij, non fuisse aliquem alium modum salutandi hebræis, qui græcæ voci χαῖρε idest, gaude, vel Aue, ad amussim responderit, præter istum *Pax tibi*: cum Syriacum Euangelium quod Luc. 1. dicitur χαῖρε conuertat in *Salom leca*, idest, Pax tibi.

VERVM aliud obseruandum est, hebræam hanc salutationem *Salom leca*,

aliter

pite postremo, quod etiam habetur Ioan. 20. cum Christus Apostolos salutauit post resurrectionem, hunc scilicet in modum εἰρήνη ὑμῖν idest *Pax vobis*. Et aliter hoc loco capite 1. nempe, χαῖρε cum igitur Lucas hoc loco non dixerit εἰρήνη σοι idest. Pax tibi sed χαῖρε, certum argumentum ducitur, Angelum non vsurpasse vocem hebræam in illo sensu, quo significatur, Pax tibi; sed in altero illo sensu, quo significatur χαῖρε, ita enim Lucas, dictãte Spiritu S. vertit, & interpretatus est. Vndè rectè infertur, aliam fuisse salutationem Angeli ad Virginem, & Christi ad fęminas, & Iudæ ad Christum, ab illa Christi ad Apostolos; nec puto, per vsitatum modum salutandi apud Græcos voluisse Lucam exprimere vsitatum morem salutandi apud Hebræos, vt censuit Iansenius, sed exposuisse, quod Spiritus Sanctus intendit, & voluit per Angelum significare, vtendo verbo χαῖρε idest, quid distinctum, & diuersum ab alio sensu, nimirum, Pax tibi. Nec obstat lectio syriaca, quia hæc grecæ lectioni Euangelistæ omninò cędere debet, cum certum sit, illam esse à Spiritu Sancto dictatam.

Diuersæ salutationes Angeli, Christi, & Iudæ.

HOC autem Verbum grecum χαῖρε cum duplicem habeat significationem, aliquando enim salutere, aliquando gaudere designat, vt dictum est, quam rectiùs, ac veriùs hoc in loco retineat, apud multos dubitatur.

An per verbum AVE apud grecos potius signi ficetur gaude. quam salue.

ERASMVS in annot. noui testamenti temerè arbitratur, nihil omninò referre, si Salue, vel Aue vertatur; cum tamen ex Patribus apertissimè colligatur, χαῖρε in hac salutatione non præcisè pro salue, sed potius pro gaude, vel Aue, non absque insigni, ac vero mysterio accipiendum esse: atq; hunc sensum semper Ecclesia Catholica subodorata est, vt grauissimi, & antiquissimi Patres apertè testantur, & in illum tamquam in magis proprium, & à Gabriele, imò à Spiritu Sancto primario intentum, propensiores fuerunt. Ita significat Andreas Hierosolym. serm. in Angel. saluti vbi scribit, Archangelo Gabrieli propositum fuisse lætitiæ signa statim Virgini annuntiare, lætisq; præconijs Reginam salutare, quam & lætitiæ organum, & immensi gaudij genitricem appellat. Exordium autem à gaudio fecit, ad Virginis mentem attentam reddendam, & vt ipsum, *Aue*, seu pignus quoddam esse indicaret instituendi cum Maria colloquij, salutis consilium, & immensi gaudij præconium. Addit Chrysologus serm. 140. in hoc verbo, *Aue*, non adesse simplex officium salutationis, sed muneris potius eximiam oblationem. In hac voce, Aue, inquit, est oblatio muneris, non simplex salutationis officium. Vnde Sophronius serm. de Annuntiat. Virg. rectè ait, in hoc verbo, *Aue*, Angelum explicuisse venerationis delationem, muneris oblationem, & obsequij famulatum. Addit quoque Chrysolog. in hac voce, *Aue*, Gabrielem legationis summam, seu argumentum insinuasse: Aue, inquit, hoc est accipe gratiam, quam tibi Dei nomine offero, atq; significo, & in serm. 143. ait: Videte quibus est Virgo oppignorata muneribus. Aue, hoc est, accipe. Quid? virtutes munerum, non pudoris. Huic accedat oraculum Sibyllæ, quæ lib. 3. Sibyll. carminum Mariæ eleganter hunc in modum, qui initio salutationis Angelicæ concinnè respondet, congratulata est.

And. Hieroso.

S. Petr. Chryso.

Ευφράνθητι χαῖρε, καὶ ἄγγελλιν σοι γὰρ ἔδωκεν
Ευφροσύνην αἰῶνος, ὡς οὐρανὸν ἔκτισε, καὶ γῆν,
Ἐν σοὶ δ' οἰκήσει, σοὶ δ' ἔσσεται ἀθάνατον φῶς.

QVÆ carmina latinè sic verti possunt: lætare, & exulta, ò Puella: tibi enim donauit gaudium æternum, qui Cœlum, & terram condidit: Is in te quidem habitabit, tu verò lucem sempiternam es consecutura.

Esse Mater sine viro,
Et lætare modo miro,
Angelorum Imperatrix,
Peccatorum consolatrix,
Consolare me lugentem,
In peccatis iam fœtentem,
Precor te Regina Cœli
Me habeto excusatum,
Apud Christum tuum Natum.

PROCOPIVS Gazæus in cap. 3. Genes. pulchram ponit differentiam, quod ad tristitiam, & gaudium spectat, inter primam, & secundam mulierem. Hanc enim ex Dei sententia, luctui, & gemitui, imò & maledictioni addictam fuisse, illam verò per Angeli nuntium sibi lætitiam, gaudiumque consciuisse, ab humano verò genere maledictionem, in quam deuenerat, fugasse affirmat. Multa alia Patrum testimonia hic afferri possent, verùm hæc satis sint hoc loco.

HOC autem, quod scribimus, certissimum esse, docet Ecclesia Catholica apertissimè in antiquissimo illo hymno, *Aue maris stella*, canens: *Sumens illud Aue, Gabrielis ore*. Salutauit autem Angelus Deiparam non tamquam ex improuiso in aula ei apparens, sed gradiens corporali motu, in locum propriæ eius habitationis introiuit, vt Caietanus notauit. Erat autem Deipara tunc in secreto, hoc est, in conclaui, sicut adhuc specus quædam in monte demonstrat, vt notat Albertus in Lucam, in quam ingressus Angelus, Virginem in secreto orantem inuenit. Ex quo manifestum fit, sacram domum Annuntiationis Mariæ in specu, siue potius in rupe quadam intra montem, vbi erat Nazareth, ex lapidibus, & saxis ex eadem rupe præcisis extructam fuisse; ex qua etiam materia reliquæ Ciuitatis illius ædes, vt plurimum constant. Vide Abulen. in caput 2. Matth. q. 18. Brochard. & Marin. Venet. in libr. de diuisione Terræ Sanctæ; necnon opus nostrum de Anno Iubilæi libr. 6. capit. 22. & 28. Quo deinde ex loco sacra illa Domus, Deo sic volente, Sanctorum Angelorum ministerio in Picenum, ad Maris Adriatici littora, intra fines vrbis Recinetensis, trāslata fuit, vbi vsque ad hæc tempora conspicitur; & ab omnibus manifestè cognoscitur, & sensibus percipitur, ipsam non ex coctis lateribus constare, quibus Piceni suas ædes extruere ijs in locis consueuerunt; sed ex viuis, ac peregrinis lapidibus, & ex ipsa, quam suprà diximus, Nazarenæ Vrbis lapidicina desumptis; id quod etiam Legati Summi Pontificis Clementis Septimi re ipsa comprobarunt, lapides quosdam eiusdem generis ex Nazareth asportando, eosque cum ijs, ex quibus Ædes Lauretana constat, conferendo, vt nos in eodem libr. 6. de Anno Iubilæi capit. 28. diximus. Hoc Sacrosanctum Virginis Deiparæ Domicilium Helena Augusta Magni Constantini mater, illustri, ac peramœno adornauit templo, teste Nicephoro libr. 8. capit. 30. quod etiam innuit Sanctus Hieronymus tomo primo epist. 17. quæ est Paulę, & Eustochij ad Marcellam, in fine. Ad inferiorem autem partem illius Ecclesiæ per duodecim gradus descenditur, vbi est locus, in quo erat Domus Annuntiationis. Marianus Victorius in scholijs, quæ adiecit in Indice operum Diui Hieronymi, hęc scribit de Nazareth. Fœlix, fortunatumque oppidum, & cunctis maximis Vrbibus pręponendum; cum in eo non solum Christus mundi Saluator conceptus sit, verum etiam nutritus: in locum vbi Maria Virgo annun-

Locus cubiculi B. Virginis prope Nazareth.

tiata est, vnam; alteram vbi Christus nutritus est, Ecclesiam oppidum habet. Idem scripsit Beda lib. de locis sanctis, & Landulphus parte prima de vita Christi, vbi dicit, in prima Ecclesia Annunciationis facta fuisse duo altaria, vnum in loco, vbi Angelus salutauit Virginem; alterum, vbi Virgo manebat, dum salutata fuit. Et hoc etiam nunc in Æde Lauretana seruatur, estque altitudinis quatuor palmorum, trium verò latitudinis, vel paulo amplius, & sub eo Altari reconditum est, in quo Missarum sacrificia Deo singulis diebus in sacra illa Aede offeruntur. In libro nostro primo de fuga Disput. 1. q. 2. ante Horatium Tursellinum, Historiam translationis Lauretanæ Domus describentes, mentionem fecimus eorum Auctorum, qui diuini huius sacelli, dum Nazareth existebat, meminerunt, nimirum, S. Epiphan. Hæres. 29. contra Nazaræos, Bedæ tom. 3. de locis sanctis cap. 16. Nicepho. lib. 8. cap. 30. Euseb. 3. de vita Constantini; Paulini Epist. 11. ad Seuerum; Gulielmi Tyrij, de bello sacro sæpius; Raphaelis Volaterrani, lib. 11. Geograph. S. Hier. loco citato, & Iodochi Clicthouæi, qui serm. 2. de Sancto Ludouico scribit, illum sub Alexandro Quarto post Terræ Sanctæ expugnationem, vnà cum suo exercitu hanc sanctam Virginis Domum visitasse, cum adhuc esset in Galilęa. Eorum quoq; auctorum ibidem mentionem fecimus, qui primùm hanc translationem ad picenas oras factam scripserunt; quibus addimus Baptistam Mantuanum, qui primus ex recentioribus pulchram eiusdem translationis historiam conscripsit, vt alibi diximus.

Duo altaria in domo Annunciationis Mariæ

CAPVT QVARTVM.

Nouis obseruationibus ex græca lingua petitis illustratur χαῖρε.

Tria salutationis genera apud græcos.

VERVNT apud græcos, vt rectè Budæus animaduertit, salutationis præcipua genera tria, ὑγιαίνειν, εὖ πράττειν, χαίρειν .i. valere, bene agere, & gaudere. Per primum bene precabantur corpori, quod principem inter res humanas locum obtinet. Per secundum optabant, vt actiones feliciter cederent, & prono cursu. Per tertium, vt cum omnia ex animi sententia cessissent, animus lætitia frueretur. Optimè igitur ab Euangelista factum est, vt tertio hoc potissimùm salutationem Angelicam exprimeret, quo manifeste indicaret, Angelum non corporea Virgini bona optasse, siue quòd hæc fluxa, caducaq; natura sint, ac proindè minimè expetenda; siue quòd castissimo illi, integerrimoque corpori nihil amplius videretur optandum: neque precatum illi esse prosperum, ac felicem actionum cursum, cui nihil non feliciter ac prosperè cedere, & sine vlla offensione consueuerat; sed iussisse, eam læto animo atque hilari esse, suamque illam sollicitudinem, & curam de hominum salute, & Christo venturo, quæ virgineum illum angebat, & quodammodo cruciabat animum, iam tandem deponere, quòd omnia iam illi pro voto cessissent. Id quod & quæ sequuntur, confirmant verba, ac præcipue illa ὁ κύριος μετὰ σοῦ in quibus præpositus articulus eam habet vim, vt infra dicemus, quæ sic latinè posset exprimi: *Tuus ille Dominus tecum.*

RECTE autem Plato ad Dionysium epist. 3. Petis, inquit, an rectiùs ponatur in salutationibus, gaudere; an quemadmodum ego solitus sum scribere ad ami-

ad amicos, bene agere. Tu quidem, vt aiunt hi, qui tecum Delphis affuerunt, ita Deum ipſum blandè alloqui, ac ſimiliter ſcribere conſueuiſti. Gaude, vitamque tyranni iucundam ſerua. Ego aũt neq; Deum hoc modo, neque hominem ſalutarim. Non Deum, quia contra illius naturam loquar: nam procul à moleſtia & voluptate diuinitas. Nõ hominem, quia ſæpius detrimentum, & dolorem ſibi affert voluptas; hębetudinem in animo, & obliuionẽ, inſipientiam, & petulantiam pariens. Rectè inquã Plato: ſiquidẽ cæteri homines ſœpe lætantur, cum male fecerint, & exultãt in rebus peſſimis. Quod in B. Virgine metuendũ nullo pacto eſſe, probè nouerat Angelus, quippe quæ nõ niſi in Domino gaudebat, neque eius exultabat ſpiritus niſi in Deo ſalutari ſuo: quare in virginea illa ſalutatione rectiùs fuit poni gaudere, quã bene agere. Et quidem fuit adeo lætitiæ, & exultationis propria hæc ſalutatio, vt triſte aliquid nuntiaturi ὑγίαινε potius dicerent, quã χαῖρε ſic .n. Hephæſtion mane in tentorium Alexandri ingreſſus, vt turbationem quamdam illi nuntiaret, eum ſic compellauit ὑγίαινε βασιλεῦ, καιρὸς ἤδη παραττεσθαι quoniam ſcilicet in nuntio triſti non quadrabat conſueta ſalutatio χαῖρε. Cum igitur nihil non lætum, nihil non ſumma dignum exultatione eſſet Beatiſſimæ Virgini Gabriel nuntiaturus, opportunè admodum illam nõ ὑγιαίνειν ſed potius χαίρειν iubet. Ideoq; venuſtiſſimè, nec ſemel à S. Gregorio Nazianzeno, vel alio auctore in tragædia, quæ inſcribitur, Chriſtus patiens, factum eſt, vt cum maximè torquetur animo, & queritur ob filij mortem, Virgo dicat identidem.

Salutatio Angeli ad Virginem propriè lętitiã ſignificabat.

O fili, hæc non ſunt conſona prioribus Angeli verbis.

Et rurſus.

Exultaui quo pacto olim præ gaudio,
Cum venit bonus nuntius denuntians partum,
Promittens liberationem ab inimicis mortalium generi,
Ac lætitia plenum gaudium mihi afferens magnum.
Qui haud quaquam victimam ſignificabat me parituram.
Sed regem terræ ac totius Cœli.

QVONIAM verò non quodcumq; delectabile lætitiam parit, ſed gaudet vnuſquiſq; ijs, quibus delectatur χαίρεται δ' ἕκαστος οἷς ἥδεται Dionyſius inquit, Longinus; adeo, vt & quæ quis horret, quæq; quiuis horrere deberet, alium quandoq; delectent. Vinum quippe horret abſtemius, cum tamen contra οὐδεὶς γὰρ φίλοινος ὁ μὴ χαίρων οἴνῳ .i. Nemo enim ebrioſus non gaudet vino, dixerit 1. Rhetoricorum Ariſtoteles. Damnat item furtum, ac fugit quilibet vir probus; non nemo tamen eſt, qui, vt ait Maro, furto lætatur inani. Summa profecto laus eſt Virginis, ipſam non alijs rebus delectari, neque aliunde lætitiam capere, quam ex ijs, quæ mox ſubdet Angelus; diuina inquam gratia, quæ illam compleuerat, ſummi Dei præſentia, & contubernio, &c.

LVCIANVS auctor eſt, Philippidẽ quẽdam τὸν ἡμεροδρόμον Marathonicã nuntiantem victoriam πρὸς τοὺς ἄρχοντας καθημένους, Και πεφροντικότας ὑπὸ τῦ τέλους τῆς νίκης .i. ad Præfectos ſedẽtes, & de fine illius victoriæ cogitabũdos dixiſſe χαίρετε, νικῶμεν gaudete, vicimus, atq; è veſtigio συναποθανεῖν τῇ ἀγγελίᾳ, καὶ τῷ χαίρειν συνεκπνεῦσαι, cum dicto mortuum eſſe, & cum illa ſalutatione expiraſſe. Meminit eiuſdem rei Plutarcus in libro. Vtrum Athenienſes belli, an ſapientiæ gloria præcelluerint; ſed id Eucli cuidam tribuit, non Philippidi. Meritò igitur & Gabriel nuntians victoriam diuinæ miſericordiæ aduerſus iuſtitiam iamdiu quodammodo præliantis, & aduentum illius, qui futurus erat fortis & potens in prælio, & victoriam reportaturus de principibus, ac poteſtatibus tenebrarum χαῖρε inquit, Gaude Virgo κεχαριτωμένη gaudio vndique perfuſa. Et quidem Philippides ille ſiue Eucles

non tam præ ingenti gaudio; quàm propter citatum, nec vnquam intermissum totius diei cursum, vnde & cognomen accepit ἡμεροδρόμος dicto χαίρετε exanimatus concidit. At diuinus ille cursor non cælorum spatijs fatigatus amplissimis, neq; continenti illo ocyssimo volatu, sed præ incredibili lætitia; si morti quidem fuisset obnoxius, & ipse opinor, ante Virginis pedes animam efflasset exultantem. Sed cælestes illæ mentes ab omni corruptione immunes immortali atque æterno fruuntur æuo; & suæ naturæ acceptam retulit vitam Gabriel, quam illi tunc vehemens lætitiæ motus abstulisset.

IDEM Lucianus adnotat τὸ χαίρειν esse antiquam salutationem, non matutinam solum, neq; propriam primi congressus; sed etiam eos, qui antea se vidissent, vti ea consueuisse. Atq; idcirco optimè Angelus hoc eodē in salutatione vtitur verbo, vt indicet se illum ipsum esse, qui prius in tēplo cū ea sæpissimè familiariter versatus erat. Neq; mirari aut vereri Virginē debere, quod tunc eā *salutaturus* peregrina & noua forma. i. humana ad eam accederet; de re quippe noua & peregrina nuntiū afferebat. Vide quæ scripsimus in Canticū Magnif. lib. 3. c. 15.

FVIT & adhibitum χαίρειν exordijs epistolarum, sicut Cicero suis præmisit S.P.D. vel S.D. vel S. Id ex multis græcorum locis colligas licet; sed præcipuè ex illo tertiæ Platonis ad Dionysiū epistolæ, quā modo citauimus, & ex hoc Demosthenis pro corona. Βασιλεὺς Μακεδόνων Φίλιππος Ἀθηναίων τῇ βουλῇ, καὶ τῷ δήμῳ χαίρειν idest, Rex Macedonum Philippus Athenienfium Senatui, & Populo gaudere.

Arcanū quid continet Angeli salutatio.

ET mea quidem, vt fert opinio, hoc quoq; est in salutatione Angelica maximè animaduertendum; arcanum quippe quid continere videtur, & non vulgare. Sicut enim communi hominum consuetudine receptum est, vt cum aliquē ad quempiam mittimus aliquid nnntiaturum, is aut verbis, quæ ipsi dictamus, suo ore prolatis; aut literis, quas ipsi in pagella aliqua exarauimus, id præstare soleat: sic & à Deo atq; Angelis fieri consueuit. Sed quoniam quo solet Deus atq; Angeli vti sermone, non nisi mentale quoddam est, & internum alloquium. Hinc fit, vt quando Deus, vel Angeli humano more, ac sono verba nobis proferunt, quoniam illa in aliena quadam materia fingunt, ac tamquam in pagina conscribunt; Deo vel Angelis id sit humana voce loqui, quod nobis est per epistolam. Noluit igitur Deus, Gabrielē interiore illa allocutione Virgini nuntiare filij sui aduentum, hoc. n. virgineum illud dumtaxat animū quodāmo oblectasset; sed vt cum ingenti animi gaudio castissimi quoq; illius corporis sensus singulari quadā lætitia afficerētur, iussit primò quidem ex suauissimis illis atq; odoratissimis auris, quas verni flores exhalabāt, corpus sibi quoddam Angelum conformare, quo B. Virginis olfactus miram perciperet delectationē. Tum vt ait S. Aug. ser. 14. de Nat. Dñi, facie rutilante, veste coruscante, & ingressu mirabili tamquā iuuenem ad eam accedere, vt virginei quoq; oculi insolito illo splendore, ac specie vehementer oblectarētur. Deniq; & diuina illa mādata humanibus vocibus personare, & tāquam epistolā quandam, cui diuinū illud χαίρειν præfixum esset, in hoc nostro aere quasi literarū notis consignare, vt ex illis sanctissimæ quoq; Virginis aures suam haurirent voluptatem, & sic ad consensum rei nuntiatæ Virginem faciliùs quodammodo induceret; decuit. n. Virginem accipere nuntium non solum mente, sed etiam sensu tam interiori, quàm exteriori.

Angeli species, & forma, quando Virginē salutauit.

AT cur obsecro fortissimus Angelorū Gabriel, cuius fortitudo Dei nomē sonat, ad puellā Virginē eādemq; placidissimā, mitissimāq; mittitur? Cur nō potius Raphael *medicina Dei*, nūtiaturus aduētū illius, qui diuino proprij sanguinis cataplasmate, & septēplici illo sacramētorū antidoto ægris hominū animis medelā erat allaturus, & redditurus mortuis vsū vitę? Cur nō & Michael, *quis vt Deus?* admirabundas mortaliū mentes ad omnipotētis Dei cognitionē, ac uenerationē excitare consuetus, & Luciferi superbientis, ideoq; in tartarū detrusi memoriam renoua-

renouare? Cur denique non alius quilibet ex cælestibus illis copijs innumerabilibus? Nos ad ea, quæ super hac re à Sanctis Patribus conscripta sunt, cupientes aliquid de penuria, ac tenuitate nostra cum paupercula illa in gazophylaciũ Dominæ mittere, hæc adijmus. Licèt sexus, ætas, educatio Virginem puellam mansuetam fore, & exorabilem spondeant; ea tamen erat puellaris illius animi in seruanda tuendaque virginitate constantia, & firmitas, vt omnem coniugij (quamuis futuri sine labe pudoris) recusatura esset conditionem, eo solum nomine, quòd Virginitatis minueret existimationem, nec quilibet futurus erat flectere, & quodammodo eam expugnare potens: mittitur idcircò Gabriel fortitudo Dei ad fortissimam constantissimamque Virginem. Cuius quoque veritus, ne duritiem emolliret, insueto quodam more illam aggreditur. Primò enim ad internam illi animi illustrationem, qua viros alloqui sãctos Angeli consueuerunt, verba addit vocali sono, atq; humano, & visibili ore expressa, vt per aurium quoq; portas, atq; oculorum in illam munitissimam arcem, vrbemq; fortitudinis sibi aperiret ingressum. Deinde sciens, à læto, atq; hilari animo quidlibet impetrari solere facilius, lætabunda salutatione, ac voce gaudere illam iubet. Quid autem si callidiore quodam astu, & cælestibus diuinę sapientię astutijs id ab illo factum dixerim? In Aphrica familias esse quasdam effascinantium, Isigono, & Nimphodoro testibus, tradit Plinius, quorum maximè laudatione intereant probata. Laudatione, inquit, maximè; quoniam, vt docet Fracastor. de antipath. & simpath. c. 23. laus lætitiam parit; hæc dilatationem tum cordis facit, tum etiam spirituum, & totius faciei, ac præcipue oculorum, vnde aditus quodammodo aperitur veneno, quod eiaculatur fascinator: qua ex re nata tum est illud consuetum apud Priscos, vt laudaturi quempiã, præfarentur hac veteri voce. *Præfiscini*: Illud quippe antiqui Poetæ apud Charisium legimus. Paula mea amabo. Pol tu ad laudem addito, *præfiscini*, ne puella fascinetur. Hęc quidem inter eos, qui pestifera, ac venenata salutatione, seu laudatione nocebãt; qui iure optimo miserrimi haberi poterant. At non ita cælestis nuntius Gabriel, qui à Deo missus ad Virginem, voce quidem illã delinit, mulcet eloquio, vocat ad gaudium, & saluberrima laudatione compellat, vt citius, & citra repulsam assensum, quem petiturus erat, ad sacratissimi diuini Verbi Incarnationis mysterium à Virgine extorqueret, quò ipsi ac vniuerso hominum generi cœlestem vitam tribueret ac salutem.

Cur potius Gabriel quã alius Angelus ad salutandam Virginem missus fuerit.

QVÆRERE autem libet, quidnam causæ fuerit, quòd puella animo, & genere regio, liberalibus imbuta moribus, sicut nobili genere ac loco natos decet, Angelum de more non resalutauit. Siquidem salutantem, dicentemq; χαῖρε antiqui resalutantes dicebant, καὶ σὺ χαῖρε sic apud Xenophontem Pædiæ libro 7. cum Crœsus captus in conspectum Cyri perductus esset, eumque salutans dixisset χαῖρε ὦ δέσποτα respondit ille καὶ σύ γε ὦ κροῖσε, & Alcinoo salutanti respõdet Vlysses Odiss. θ. καὶ σὺ φίλος μάλα χαῖρε. Quin etiam Sophocles in Trachinijs Reginam inducit, quæ prior aduentantem nuntium salutet. χαίρειν δὲ τὸν κήρυκα προὐννέπω χρόνῳ πολλῷ φανέντα, χαρτὸν εἴ τι καὶ φέρει. Ipsa prior saluere iubeo nuntium longo tandem post tẽpore visum, si modo lætabilem afferat nuntium. Et quidem sic existimo, salutasset prior & ipsa Angelũ Virgo, nisi vt pleriq; Sanctorum Patrum tradiderunt, insolita illi forma, hoc est humana, eademq; iuuenili apparuisset: quæ res castissimam illam puellam adeò perturbauit, vt ne resalutarit quidem. Adde quòd minister seu nuntius ex more non resalutatur. Vel quia non Angelum, sed hominem esse existimabat, à cuius sermone penitùs abstinebat, vt Ambros. & Hieronym. Vel quia malum Angelũ esse timebat, vt Bernard. & Euthym. Præterea verbi huius χαῖρε non vnus dum-

Virgo cur non resalutauerit Angelum.

taxat

taxat vsus fuit in salutando, sed etiam in vale dicendo: nam à se inuicem discedẽtes alter alterũ χαίρειν iubebant. Sic apud Aristophanem in Ranis Hercules à Baccho ad inferos proficiscente discessurus, extrema hæc ad eũ verba fatur καὶ χαῖρε πόλλ' ὦ 'δελφέ. Nimirum & nostrates sic eos, à quibus discedunt, alloquuntur (state allegramente.)

Angelus discedens à Virgine non vale dixit.

CVR igitur Gabriel recedẽs à Virgine non ei χαῖρε hoc est vale dixit? An quia diuerso modo res agitur inter homines, atque agatur inter Deum, & hominem? neque.n. Deus more hominum præsertim aulicorum, superfluis verbis, ac sermonibus delectatur. An quia id à Deo iussus minimè fuerat? An quia extra negocium susceptæ legationis erat, & minimè necessarium in discessu dicere, vale vel gaude? An quia verbum illud χαῖρε in prima salutatione prolatum optimè sufficiebat ad munus hoc vrbanitatis implendum pro aduentu, & discessu? An fortasse, quia inter pares hoc in more est positum, vt in recessu sibi inuicem vale dicant; non aũt cum inferior à superiore, siue maiore discedit, aut superior ab inferiori? An quia nuntius Gabriel à sua legatione in Cœlum rediens, epistolam Deo Virginis immaculatæ responsum continentem referebat illis verbis, quæ non solum ad Angelum colloquentem, sed ad ipsum etiam Deum diriguntur. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*; neque antequam epistola illa reddita fuisset, vale pronuntiandum erat? An quia nondum plenè celebrata, & absoluta nuptiarum, ac diuini illius Matrimonij solemnitate, vale dicere congruum, atq; consentaneũ minimè videbatur? An quia, cum Angelus nõ solum ad nuntiandum, sed etiam ad exigendum Virginis consensum missus fuisset, expectare voluit, vtrum sibi à Deo aliquid aliud Virgini referendum esset, priusquam illi vale diceret? An deniq; quia fortè ante ipsius Angeli discessum incarnatio Verbi completa non fuit, vt Athanas. in ser. de Deipara, Aug. ser. 18. de Sanctis, Damasc. lib. 3. de fide cap. 2. Gregor. lib. 18. moral. cap. 27. & Bern. in hom. 4. in Missus est? Atque ideò nulla in eo digressu vale faciendi verba vsurpanda esse videbantur.

CAPVT QVINTVM.

Ex S. Augustino, Fulgentio, Alberto, & alijs eadem vox, Aue, illustratur.

Tria mala per Mariã exclusa.

VE. S. Fulgentius in ser. de laudibus Mariæ ex partu saluatoris, ingeniosè inquit, in his primis verbis salutationis tria bona Deiparæ contrà tria mala Euæ primæ mulieris diuinitus nuntiata fuisse; vt sic tempus doloris, tristitiæ, ac seruitutis, quibus humanum genus subiectum erat per peccatum, finem, ac terminum accepisse cognosceretur: sic autem scribit. Tria mala Euæ à tribus bonis Mariæ probantur exclusa. Nam Euæ dictum est: In doloribus, ac tristitia paries, & ad virum conuersatio tua, & ipse dominabitur tui. Tribus ergo his malis se subiugant fœminæ, quæ Mariam non sequuntur, dolori, tristitiæ, seruituti. Maria autem è contrario, quam præclarissimis tribus bonis sublimetur, ausculta: salutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ. Sic enim eam legitur salutasse. *Aue Maria, gratia plena, benedicta tu inter mulieres*. Cum dixit, *Aue*, salutationem illi cœlestem exhibuit. Cum dixit, *gratia plena*, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiã restitutã. Cũ dixit, *Benedicta tu inter mulieres*, Virginitatis eius benedictũ fructũ expressit, vt ex ea benedicta dicatur inter mulieres, quęcũq; perseuerauerit Virgo.

S. Au-

S. Augustinus serm.2. de Annuntiatione Dominica, qui est sermo 18. de sanctis: Descendit, inquit, Angelus de Cœlo missus à Patre Deo in nostræ redemptionis exordium, ac beatam salutando Mariam: *Aue*, ait, *gratia plena Dominus tecum*. Impleta est ergò gratia, & Euæ vacuata est culpa. Maledictio Euæ in benedictionem mutatur Mariæ, *Aue*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum*. Tecum Dominus in corde, tecum in ventre, tecum in vtero, tecum in auxilio. Gratulare B. Virgo. Christus Rex è Cœlo suo incarnatur in vtero tuo, ex sinu Patris in vterum dignatur descendere Matris. Hæc ille, sensum Gabrielis quasi paraphrastico more intimè exponens.

PETRVS Chrysologus serm. 142. existimat, per *Aue*, Virginem ab Angelo animari, exhortari, ac roborari ad consensum præstandum, sic scribens. Audistis Angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem; audistis agi, vt homo cursibus eisdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eua Angelus egerat de ruina. Audistis Angelum de carnis nostræ limo templum diuinæ maiestatis arte ineffabili construentē. Et paulò post: Audistis fragilem nostræ carnis naturam ad portandam totam Deitatis gloriam Angelica exhortatione roborari: sicut enim Christus interdum per Angelum confortari voluit Luc. 22. ità decuit, Virginem per Angelum animari. Est autem statuenda differentia inter Christum, & Mariam. Ille enim licèt fuerit ab Angelo ratione humanitatis confortatus, non tamen ab eo instructus, & illuminatus propter eius eminentem scientiam, tam diuinam, quam humanam infusam. Hæc verò cum esset purè viatrix, potuit etiam ab Angelo instrui, & exhortari ad consensum, vt docet S. Thom. 3. par. quæst. 30. art. 4. in corpore.

ALBERTVS Magnus in Lucam ponderat, in ista salutatione duo consideranda esse, amotionem vniuersalis mali, & imprecationem omnis boni. Amotio autem mali indicatur, per hanc vocem, *Aue*, Atque hoc in ista sola salutatione, tamquam insigne, ac singulare reperitur. Numquam enim legitur vllus mortaliū salutatus ante Virginem per remotionem mali, sed potius malum est ferè semper omnibus intimatum. Sic Genes. 3. mulieri dicitur: *Multiplicabo ærumnas tuas*: & viro; *in sudore vultus tui vesceris pane tuo: Cum operatus fueris eam non dabit fructus, sed spinas, & tribulos germinabit tibi; & ideò maledicta terra in opere tuo*. Item Apocalyp. 8. Angelus omnibus voce magna intimauit: *Væ, væ, væ, habitantibus in terra*, & Apocal. 18. *Væ, væ Ciuitas illa magna Babylon, Ciuitas illa fortis: quoniam vna hora venit iudicium tuum*: Et iterum; *Væ, væ, Ciuitas illa magna, in qua diuites facti sunt omnes, qui habebant naues in mari de precijs eius, quoniam vna hora desolata est*. In terra igitur pax non reperiebatur, sed omnia ipsum væ concludebat, cum omnia sub peccato conclusa essent, vt Paulus ad Rom. & ad Gal. dicit: nunc autem cum prædicanda esset *Pax hominibus bonæ voluntatis*, electa est Virgo stirpis Dauidicæ, ex cuius *Aue*, etiam alij de posteritate Euæ à væ purgarentur. Præterea est Deipara sicut canalis, per quem ad nos fluenta traducuntur omnium gratiarum. Canalis autem mundus esse debet, vt aquam mundam, atque limpidam præbeat Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam*; Eccles. 24. *Sicut aquæductus exiui de Paradiso, rigabo hortum plantationum, & inebriabo prati mei fructum*. Sic enim legitur in correctis Biblijs Sixti Quinti. Vt igitur purus, atque impermixtus sit per Virginem ad nos transitus gratiarum, est ipsa sine væ concupiscentiæ, sine væ culpæ, & sine væ pœnæ æternæ, & sine væ pœnæ temporalis debitæ pro peccato, ac proinde rectè ab Angelo salutatur per *Aue*, hoc est sine væ.

Per salutationē Angeli ad Virginem remouetur omne malū & nuntiatur omne bonum.

Genes. 3.

Apoc. 8. & 18.

Maria purissimus diuinæ gratiæ canalis.

Ezech 36.

Eccl. 24.

THEODORETVS quæst. 72. in Exod. inquit, tempore veris nouum gaudium admirandi partus Gabrielem Virgini detulisse, vt iam hieme asperrimæ

Cur verno tempore Virgo ab Angelo salutata

mę legis transacta, lætum Euangelij nuntium appareret. Sic enim congruum fuit, Ecclesiam Euangelicam ab eo tempore originem ducere, quo mũdus creatus est; quo vniuersa creatura florescit, lætitiæque signa ostendit; quo inundantes aquæ diluuij imminutæ, & conclusæ fuere; quo populus Iudaicus à seruitute Ægyptiaca liberatus fuit; quo in ariete sol ingreditur; quo quædam dierum, ac noctium æqualitas efficitur; quo incipiunt dies augeri, & decrescere noctes; quo deniq; gregem suum Pastores ad florentia pascua deducere incipiunt. Quę omnia significant, aduenienre Christo Domino nouam Ecclesiam fuisse formatam, & eo tempore creaturas omnes exultasse; iram Dei in homines iustè sæuientem cessasse; genus humanum à Diabolica seruitute, ac peccati iugo ereptum, Christum ipsum, qui sol est iustitiæ, sub occisi arietis figura, se ipsum Deo Patri sacrificium, & hostiam obtulisse, & ad iustitiam faciendam in homine stateram Crucis ascendisse; postremò tamquam bonum Pastorem animas nostras ad vberrima, suauissimaque Euangelij pascua deduxisse. Hac etiam ratione flos ille campi, de quo Canticorũ c. 2. dicitur. *Ego flos campi*, voluit nostram carnem sumere in Ciuitate Nazareth, quæ flos interpretatur. Vnde Bernardus florigeram Patriam illam appellat, & meritò, quoniam flos de radice Iesse in ea erupit, atque ibi lectulum floridum, vterum nempè virginalem sibi præparauerat, iuxta illud Cantic. 1. *Lectulus noster floridus*. Quid? quòd nec mysterio vacat, quòd in hac Ciuitate Galilææ voluerit fieri homo, cum ipse à Iudæis ad gentes transmigraturus esset, vt prædixerat Hieremias cap. 14. vbi de Christo loquens sic ait, *Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?* erat enim translaturus Ecclesiam, & religionem à Iudæis ad gentes; vnde Act. 13. dicitur, *Quia repellitis illud, & indignos vos facitis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad gentes*, & Matth. 21. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius*, & ad Rom. 11. *Nolo vos ignorare mysterium, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, vt plenitudo gentium intraret*. Hac quoque ratione voluit in Galilæa, & in aliena Tribu concipi, cum ipse de Tribu Iuda secundum carnem esset, vt transmigrationem præfatam religionis indicaret, *teste* S. Gregorio hom. 21. in Euangelia. Cumque Christus terminus, ac finis esset legis ad Rom. 10. rectè concipitur in Galilæa, quæ terminum, seu confinium interpretatur. Adde, quòd Galilæa, etiam reuolutionem, seu rotationem *significat*, vt insinuaretur, Christũ suo aduentu in terris mirabiles reuolutiones effecturum, vt rectè ostendit Gregorius Nyssenus oratione secunda de resurrectione, nimirum, Populi Iudæorum, qui erat Populus, & dilectus Dei in non Populum, & non dilectum suum, Oseæ cap. 1. & ad Rom. 9. Idololatriæ in veram fidem 1. Thessal. 1. luporum in agnos, Leonum in oues, tenebrarum in lucem, mortis in vitam, & peccati in gratiam, ad Ephes. 5. & ad Rom. 5. Moysis in Christum, ac denique frigidissimæ hyemis in ver floridum, vt dictum est.

Cur Christus in Ciuitate Nazareth incarnat⁹, & in prouincia Galilææ.
Cant. 1.
Ierem. 14.
Act. 13.
Matth. 21.
ad Rom. 11.

CA-

CAPVT SEXTVM.

Nonnulla adduntur de voce Euæ, & Aue.

V E, conuerso nomine, ac literis transmutatis, vt dictum est, Eua redditur; vbi insinuatur, quòd ipsam Euam Deipara salutata ad benedictionem reducit, vt loco citato notarunt Fulgentius, & Albertus. Fuit enim illa etiam ipsius Euæ aduocata, & pro ea ad filium intercessisse, vt salutem æternam obtineret, valde pium est credere; id quod non obscurè indicatur illis verbis. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*. Genes. 3. Vnde rectè Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap. 23. dixit à Maria in Euam recirculationem fieri. Hæc enim per Mariam benedictionem glorię acquisiuit, vt docet Fulgentius iam citatus.

Deipara Euę aduocata illi benedictionē attulit.

Genes. 3.

PERERIVS lib. 6. in Genes. annotat, quòd nomen Euæ, tam apud Grçcos, quàm apud Latinos corruptè legitur; nec ea vox capit ethymologiam, quam tradit eo in loco diuina scriptura. Quapropter dicendum esset pro Eua, *Chauuah*, ducitur enim à Cain, quod significat viuentem, vel animalem. Ponitur autem *Chauuah* pro *Chaiah*; nam ratio nominis est, quia ipsa erat futura mater omnium viuentium: *Chauuah*, autem non significat viuere, sed nuntiare, *Chaiah* verò significat viuere, & litteræ E V I sunt ad inuicem permutabiles, vt ex grammatica constat. Atque huius nominis corruptela apud latinos fecit, vt multi dixerint, *Aue* dictum esse ab Eua, per inuersionem litterarum; ob idque Gabrielem Archangelum Deiparam Virginem salutando dixisse ei, *Aue*, quasi ea mundo latura esset bona planè contraria ijs malis, quæ inuexerat Eua. Idem scripsit Steuchus in c. 1. & 3. Genes. Verùm, & Septuaginta, & vulgatus noster interpres altius mysteriosam significationem consequuti sunt, vertentes, vitam, vel Euam; quam interpretationem Patres sequuti multa de B. Virgine rectè protulerunt. Vide S. Hieron. in lib. de nominibus Hebraicis, vbi expressè Euam, vitam interpretatur, & licèt alias etiam interpretationes apponat, hanc tamen cæteris præfert. Sicut enim ethymologia verbi prout fuerit varia, varium quoq; sensum gignit, ita certior certiorem: lege S. Hieron. in cap. 12. Ecclesiastæ, & in dicto lib. de nominibus Hebraicis, de epistola Barnabæ.

Nominis Euæ corruptio apud græcos & latinos.

TRIPLEX autem genus miseriæ, hæreditario iure transmisit Eua ad filias; tum in conceptione; tum in gestatione fœtus; tum & in eius partu. In conceptione quidem triplex væ, seu miseria consideratur. Libidinis, s. in tentatione; corruptionis in sexuum commixtione; & improbæ delectationis in seminis susceptione. In delatione etiam triplex væ reperitur: ponderis in onere, pressuræ in oneris portatione, & angustiæ in vteri impletione: Triplex etiam in partu est væ, doloris, s. in parturitione; destitutionis virium in generatione; & effractionis sigillorum in emissione. Et post omnia hæc, dubia benedictio in prolis susceptione. At verò ab his omnibus miserijs Deipara immunis omninò fuit: nunquam. n. libidinem sensit: eminentius enim de ea, quam Thobiæ 3. dicitur. *Mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia*. Verba enim illa, quæ Angelo dixit. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* hoc est, me non cogniturā virginitatis voto proposui, omnem deflorationis corruptionem ab ea alienissimā fuisse, omninò conuincunt. Ab improba verò delectatione præseruatam fuisse, declarant verba Thobiæ 3. vbi multo veriùs de ipsa dicitur. *Numquam cum ludentibus me miscui, neq; cum his, qui in leuitate ambulant, participem me præbui*.

Eua multas humano generi miserias intulit: & quænā illæ fuerint.

B. Virgo ab omnibus miserijs Euæ libera fuit.

Thob. 3.

Præ-

CAPVT TERTIVM.

Declaratur ex Græca locutione verbum, Aue.

An Verbum, AVE, idem sit quod salue & gaude.

VE, Græcè χαῖρε. Magna est inter Interpretes disceptatio, quid hoc in loco significet verbum, *Aue*; Salue ne, an gaude, quod idem est, teste Perotto, vt refert Iansenius, ac *Aue*. Nonnulli, vt idem Iansenius, & Maldonatus scribunt, putant, hoc verbum respondere hæbraico verbo *Salom leca*, quod interpretatur, Pax tibi, & est forma salutandi hæbreis familiaris, & ea Angelum hebraicè Virginem alloquentem vsum fuisse, valde verisimile affirmant. Quo etiam sensu dixit Christus mulieribus post Resurrectionem, *Auete*, Matth. 28. & Iudas, cũ osculatus est Dñm, *Aue Rabbi*, Matth. 26. & 2. Io. 1. dicitur; *Nec aue ei dixeritis*, & Iudæi ad Christum, *Aue Rex Iudæorum* Ioan. 19. vbi Græcis est χαῖρε & χαίρετε. Alij, vt Caietanus, & Toletus volunt, hoc nomen græcum nouum modum gaudendi significare, & salutationem inusitatam Virgini attulisse, quasi diceret Angelus, Salue, annuntiando illi cum veneratione & gaudio salutem, quam humano generi allatura erat; insuper indicans, illam fore principium huiusmodi salutis, sicut Eua principium fuit mortis, & miseriæ: & hoc sensu canere videtur Ecclesia. *Salue sancta parens, &c. Salue Regina, &c.*

S. Basil.

BASILIVS Hom. de Christi humana generatione, Gregorius Nissenus orat. de Natiuitat. Domini, Euthymius in Lucam, & August. serm. 15. de Natiuit. Domini putant, hanc vocem ad gaudium referendam esse. Maria, inquit Basilius, edocta, & iussa est ab Angelo gaudere: Nec vllo modo esse vocem imprecantis, sed annuntiantis, & exhortantis, vel excitantis ad gaudium, & lætitiam, tum de proprio bono, cum super omnes creaturas ad gradum maternitatis diuinæ exaltanda esset, quare iubilanter & ipsa cecinit: *& exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo: Quia fecit mihi magna, &c.* Tum etiam de communi bono, hoc est salute humani generis, quam ipsa paritura erat. Vndè lætabunda cantauit. *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Et hæ omnes expositiones veræ sunt, & ad eundem sensum tendunt, & tum hæbraico, tum græco verbo optimè quadrant. Verum, quicquid sit, Angelus iubet, Virginem gaudere, lætari, bono animo esse, non timere, vt ostendat se bonum, non malum Angelum esse; non inimicum, sed amicum; non triste, aut mestum, sed lætum nuncium afferre. Quo loquendi modo solent quoq; hebræi vti, cum timorem ab eis, quos salutant, excutere volunt, vt Genes. 43. Iudic. 6. & 19. & 1. Reg. 1. & 2. Reg. 15. vt rectè ibidem notauit Maldonatus. Sed hæc vulgaria, illa non item.

SYRIACA lectio sic habet: Et ingressus est ad eam, & dixit ei, Pax tibi, ò plena gratia, Dominus noster tecum est, benedicta es inter mulieres. Chrysostomus Hom. de Natiuit. S. Io. Baptistæ ait: quando Angelus Gabriel ingressus est ad Mariam, salutauit eam dicens; Pax tecum, quæ inuenisti gratiam apud Dominum. Suadet igitur hæc lectio, quam sequitur Sebastianus Barradius in sua concordia Euangelica, Iansenius, Maldonatus & alij, non fuisse aliquem alium modum salutandi hebræis, qui græcæ voci χαῖρε idest, gaude, vel Aue, ad amussim responderit, præter istum *Pax tibi*: cum Syriacum Euangelium quod Luc. 1. dicitur χαῖρε conuertat in *Salom leca*, idest, Pax tibi.

VERVM aliud obseruandum est, hebræam hanc salutationem *Salom leca*,

aliter

pite postremo, quod etiam habetur Ioan. 20. cum Christus Apostolos salutauit post resurrectionem, hunc scilicet in modum *εἰρήνη ὑμῖν* idest *Pax vobis*. Et aliter hoc loco capite 1. nempe, *χαῖρε* cum igitur Lucas hoc loco non dixerit *εἰρήνη σοι* idest. Pax tibi sed *χαῖρε*, certum argumentum ducitur, Angelum non vsurpasse vocem hebræam in illo sensu, quo significatur, Pax tibi; sed in altero illo sensu, quo significatur *χαῖρε*, ita enim Lucas, dictãte Spiritu S. vertit, & interpretatus est. Vndè rectè infertur, aliam fuisse salutationem Angeli ad Virginem, & Christi ad fęminas, & Iudæ ad Christum, ab illa Christi ad Apostolos; nec puto, per vsitatum modum salutandi apud Græcos voluisse Lucam exprimere vsitatum morem salutandi apud Hebræos, vt censuit Iansenius, sed exposuisse, quod Spiritus Sanctus intendit, & voluit per Angelum significare, vtendo verbo *χαῖρε* idest, quid distinctum, & diuersum ab alio sensu, nimirum, Pax tibi. Nec obstat lectio syriaca, quia hæc grecæ lectioni Euangelistæ omninò cędere debet, cum certum sit, illam esse à Spiritu Sancto dictatam.

Diuersæ salutationes Angeli, Christi, & Iudæ.

HOC autem Verbum grecum *χαῖρε* cum duplicem habeat significationem, aliquando enim saluere, aliquando gaudere designat, vt dictum est, quam rectiùs, ac veriùs hoc in loco retineat, apud multos dubitatur.

An per verbum AVE apud grecos potius signi ficetur gaude. quam salue.

ERASMVS in annot. noui testamenti temerè arbitratur, nihil omninò referre, si Salue, vel Aue vertatur; cum tamen ex Patribus apertissimè colligatur, *χαῖρε* in hac salutatione non præcisè pro salue, sed potius pro gaude, vel Aue, non absque insigni, ac vero mysterio accipiendum esse: atq; hunc sensum semper Ecclesia Catholica subodorata est, vt grauissimi, & antiquissimi Patres apertè testantur, & in illum tamquam in magis proprium, & à Gabriele, imò à Spiritu Sancto primario intentum, propensiores fuerunt. Ita significat Andreas Hierosolym. serm. in Angel. saluti. vbi scribit, Archangelo Gabrieli propositum fuisse lætitiæ signa statim Virgini annunciare, lætisq; præconijs Reginam salutare, quam & lætitiæ organum, & immensi gaudij genitricem appellat. Exordium autem à gaudio fecit, ad Virginis mentem attentam reddendam, & vt ipsum, *Aue*, ceu pignus quoddam esse indicaret instituendi cum Maria colloquij, salutis consilium, & immensi gaudij præconium. Addit Chrysologus serm. 140. in hoc verbo, *Aue*, non adesse simplex officium salutationis, sed muneris potius eximiam oblationem. In hac voce, Aue, inquit, est oblatio muneris, non simplex salutationis officium. Vnde Sophronius serm. de Annuntiat. Virg. rectè ait, in hoc verbo, *Aue*, Angelum explicuisse venerationis delationem, muneris oblationem, & obsequij famulatum. Addit quoque Chrysolog. in hac voce, *Aue*, Gabrielem legationis summam, seu argumentum insinuasse: Aue, inquit, hoc est accipe gratiam, quam tibi Dei nomine offero, atq; significo, & in serm. 143. ait: Videte quibus est Virgo oppignorata muneribus. Aue, hoc est, accipe. Quid? virtutes munerum, non pudoris. Huic accedat oraculum Sibyllæ, quæ lib. 3. Sibyll. carminum Mariæ eleganter hunc in modum, qui initio salutationis Angelicæ concinnè respondet, congratulata est.

Andr. Hieroso.

S. Petr. Chryso.

Εὐφράνθητι χαῖρε, καὶ ἄγγελίυ σοι γὰρ ἔδωκεν
Εὐφροσύνην αἰῶνος, ὡς οὐρανὸν ἔκτισε, καὶ γῆν,
Ἐν σοὶ δ' οἰκήσει, σοὶ δ' ἔσσεται ἀθάνατον φῶς.

QVÆ carmina latinè sic verti possunt: lætare, & exulta, ò Puella: tibi enim donauit gaudium æternum, qui Cœlum, & terram condidit: Is in te quidem habitabit, tu verò lucem sempiternam es consecutura.

Esse Mater sine viro,
Et lætare modo miro,
Angelorum Imperatrix,
Peccatorum consolatrix,
Consolare me lugentem,
In peccatis iam fœtentem,
Precor te Regina Cœli
Me habeto excusatum,
Apud Christum tuum Natum.

PROCOPIVS Gazæus in cap. 3. Genes. pulchram ponit differentiam, quod ad tristitiam, & gaudium spectat, inter primam, & secundam mulierem. Hanc enim ex Dei sententia, luctui, & gemitui, imò & maledictioni addictam fuisse, illam verò per Angeli nuntium sibi lætitiam, gaudiumque consciuisse, ab humano verò genere maledictionem, in quam deuenerat, fugasse affirmat. Multa alia Patrum testimonia hic afferri possent, verùm hæc satis sint hoc loco.

HOC autem, quod scribimus, certissimum esse, docet Ecclesia Catholica apertissimè in antiquissimo illo hymno, *Aue maris stella*, canens: *Sumens illud Aue, Gabrielis ore*. Salutauit autem Angelus Deiparam non tamquam ex improuiso in aula ei apparens, sed gradiens corporali motu, in locum propriæ eius habitationis introiuit, vt Caietanus notauit. Erat autem Deipara tunc in secreto, hoc est, in conclaui, sicut adhuc specus quædam in monte demonstrat, vt notat Albertus in Lucam, in quam ingressus Angelus, Virginem in secreto orantem inuenit. Ex quo manifestum fit, sacram domum Annuntiationis Mariæ in specu, siue potius in rupe quadam intra montem, vbi erat Nazareth, ex lapidibus, & saxis ex eadem rupe præcisis extructam fuisse; ex qua etiam materia reliquæ Ciuitatis illius ædes, vt plurimum constant. Vide Abulen. in caput 2. Matth. q. 18. Brochard. & Marin. Venet. in libr. de diuisione Terræ Sanctæ; necnon opus nostrum de Anno Iubilæi libr. 6. capit. 22. & 28. Quo deinde ex loco sacra illa Domus, Deo sic volente, Sanctorum Angelorum ministerio in Picenum, ad Maris Adriatici littora, intra fines vrbis Recinetensis, trãslata fuit, vbi vsque ad hæc tempora conspicitur; & ab omnibus manifestè cognoscitur, & sensibus percipitur, ipsam non ex coctis lateribus constare, quibus Piceni suas ædes exstruere ijs in locis consueuerunt; sed ex viuis, ac peregrinis lapidibus, & ex ipsa, quam suprà diximus, Nazarenæ Vrbis lapidicina desumptis; id quod etiam Legati Summi Pontificis Clementis Septimi re ipsa comprobarunt, lapides quosdam eiusdem generis ex Nazareth asportando, eosque cum ijs, ex quibus Ædes Lauretana constat, conferendo, vt nos in eodem libr. 6. de Anno Iubilæi capit. 28. diximus. Hoc Sacrosanctum Virginis Deiparæ Domicilium Helena Augusta Magni Constantini mater, illustri, ac peramœno adornauit templo, teste Nicephoro libr. 8. capit. 30. quod etiam innuit Sanctus Hieronymus tomo primo epist. 17. quæ est Paulę, & Eustochij ad Marcellam, in fine. Ad inferiorem autem partem illius Ecclesiæ per duodecim gradus descenditur, vbi est locus, in quo erat Domus Annuntiationis. Marianus Victorius in scholijs, quæ adiecit in Indice operum Diui Hieronymi, hęc scribit de Nazareth. Fœlix, fortunatumque oppidum, & cunctis maximis Vrbibus pręponendum: cum in eo non solum Christus mundi Saluator conceptus sit, verum etiam nutritus: in locum vbi Maria Virgo annun-

Locus cubiculi B. Virginis propè Nazareth.

tiata est, vnam; alteram vbi Christus nutritus est, Ecclesiam oppidum habet. Idem scripsit Beda lib. de locis sanctis, & Landulphus parte prima de vita Christi, vbi dicit, in prima Ecclesia Annuntiationis facta fuisse duo altaria, vnum in loco, vbi Angelus salutauit Virginem; alterum, vbi Virgo manebat, dum salutata fuit. Et hoc etiam nunc in Æde Lauretana seruatur, estque altitudinis quatuor palmorum, trium verò latitudinis, vel paulo amplius, & sub eo Altari reconditum est, in quo Missarum sacrificia Deo singulis diebus in sacra illa Aede offeruntur. In libro nostro primo de fuga Disput. 1. q. 2. ante Horatium Tursellinum, Historiam translationis Lauretanæ Domus describentes, mentionem fecimus eorum Auctorum, qui diuini huius sacelli, dum Nazareth existebat, meminerunt, nimirum S. Epiphan. Hæres. 29. contra Nazaræos, Bedæ tom. 3. de locis sanctis cap. 16. Nicepho. lib. 8. cap. 30. Euseb. 3. de vita Constantini, Paulini Epist. 11. ad Seuerum, Gulielmi Tyrij, de *bello sacro* sæpius; Raphaelis Volaterrani, lib. 11. Geograph. S. Hier. loco citato, & *Iodochi* Clicthouæi, qui serm. 2. de Sancto Ludouico scribit, illum sub Alexandro Quarto post Terræ Sanctæ expugnationem, vnà cum suo exercitu hanc sanctam Virginis Domum visitasse, cum adhuc esset in Galilęa. Eorum quoq; auctorum ibidem mentionem fecimus, qui primùm hanc translationem ad picenas oras factam scripserunt; quibus addimus Baptistam Mantuanum, qui primus ex recentioribus pulchram eiusdem translationis historiam conscripsit, vt alibi diximus.

Duo altaria in domo Annuntiationis Mariæ

CAPVT QVARTVM.

Nouis obseruationibus ex græca lingua petitis illustratur χαῖρε.

Tria salutationis genera apud græcos.

FVERVNT apud græcos, vt rectè Budæus animaduertit, salutationis præcipua genera tria, ὑγιαίνειν, εὖ πράττειν, χαίρειν .i. valere, bene agere, & gaudere. Per primum bene precabantur corpori, quod principem inter res humanas locum obtinet. Per secundum optabant, vt actiones feliciter cederent, & prono cursu. Per tertium, vt cum omnia ex animi sententia cessissent, animus lætitia frueretur. Optimè igitur ab Euangelista factum est, vt tertio hoc potissimùm salutationem Angelicam exprimeret, quo manifestè indicaret, Angelum non corporea Virgini bona optasse, siue quòd hæc fluxa, caducaq; natura sint, ac proindè minimè expetenda; siue quòd castissimo illi, integerrimoque corpori nihil amplius videretur optandum: neque precatum illi esse prosperum, ac felicem actionum cursum, cui nihil non feliciter ac prosperè cedere, & sine vlla offensione consueuerat; sed iussisse, eam læto animo atque hilari esse, suamque illam sollicitudinem, & curam de hominum salute, & Christo venturo, quæ virgineum illum angebat, & quodammodo cruciabat animum, iam tandem deponere, quòd omnia iam illi pro voto cessissent. Id quod & quæ sequuntur, confirmant verba, ac præcipue illa ὁ κύριος μετὰ σοῦ in quibus præpositus articulus eam habet vim, vt infra dicemus, quæ sic latinè posset exprimi: *Tuus ille Dominus tecum.*

RECTE autem Plato ad Dionysium epist. 3. Petis, inquit, an rectius ponatur in salutationibus, gaudere; an quemadmodum ego solitus sum scribere

ad amicos, bene agere. Tu quidem, vt aiunt hi, qui tecum Delphis affuerunt, *ita Deum* ipsum blandè alloqui, ac similiter scribere consueuisti. Gaude, vitamque tyranni iucundam serua. Ego aũt neq; Deum hoc modo, neque hominem salutarim. Non Deum, quia contra illius naturam loquar: nam procul à molestia & voluptate diuinitas. Nõ hominem, quia sæpius detrimentum, & dolorem sibi affert voluptas; hebetudinem in animo, & obliuionẽ, insipientiam, & petulantiam pariens. Rectè inquã Plato: siquidẽ cæteri homines sœpe lætantur, cum male fecerint, & exultãt in rebus pessimis. Quod in B. Virgine metuendũ nullo pacto esse, probè nouerat Angelus, quippe quæ nõ nisi in Domino gaudebat, neque eius exultabat spiritus nisi in Deo salutari suo: quare in virginea illa salutatione rectiùs fuit poni gaudere, quã bene agere. Et quidem fuit adeo lætitiæ, & exultationis propria hæc salutatio, vt triste aliquid nunciaturi ὑγίαινε potius dicerent, quã χαῖρε sic .n. Hephæstion mane in tentorium Alexandri ingressus, vt turbationem quamdam illi nuntiaret, eum sic compellauit ὑγίαινε βασιλεῦ, καιρὸς ἤδη παρατάττεσθαι quoniam scilicet in nuntio tristi non quadrabat consueta salutatio χαῖρε. Cum igitur nihil non lætum, nihil non summa dignum exultatione esset Beatissimæ Virgini Gabriel nuntiaturus, opportunè admodum illam nõ ὑγιαίνειν sed potius χαίρειν iubet. Ideoq; venustissimè, nec semel à S. Gregorio Nazianzeno, vel alio auctore in tragædia, quæ inscribitur, Christus patiens, factum est, vt cum maximè torquetur animo, & queritur ob filij mortem, Virgo dicat identidem.

O fili, hæc non sunt consona prioribus Angeli verbis.

Et rursus. *Exultaui quo pacto olim præ gaudio,*
Cum venit bonus nuntius denuntians partum,
Promittens liberationem ab inimicis mortalium generi,
Ac lætitia plenum gaudium mihi afferens magnum.
Qui haud quaquam victimam significabat me parituram.
Sed regem terræ ac totius Cœli.

Salutatio Angeli ad Virginem propriè lętitiã significabat.

QVONIAM verò non quodcumq; delectabile lætitiam parit, sed gaudet vnusquisq; ijs, quibus delectatur χαίρει δ' ἕκαστος οἷς ἥδεται Dionysius inquit, Longinus; adeo, vt & quæ quis horret, quæq; quiuis horrere deberet, alium quandoq; delectent. Vinum quippe horret abstemius, cum tamen contra οὐδεὶς γὰρ φίλοινος ὁ μὴ χαίρων οἴνῳ .i. Nemo enim ebriosus non gaudet vino, dixerit 1. Rhetoricorum Aristoteles. Damnat item furtum, ac fugit quilibet vir probus; non nemo tamen est, qui, vt ait Maro, furto lætatur inani. Summa profecto laus est Virginis, ipsam non alijs rebus delectari, neque aliunde lætitiam capere, quam ex ijs, quæ mox subdet Angelus; diuina inquam gratia, quæ illam compleuerat, summi Dei præsentia, & contubernio, &c.

LVCIANVS auctor est, Philippidẽ quẽdam τὸν ἡμεροδρόμον Marathonicã nuntiantem victoriam πρὸς τοὺς ἄρχοντας καθημένους, καὶ πεφροντικότας ὑπὸ τοῦ τέλους τῆς νίκης. i. ad Præfectos sedẽtes, & de fine illius victoriæ cogitabũdos dixisse χαίρετε, νικῶμεν gaudete, vicimus, atq; è vestigio συναποθανεῖν τῇ ἀγγελίᾳ, καὶ τῷ χαίρειν συνεκπνεῦσαι, cum dicto mortuum esse, & cum illa salutatione expirasse. Meminit eiusdem rei Plutarcus in libro. Vtrum Athenienses belli, an sapientiæ gloria præcelluerint; sed id Eucli cuidam tribuit, non Philippidi. Meritò igitur & Gabriel nuntians victoriam diuinæ misericordiæ aduersus iustitiam iamdiu quodammodo præliantis, & aduentum illius, qui futurus erat fortis & potens in prælio, & victoriam reportaturus de principibus, ac potestatibus tenebrarum χαῖρε inquit, Gaude Virgo κεχαριτωμένη gaudio vndique perfusa. Et quidem Philippides ille siue Eucles

non tam præ ingenti gaudio; quàm propter citatum, nec vnquam intermissum totius diei cursum, vnde & cognomen accepit ἡμεροδρόμος dicto χαίρετε exanimatus concidit. At diuinus ille cursor non cælorum spatijs fatigatus amplissimis, neq; continenti illo ocyssimo volatu, sed præ incredibili lætitia; si morti quidem fuisset obnoxius, & ipse opinor, ante Virginis pedes animam efflasset exultantem. Sed cælestes illæ mentes ab omni corruptione immunes immortali atque æterno fruuntur æuo; & suæ naturæ acceptam retulit vitam Gabriel, quam illi tunc vehemens lætitiæ motus abstulisset.

IDEM Lucianus adnotat τὸ χαίρειν esse antiquam salutationem, non matutinam solum, neq; propriam primi congressus; sed etiam eos, qui antea se vidissent, vti ea consueuisse. Atq; idcirco optimè Angelus hoc eodē in salutatione vtitur verbo, vt indicet se illum ipsum esse, qui prius in tēplo cū ea sœpissimè familiariter versatus erat. Neq; mirari aut vereri Virginē debere, quod tunc eā *salutaturus* peregrina & noua forma.i. humana ad eam accederet; de re quippe noua & peregrina nuntiū afferebat. Vide quæ scripsimus in Canticū Magnif. lib. 3. c. 15.

FVIT & adhibitum χαίρειν exordijs epistolarum, sicut Cicero suis præmisit S.P.D. vel S.D. vel S. Id ex multis græcorum locis colligas licet; sed præcipuè ex illo tertiæ Platonis ad Dionysiū epistolæ, quā modo citauimus, & ex hoc Demosthenis pro corona. Βασιλεὺς Μακεδόνων Φίλιππος Ἀθηναίων τῇ βουλῇ, καὶ τῷ δήμῳ χαίρειν idest, Rex Macedonum Philippus Athenienſium Senatui, & Populo gaudere.

Arcanū quid continet Angeli salutatio.

ET mea quidem, vt fert opinio, hoc quoq; est in salutatione Angelica maximè animaduertendum; arcanum quippe quid continere videtur, & non vulgare. Sicut enim communi hominum consuetudine receptum est, vt cum aliquē ad quempiam mittimus aliquid nnntiaturum, is aut verbis, quæ ipsi dictamus, suo ore prolatis; aut literis, quas ipsi in pagella aliqua exarauimus, id præstare soleat: sic & à Deo atq; Angelis fieri consueuit. Sed quoniam quo solet Deus atq; Angeli vti sermone, non nisi mentale quoddam est, & internum alloquium. Hinc fit, vt quando Deus, vel Angeli humano more, ac sono verba nobis proferunt, quoniam illa in aliena quadam materia fingunt, ac tamquam in pagina conscribunt; Deo vel Angelis id fit humana voce loqui, quod nobis est per epistolam. Noluit igitur Deus, Gabrielē interiore illa allocutione Virgini *nuntiare* filij sui aduentum, hoc.n. virgineum illud dumtaxat animū quodāmo *oblectasset*; sed vt cum ingenti animi gaudio castissimi quoq; illius corporis sensus singulari quadā lætitia afficerētur, iussit primò quidem ex suauissimis illis atq; odoratissimis auris, quas verni flores exhalabāt, corpus sibi quoddam Angelum conformare, quo B. Virginis olfactus miram perciperet delectationē. Tum vt ait S. Aug. ser. 14. de Nat. Dñi, facie rutilante, veste coruscante, & ingressu mirabili tamquā iuuenem ad eam accedere, vt virginei quoq; oculi insolito illo splendore, ac specie vehementer oblectarētur. Deniq; & diuina illa mādata humanibus vocibus personare, & tāquam epistolā quandam, cui diuinū illud χαῖρε præfixum esset, in hoc nostro aere quasi literarū notis consignare, vt ex illis sanctissimæ quoq; Virginis aures suam haurirent voluptatem, & sic ad consensum rei nuntiatæ Virginem faciliùs quodammodo induceret; decuit.n. Virginem accipere nuntium non solum mente, sed etiam sensu tam interiori, quàm exteriori.

Angeli species, & forma, quando Virginē salutauit.

AT cur obsecro fortissimus Angelorū Gabriel, cuius fortitudo Dei nomē sonat, ad puellā Virginē eādemq; placidissimā, mitissimāq; mittitur? Cur nō potius Raphael *medicina Dei*, nūtiaturus aduētū illius, qui diuino proprij sanguinis cataplasmate, & septēplici illo sacramētorū antidoto ægris hominū animis medelā erat allaturus, & redditurus mortuis vsū vitę? Cur nō & Michael, *quis vt Deus?* admirabundas mortaliū mentes ad omnipotētis Dei cognitionē, ac uenerationē excitare consuetus, & Luciferi superbientis, ideoq; in tartarū detrusi memoriam renoua-

renouare? Cur denique non alius quilibet ex cæleſtibus illis copijs innumerabilibus? Nos ad ea, quæ ſuper hac re à Sanctis Patribus conſcripta ſunt, cupientes aliquid de penuria, ac tenuitate noſtra cum paupercula illa in gazophylaciũ Dominæ mittere, hæc addimus. Licèt ſexus, ætas, educatio Virginem puellam manſuetam fore, & exorabilem ſpondeant; ea tamen erat puellaris illius animi in ſeruanda tuendaque virginitate conſtantia, & firmitas, vt omnem coniugij (quamuis futuri ſine labe pudoris) recuſatura eſſet conditionem, eo ſolum nomine, quòd Virginitatis minueret exiſtimationem, nec quilibet futurus erat flectere, & quodammodo eam expugnare potens: mittitur idcircò Gabriel fortitudo Dei ad fortiſſimam conſtantiſſimamque Virginem. Cuius quoque veritus, ne duritiem emolliret, inſueto quodam more illam aggreditur. Primò enim ad internam illi animi illuſtrationem, qua viros alloqui sãctos Angeli conſueuerunt, verba addit vocali ſono, atq; humano, & viſibili ore expreſſa, vt per aurium quoq; portas, atq; oculorum in illam munitiſſimam arcem, vrbemq; fortitudinis ſibi aperiret ingreſſum. Deinde ſciens, à læto, atq; hilari animo quidlibet impetrari ſolere facilius, lætabunda ſalutatione, ac voce gaudere illam iubet. Quid autem ſi callidiore quodam aſtu, & cæleſtibus diuinę ſapientię aſtutijs id ab illo factum dixerim? In Aphrica familias eſſe quaſdam effaſcinantium, Iſigono, & Nimphodoro teſtibus, tradit Plinius, quorum maximè laudatione interéant probata. Laudatione, inquit, maximè; quoniam, vt docet Fracaſtor. de antipath. & ſimpath. c. 23. laus lætitiam parit; hæc dilatationem tum cordis facit, tum etiam ſpirituum, & totius faciei, ac præcipue oculorum, vnde aditus quodammodo aperitur veneno, quod eiaculatur faſcinator: qua ex re natum eſt illud conſuetum apud Priſcos, vt laudaturi quempiã, præfarentur hac veteri voce. *Præfiſcini*: Illud quippe antiqui Poetæ apud Chariſium legimus. Paula mea amabo. Pol tu ad laudem addito, *præfiſcini*, ne puella faſcinetur. Hęc quidem inter eos, qui peſtifera, ac venenata ſalutatione, ſeu laudatione nocebãt; qui iure optimo miſerrimi haberi poterant. At non ita cæleſtis nuntius Gabriel, qui à Deo miſſus ad Virginem, voce quidem illã delinit, mulcet eloquio, vocat ad gaudium, & ſaluberrima laudatione compellat, vt citius, & citra repulſam aſſenſum, quem petiturus erat, ad ſacratiſſimi diuini Verbi Incarnationis myſterium à Virgine extorqueret, quò ipſi ac vniuerſo hominum generi cœleſtem vitam tribueret ac ſalutem.

Cur potius Gabriel quã alius Angelus ad ſalutandam Virginem miſſus fuerit.

QVÆRERE autem libet, quidnam cauſæ fuerit, quòd puella animo, & genere regio, liberalibus imbuta moribus, ſicut nobili genere ac loco natos decet, Angelum de more non reſalutauit. Siquidem ſalutantem, dicentemq; χαῖρε antiqui reſalutantes dicebant, καὶ σὺ χαῖρε ſic apud Xenophontem Pædiæ libro 7. cum Crœſus captus in conſpectum Cyri perductus eſſet, eumque ſalutans dixiſſet χαῖρε ὦ δέσποτα reſpondit ille καὶ σύ γε ὦ Κροῖσε, & Alcinoo ſalutanti reſpõdet Vlyſſes Odiſſ. 3. καὶ σὺ φίλος μάλα χαῖρε. Quin etiam Sophocles in Trachinijs Reginam inducit, quæ prior aduentantem nuntium ſalutet. χαίρειν δὲ τὸν κήρυκα προὐννέπω χρόνῳ πολλῷ φανέντα, χαρτὸν εἴ τι καὶ φέρει. Ipſa prior ſaluere iubeo nuntium longo tandem poſt tẽpore viſum, ſi modo lætabilem afferat nuntium. Et quidem ſic exiſtimo, ſalutaſſet prior & ipſa Angelũ Virgo, niſi vt pleriq; Sanctorum Patrum tradiderunt, inſolita illi forma, hoc eſt humana, eademq; iuuenili apparuiſſet: quæ res caſtiſſimam illam puellam adeò perturbauit, vt ne reſalutarit quidem. Adde quòd miniſter ſeu nuntius ex more non reſalutatur. Vel quia non Angelum, ſed hominem eſſe exiſtimabat, à cuius ſermone penitùs abſtinebat, vt Ambroſ. & Hieronym. Vel quia malum Angelũ eſſe timebat, vt Bernard. & Euthym. Præterea verbi huius χαῖρε non vnus dum-

Virgo cur non reſalutauerit Angelum.

taxat

taxat vsus fuit in salutando, sed etiam in vale dicendo: nam à se inuicem discedẽtes alter alterũ χαίρειν iubebant. Sic apud Aristophanem in Ranis Hercules à Baccho ad inferos proficiscente discessurus, extrema hæc ad eũ verba fatur καὶ χαῖρε πόλλ' ὦ 'δελφέ. Nimirum & nostrates sic eos, à quibus discedunt, alloquuntur (state allegramente.)

Angelus discedens à Virgine non vale dixit.

CVR igitur Gabriel recedẽs à Virgine non ei χαῖρε hoc est vale dixit? An quia diuerso modo res agitur inter homines, atque agatur inter Deum, & hominem? neque.n. Deus more hominum præsertim aulicorum, superfluis verbis, ac sermonibus delectatur. An quia id à Deo iussus minimè fuerat? An quia extra negocium susceptæ legationis erat, & minimè necessarium in discessu dicere, vale vel gaude? An quia verbum illud χαῖρε in prima salutatione prolatum optimè sufficiebat ad munus hoc vrbanitatis implendum pro aduentu, & discessu? An fortasse, quia inter pares hoc in more est positum, vt in recessu sibi inuicem vale dicant; non aũt cum inferior à superiore, siue maiore discedit, aut superior ab inferiori? An quia nuntius Gabriel à sua legatione in Cœlum rediens, epistolam Deo Virginis immaculatæ responsum continentem referebat illis verbis, quæ non solum ad Angelum colloquentem, sed ad ipsum etiam Deum diriguntur. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*; neque antequam epistola illa reddita fuisset, vale pronuntiandum erat? An quia nondum plenè celebrata, & absoluta nuptiarum, ac diuini illius Matrimonij solemnitate, vale dicere congruum, atq; consentaneũ minimè videbatur? An quia, cum Angelus nõ solum ad nuntiandum, sed etiam ad exigendum Virginis consensum missus fuisset, expectare voluit, vtrum sibi à Deo aliquid aliud Virgini referendum esset, priusquam illi vale diceret? An deniq; quia fortè ante ipsius Angeli discessum incarnatio Verbi completa non fuit, vt Athanas. in ser. de Deipara, Aug. ser. 18. de Sanctis, Damasc. lib. 3. de fide cap. 2. Gregor. lib. 18. moral. cap. 27. & Bern. in hom. 4. in Missus est? Atque ideò nulla in eo digressu vale faciendi verba vsurpanda esse videbantur.

CAPVT QVINTVM.

Ex S. Augustino, Fulgentio, Alberto, & alijs eadem vox, Aue, illustratur.

Tria mala per Mariã exclusa.

VE. S. Fulgentius in ser. de laudibus Mariæ ex partu saluatoris, ingeniosè inquit, in his primis verbis salutationis tria bona Deiparæ contrà tria mala Euæ primæ mulieris diuinitus nuntiata fuisse; vt sic tempus doloris, tristitiæ, ac seruitutis, quibus humanum genus subiectum erat per peccatum, finem, ac terminum accepisse cognosceretur: sic autem scribit. Tria mala Euæ à tribus bonis Mariæ probantur exclusa. Nam Euæ dictum est: In doloribus, ac tristitia paries, & ad virum conuersatio tua, & ipse dominabitur tui. Tribus ergo his malis se subiugant fœminæ, quæ Mariam non sequuntur, dolori, tristitiæ, seruituti. Maria autem è contrario, quam præclarissimis tribus bonis sublimetur, ausculta: salutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ. Sic enim eam legitur salutasse. *Aue Maria, gratia plena, benedicta tu inter mulieres*. Cum dixit, *Aue*, salutationem illi cœlestem exhibuit. Cum dixit, *gratia plena*, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiã restitutã. Cũ dixit, *Benedicta tu inter mulieres*, Virginitatis eius benedictũ fructũ expressit, vt ex ea benedicta dicatur inter mulieres, quęcũq; perseuerauerit Virgo.

S. Au-

S. Augustinus serm.2.de Annuntiatione Dominica, qui est sermo 18. de sanctis: Descendit, inquit, Angelus de Cœlo missus à Patre Deo in nostræ redemptionis exordium, ac beatam salutando Mariam: *Aue*, ait, *gratia plena Dominus tecum*. Impleta est ergò gratia, & Euæ vacuata est culpa. Maledictio Euæ in benedictionem mutatur Mariæ, *Aue*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum*. Tecum Dominus in corde, tecum in ventre, tecum in vtero, tecum in auxilio. Gratulare B. Virgo. Christus Rex è Cœlo suo incarnatur in vtero tuo, ex sinu Patris in vterum dignatur descendere Matris. Hæc ille, sensum Gabrielis quasi paraphrastico more intimè exponens.

PETRVS Chrysologus serm.142.existimat, per *Aue*, Virginem ab Angelo animari, exhortari, ac roborari ad consensum præstandum, sic scribens. Audistis Angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem; audistis agi, vt homo cursibus eisdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eua Angelus egerat de ruina. Audistis Angelum de carnis nostræ limo templum diuinæ maiestatis arte ineffabili construentē. Et paulò post: Audistis fragilem nostræ carnis naturam ad portandam totam Deitatis gloriam Angelica exhortatione roborari; sicut enim Christus interdum per Angelum confortari voluit Luc. 22. ità decuit, Virginem per Angelum animari. Est autem statuenda differentia inter Christum, & Mariam. Ille enim licèt fuerit ab Angelo ratione humanitatis confortatus, non tamen ab eo instructus, & illuminatus propter eius eminentem scientiam, tam diuinam, quam humanam infusam. Hæc verò cum esset purè viatrix, potuit etiam a b Angelo instrui, & exhortari ad consensum, vt docet S.Thom.3. par. quæst.30.art.4.in corpore.

ALBERTVS Magnus in Lucam ponderat, in ista salutatione duo consideranda esse, amotionem vniuersalis mali, & imprecationem omnis boni. Amotio autem mali indicatur, per hanc vocem, *Aue*, Atque hoc in ista sola salutatione, tamquam insigne, ac singulare reperitur. Numquam enim legitur vllus mortalium salutatus ante Virginem per remotionem mali, sed potius malum est ferè semper omnibus intimatum. Sic Genes. 3. mulieri dicitur: *Multiplicabo ærumnas tuas*: & viro; *in sudore vultus tui vesceris pane tuo: Cum operatus fueris eam, non dabit fructus, sed spinas, & tribulos germinabit tibi; & ideò maledicta terra in opere tuo*. Item Apocalyp.8. Angelus omnibus voce magna intimauit: *Væ, væ, væ, habitantibus in terra*, & Apocal.18. *Væ, væ Ciuitas illa magna Babylon, Ciuitas illa fortis: quoniam vna hora venit iudicium tuum*: Et iterum; *Væ, væ, Ciuitas illa magna, in qua diuites facti sunt omnes, qui habebant naues in mari de preciis eius, quoniam vna hora desolata est*. In terra igitur pax non reperiebatur, sed omnia ipsum væ concludebat, cum omnia sub peccato conclusa essent, vt Paulus ad Rom.& ad Gal. dicit: nunc autem cum prædicanda esset *Pax hominibus bonæ voluntatis*, electa est Virgo stirpis Dauidicæ, ex cuius *Aue*, etiam alij de posteritate Euæ à væ purgarentur. Præterea est Deipara sicut canalis, per quem ad nos fluenta traducuntur omnium gratiarum. Canalis autem mundus esse debet, vt aquam mundam, atque limpidam præbeat Ezech.36. *Effundam super vos aquam mundam*; Eccles. 24. *Sicut aquæductus exiui de Paradiso, rigabo hortum plantationum, & inebriabo prati mei fructum*. Sic enim legitur in correctis Biblijs Sixti Quinti. Vt igitur purus, atque impermixtus sit per Virginem ad nos transitus gratiarum, est ipsa sine væ concupiscentiæ, sine væ culpæ, & sine væ pœnæ æternæ, & sine væ pœnæ temporalis debitæ pro peccato, ac proinde rectè ab Angelo salutatur per *Aue*, hoc est sine væ.

Per salutationē Angeli ad Virginem remouetur omne malū & annuntiatur omne bonum.

Genes. 3.

Apoc. 8. & 18.

Maria purissimus diuinæ gratiæ canalis. Ezech 36. Eccl. 24.

THEODORETVS quæst.72.in Exod. inquit, tempore veris nouum gaudium admirandi partus Gabrielem Virgini detulisse, vt iam hieme asperrimæ

Cur verno tempore Virgo ab Angelo salutata

CAPVT SEXTVM.

Nonnulla adduntur de voce Euæ, & Aue.

Deipara Euę aduocata illi benedictionē attulit.

VE, conuerso nomine, ac literis transmutatis, vt dictum est, Eua redditur; vbi insinuatur, quòd ipsam Euam Deipara salutata ad benedictionem reducit, vt loco citato notarunt Fulgentius, & Albertus. Fuit enim illa etiam ipsius Euæ aduocata, & pro ea ad filium intercessisse, vt salutem æternam obtineret, valde pium est credere; id quod non obscurè indicatur illis verbis. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*. Genes. 3. Vnde rectè Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap. 23. dixit à Maria in Euam recirculationem fieri. Hæc enim per Mariam benedictionem glorię acquisiuit, vt docet Fulgentius iam citatus.

Genes. 3.

Nominis Euæ corruptio apud græcos et latinos.

PERERIVS lib. 6. in Genes. annotat, quòd nomen Euæ, tam apud Gręcos, quàm apud Latinos corruptè legitur; nec ea vox capit ethymologiam, quam tradit eo in loco diuina scriptura. Quapropter dicendum esset pro Eua, *Chauuah*, ducitur enim à Cain, quod significat viuentem, vel animalem. Ponitur autem *Chauuah* pro *Chaiah*; nam ratio nominis est, quia ipsa erat futura mater omnium viuentium: *Chauuah*, autem non significat viuere, sed nuntiare; *Chaiah* verò significat viuere, & litteræ E V I sunt ad inuicem permutabiles, vt ex grammatica constat. Atque huius nominis corruptela apud latinos fecit, vt multi dixerint, *Aue* dictum esse ab Eua, per inuersionem litterarum; ob idque Gabrielem Archangelum Deiparam Virginem salutando dixisse ei, *Aue*, quasi ea mundo latura esset bona planè contraria ijs malis, quæ inuexerat Eua. Idem scripsit Steuchus in c. 1. & 3. Genes. Verùm, & Septuaginta, & vulgatus noster interpres altius mysteriosam significationem consequuti sunt, vertentes, vitam, vel Euam; quam interpretationem Patres sequuti multa de B. Virgine rectè protulerunt. Vide S. Hieron. in lib. de nominibus Hebraicis, vbi expressè Euam, vitam interpretatur, & licèt alias etiam interpretationes apponat, hanc tamen cæteris præfert. Sicut enim ethymologia verbi prout fuerit varia, varium quoq; sensum gignit, ita certior certiorem: lege S. Hieron. in cap. 12. Ecclesiastæ, & in dicto lib. de nominibus Hebraicis, de epistola Barnabæ.

Eua multas humano generi miserias intulit: & quænā illæ fuerint.

TRIPLEX autem genus miseriæ, hæreditario iure transmisit Eua ad filias; tum in conceptione; tum in gestatione fœtus; tum ēt in eius partu. In conceptione quidem triplex væ, seu miseria consideratur. Libidinis, s. in tentatione; corruptionis in sexuum commixtione; & improbæ delectationis in seminis susceptione. In delatione etiam triplex væ reperitur: ponderis in onere, pressuræ in oneris portatione, & angustiæ in vteri impletione: Triplex etiam in partu est væ, doloris, s. in parturitione; destitutionis virium in generatione; & effractionis sigillorum in emissione. Et post omnia hæc, dubia benedictio in prolis susceptione. At verò ab his omnibus miserijs Deipara immunis omninò fuit: nunquam. n. libidinem sensit: eminentius enim de ea, quam Thobiæ 3. dicitur. *Mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia*. Verba enim illa, quæ Angelo dixit. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* hoc est, me non cognituram virginitatis voto proposui, omnem deflorationis corruptionem ab ea alienissimā fuisse, omninò conuincunt. Ab improba verò delectatione præseruatam fuisse, declarant verba Thobiæ 3. vbi multo veriùs de ipsa dicitur. *Numquam cum ludentibus me miscui, neq; cum his, qui in leuitate ambulant, participem me præbui*.

B. Virgo ab omnibus miserijs Euæ libera fuit.

Thob. 3.

Præ-

missi sceleris excusatio; reprehensa .n. à Deo, nec crimē confessa est, nec seipsam accusauit, nec doluit de peccato, sed culpā erroris in serpentē, à quo decepta fuerat, refudit. Hæc omnia vicia in ea fuere. Atq; è contratio in hac voce, *Aue*, nouē Deiparæ virtutes relucent, dum ab Angelo salutatur. Prima est humilitas, quæ fuit præcipuum fundamentum, & primaria basis omnium virtutum eius; nec enim Deus per Angelum salutaret, nisi humilem, nec iuberet gaudere, nisi trementem sermones eius. ac si diceret, ò humillima inter omnes creaturas, *Aue*: ò vacua ab omni superbia, *Aue*: ò nulli creaturæ, sed Deo immediatè subiecta, *Aue*: ò nardus suauissimum odorem humilitatis spirans, *Aue*: Deus qui humilia respicit, & alta à longe cognoscit, te saluere iubet, *Aue*: Vndè præ summa humilitate dixit in primo sui Cantici versu *Magnificat anima mea Dominum*. Secunda, feruens in bono ardor, & in Deo exultatio: sic Isaias prædixerat, *Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans*, cap. 35. ac si diceret Gabriel: ò diuina perfusa lætitia, *Aue*; ò cum Cœlo hilarata, *Aue*; ò illuminatissima magistra, ac prophetissa, *Aue*; ò plena fide, ò constans, ò strenua in credendo, etiam immensa, & quæ apud homines impossibilia apparent; *Aue*; quare loco citato secundo cecinit, *& exultauit spiritus meus, &c.* Tertia fuit Prophetiæ donum, sapientia, & diuinorum secretorum, ac mysteriorum altissima intelligentia: quocirca rectè subiunxit, rationem & causam à priori omnium beneficiorum in se collatorum reddens: *quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, & iterum. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent, &c.* Quarta, ingens, & magna fides, atque ideo addidit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est*. Quinta, immensum desiderium propagationis non propriæ excellentiæ, sed diuinæ misericordiæ: vndè dixit: *Et misericordia eius à progenie in progenies, &c.* Sexta, maxima temperantia, & omnium sensuum compositio, nec non ad Deum mentis integra subordinatio, quæ est summa diuini brachij in homine mortali virtus, atque potentia; *Fecit*, inquit, *potentiam in brachio suo*. Septima, summa erga Deum, eiusque præcepta obedientia, qua humiles apud Deum exaltantur, sicut per inobedientiam potentes de sede deponuntur. Octaua, religiosissimum exemplum, & cunctarum, virtutum suauissimus odor, iuxta illud: *Trahe me post te*; Eo enim animæ iustorum virtutem esurientes, bonis hoc est fructibus spiritus implentur, & impinguantur. Nona, summa cognitio atque memoria omnium scripturarum. Fuit enim in Virgine ea summa, & excellens virtus, nimirum, vt maternitatis diuinæ titulum, quo ornata fuit, non sibi, vel suis meritis, sed omnimodo, atque ex integro diuinæ misericordiæ attribuerit, ad quod demonstrandum omnes Patres veteres tamquam præsentes in testimonium adducit. Vndè subdit. *Suscepit Israel puerum suum, &c. Sicut locutus est, &c.* mos enim fuit Virginis, perpetuaque consuetudo Prophetarum vaticinia conferre in corde suo.

Nouem Deiparæ virtutes.

BEATVS Thomas 3.p. q.30. art. 2. ad 2. & q.35. art.6. ad 1. docet, Mariam fuisse expertem maledictionis Euæ, quia peperit sine dolore, & non multiplicauit conceptus, nec fuit subiecta viro. Idem Opuscul. 8. cap. 2. scribit, Euam tria quæsiuisse in arbore, quæ tamen non inuenit, nimirum, Dei similitudinem, & dulcedinem, & pulchritudinem. Quæ omnia Virgo, & boni Christiani per Mariam in Christo inueniunt. Vndè rectè dicitur *Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & magnitudinis, & sanctæ spei*. *Ecclesi. 14.*

Quomodo B. Virgo expers fuerit maledictionis Euæ, ex S. Tho.

CAPVT SEPTIMVM.

Quonam modo vox, Aue, Ecclesiæ applicari possit.

Hæc salutatio præcipuè ad B. Virginẽ dirigitur.

And. Hierosol.

RÆCIPVVM diuinæ sapientiæ consilium fuit in hac voce, *Aue*, Mariam Virginem salutare, eamque ad gaudium, & lætitiam ineffabilem excitare, cum in sui filij matrem Deus illam elegisset; quam rem Andreas Hierosolymitanus Archiepiscopus Cretensis pluribus verbis, elegantissimis tamen, ac selectissimis in serm. de Salutat. Angel. sic illustrat. Aue, gratia plena, Dominus tecum. Qui est ante te, hodie tecum est, & paulò post erit ex te. Illud quidem ab omni æternitate, hoc autem in tempore: ò immensam humanitatem, ò benignitatem incredibilem. Non fuit satis gaudium indicasse, nisi ipsum gaudij authorem inesse Virgini significaret. Illud enim, Dominus tecum, perspicuè Regis potentiam declarat, qui sic ex ipsa corpus assumit humanum, vt à propria gloria non recedat. Aue gratia plena, Dominus tecum. Gaude lætitiæ instrumentum, per quod tristis execrationis sententia in lætum gaudij iudicium commutatur. Gaude verè benedicta, gaude Virgo præclarissima, gaude ornatissimum diuinæ gloriæ templum gaude sacrosanctum regis palatium. Gaude Thalame, in quo sibi Christus humanitatem sponsam adiunxit. Gaude electa à Deo antequam genita. Gaude diuinum inter Deum, atque homines conciliationis perfugium. Gaude thesaure vitæ immortalis. Gaude Cœlum, in quo sol gloriæ splendet, domicilium Cœlo præstantius. Gaude vnicum illius, qui nusquam capitur, amplissimum habitaculum. Gaude sancta terra virginea, ex qua nouus Adam formatur, qui veterem Adam seruet. Gaude fermentum sanctum, ac Deo gratum, ex quo totius generis humani massa fermentatur, & in vnius corporis Christi panem euadit, & admirabili ratione coagmentatur. Gaude gaudij mater Sempiterni, gaude noua Dei arca, in qua Dei spiritus conquiescit. Arca, in qua noster Noë Christus humanitatem seruauit; arca, in qua nouæ gloriæ sanctificatio, & qui natura sanctus est, in virginea naturæ officina corpus sibi ratione mirabili fabricatus est, non deponens id, quod erat; est enim benignus, & hominum amantissimus. Gaude vrna aurea, quæ contines illum, qui dulce manna, & mel è petra ingrato populo subministrauit. Gaude seraphica mystici carbonis ardentis forceps: & alia in hanc sententiam.

Eadem salutatio etiam Ecclesiæ congruit. S. Aug. S. Ambr.

VERVM Gabriel non solum personam Deiparæ, sed etiam in illa vniuersam Ecclesiam salutauit, ac gaudere, & lætari iussit, vt notat Augustinus serm. 12. de Natiuit. Domini: est enim Maria typus Ecclesiæ, vt docet Ambr. lib. 2. in Lucam cap. 1. Quocirca Pastoribus Angelus dixit, *Euãgelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie &c.* Erat quippe humanum genus in summa tristitia ante Virginis annuntiationem, summaque mæstitia vniuersa Ecclesia laborabat, quæ per hoc verbum, *Aue*, non solum à Deipara, sed ẽt ab Ecclesia per Christum, & Mariam remouetur. Solet autem scriptura quinq; causas tristitię afferre. Prima est captiuitas Thren. 1. *Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster; cecidit corona capitis nostri; Væ nobis, quia peccauimus; propterea mestum factum est cor nostrum; ideo contenebrati*

Quinq: causæ tristitiæ ex sacris literis. Thren. 5.

brati sunt oculi nostri : & loquitur Ieremias de captiuitate Aegyptiorum, & Assyriorum. Vnde paulò antè dixit; *Serui dominati sunt nostri; non fuit, qui redimeret de manu eorum:* & Dauid Psal. 136. *Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, cum recordaremur Sion*. Secunda est paupertas, de qua Salomon Prou. 15. *Omnes dies pauperis mali*. Tertia est infirmitas; Ecclesiastici 30. *Melior est pauper sanus, & fortis viribus, quàm diues imbecillis*. Quarta est cęcitas Thob. 5. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Quinta est sterilitas mulieris coniugatæ: vnde Genes. 15. cum Deus Abrahamo dixisset, *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. Respondit ipse, *Domine Deus, quid dabis, nunquid ego vadam absque liberis? mihi non dedisti semen*. Idem legitur de Anna matre Samuelis 1. Reg. 3. Atque ob has omnes causas Ecclesia in maxima tristitia, ingentiq; mæstitia versabatur. Erant enim homines sub tyrannide Dęmonis constituti, egeni, ac vacui donorum, & gratiarum spiritualium, debiles quantum ad voluntatem, & vim executiuam bonorum operum, cęci ex parte, cum in multis erroribus, & præcipue in idololatria, quamplurimi obuoluti essent. Erat quoq; Ecclesia admodum sterilis ante Christi aduentum, cum paucos filios Deo procrearet. Per incarnationem verò Christi, & Annuntiationem Mariæ Ecclesia, hoc est, homines in ea viuentes, fuerunt à Dęmonis captiuitate liberati, ditati, atque locupletati: fortes, & validi facti sunt, lumenque doctrinæ cęlestis receperunt per sacramenta, & dona Spiritus Sancti. Denique fœcundissima quam plurimos filios in vniuerso orbe procreando euasit. Quocirca iure optimo Esaias Propheta ad lætitiam illam adhortatus est, dicens; *Lætare sterilis, quæ non paris, &c.* & iterum: *lætabitur deserta, & inuia, & florebit quasi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans*. Atque hæ omnes causæ lætitiæ inuoluuntur in hac voce Gabrielis ad Mariam, *Aue*, quasi diceret: Per te ò Maria auferet Deus omnem cęcitatem, omnem infirmitatem, omnem egestatem, omnem captiuitatem, omnem denique sterilitatem, & infęcunditatem, quoad bona spiritualia ab hominibus, ac proinde, gaude, seu Aue; vndè etiam nomine totius creaturæ, & præcipuè rationalis, Gabrielem Virginem salutasse accipiendum est. Sic innuitur in lyturgia Iacobi Apostoli in illis verbis: Tibi ò plena gratiæ, vniuersa creatura gratulatur, Angelorum cętus, & hominum genus, quæ es templum sanctificatum, Paradisus spiritualis, Virginum gloria, ex qua Deus carnem assumpsit, & puer factus est, Deus noster, qui est ante sæcula. Tuum enim vterum thronum fecit, & tuum ventrem latiorem, & ampliorem Cœlis ipsis reddidit. Tibi ò gratia plena, vniuersa creatura gratulatur; gloria tibi, &c.

Psal. 136.
Eccl. 30.
Thob. 5.
Gen. 15.

Per Christū & Mariā ab omni tristitia Ecclesia liberata fuit.

FRANCISCVS Turrian. in ep. de Concept. Virginis, inquit. Per illud, *Aue*, significari, exulta, ac gaude, ac si dictum fuisset ab Angelo; exultet Spiritus tuus in Deo, sic enim posteà interpretata est ipsa Virgo in suo Cantico, verbum illud, *Aue*, quod ab Angelo audierat. Quamobrem vniuersa Ecclesia ei hodie congratulatur salutando illam eisdem angelicis verbis, sicut vicini congratulati sunt Elisabeth. *Audierunt*, inquit Lucas, *vicini, & congratulabantur ei*, quod Græcè est συνέχαιρον, composito verbo ex eo, quo vsus est Angelus in salutatione, nimirum, χαῖρε.

CAPVT OCTAVVM.

Exponitur, cur Angelus non dixerit: Aue Maria, sed: Aue gratia plena.

Propter nouitaté sublimitatis Angelus Mariã proprio nomine non salutauit.

CVR Gabriel, postquam dixit, *Aue*, Virginem proprio nomine non appellauerit, nec dixerit, *Aue Maria*, sed *Aue gratia plena*, primo loco in hoc capite videndum est.

ALBERTVS Magnus in libello super Missus est, cap. 6. eam huius rei reddit rationem, quòd cum Deipara ab hora salutationis statum mutauerit, & ex pura creatura ad statum diuinæ maternitatis sublimata fuerit; meritò non ordinario, ac vsitato, sed nouo, & eminentiori nomine ab Angelo salutanda, & nominanda erat; mutatio enim nominis, mutationem status, & eminentiam dignitatis significat. Vndeait, Angelum, vt magis honoraret Virginem, loco proprij nominis, quod est Maria, nomen nouum ei ex Dei voluntate imposuisse, scilicet, *gratia plena*, iuxta illud Esa. 62. *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit*; quod non solum de filio, sed etiam de matre, data proportione, accipi potest. Nec obstat, hoc nomen, *gratia plena*, alijs præter B. Virginem conuenire, nec esse Virgini nomen proprium; quoniam licèt sit circumlocutio tantum proprij nominis B. Virginis, & personæ ipsius; est tamẽ huiusmodi, vt nulli alij puræ creaturę propriè conueniat, nisi Deiparæ, cum absolutè super omnẽ puram creaturam, plenitudinem gratiæ, ipsa sola susceperit. Hæc enim sola tantum recepit gratiæ, vt pura creatura, quæ mater Dei non esset, tantum recipere non posset. Quapropter rectè Angelus loco proprij nominis dixit, *Gratia plena*, tamquam hæc eius esset insignis, ac singularis nota. Porrò nec errauit Angelus non apponendo, nec Ecclesia apponendo nomen *Maria*. Non errauit Angelus, quoniam in mandatis talem formam à Deo acceperat salutandi Virginem, licèt posteà illam opportunè Mariam appellauerit. Ecclesia verò nomen, *Maria*, apposuit in salutatione, dicens *Aue Maria gratia plena*, vt per illud, *gratia plena*, recolat Beatissimæ Virginis dignitatem; per *Maria*, inclinet eam ad nostram necessitatem. Ipsa enim *gratia plena*, per influentiam diuinæ bonitatis, data est nobis stella maris *Maria*, vt eius plenitudo gratiæ suppleat in nobis defectum culpæ. Et ipsa stella in firmamento gloriæ fixa nos naufragantes de statu miseriæ traducat ad portum salutationis æternæ.

Optimæ rationes afferuntur cur post salutationẽ Angelus nomine ꝑprio B. Virginẽ appellauerit.

CVR autem post salutationem eam proprio nomine appellauerit Angelus dicens, *Ne timeas Maria*, pulchrum est secundo quærere. Athanasius epist. ad Marcellinum de Interpret. Psalmorum, inuestigans, Cur Dauid Psalm. 44. appellauerit B. Virginem, filiam. *Audi*, inquit, *filia, & vide, & inclina aurem tuam, &c.* Gabriel verò suo nomine eam Mariam vocauerit, huiusmodi profert rationem. Vt hic indicaret, Virginem à suo genere diuersam, & alienam esse, vt potè quæ esset corporeæ substantiæ, ab incorporea plusquam genere distinctæ. Ille verò, Dauid nẽpè, significare voluit, ex suo semine oriundam, ac proindè eam filiam vocat. Sed age: nonnullæ aliæ rationes afferantur. Prima est, vt ostendat Angelus, quàm esset Deo cara, quantaq; beneuolentia Deus Virginem prosequeretur, qui .n. nobis cari sunt, eos nomine ꝑprio nominamus, iuxta illud

Exod. 33.

Exo. 33. *Noui te ex nomine, & inuenisti gratiã corã me.* Secunda, propriũ Angelus adiecit nomẽ ad maiorẽ propulsationẽ timoris, & fiduciã habẽdã ex hoc ipso, ꝙ

tamquam

tamquam à familiari, & domestico, nomine proprio appellaretur. Tertia, vt ostenderet amplitudinem diuinæ gratiæ, quam Deipara consecuta erat, quasi diceret Angelus: cum sis, ò Maria, puella quædam de filiabus hominum, in tãtam es dignitatẽ euecta, vt eam gratiam inueneris apud Deũ, qua mater filij æterni Dei effecta sis. Quarta ratio est Bonauenturæ, qui existimat, Angelũ proprio Mariæ nomine vsũ fuisse, vt insinuaret, illud in Cęlo scriptũ esse, ac proinde illi gaudendũ, nõ timendũ, iuxta illud Luc. 10. *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in Cælo.* Quinta, & vltima ratio sit, quoniã antea non erat locus opportunus, ac proprius pronunciandi nomen Deiparæ: dixerat .n. illi, *Aue*, hoc est, gaude, & illicò tres causas gaudendi assignat. Sic .n. phrasis, cõnexio, & series sermonis postulat, vt certiorẽ illã statim reddat, cur ad gaudiũ illã inuitauerit, ac si diceret; *Aue*, quia *gratia plena*, *Aue*, quia *Dñs tecum*, *Aue*, quia *benedicta tu in mulieribus*, vt sic per harũ triũ causarũ gaudij assignationẽ, totam Sanctissimã Trinitatẽ ad mysteriũ incarnationis effectiuè cõcurrere declararet. Patrẽ quidẽ obumbrando; Spiritum S. superueniendo, filiũ deniq; carnẽ ex ea accipiendo. Patrem eã gratiosã reddendo; filiũ in eius vtero substantialiter ac corporaliter mox existẽdo per futurã carnis susceptionẽ; Spititũ S. eã benedicendo. Patrẽ eligendo eã sibi in filiã, filiũ in matrẽ, Spiritũ S. in sponsam. Nec est aspernãda alia ratio Alberti Magni in Lucã, qui ait, Angelũ non interposuisse nomẽ Mariæ, quia hoc nomẽ tam plenæ significationis intelligi non poterat, nisi postquã gratiæ eius fuerant explanatæ; conuenienter igitur prius dicit, quòd sit gratia plena, quòd Dñs cũ illa sit, ꝙ sit benedicta singulariter inter mulieres; & deinde illã suo tẽpore, nomine proprio nominat, nẽpe Mariã. Omnẽ aũt difficultatẽ euacuat Syriaca lectio, quæ sic habet, vt paulò antè retulimus. Pax tibi, ò plena gratia, Dñs noster tecũ est: vbi proprij nominis interpositionẽ nõ fuisse faciẽdã declaratur. Appellauit .n. illã nomine dignitatis, quod in exordio salutationis opportune requirebatur; vt termino a quo missionis, terminus ad quem aliqua proportione responderet.

Ad mysterium Incarnationis tota Trinitas effectiuè concurrit.

STELLA in Lucam duas alias addit rationes; primam quia antonomasticè, per *Gratia plena*, Maria Virgo intelligitur, quæ inter oẽs creaturas Deo gratiosior, familiarior, & iucundior extitit. Secundã, quia Angelus egit cum Maria, tamquã cum cęlesti ciue, in cęlesti .n. patria nulla sunt propria nomina; quę propter mortalium ingenij tenuitatem, & angustiam intellectus humani inuenta sunt. Quod intelligendum est, quoad nominum impositionẽ; tunc .n. etiam Angeli propria recipiunt nomina, cum ad terram mittuntur, vt aliquo munere fungantur, propter quod nomen illis datur, quod antea, non habebant, aliàs etiam sanctorum nomina in Cœlis scripta sunt, vt dicitur Lucæ 10.

CAPVT NONVM.

Ponitur expositio verborum: Gratia plena.

HÆC est secunda pars salutationis, in qua Angelus, postquam pronunciauit, personam Deiparæ omni miseria, culpa, & peccati pœna vacuam & immunem esse; bonis deinde, donisq; supernaturalibus cumulatissimè ornatã, atque illustratam fuisse, exponit dicens *Gratia plena*. Absolutè autem Virginem plenam fuisse gratia dicit, vt significet non solum in se ipsa, sed etiam quoad Angelos, & homines gratiæ plenitudinem possidere, ità vt supra omnes homines, & Angelos plenitudinem gratiæ obtinere attestetur.

Plenitudo gratiæ in B. Virgine super Angelos & homines

Cur Angelus Virgini reuerentiam exhibuit.

BEATVS Thomas docet Opusc.4. ideò Angelum ei reuerentiam exhibuisse, vt ex hoc insinuaret, in illa esse gratiæ plenitudinẽ, quasi diceret, ideò exhibeo tibi reuerentiã, quia me excellis in plenitudine gratiæ. Addit aũt, Deiparam quantum ad tria fuisse plenã gratia. Primò quantũ ad animã, in qua habuit omnem plenitudinem gratiæ ad bonum operandum, & ad malum vitãdum. Secundò quoniam abundantia, seu plenitudo gratiæ in anima eius ad carnem, vel corpus redundauit. Magnũ quippè est, inquit S. Thomas, in sanctis habere tantum de gratia, quod sanctificet animam: sed anima B. Virginis ità fuit plena, quòd ex ea refudit gratiam in carnem, vnde ipsa conciperet filium Dei. Et ideo dicit Hugo de Sancto Victore. Quia in corde eius amor Spiritus Sancti singulariter ardebat, ideò in carne eius mirabilia faciebat, in tantum quòd de ea nasceretur Deus, & homo. Lucæ 1. *Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Et licèt in omni habente gratiam, ex anima, quæ est immediatè subiectum gratiæ, redundent in corpus effectus gratiæ, nunc, & in patria, vt docet idem Sanctus Thomam alibi tamen in carne Virginis potentiores fuisse effectus gratiæ, ob Christum conceptũ, tàm in hac, quam in futura vita, negari non potest. Tertiò quantum ad refusionem in homines omnes. Magnum enim est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum; sed quando haberet tantũ, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum. Et hoc est in Christo, & in B. Virgine. Nam in omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa. Vnde Cant. 4. *Mille clypei*, idest, remedia contrà pericula, *pendent, &c.* Item in omni opere virtutis, potes eam habere in adiutoriũ, & ideo dicit ipsa Eccl. 24. *In me omnis spes vitæ, & virtutis*. Sic ergo plena est gratia, & excedit Angelos in plenitudine gratiæ: propter hoc conuenienter vocatur, *Maria*, quæ interpretatur illuminata in se. Vnde Esai. 58. *implebit splendoribus animam tuam*: & illuminatrix in alios, quantum ad totum mundum, & ideo assimilatur soli, & lunæ. Hactenus ex S. Thoma, qui etiam addit, quòd Deipara omnium virtutum opera exercuit, quod alijs sanctis communicatum non fuit, qui dati quidem fuerunt in exemplum specialium virtutum; at Virgo in exactissimum omnium virtutum, omnium donorum, omnium charismatum spiritualium, cunctarum denique gratiarum exemplar, & perfectissimam idæam exhibita fuit: quare rectè in salutatione dicitur, *Gratia plena*, ita vt nec iota vnum, vel minimus apex virtutum, & diuinarum perfectionum, quæ omnibus creaturis cõmunicari possunt, ei desit; est enim tota pulchra, tota formosa, & tota dilecta, speciosa, & gratiosa, cuius memoriam Pater fęcundabat diuinis recordationibus, monitis, ac oraculis Prophetarum. Cuius intellectum filius supernis splendoribus illustrabat, internisque locutionibus, ac celestibus radijs clarificabat. Cuius voluntatem Spiritus Sanctus igne charitatis inflammabat. Cuius animam Spiritus Sanctus per diuinam charitatem in ea habitantem copiosissimè diffusam possidebat. Cuius omnia, quæ intrà ipsam sunt, hoc est, potentiæ, virtutes, habitus, facultates, diuina rectitudine, ac sanctitate referta Virginem Deo carissimam, & gratissimam reddebant. Cuius cor, & caro semper exultabant in Deum viuum. Cuius capilli, & comæ capitis, hoc est cogitationes in Dei contemplationem semper elatæ fuere. Ac proinde, gratia plena meritò nuncupatur.

Cant. 4.

Eccl. 24.

Isai. 58.

B. Virgo habuit omnes perfectiones, quæ creaturis conuenire possũt.

Quid hoc loco nomine gratiæ intelligatur.

VERVM quò magis proprium horum verborum sensum habeamus, sciendum est, per gratiam non solum hoc in loco accipi fauorem quendam externum, atque acceptationem diuinam ergà Mariam, sed præcipuè internum quoddam donum, & qualitatem quandam inhærentem, & bonitatem, & sanctitatem diuinam, infusam animæ Deiparæ, hoc est gratiam habi-

habitualem, per quam intrinsecè Deo simillima, amabilis, dilecta, grata, formosa, & speciosa reddebatur: sic veteres Patres iuxtà catholicam doctrinam de gratia iustificante, & gratum hominem Deo faciente censent. Dionysius, vt superius diximus lib. de Eccles. Hierarch. cap. 1. gratiam iustificantem, Deificationem appellat, ac Dei similitudinem, per quam creatura creatori amabilis, grata, atque dilecta redditur. Gregorius Nyssenus lib. de perfect. homin. form. puritatem à Christo, tamquam à fonte in nos emanatam, Basilius lib. de Spiritu sancto, eiusdem Spiritus Sancti participationem, Chrysostom. in Psal. 118. bonitatem infusam, Eusebius in lib. de corpore, & sanguine Domini, intimam, & occultam puritatem. Cyrillus Alexandrinus lib. 11. Thesauri cap. 3. & 5. inhærentem nobis sanctitatem à Christo communicatam. Prosper de liber. arbitr. cœlestem virtutem, & Deum ipsum in nobis habitantem. Macharius lib. de perfect. spirituali, arcana quædam cœlestis pulchritudinis vestimenta, Ambrosius cap. 2. prioris epist. ad Thimotheum, diuinam animæ medelam, Augustinus epist. 85. ad Consent. interioris hominis pulchritudinem, & pignus, donumq; Spiritus sancti.

SENSVS igitur horum verborum Gabrielis erit: *Aue*, ò puella Deo simillima, purissima, Spiritus sancti gratiæ summè, ac plenè particeps, quę maximam bonitatem, sanctitatem, & virtutem à Deo recepisti, quæ Deum ipsum, intimius in te habitantem, habes; quæ es decore, ac pulchritudine cœlesti induta, Spiritus sancti pignore, ac donis cumulatissimè ditata, ac decorata, contrà omnem peccati infirmitatem, & morbum diuinæ gratiæ medela præseruata, quæ non specialis cuiusdam gratiæ plenitudinem, sed generalis gratiæ copiā, & amplitudinem recepisti, cum mater gratiæ, & omnium viuētium, immò ipsius filij Dei electa sis. — *Paraphrasis verborum Angeli in hac prima salutatione.*

MALDONATVS putat, hæc duo diuersa, ac distincta esse: plenum gratia, & plenum Spiritu sancto; immò plus quiddam esse, repleri gratia, quàm repleri Spiritu Sancto, si scripturarum consuetudinem attendamus; quæ dum multos Spiritu sancto, paucissimos gratia repletos fuisse docet, haud obscurè significat, tantò maius, quantò rarius hoc esse, quàm illud. Non quòd Spiritus sanctus, qui fons, atque auctor est gratiæ, gratia ipsa minor sit; maiorem enim, vt effectu causam, vt creatura creatorē esse, necesse est; sed quòd qui Spiritu sancto impleri dicuntur, non ipso Spiritu, sed dono aliquo Spiritus, quod se se foris in faciendis signis, aut alia re quapiam mirabili ostendat, dicantur impleri. Qui verò gratia, non dono tantum aliquo, sed & gratia iustificante, & omnium donorum largitate, quatenus humana natura capit, compleri intelligatur. Hæc ille. Quam tamen obseruationem non existimo perpetuò, & semper veram esse: tum quia ipsamet gratia est donum Spiritus sancti, iuxtà illud Io. 4. *si scires donum Dei*, vt Athan. lib. de incarnat. Christi, & Cyrill. lib. 2. in Ioann. cap. 82. benè exponunt; tum etiam quia illa duo sæpè confunduntur in scripturis, & pro eodem vsurpantur, vt Act. 9. de Paulo dicitur: *vt videas, & implearis Spiritu sancto*; & statim subditur; *& surgens baptizatus est*, tūc enim per baptismum gratiam recepit iustificantem, & hominem Deo gratum facientem: Et alibi sæpè in scripturis nomen Spiritus sancti pro ipsa gratia iustificante accipitur, vt Psalm. 50. *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me*, licèt Euthymius id intelligat de dono Prophetiæ. — *An sit idē esse plenum gratia, & esse plenum Spiritu sancto.* — *Ioann. 4.* — *Act. 9.*

S. Athanasius serm. de Deipara existimat, *gratia plena*, esse cognomen Deiparæ in Cœlo ab Angelis sic appellatæ. Quocirca rectè Gabriel suo cognomine proprio illam vocauit, quasi per Antonomasiam, & excellentiam Deipara sic appelletur, & quasi Virginis proprium epithetum, ne dum in humana, sed etiam in cœlesti curia vsurpatum. Quæri hic posset, an congruentius Deipara — *Gratia plena, propriū cognomē B. Virginis.*

appellan-

appellanda fuerit, gloria plena. Verùm dum viatrix erat, rectius nuncupatur, gratia plena; repugnat enim statui puri viatoris habere plenitudinem gloriæ, iuxtà illud. *Non videbit me homo, & viuet*; non quidem per modum transeuntis, sed per modum possidentis. Adde quòd esse plenum gloria est proprium Dei, Isaiæ 6.

CAPVT DECIMVM.

Ex Græcis idiotismis declarantur hæc verba: Gratia plena.

Gratia plena apud Græcos est participium passiuum.

VNA sola dictione, seu vocabulo græci exprimunt, quod nos latini duobus verbis dicimus: illi κεχαριτωμένη, nos *Gratia plena*, & est apud Græcos participium passiuum in fœminina significatione, descendens à verbo, χαριτόω, quod deriuatur à nomine, χάρις, quod latinè dicitur Gratia: qđ Grçcum participium omnes veteres Authores verum, ac germanum sensum Gabrielis diuina inspiratione assecuti, verterunt, *Gratia plena*. Ambrosius hoc loco, Augustinus in Enchyr. c. 36. & ser. 13. 14. 15. 18. & 21. de tempore, Hieronymus epist. ad Principiam Virginem, Sophronius, aut alius author, serm. de Assumpt. Mariæ, Eusebius Emissenus in hæc verba Lucæ. *Missus est Angelus Gabriel, &c.* Bernardus, & alij, quorum sententias inferius recitabimus. Aduersus quos insurrexerunt tum Grammatici, tum Hæretici: Grammatici quidem asserentes in eo græco participio non significari plenitudinem, ac proinde non esse vertēdum, *Gratia plena*, sed gratiosa, seu grata. Hæretici verò ex hac Grammatica occasionem sumentes, & dignitati Virginis semper detrahere desudantes, atque à verò sensu Gabrielis recedentes, multas eius verbi interpretationes finxerunt. Alij enim gratiosam, alij gratam, alij dilectam, alij acceptam, alij gratiam consecutam, alij in gratiam acceptam, alij gratis dilectam, alij gratis iustificatam, alij denique, vt Erasmus annot. 31. in Lucam, pulchram, seù libere dilectam.

Participia quędã apud Græcos significant plenitudinem.

VERVM ex principijs grammatices liquido constat, omnia nomina verbalia, seu participia, quæ deriuātur à verbis græcis terminatis in ο ω significare copiam, abundantiam, atque amplissimam plenitudinem; sicut ea, quæ apud latinos terminantur in osus, velut cum dicimus pecuniosus, non solum significamus eum, qui diuitias, sed qui maximas diuitias possidet; vnde rectè noster interpres vertit, sensum Gabrielis assecutus, *gratia plena*; vt significaret non quouis modo gratam Deiparam fuisse, sed abundantissimè, ac plenissimè gratã, ideoque participium nominaliter accepit, ac proinde non vertit, gratia repleta, sed plena gratia, vt ex Chrys. paulò post probabimus.

Triplex acceptio nominis gratiæ.

AT verò quò legitimus sensus Gabrielis innotescat, aliquid de nomine gratiæ, tum ex scripturis, tum ex prophanis auctoribus proferendum est. Tripliciter autem apud illos, vt etiam post alios notauit Toletus annotat. 46. in cap. 1. Lucæ, nomen χάρις, seu gratia vsurpatur. Primò pro quadam animi complacentia, qua vnus alteri placet. Genes. 39. *Inuenit Ioseph gratiam coram Domino suo*, idest placuit, & acceptus fuit Domino suo. Et Esther 2. *Inueniebat Esther gratiam apud omnes, qui videbant eam*, idest placebat, & grata erat oculis videntium. Lege Phylonem de Ioseph, vbi egregiè explanat, quid sit, Ioseph gratiam coram Domino suo inuenisse, hoc est, ab emptore suo ob egregium specimen honestatis, & generositatis cæteris conseruis suis præpositum fuisse, & idoneum

Esther. 2.

aptumq;

aptumque dispensationi domesticæ, atque publicæ administrationi iudicatum. Hæc autem complacentia, χάρις, & gratia dicitur, & differt ab amore; amor enim est effectus quidam, quo alteri bonum volumus, gratia verò affectus, quo aliquis nobis gratiosus, & acceptus est; & apud Græcos χάρις distinguitur ab ἀγάπη. Illud enim gratiam, hoc verò amorem significat. Secūdò significat beneficium, quod ex complacentia procedit; solemus enim beneficia conferre, & fauoribus afficere eos, qui nobis placent, & de quibus complacentiam habemus; ac proindè ipsum beneficium gratia dicitur. Eccles. 29. *Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris.* Gen. 12. *Viuat anima mea ob gratiam tui.* Nec qualecunque beneficium gratia appellatur, sed quod gratis, & sine vllo pretio, vel merito vltrò, ac libenter confertur, ad Roman. 11. *Si gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia;* & ad Rom. 1. *Per quem accepimus gratiam, & apostolatum;* vt exponit Crhys. serm. 1. in priorem epistolam ad Corinth. Tertiò, hoc nomen gratiæ significat fundamentum, seu aliquid existens in eo, qui nobis placet, & arridet, per quod nobis gratus, & acceptus est. Daniel. 1. *Dedit ei gratiam in conspectu Principis Eunuchorum.* Eccles. 26. *Gratia super gratiam, mulier sancta, & pudorata.* Illud igitur, quo & per quod complacentiam habemus, gratia dicitur; & hinc fit, gratiam significare leporem, venustatem, & elegantiam, prout connotat donum, seù rem aliquam, quæ hominem lepidum venustum, & elegantem reddat. Atque hoc modo sumitur in hac salutatione Angelica *Gratia plena*, & habet longè diuersum sensum à voce, gratiosa, vt optimè notauit Caietanus; gratiosa enim acceptam, placentem, & dilectam personam significat, & actum potius diligentis, & complacentis connotat. At plena gratia, significat personam illam effectam esse gratiosam per donum Dei illi inhærens. Fuit igitur intentio Angeli explicare plenitudinem donorum diuinæ gratiæ in Virgine existētium, propter quæ dona reddita est gratiosa, ac ipsi Deo cara. Atq; ab hoc nomine χάρις, iuxtà hanc tertiam significationem deriuatur verbū χαριτόω, quod propriè significat non solum gratifico, sed gratia impleo, vt in Græco lexico illud verbū sic exponi, & verti notauit Edouardus Leus; etsi Basileensia & Geneuensia lexica postea impressa, Erasmi corruptelā sequantur. Hoc verbo vsus est Paulus ad Ephes. 1. *In laudem*, inquiens, *gloriæ, & gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo*, hoc est, Deus per Christum fecit nos gratos sibi, donans ea, quę ipsi placent, & quæ ei nos acceptos, & gratos efficiunt. Quare S. Chrysostomus in eundem locum Pauli eleganter exprimit differentiam inter verbum χαρίζομαι, quod propriè gratifico significat, & verbum χαριτόω, quod longè maiorem vim habet, sic scribens. Non vtique ἐχαρίσατο dixit, hoc est, non solū à peccatis exemit; sed ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς, idest, sibi mirè gratiosos reddidit, atque amabiles. Quemadmodum enim si quispiam vnum ex eorum numero, qui cutim habent extima scabie opertam desumpserit curandum; adde peste vitiatum, aut morbo incurabili, senioque cōfectū, & prætereà paupertate, atque inedia; hunc talem confestim reddat ex deformi, bonitate formæ conspicuum, ex vetulo iuuenculum, vt qui cunctos anteeat præstantia decoris eximij, qui ex ipsis malis splendorem euibret, qui oculorum ictibus iubar quoddam roseum occultet. Deinde nostrum hunc seniculum in ipso constituat flore ætatis. Ad hæc purpureo circūdet amiculo, caput cingat diademate, omnique cultu condecoret. Ad hunc sanè modū animam nostram adornauit, elegantem reddidit, ac desiderabilem, & mirè amabilem. Angeli enim ipsi vehementer affectant talem contemplari animam, Archangeli, omnes deniq; sancti. Sic nos cunctis mirificè gratiosos cōdidit Deus, sibique etiam desiderabiles. *Concupiscet* enim, inquit, *Rex decorem tuum*. Hæc ille. Hinc patet, legitimum fuisse sensum Gabrielis non solum, vt gratiosam, & dilectam Virginem salutaret, sed & plenam gratia; hoc enim omnes expressius, & per-

Eccles. 29.
Genes. 12.
ad Rom. 11.
Dan. 1.
Eccles. 26.
Discrimē inter gratia plenam, & gratiosam.
Ad Ephes. 1.
S. Chrysost.

& perfectius vim vocis græcæ significat, & gratiam existentem in B. Virgine verius manifestat. Quocirca latini Patres omnes vocis proprietatem sequuti nō nisi, *gratia plena*, sæpè legerunt. Porro S. Hieronymus epistola ad Principiam sic scribit. Sancta Maria, quæ conceperat eum, in quo omnis diuinitatis plenitudo habitat corporaliter, plena gratia salutatur. Et serm. de Assumpt. B. Virginis similiter, *gratia plena*, terque quaterque legit. S. Ambro. lib. 1. cap. 2. in Lucam. Benè sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, vt gratiæ repleretur auctore. Chrysologus serm. 142. ait: Benè plena, quia cæteris per partes præstatur; Mariç verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Hoc quippe est, quod Dauid canit: *Descendet sicut pluuia in vellus*. S. August. in Enchyrid. ad Laurentium ca. 36. scribit. Sic & eius matrem Angelus salutauit, quando ei futurum annuntiauit hunc partum: *Aue*, inquit, *gratia plena*. Et infra: Inuenisti, ait, gratiam apud Deum. Et hæc quidem, gratia plena, & inuenisse gratiam apud Deum dicitur, vt Domini sui, immò Domini omnium mater esset. Tum ab eodem August. serm. 2. in Natali Domini scribitur: Cum dixit Angelus, *Aue gratia plena*, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam, & ser. 17. in Natali Domini. Gratia refertur pro culpa, plena dicitur, nō vacua. Impleta est gratia, & euacuata est culpa. Hoc modo ipsa venerabilis Virgo nostra in suo Cātico plausit. *Esurientes impleuit bonis*. Idem quoque Beda affirmat in c. 1. Lucæ dicens: Benè gratia plena vocatur, quæ nimirum gratiam, quam nulla alia meruerat, assequitur, vt ipsum videlicèt gratiæ concipiat, & generet auctorem. Eusebius Emissenus in Euangelio Lucæ. *Missus est Gabriel*: Quis namque, inquit, tantā gratiā habuit, quantā Virgo Maria? alijs enim ad mensuram datur: *hæc* autem gratia plena dicitur. Considera modò, quantæ ante eam, quantæ post eā mulieres, & Virgines fuerunt. Hæc tamen sola mater Domini fieri meruit. Magna enim & ineffabilis gratia est, vt vna ex tantis millibus eligatur, quæ cum gratia plena sit, priusquam concipiat, post cōceptionem quanta Dei abundauit gratia, quis cogitare possit? Petrus Damianus serm. 3. de Natiuit. Mariæ, hanc rem sic elegantissimis verbis illustrat. O nouum, & inauditum angelicæ *salutationis* obsequium. Plenam appellat gratia, quia ipse in eam descendebat, per quem omni mundo collata est gratia. Et rursus: Quid sanctitatis, quid iustitiç, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, *quæ totius* diuinæ gratiæ charismate plena fuit? sic namque ab Angelo dum salutaretur audiuit: *Aue gratia plena, Dominus tecum*. Quid rogo vitij in eius mente, vel corpore vendicare sibi potuit locum, quæ ad instar Cœli, plenitudine totius diuinitatis meruit esse sacrarium? In Christo enim sicut per Paulum ad Coloss. 2. dicitur, habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Nec mirum si cunctorum merita transcendat mortalium, quæ & ipsam superexcedit celsitudinem Angelorum: Sic ille. S. Athanasius, vt interim alios latinos Patres, quos tamen sequenti capite citabimus, prætereamus; & vnum atque alterum ex Græcis testimonium adducamus; serm. in Euangel. de sanctissima Deipara, ait. Spiritus sanctus in Virginem descēdit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, ideoque gratia plena cognominata est, quia omnibus gratijs abundabat. Theophylactus in Comment. ad Lucæ c. 1. idem docet, dicens, illud gratiosam factam esse, idem esse quod inuenire gratiam apud Deum, hoc est, Deo summè, ac singulariter placere. Putat enim hoc, *Gratia plena*, explicari per illud quod Angelus subiecit: *Inuenisti gratiam apud Deum*. Accedat huc S. Epiphanius hæres. 78. propè finem, vbi, vt significationem participij κεχαριτωμένη, explicaret, addidit verbū expressum secūdū omnia κεχαριτωμένη, quo plenitudinem, & abundantiam exprimeret, quç eo nomine insinuata erat.

S. Hieron. S. Ambr. S. Pet. Chrysol. S. Aug. D. Beda. Euseb. Emiss. S. Pet. Dam. S. Athanas. Theophylact. S. Epiphan.

HOME-

HOMERVS huiusmodi verbum κεχαριτόμενος, pro vnicè dilecto vsurpat. ἐμῷ κεχαριτόμενε θυμῷ, *idest aio meo* dilectissime. Verè autem Deipara à Deo vnicè dilecta fuit, cum Dominus eius speciem, pulchritudinem, atque decorem concupiuerit. Psalm. 44. Manu enim summi artificis constructa, & fabricata fuit, vt esset cōgrua, ac digna mater Dei. Cantic. 7. *Quam pulchra es, & quam decora carissima, in delicijs*. Lege eundem Athanasium ad Marcellinum. Et licèt nonnulli Patres videantur, hanc plenitudinem gratiæ referre ad donum diuinæ maternitatis in Virgine, tamen quia de facto hoc in illa supponebat summā copiam gratiæ habitualis, & iustificantis, apposité loquuti sunt; cum hæc fuerit medium opportunum, vt digna mater Dei foret, vt mox dicemus. Cant. 7.

CAPVT VNDECIMVM.

Quanàm gratia Deipara plena ab Angelo dicatur.

DECLARANDVM est in hoc capite, quanàm ratione Maria gratia plena dicta sit. Varij enim Doctores varias assignant causas. Quidam in eo huiusmodi plenitudinem gratiæ constituunt, quòd Christus, *in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, & *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*, ad Colossen. 2. & 3. in Deipara habitaret, vel mox per carnis susceptionē habitaturus esset: ita Hieronym. epist. citat. ad Principiam, Sophronius, Eusebius Emissenus, Aug. locis citatis, Bern. hom. de laudibus Virginis, & Anselmus in lib. de excellentia Virginis, sic scribens: Nos de plenitudine filij Dei accepimus. Hæc Virgo ipsam plenitudinem accepit, concepit, peperit. Et rursus August. lib. 50. homiliar. homi. 44. cum dixisset, ò verè gratia plena; quis hanc gratiam explicet? Quis huic gratiæ gratias agendo sufficiat? Paulò post subiungit: caro fit Verbum, sed caro accedit ad Verbum, non perit in ea carne Verbum; ò gratia; vt hoc haberemus, quo digni eramus? Verùm hæc expositio licèt bona sit, & vera, fuit enim hæc eximia Virginis gratia, & maximum beneficium, vt eligeretur in matrem Dei; puto tamen magis literæ accommodatam esse aliam Patrum explicationem, qui hæc verba interpretantur de gratia habituali, & iustificante, qua plena erat Maria ante Angeli annuntiationem, vt affirmant hi Patres. Chrysologus, Rupertus lib. 6. in Cantic. Beda, S. Ambrosius, & S. Augustinus, si rectè illorum verba perpendantur. Ipse quoque Bernardus hom. 29. super Cantica, serm. de Natiuit. Mariæ, & hom. 3. de B. Virgine, Petrus Cluniacēsis lib. 1. epist. 5. Richardus de S. Victore lib. 2. de Emanuel. cap. 29. & 30. Dionysius Carthusianus lib. 3. de præconio, & dignitate B. Mariæ, & quam plurimi alij interpretes, præter scholasticos inferius citandos, quos omnes Athanasius oratione de Sancta Deipara, cuius verba superius allata sunt, & antiquitate, & splendore sententiarum superat. Ea de causa, inquit, factum est, vt gratia plena appellata sis, vt potè omni gratia abundares: & iterum, ò Sanctissima Virgo, tribue nobis pro exiguis istis colloquijs magna dona ex diuitijs tuarum gratiarum. Tu, quæ gratia plena es. Vnde S. Augustinus serm. de tempore. Dignum, inquit, erat, vt regali onustanda partu, prius cœlestis regis sanctificaretur ingressu, per gratiam nempè iustificantem. Sic ex singulari plenitudine gratiæ, iam antequam Angelus loqueretur, Deo se virginem dedicauerat. Quod his verbis idem docet Augustinus, de Sancta Virginit.

Maria plena gratia propter Christum in ea habitantem.

Maria plena gratia habituali ante Angeli annuntiationē.

S. Athanas.

S. August.

ginit.cap.4.dicens. Ipsa eius virginitas gratior,& acceptior Deo erat,quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret, ipse præripuit; sed priusquam conciperetur,iam Deo dicatam,de qua nasceretur,elegit. Cuius postrema verba ponderanda sunt. Non enim docet,Deiparam solùm plenam fuisse gratia,& Deo gratam,quòd illum fauorem,& gratiam apud Deum inuenerit, vt Dei mater esset;(quod dumtaxat Hæretici volunt) sed præterea anteà Deo gratam,per dona gratiæ iustificantis,inhærentis in eius anima , per habitus virtutum infusos in ea existentes,& per charismata Spiritus sancti in ea habitantis, Deoque dicatam illam fuisse; ideoque, vt talem à Deo electam,vt filij sui mater esset. Inuenerat enim gratiam apud Deum,idest tam grata Deo inuenta est, tàm beneplacens,tàm pura,& sancta Virgo,vt apta,& idonea esset,(non sanè ex se,sed ex Dei gratia speciali,vt cæteri iusti,& sancti omnes)quæ filium Altissimi conciperet,& pareret. In hoc sensu scripsit verba illa S.Bernardus hom.3. super Missus est. Verbum Dei ante factus est magister Virginis, quàm *filius* , & qui Angelum miserat ad Virginem,ab Angelo inuentus est esse cum Virgine. *Hæc* ille . Hoc autem, quod docemus verissimum esse, ostendunt verba Gabrielis, qui dixit κεχαριτωμένη, quod est verbum præteriti temporis,vt significaret illam etiam ante annuntiationem, & conceptionem Christi fuisse plenam gratia, licèt deinde abundantiorem in Christi conceptione gratiam recepturа esset, vt inferius latius demonstrabimus . Ex eo enim fuit Deo grata , & ab eo *dilecta* , præcisè loquendo; non tantum, quia mater eius futura erat; sed quia amplissima ei dona gratiæ iustificantis concesserat, vt sic inuenta, & ornata dignè mater Christi foret. Non solum igitur ob donum gratiæ gratis datæ,sed præcipuè propter gratiam iustificantem plena gratia dicta fuit, vt innuitur Lucę 11. *Beatus venter qui te portauit, &c. Beati qui audiunt verbum Dei,& custodiũt illud.*

S. Bernard.

CAPVT DVODECIMVM.

Κεχαριτωμένη amplius contra Hæreticos illustratur.

Hæreticorum impietas in explicãdis his verbis, gratia plena.

VALDE mirum est, & vix credibile, quàm dolose, ac vehementer in hanc vnam vocem virginearum laudum obtrectatores Hæretici inuehantur. Cumque varias,ac multas interpretationes illi conuenire , & quadrare affirment; hanc vnam, quæ in vulgato codice est, *gratia plena*,carpũt, condemnant, delent. Gratiosa alius, alius grata, alius dilecta, alius,atque alius alio, atque alio modo græcã hanc vocem interpretatus est,non vt verum sensum illius exprimant, sed vt plenitudini virgineæ gratiæ detrahant, quam iniqui Mariæ hostes contrahunt, & illi datam esse autumant ad mensuram non ad plenitudinem dignitatis maternitatis Diuinæ, Thesauri linguæ Græcæ auctor, vt omne meritum,etiam de congruo Beatæ Virgini deneget,suam huiusmodi affert interpretationem κεχαριτωμένος vsus est Lucas Euangelij capite primo , ibi enim Angelus dicit Mariæ χαῖρε κεχαριτωμένη, vbi reddi fortassis queat; quæ gratia donata es: vult autẽ significare, Deum pro sua gratuita bonitate gratam illam, & acceptam habuisse. Vnde quidam interpres vertit . Gratis dilecta , at Erasmus reddidit, Gratiosa: Vetus interpres, *Gratia plena* . Hæc impius ille , quibus venenatum illud odium, quo erga B. Virginem affectus erat, more sepiæ spargens,se ipsum occulit. Id quod aliquanto apertius facit in verbo, εὑρίσκω, vbi ex Bezæ interpretatione,dãnatæ memoriç hominis. Illud aũt,inquit, Luc. c. 1. Εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ θεῷ, idem interpretatur, in gratia es apud Deum, vel inuenisti, fa-

ue,

ue, nacta es gratiam; non tamen, vt vllum hic intelligatur meritum, cum inuenire, & εὑρίσκειν interdum de eo etiam dicatur, quod nihil tale quærenti, vel speranti obtigerit, ne dum vt studuerit promereri; aut casu accidisse putetur. Sed & ibidem idem auctor aliud, quod Pelagianismum sapit, ex eodem Beza affert. Cum enim dixisset, verbum εὑρίσκω significare, Pro labore meo aliquid consequor; Et sic, inquit, accipit Beza Matth. cap. 16. ὃς δ' ἂν ἀπολέσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, εὑρήσει αὐτήν. i. Qui autem perdiderit animam suã propter me, inueniet eã. Vbi vides, lector, quam bellè in seipsam mentiatur mendax improbitas. Egregius hic vir in vna eademque sectiuncula verbi, εὑρίσκω, ut Mariæ aduersetur, illud significare docet; casu inuenio: mox vt Pelagio faueat, contrarium dicere audet, & illud idem verbum, Pro labore meo aliquid consequor; interpretatur. Egregius, inquam vir, qui veterem interpretationem κεχαριτωμένη, *Gratia plena*, non probat. Hesychij verò illam non improbat, qui καρπομένη exponit καρπῷ πλήθουσα, & alias huiusmodi complures participiũ similium à verbis in όω deriuatorum interpretationes admittit in suo Thesauro. Nimirum, haud minus verũ illud est, quàm tritum vetustate prouerbium; *Oportet mẽdacem esse memorẽ.* Sapiẽter verò Theophylactus, quẽ supra adduximus, ait τὸ κεχαριτῶσθαι idẽ esse, qđ τὸ ἔχειν χάριν; quasi dicat, cũ participiũ κεχαριτωμένη nomen χάρις, contineat, eoque quodammodo constet, ac repleatur, rectè exponitur gratia plena. nam & hoc sequentia Angeli dicta confirmant, *Inuenisti gratiam, &c.*

CVM autem χάρις idest gratia, ducatur à χαρά idest gaudium, & hoc à χαίρω idest gaudeo, per hanc vocẽ κεχαριτωμένη in qua χάρις inuoluitur, videtur reddi causa, & ratio illius gaudij, ad quod inuitat Angelus Virginem salutatione ipsa χαῖρε. Rectè .n. Plutarchus, χαρᾶς, inquit, γὰρ οὐδὲν οὕτως γόνιμον ἐστιν, ὡς χάρις. i. Gaudij enim nulla res tam ferax gratia est: & Xenoph. οὐδ' ἐνὶ οὕτω χάρις, ὡς φίλοις ἀγαθοῖς. Nulla ex re tantam capis voluptatem, quantam ex amicis bonis. Et vir doctissimus apud Stobæum serm. 101. tribus illis bonis, in quibus summum bonum ponebant veteres, nimirum, valetudini, pulchritudini, & diuitijs, quartum addit, ἡβᾶν μετὰ τῶν φίλων. i. Aetate vigere cum amicis. Quòd si tanti est ad lætitiam momenti, bonos habere amicos mortales, quantum, obsecro gaudij Beatæ Virgini attulisse existimandum est, ipsum amicum habere immortalem Deum?

CÆTERVM, χάρις ὑμῖν, καὶ εἰρήνη, *Gratia vobis, & pax*; consueta est Pauli Apostoli salutatio: nimirum in Christi fidelibus optantis, quod in Virgine, κεχαριτωμένη, gratia iam plena, consummatum Angelus agnouit.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

De multiplici plenitudine gratię, qua Deipara à Deo cumulata est.

SEPTEM gratiæ plenitudines cumulatissimè in Deipara fuere, præter eas, quas in alijs partibus huius operis enarrauimus.

PRIMO enim dicimus, Deiparam habuisse gratiam secundum omnes suas species, diuisiones, & differentias, hoc est, tàm secundum partes essentiales, quæ hominem quantum ad rectitudinem, & sanctitatem, & innocentiam absolutè perfectum reddunt; huiusmodi sunt, donum gratię iustificantis, fides, spes, charitas, cæteræque

Gratia secundũ omnes suas species, & diuisiones in B. Virgine.

Mm virtu-

virtutes, dona, & fructus Spiritus sancti, atque beatitudines: quam secundum partes non essentiales, quæ reddunt hominem perfectum in ordine ad alium, & non præcipuè propter propriam, sed propter aliorum vtilitatem dantur, vt donum linguarum, & prophetię, virtus miraculorum, gratia sanitatum, interpretatio sermonum, & illa omnia, quæ dicuntur gratiæ gratis datæ. Hæc est enim gratię prima differentia, seu diuisio, vt docet S. Thom. 1.2.q.111.art.1. & 3.par.quęst.7.art.7.ad 1.& ante illum S.Paulus 1.ad Corinth. 12. diuisionem gratiarum ponens, quas omnes Deus non singulis hominibus confert, sed pro suo beneplacito singulis earum partem distribuit.

S. Thomas.

AT verò Deiparæ omnes gratiæ partes, diuisiones, membra, & species contulit, & in ea locupletissimè coadunauit, vt verè, tum quantùm ad gratiam gratis datã, tum etiam quantùm ad gratiam gratum facientem, super omnes Sanctos, Angelos, & iustos homines gratia plena sit. De hac plenitudine locutus est S. Athanas. serm. citat. de Deipara sic scribens. Ita quoque Spiritus sanctus descendit in Virginem cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi per rationem principatus diuini adsunt, imbuens eam in gratia, vt in omnibus gratiosa esset: atque idcirco gratia plena cognominata est, eo quòd adimpletione Spiritus sancti omnibus gratijs abundaret. Hæc ille. Et Hieronymus, seù Sophronius serm. de Assumpt. B. Marię: *Aue*, inquit, *gratia plena*, & benè plena, quia cæteris per partes præstatur, Mariæ uerò simul se tota infudit plenitudo gratię. Hoc quippe est, quod Dauid canit: Descendet sicut pluuia in vellus. Et inferius. Hinc & Maria cunctis tantò venerabilior, quantò gratiosior, & quantò virtute altissimi extollitur ad sublimia, tantò clarior resultat in gloria. Plena siquidem gratia, plena Deo, plena virtutibus, nõ potest non possidere plenè gloriam claritatis ęternę, quam plenissimè accepit, vt mater fieret Saluatoris. Quam viderunt omnes filiæ Sion, & beatissimam prędicauerunt, ac Reginæ laudauerunt eam; quoniam tantam eam viderunt, quantam nullus narrando explicet mortalium; quantò magis Deum, qui talem, ac tantam fecit eam, vt ipse fieret per eam. Vnde Dauid Psal. 86. Et homo, inquit, natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. Hactenus ille: lege S. Thomam 3. par. q. 27. art. 5. in corpore, & ad 3. vbi reddit rationem à priori huius dicti, quoniam, inquit, erat propinquissima Christo secundum humanitatem, qui est principium omnis gratię.

S. Athan.

S. Hieron.

SECVNDO dicimus, B. Virginẽ ex parte subiecti fuisse plenam gratia; indiuiduum.n.hominis, seù compositum duas principales habet partes, animã, & corpus, & vnaquęq; earum suas potentias, intellectum, & uoluntatem, memoriam, sensus interiores, & exteriores, fomitem, legem carnis, & similia, iuxtà illud Pauli ad Rom. 7. *Video legem in membris meis, repugnãtem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati*, & paulò post. *Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati*. Hanc autem plenitudinem non omnes sancti, vel iusti recipiunt à Deo; Paulus enim legem membrorum sensit, repugnantem legi mentis suæ; & quamuis in sanctis peccatum non regnauit, in multis tamen inhabitauit. At in Deipara nec regnauit, nec inhabitauit vllo vnquam tempore, vel minimo eius momento peccatum; nec fomitem, etiam ante conceptionem filij sensit, cùm in ea antequam Christus nasceretur, extinctus fuerit, & in ipsa sua conceptione in Annæ vtero gratiam cum hoc priuilegio.i.extinctione fomitis, à Deo acceperit, vt doctè asserit Leo Papa serm. 2. de Natiuit. illis verbis: Immaculata Virginitas concupiscentiam nesciuit. Et ex eodem tempore, quo fuit Virgo, hoc est ab initio suæ conceptionis, & natiuitatis, rebelliones concupiscentiæ fomitis, seu legis carnis ignorauit; quocirca semper, & à ventre matris omni peccato veniali caruit. Quod argumentum fuit, perpetuò illam à fomite, & concupiscentia carnis immunem fuisse, ex quo

B. Virgo plena gratia ex parte subiecti.

Ad Rom. 7.

S. Leo Papa.

ex quo fit, vt omnes potentias, sensus, facultates, & partes, tàm animæ, quàm corporis rectas, ac Deo subiectas, & integrè subordinatas habuerit.

TERTIA plenitudo fuit ex parte eorum, quæ contraria sunt ipsi gratiæ, & charitati: tantam enim habuit copiam gratiæ, vt illius plenitudo omne peccatum, nempè originale, mortale, & veniale remoueret, & expelleret a Virgine. Nec solum peccata ipsa, sed etiam ea, quę vel directè, vel indirectè; proximè, vel remotè ad peccatum disponunt, vt hębetudo mentis, repugnãtia affectus, rerum spiritualium ignorantia, & alia huiusmodi: immò nec reliquiæ peccatorum in ea fuere, vel debilitas, seù difficultas ad benè operandum: lege S. Chrysostom. hom. 10. super epist. ad Heb. vbi declarans illa verba Psalmi 31. *Dum configitur spina*, inquit: Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Non enim simpliciter penetrat, sed infigitur; & si parum peccati remaneat, & non totum euellamus, ipsum parum facit dolorem. Sed quid dico, ipsum parum? etiam postquam eximitur, per multum tempus plagæ dolor relinquitur, & opus est curatione multa, & medicina, vt tandem à dolore liberemur. Non enim tantum sufficit expellere peccata, sed etiam curare locum, qui percussus est. Hæc ille. Theodoretus in eũdem locum ait: iuste affligor à Deo, quia causa meorum malorum peccatum, & quod tanquam vuam dulcem produxi, pungor autem semper ab ipsa. Spinam peccatum nominauit, tamquam inutile germen, & ad pungendum aptum. Hactenus ex Theodoreto. Fuit autem Deipara sicut lilium, vel rosa inter spinas, quoniam inter homines peccatores ipsa sola à spinis, atque ab earum punctura immunis fuit, atque etiam consequenter ab omni plaga, & foramine, hoc est, reliquijs peccatorum, quæ à spinis pungentibus, hoc est, peccatis relinqui solent.

Maria plena gratia, quia caruit omni peccato.

S. Chrysost.

Theodoret.

QVARTA plenitudo fuit ex parte operationum, & actionum Deiparæ, sicut enim habuit gratiã, & dona Spiritus sancti in summo; ità omnes eius actus fidei, spei, charitatis, patientiæ, orationis, modestiæ, grauitatis, temperantiæ, castitatis, virginitatis, cogitationum, sermonum, & operationum rectissimi, ac sanctissimi fuere. Adde quòd habuit abundantem gratiam ad actus, & operationes heroicas, & excellentes virtutum, eratque per gratiam à Deo acceptam taliter præparata, vt ad quoscunque actus virtutum eminentes, & arduos exercendos promptissimè esset disposita, & accincta.

Maria plena gratia ex parte omnium operationum.

QVINTA plenitudo, quoniam in Deipara emicabant in summo omnes, & singulæ virtutes collectiuè, & coniunctim, quæ in alijs sanctis diuisim reperiuntur. Vnde à Gregorio in libris Regum, vt sæpè diximus, appellatur mons sublimis super alios montes constitutus. Quare de ea dicitur Psalm. 86. *Fundamenta eius in montibus sanctis*. Incepit enim Deipara à maiori gratia, quàm fuerit in quocunque alio sancto, etiam in statu perfectionis constituto. Lege Sanctum Thomam 3. parte quæst. 89. artic. 2. ad quartum, & quamuis amplior gratia collata fuisset homini ante peccatum, quàm post; vt docet Sanctus Thomas parte 1. quæst. 95. artic. 4. tamen Deipara superat illos in gratia, qui ante peccatum fuerunt, & prætereà maior illi gratia collata fuit, quam omnibus alijs, qui fuerunt, vel futuri sunt, etiam post peccatum.

Maria plena gratia, quia habuit omnes virtutes.

SEXTA plenitudo fuit ex parte sufficientiæ, & dignitatis, seu ex parte habẽtis gratiam. S. Thomas 3. p. q. 7. art. 10. & opusc. 60. cap. 3. docet, plenitudinem gratiæ dupliciter considerari posse, vel ex parte ipsius gratiæ, quando quis attingit ad summum bonum, quantum ad essentiam, & quantum ad virtutem, cum habeat gratiam in maxima excellentia, qua haberi potest, & præsertim extensiuè ad omnes effectus gratiæ; & talis gratiæ plenitudo est propria Christo, vt homo est: vel ex parte habentis gratiam, scilicet, quando aliquis ha-

Maria plena gratia propter summam dignitatem quã habuit.

bet gratiam secundum suam conditionem, vel intensionem vsque ad terminũ ei præfixum à Deo, quoad omnia, quæ pertinent ad suum statum, vel officium; & talis plenitudo gratiæ communicatur alijs per Christum. Maria tamen dicta est plena gratia, non ex parte ipsius gratiæ, quia non habuit gratiam in summa excellentia, qua post haberi, nec quoad omnes effectus gratiæ; sed dicitur fuisse plena gratia, in ordine ad se ipsam, quia habebat gratiam sufficientem ad statum, ad quem erat electa, vt scilicet esset mater Dei. Hanc dignitatis plenitudinem agnoscit Ecclesia, dum in Collecta dicit. *Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus, & animam, vt dignum filij tui habitaculũ effici mereretur, Spiritu sancto cooperante, præparasti*, & alibi canit, *quia quem meruisti portare, resurrexit sicut dixit*. S. August. lib. de Natura, & gratia cap. 36. & serm. 14. de Nat. meritum hoc confirmat, non quòd vllus mereri potuerit, vt Deus homo fieret; sed postquam gratis voluit Deus nostram carnem sumere, sic disposuit B. Virginem, vt dignè ex ea conciperetur, adeò quòd *ipsa quadam* ratione meriti supra omnes mereretur effici Dei mater. Et Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 7. affirmat, hanc dignitatis, & sufficientiæ plenitudinem Angelum innuisse, dum dixit; *Aue gratia plena*; spiritualem, inquit, vtiq; in ea declarãs gratiam, quòd in ea Spiritus sanctus superueniret, ut plenum gratiæ uterum uerbo esset habitura cœlesti.

S. August.

S. Ambr.

Maria plena gratia, q̃a Deo grata super omnes iustos.

SEPTIMA plenitudo est acceptationis: Iusti enim per gratiam Deo accepti, & grati sunt. At Deipara dilectissima, & acceptissima Deo fuit, & est post Christum, nullum enim hominem diligit Deus æquè, ac matrem: *Diligit enim Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob*. Etenim sicut ob arcam in tabernaculo contentam eam Ciuitatem Deus vnicè diligebat, in qua huiusmodi tabernaculum commorabatur; sic Virginem præ cæteris diligit, in qua *Verbum caro factum est*: lege Ethymium super Psal. 86.

Maria plena gratia propter miraculorum multitudinem, quib' post mortem enituit.

ADDENDA est hoc loco octaua plenitudo gratiæ, quam Deipara viuens habitu quidem, & potentia habuit, post mortem vero re ipsa, actu, atq; effectibus, nempè gratia miraculorum. Vbi enim laguncula terrea fracta est, quę latebat intus, sua claritate refulgens lampas apparuit. Iudic. 7. sic mortua Deipara innumeris miraculis effulsit, atque ad finem sæculi effulgebit. Cur autem dum viueret in terris, miracula non fecit, reddit rationem S. Th. 3. par. q. 27. art. 5. ad vltimum, quem omninò legas.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Quòd diuerso modo Christus, Deipara, Stephanus, atque alij dicantur pleni gratia.

OC commune dubium ob loca diuersa scripturæ est hoc capite enucleandum. Dicitur Christus Ioa. 1. plenus gratia, & Act. 6. Stephanus, & Apostoli Act. 2. *Repleti sũt omnes Spiritu sancto*. Petrus quoq; Act. 4. item Elisabeth, & Zacharias, Lucæ 1. Septem quoque Diaconi, qui primi electi fuere, Act. 6. necnon Paulus Act. 9. & 13. & Barnabas Act. 11. atque omnes Apostolorum discipuli, Act. 13. Quæritur igitur an eadem mensura gratiæ hi omnes pleni fuerint, & quæ differentia inter illos statuenda sit.

S. Bona-

S. Bonauentura in 3.sentent.quæst.3.ponit triplex genus plenitudinis. Alia, inquit,est plenitudo superabundantiæ, alia prærogatiuæ,alia sufficientiæ.Hæc postrema est communis omnibus sanctis. Secunda est propria Deiparę. Prima Christi, quæ plenitudo alijs non communicatur. Nonnulli alij Doctores quatuor genera plenitudinum ponunt. Primam sufficientiæ, quæ datur omnibus electis, & hanc habuit Stephanus. Secundam abundantiæ, quam habuerunt Apostoli, qui præ cęteris Sanctis Spiritum sanctum in maiori abundantia receperunt. Act. 2. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto*. Tertia est excellentiæ,quam habuit B.Virgo, & ita intelligitur salutatio Angelica, in qua dicitur, *Aue gratia plena*. Ipsa enim excellentissimè super omnes Apostolos, & sanctos Spiritum sanctum recepit, iuxta illud Prouerb. vlt. *Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu vero supergressa es vniuersas*. Cæteræ enim habuerunt mensuram gratiæ,Maria autem fontem gratiarum. Cæteræ habuerunt virtutes,& gratias particulariter: Maria verò habuit omnes vniuersaliter. Quarta est plenitudo effluentiæ,quam habuit Christus. Vnde de ipso dicitur Ioann. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus,gratiam pro gratia*. Poterunt Concionatores primam illam copiam, quę sanctis datur, assimilare plenitudini vasis; vas enim habet plenitudinem mensuratam secundum suam proportionem, sic & Deus secundum quod homo disponit vas animę, dat illi mensuram gratię, iuxta illud ad Ephes. 4. *Vnicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi*. Secunda comparari poterit plenitudini riuuli decurrentis. Apostoli enim riuos doctrinarum suarum effundentes, ipsum mundum infecundum germinare fecerunt, iuxta illud Psal. 64. *Riuos eius inebria,multiplica genimina eius, &c.* Vbi Euthymius explicans illa verba Psalm. 45. *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei*, ait. Ab hoc flumine riuuli quidam defluxerunt,sancti nimirum Apostoli, qui vniuersam postmodum terram irrigarunt. Vnde Isa. 33. *Locus fluuiorum riui latissimi, & patentes*. Poterit deinde tertia plenitudo assimilari plenitudini fontis. Vnde Deipara dicitur fons hortorū, & puteus aquarū, quæ magno fluunt impetu ex libano. Postremò quarta illa plenitudo Christi assimulanda est plenitudini fluminis,qui à nullo alio flumine incepit,sed à mari procedit,& semper fluit. Vnde eodem Psalm. dicitur. *Flumen Dei repletum est aquis*; hæc & similia optimè amplificabunt Concionatores; sicut enim non est eadem mensura gratiæ, quæ hominibus communicatur, ità nec eadem ratio plenitudinis. Solet autem in scripturis plenitudo copiam, & abundantiam significare, quæ incomparabiliter super omnes alios sanctos in Virgine fuit. Nec per illam semper significatur certa aliqua dignitas,vel excellentia gratiæ, sed solum in vniuersum magna sanctitatis,vel perfectionis abundantia, vt illud ad Eph. 3. *vt impleamini ira omnem plenitudinem Dei*; sicut etiam dicitur aliquis ira, aut malitia repletus, Luc. 4. *Repleti sunt omnes in Synagoga ira hæc audientes*, & cap. 6. *Repleti sunt insipientia*, Roman. 1. *Repletus omni iniquitate*. De hac re lege Bernardum ser. de Natiuit. Mariç, vbi dicit Christum fuisse plenū, vt fontem, Mariam, vt aquæductum, alios Sanctos, vt riuulos: sed hæc tamquam communia,& valde nota relinquamus.

Triplex gratiæ plenitudo ex S. Bonauent.

Alij quadruplicem gratiæ plenitudinem faciunt.

Act. 2.

Ioann. 1.

Ad Ephes. 4.

Psalm. 64.

Euthym.

Ad Ephes. 3.

Luc. 4. & 6.

Ad Roman. 1.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

An diuinæ gratiæ plenitudo in Deipara acceperit incrementum post Angeli annuntiationem.

Gratia B. Virginis in tota eius vita semper aucta fuit.

S. Anselm.

ET respondendum est, non solum in ipsa filij conceptione, sed etiam post illam vsque ad finem vitæ incrementum recepisse. Fuit enim viatrix, & meritum eius in dies etiã, atque etiam augebatur, vt sæpè dictum est. Hæc est enim, vt inquit Anselm. in lib. de excellentia Virginis, differentia inter Christum, & Mariam: quòd ille ab *instanti suę* conceptionis omnes plenitudines gratię, & *virtutum simul*, & semel, vt inquiunt, in summo ex se ipso habuit, *ita* ut augmentum nullum intrinsecum accipere posset; fuit enim soli humanitati Christi collata plenitudo gratię ex parte ipsius gratię, ut docet S. Thom. 3. p. quęst. 7. art. 10. Et soli animę Christi data est plenitudo gratię simpliciter, ut optimè scribunt S. Thom. cęterique Theologi in 3. distinct. 13. ut *Paludanus* quęst. 1. Richardus art. 1. q. 3. Alensis 3. par. quęst. 12. memb. 3. Atque id in fide certissimum est, cum euidenter colligatur ex illis uerbis Ioann. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Hęc enim uerba connexionem, & relationem habent ad illa, *Verbum caro factum est*: & non ad testimonium Ioannis, ut malè Caietanus, & Erasmus censuere: gręcum enim nomen πλήρης, quod est nomen masculinum, & nominatiui casus, non cum sequentibus, sed cum antecedentibus uerbis construendum est, nempè cum λόγος cętera uerò per parenthesim legi debent; licèt Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 17. & Chrysost. hom. 11. in Ioann. & Origen. hom. 2. in Matth. circa finem, in accusatiuo casu legant, & tunc sine parenthesi appositiuè legendum est, *plenum gratiæ, & veritatis*. De qua Christi plenitudine statim Euangelista subnectit: *De plenitudine eius nos omnes accepimus*. Quæ quidem verba licèt alij de plenitudine diuinitatis, quæ in carne apparuit, & per illã mira opa patrauit, vt Cyrill. & Origen. & Athanasius in Epistola de Synodo Arimin. non longè à fine, & lib. de humana natura suscepta, propè à principio, intelligant; Chrysostomus verò ad opera gratiæ, & miraculorum referat; & August. 13. de Ciuit. Dei cap. 19. ad ipsam vnionem, & tract. 3. in Ioann. ad ipsam redemptionem, & mortẽ Christi promissam, & exhibitam: Nihilominus de plenitudine gratiæ Christi habitualis, quæ illi data est ratione vnionis, intelligenda esse, temerarium, & erroneum esset negare, vt vniuersalis consensus totius Ecclesię, omnesque antiqui Patres, immò contextus verborum Ioannis, apertissimè docent. Quod etiam Paul. ad Coloss. 1. expressis verbis dixit. *In eo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, vt sit ipse in omnibus primatum tenens*. Qua ratione S. Lucas scribit c. 3. quòd singulariter Christus à Patre dilectus dicitur, qm̃ in illo singulariter plenitudo gratiæ, & veritatis habitauit, tùm ratione coniunctæ humanitatis ad Verbum, vt dictum est; tùm etiam ratione redundantiæ, secundum quam, tamquam caput, gratiam, Dei dona, & virtutes affluenter membris eius, hoc est, fidelibus communicauit. Quapropter intrepidè, concludendum est, gratiam animę Christi summè esse intensam, quantum ex natura gratiæ esse potest, nec intrà limites suæ naturæ, seu in statu sibi naturali augeri posse, quamquam Deus per potentiam extraordinariam, & extrinsecam illam augere potuisset, vt post alios doctè Suarez scribit, ex sententia Sancti Thomæ in 3. par. quæst. 7.

S. Thom.

Ioann. 1.

Plenitudo gratiæ habitualis in Christo, ex Euang. Ioã. c. 1. colligitur.

Ad Coloss. 1.

Luc. 3.

Virtus

Virtus enim diuina, vt docet S.Thomas eadem quæst.art.1.ad 2.potest quidem facere aliquid maius, & melius, quam sit habitualis gratia Christi; non tamen potest facere, vt ordinaretur ad aliquid maius, vel melius, quàm sit ipsa vnio personalis ad Verbum Dei.

Qua ratione gratia B. Virginis augeri potuerit.

S.Thomas.

DEIPARÆ verò ita ab initio cócessa fuit plenitudo gratiæ, vt incrementum in dies recipere posset; neq; enim habuit plenitudinem gratiæ ex parte ipsius gratiæ, cum non habuerit gratiam in summa excellentia, qua potest haberi; nec ad omnes effectus gratiæ, vt docet S.Thom.3.p.q.7.art.10.ad 1. sed dicitur, illam fuisse plenam gratia, quoniam habuit gratiam sufficientem ad illum statum, ad quem erat electa à Deo, nempè ad statum maternitatis diuinæ. Hæc autem gratiæ plenitudo incrementum recipere potest, neq; illi augmentum repugnat; licèt enim tempore conceptionis filij habuerit quicquid pro temporis opportunitate ei conueniebat, & dignitatem matris Dei decebat; semper tamen etiam atq; etiam, magisq; ac magis gratia impleri potuit, cum id & eius dignitati congrueret, & eius meritis deberetur: fuit autem gratia Virginis consumata in conceptione filij quantum ad confirmationem in bono, ità vt amplius peccare non posset, vt optimè inquit S.Thomas 3.p.q.2.art.5.ad 2. Quare Eusebius Emissenus Hom.super Missus est, in feriam 4. Dominicæ 4. Aduentus: Cum gratia, inquit, plena sit, priusquam concipiat, post conceptionem quanta abundauit? Et Albertus Magnus lib.de laudibus Virg. c.69. & S. Thomas opusc.60. art.3. triplicem plenitudinem gratiæ constituunt in Virgine: vnam sufficientiæ, quæ fuit in Deipara à principio suæ conceptionis; alteram abundantiæ, quam obtinuit in ipsa filij Conceptione; tertiam singularis excellentiæ, quam toto tempore, quo vixit, consequuta est. Fuit item alia gratiæ plenitudo in Deipara, quoniam omne genus fœminarum ad se venientium, tamquam noua Eua, restaurauit: vnde singulariter benedicta inter mulieres appellatur. Hoc argumentum egregiè prosequitur S. Fulgentius ser.de laudibus Mariæ ex partu Saluatoris: sic autem, inquit. Venite Virgines ad Virginem, & lætamini; ponite maledictionem præuaricationis, & benedictionem restaurationis assumite. Proijcite dolores, quos Eua per serpentem accepit, & quos per Angelum Maria suscepit honores, assumite. Pellite tristitiam concipientes, gemitus parturientes abijcite, vt solus vobis iste Virginis filius dominetur. Venite Virgines ad Virginem; venite concipientes ad cócipientem, venite parturientes ad parturientem, venite matres ad matrem; venite lactantes ad lactantem, venite iuuenculæ ad iuuenculam. Ideo omnes istos cursus naturæ Virgo Maria in Domino nostro Iesu Christo suscepit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret, & sic restauraret omne genus fœminarum ad se venientium, noua Eua seruando virginitatem; sicut omne genus virorum Adam nouus recuperat Dominus Iesus Christus, qui cum Patre, & Spiritu Sancto, viuit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. Hactenus ille. Quocirca insignia incrementa gratiæ in singulis statibus recepit, nimirum tempore conceptionis, tempore partus, tempore lactationis, tempore viduitatis, tempore adolescentiæ, tempore iuuentutis, tempore senectutis, vt omnibus hominibus in diuersis statibus positis exempla virtutum, & adiumenta salutis præberet. Adde, etiam tempore matrimonij, de quo signanter dicitur Ecclesiastici 7. *Trade filiam, & grande opus feceris, & homini sensato da illam.* Fuit sanè grande opus Mariæ matrimonium, cum & virgo, & desponsata simul esset; cum ita matrimonio consenserit, vt perpetuæ virginitati præiudicium non afferret; cum sensato, & cordato homini, hoc est Iosepho, tradita fuerit; cum deniq; in eo statu eximia virtutum omnium exempla imitanda præbuerit. Omne .n. mysterium Virginis est opus grande, tam ex parte Dei, quàm ex parte ipsius Virginis, & Iosephi coniugis.

Emissenus.

Alb. Mag.

Triplex gratiæ plenitudo in B. Virgine.

Alia itẽ plenitudo gratiæ ex S. Fulg.

Quando habuerit incrementa B. Virginis gratia.

Eccles. 7.

CA-

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Vtrum hoc donum plenitudinis gratiæ temporarium, an verò æternum à parte post in Virgine ponendum sit.

Gratiæ plenitudo in B. Virgine æterna.

ANCTVS Athanasius in Euangelio de Sanctissima Deipara, æternum vtiq; esse docet, sic scribens: Neq; .n. id temporariũ in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse, quemadmodum, & nunc in præsentia, & in æternum vsq, habet hæc Virgo sibi obumbrantem virtutem Altissimi, & superuentum *Spiritus Sancti*, & virtutem Altissimi, vt sit gratia plena. Hæc ille. *Id* quoq; attestantur voces Angelorum, & Archangelorum proclamantium in æternum, *Gratia plena, benedicta tu inter mulieres*. Laudant enim in Virgine dona, quæ sine pœnitentia Deus in ea collocauit; laudãt gratiam consummatam, atque perfectam, quam Deipara ad dexteram *filij* sedens in gloria obtinet. Quod enim gratia semel facit, perpetuò manet, *in homine*, quantum est ex parte gratiæ, vt docet S.Tho. 3.p.q. 88. art.1. ad 4. nec enim aliàs gloria Deiparæ in Patria integra, & perfecta esset. Constat autem ex S. Thom. in c.54. Isaiæ, quòd sanctorum gloria quinq; modis magna dicitur, iuxta tamen gradum, & mensuram cuiusq; sancti. Debet enim esse intensa, extensa, æterna, perfecta, & integra. Et cum Deipara in patria non desinat esse mater Dei, omnia dona ei concessa, inter quæ præcipuum est plenitudo gratiæ, perpetuò, & in æternum possidere fatendum est. Expressit autem Angelus in his verbis, *Gratia plena*, idoneitatem, & aptitudinem supernaturalem Virginis ad concipiendum Deum, vt docet S.Thom. 3.p. q.30.art.4. Quocirca sicut rectè salutationem inchoauit ab eius laude, vt ibidem S.Doctor ad 1. sic perpetuò, & in æternum similiter eandem laudare absq; vlla hæsitatione credendum est, eò quòd fundamentum huiusmodi laudis in ea semper perseueret. Proclamant .n. Angelorum Chori in Cœlis dicentes Deiparæ, *Gratia plena*, attestantes in hoc laudandi genere, maiorem esse plenitudinem gratiæ, & gloriæ in ea, quàm in quolibet Angelo.

S. Thomas.

Quinq: modis magna dicitur gloria Sanctorum.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

De Nomine Μαριάμ.

Ecclesia addidit Mariæ nomẽ angelicæ salutationi.



ON legimus, vt dictum est, ab Euangelista narrari salutatam ab Angelo proprio nomine Virginem; est enim eius nomen etiam Angelis præ reuerentia quodammodo ineffabile; sed catholica Ecclesia sicut orationi huic salutationis Angelicæ dulcissimum inseruit nomen Iesu, ita & nomen Mariæ, vt omnibus eam recitantibus Christi fidelibus suauior, ac venerabilior redderetur. Cæterum hoc nomen hebraicum est, & pronuntiandum esset *Miriàm*, vt ait Augustinus Eugubinus in Exod.cap.16. & Arias Montanus in nominum interpretationibus: sed ad minuendam vocis asperitatem, profertur, *Mariàm*: & est nomen indeclinabile, vt Adam, Abraham. Neque verò caret myste-

Mariæ nomen hebræum, & indeclinabile hebraicè.

mysterio, quòd solis Mariæ Moysi sorori, & Mariæ matri Domini huiusmodi nomen Μαριάμ inditum sit; cæteris verò Μαρία. Id enim ex singulari quodam priuilegio factum est, & ad indicādam Beatissimæ Virginis excellētiam singularem. Terminatio quippe illa in, *am*, propria est apud hebræos eorum nominum, quæ ad mares pertinent; quamobrem & ipsum nomen, Μαριάμ vt aduertit Arias, viri proprium ponitur 1. Paral. 4 vbi dicitur, *Genuitq;* Mariam, *& Sammai, & Iesba patrem Esthamo.* Qua ex re ostenditur Mariæ matris Domini præstantia, fœmineum sexum longe superans, imò etiam ad diuinam naturam propiùs accedens, licèt illam non attingat: idcirco enim ex varijs nominibus, quæ nos cap. 9. lib. 2. in Magnificat, adnotauimus Deo tribui solere, nullum est (quod viri doctissimi animaduertunt) fœminei sexus terminationem habens; quin etiam numero literarum certum est, Mariæ nomen apud hebræos cum diuino tetragrammato concordare, & ipsum quoq; esse tetragrammaton; vocales enim quibus legitur, neq; apud hebræos, neq; apud Syros literæ sunt, sed quædam puncta, siuè notulæ, quæ vicem vocalium subeunt. Porrò quòd idem nomen Moysis etiam sorori concessum sit, id non tam factum est propter illius fœminæ excellentiam (quamquam & ipsa Prophetissa fuit, & Deum solemni cantico laudauit, Exod. 15.) quàm quòd Mariam matrem Domini aliqua ex parte figuraret. Præterea, sicut omnes Grammatici dicunt, literarum elementa, tam apud hebræos, quàm apud Græcos, & Latinos esse indeclinabilia, quia scilicet simplicia, & stabilia illa esse æquum est, cum omnis doctrinæ fundamentum immobile esse debeat: sic dicere & nobis licebit, indeclinabile esse matris Dei nomen, quia ipsa post Deum immobile est pietatis nostræ, & religionis Christianæ fundamentum, licèt Matthæi interpres græcus, & Sanctus ipse Lucas tùm in Euangelio, tùm in Actis, & græcus textus S. Marci habeant Mariæ nomen declinabile, nimirum in obliquis casibus Μαρίας, Μαρία, quod ab illis factum est, vt græcæ linguæ idiotismum, ac terminationem sequerentur, in recto verò casu omnes proferunt Μαριάμ. In Sancti Ioannis Euangelio nunquā reperitur Domini mater proprio nomine appellata, sed semper dicitur communiori sexus vocabulo, mulier, vel mater Iesu.

Mariæ præstantia ex ipso nomine.

Mariæ nomen tetragrāmaton.

EX Græcis nihil habemus, quod de Mariæ nomine dicamus, nisi quòd fortè & in græca lingua factū est, vt Μαρῦναι significet vexari, & perpeti; nimirum quia & ipsum Mariæ nomen ab amaritudine, & molestijs hebræi, vt pleriq; autumant, deriuarint.

MVLTA alia de hoc sanctissimo, & arcano nomine vide in Cōmēt. nostris in Magnificat, & in Tabula, quæ post finē huius libri collocabitur, & quæ scripsit Hieron. Natalis in lib. de Laudibus Deiparæ Virginis, §. Ad lucē Euangelij.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Exponuntur verba sequentia: Dominus tecum.

DVPLEX horum verborum cum præcedentibus connexio afferri potest. Prima est S. Thomæ opusc. citato affirmantis, Angelum in his verbis Virgini declarasse secundam causam, ob quam ei reuerentiam, ac venerationem, licèt ipsa homo esset, exhiberet. Nec enim solum in plenitudine gratiæ B. Virgo Angelos excessit, sed etiam in familiaritate diuina. Ante Virginem enim nil Deo familiarius, nil intimius, nil propius, quàm angelica natura, iuxta illud Daniel. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia* assi-

Familiaritas Virginis cum Deo ex S. Tho.

Dan. 7.

assistebant ei. Et nil à Deo remotius, & magis extraneum, & elongatum ab eo; quam homo per peccatum, dicente Dauid Psal.40. *Ecce elongaui fugiens*,& patet in filio prodigo, qui abijt in regionem longinquam. Lucę 15. & Psal. 72. *Qui elongant se à te, peribunt*. At B. Virgo in mundum veniens, omnes Angelos in Dei familiaritate, contubernio, & conuersatione excessit. Nihil enim Deo intimius, propinquius, coniunctius, familiarius, ac magis domesticum, quàm Deipara. Vt igitur Angelus hoc designaret, dixit: *Dominus tecum*, quasi dicat; ideo exhibeo tibi reuerentiam,quia tu familiarior es Deo, quàm ego sim, nam Dominus est tecum eminentiori modo quam in alijs.

Psal. 40. & 72.

Secunda causa gaudendi in B. Virgine fuit Dei consortiũ.

ALTERA connexio est aliorum, vt Iansenij, Toleti, & recentiorum, qui dicunt, Angelum secundam attulisse causam gaudij B. Virginis;non solum enim auere, & gaudere iussa est, quia gratia plena, sed etiam quia Dominus secum. Et hoc secundum, tamquam eius causa, cum primo connectendum est,quasi diceret Angelus; Auere te oportet, quia gratia plena es; & ideo gratia plena es, quia obtinuisti, vt Dominus tecum sit. Atq; id paulò post Angelus expressius significauit, dicens: *Inuenisti gratiam apud Deum: ecce concipies, & paries filium; & vocabis,&c:* ita vt illud, *Inuenisti gratiam*, referatur ad illud. *Gratia plena*, hoc autem, *Ecce concipies*, ad, *Dominus tecum*: & hæc connexio est magis literalis.

Varię expositiones horũ verborum: Dominus tecum.

EST autem horum verborum varia inter Doctores expositio. Nonnulli referunt hæc verba ad Christi conceptionem iam iam futuram, vt Ambrosius, Augustinus, Sophronius, Chrysologus, Beda, Rupertus,& Euthymius,quos sequuntur Caietanus, & Toletus, quod idem fecit S.Thom.3.p. q. 30. art. 4. sequutus eundem August. serm. 18. de tempore,& in serm.4. de Natali Domini, quod enim idem dicit S.Thomas,quòd Angelus dicendo *Dominus tecum*,expressit conceptum, declarat Suarez, id est Dominum ex Virgine concipiendum,& posuit, ait,participium illud,*conceptum*,loco nominis,ac si diceret esse electam, vt Deum conciperet. Verùm hæc declaratio non erat necessaria,cum S.Thom.non posuerit participium, sed nomen in casu accusatiuo, sicut paulo ante posuerat: *in salutatione*, inquit, Angelus præmisit idoneitatem eius ad conceptũ in hoc,quod dixit, *Gratia plena*; expressit conceptum in hoc quod dixit *Dominus tecum*; & prænuntiauit honorem sequentem, cum dixit, *Benedicta tu in mulieribus*. Vtrobiq; accipit conceptum in accusandi casu: sed hæc obiter. Alij putant, hæc verba esse secundum hebræam phrasim prolata, secundum quam familiare est hebræis aggredientibus quemquam, sic eum compellare, & salutare. Ita Angelus Gedeoni Iudic. 6. dixit: *Dominus tecum virorum fortissime*, & Ruth. 2. Booz messoribus suis ait: *Dominus vobiscum*; & 2. Reg.7. dixit Nathan Dauidi: *Quid quid in corde tuo est, vade, age, & perfice illud: tecum enim Dominus est*: ita Iansenius in concord. & Echius Hom. 3. de Annunt. & hoc loco similiter à Gabriele Virgini dictum fuisse affirmant, *Dominus tecum*; quasi illi significare voluerit, Dominum cum ea esse,quòd ei faueret, eamq; spiritualiter inhabitaret. Maxima tamen intercedit differentia inter alios homines sub hac forma salutatos, & Virginem. Illis enim precatoriè dictum fuit, *Dominus tcum*, seu, *Dominus vobiscum*; eis videlicet salutem, & Domini præsentiam precando: at Deiparæ affirmatiuè, & enuntiando, non precando dixit Angelus: *Dominus tecum*; licèt Caietanus singularissimo modo precatoriè hæc verba, salutantis more, dicta esse censeat. Verùm prior expositio est melior,cum hæc omnia tria affirmatiuè ab Angelo enuntientur. Vndè Augustinus serm. de tempore 18. *Aue*,inquit, *gratia plena, Dominus tecum*. Dominus, inquit, tecum, sed plusquam mecum. In me enim licèt sit Dominus, memetipsum creauit Dominus; per te autem genitus est Dominus. Ità est Dominus tecum, vt sit in corde tuo,sit in vtero tuo, adimpleat

S. August.

S.Petr.Chryso.

impleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam. Petrus Chrysologus serm. 143. sic scribit: Missus est Angelus à Deo, & quid dicit? Dominus tecum; ergo erat cum Virgine, qui ad Virginem miserat. Præcessit nuntium suum Deus, sed à Deo non recessit; teneri locis non potest, qui omnibus habetur in locis, & totus vbique est, sine quo nihil est totum. At verò certum mihi est, Angelum non vulgari modo salutasse Virginem, sed altiori, & eminentiori; nec solum significasse, Dominum spiritualiter tunc in Virgine habitasse, sed etiam, quòd in carne, & ventre suo erat conceptura Deum; vtramq; enim expositionem amplectitur S. August. locis iam citatis, & in Enchyridion cap. 37.

BEATVS Gregorius Neocæsariensis in serm. de Annunt. explanans hæc verba Angeli, *Dominus tecum*. Tecum, inquit, non terrenus sponsus, sed ipse Dominus sanctificationis, pater castitatis, auctor immortalitatis, dator libertatis, salutis procurator, & veræ pacis conseruator, & distributor; qui ex terra virgine fecit hominem, & ex eius costa Euam. Hic Dominus tecum. Satis apertè hic auctor alludit ad Christi generationem ex Virgine. Vndè rursus id clarius explanauit dicens, ex te, tecum; cum pulchra pulcher, & speciosus præ filijs hominum; cum impolluta: qui sanctificat omnia, tecum Deus, & ex te Deus, & perfectus homo.

CAPVT DECIMVM NONVM.

Quibus modis Deus cum Virgine esse dicatur.

QVINQVE præcipuè modis legimus in scripturis, Deum nobiscum esse. Et primò per auxilium, protectionem, & defensionem; sic Gedeoni verba illa Angelus dixit indicatiuè, *Dominus tecum, virorum fortissime*, idest Dominus auxiliator, & protector tuus est. Sic quoq; Esa. 41. dicitur: *Ne timeas, quia ego tecum sum, & eruam te*. Secundò per gratiam inhabitantem in homine, ratione cuius Deus vnitur cum homine, & in eo habitat: Sap. 9. *Mitte sapientiam de Cælis sanctis tuis, & de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret*. Et Paulus ad Gal. 2. *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus*. Tertiò per coniunctionem diuinæ naturæ cum humana assumpta in vnitatem diuini suppositioni, secundùm quam dicitur, Deum in terris cum hominibus conuersatum fuisse. Baruch. 3. & Matth. 1. *Vocabitur nomen eius Emanuel, quod est, nobiscum Deus*. Quartò per coniunctionem in vtero, & gestationem in ventre. Hier. 31. *Mulier circundabit virum*. Matth. 1. *Ecce virgo in vtero habebit*. Quintò per identitatem naturæ, quo sensu in diuinis dicitur Ioan. 10. *Ego, & Pater vnum sumus*, & de natura humana Christi Matth. 1. *de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*. In nulla autē alia creatura fuit Deus coniunctim omnibus hic quinq; modis, nisi in B. Virgine; etenim cū ea fuit non tātum per auxilium, & protectionem; nec solum per gratiam singularem; sed etiam per carnis susceptionem, ac singularem quandam coniunctionem; cum in ea, & ex ea natus sit, & in eius vtero per nouem menses portatus. Qua ratione solus filius Dei cum ea fuit, licèt tota Trinitas ad operandum effectiuè mysterium Incarnationis cum ea fuerit. Pater quidem, quia eius virtus illam obumbrauit. Spiritus Sanctus quia in ea superuenit. Filius autem, quia in eius vtero, & ex eius substantia factus est homo. Vnde S. Aug. ser. 18. de Sanctis id innuens sic scripsit. Dominus tecum; tecum in corde, tecum in mente, tecum in auxilio, tecum in ventre: & Bernardus ser. 3. super

Omnib⁹ modis quibus Deus est cum hominibus, fuit cū B. Virgine, & multò excellentius. Isa. 41.

Sap. 9.

Ad Gal. 2.

Ierem. 31.

S. Aug. S. Bern.

per missus est, ait. Tota Trinitas tecum. Pater, cuius virtus obumbrabit; *Spiritus* Sanctus, qui superueniet; Filius, qui carne induetur à te, idest de tua substantia, & in te. Postremò, quia Deus iam factus homo, per triginta tres annos cum ea dulcissimè est conuersatus; iuxta illud Can. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ad hæc, Deus fuit in Virgine per naturalem & realem quandam identitatem naturæ, humanæ scilicet, ratione carnis, quo modo Deus non solum in Virgine fuit, sed etiam cum Virgine, vt bene scribit S. Petrus Damian. serm. 1. de Mariæ Natiuit. & Dionysius Richelius lib. 1. de Præcon. & digni. Virg. art. 21. & S. Ber. Hom. 3. de B. Virg. vnde B. Lauren. Iustin. in ser. de Annunt. Virg. ait: Habitat in Angelis Deus, sed non cum Angelis, quia cum illis eiusdem non est essentiæ. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua vnius humanæ scilicet naturæ, habet identitatem; idest, quantum ad corporalem substantiam.

Omnibus modis possibilibus Deus fuit cũ B. Virgine.

ALBERTVS Magnus in suo Mariali c. 199. dicit, Dominum *fuisse cum* B. Virgine omni modo, quo contingit aliquid esse cum altero; *fuisseque Dominum* associatum Deiparæ in omni genere, in quo associatio esse potest. Est autem triplex associatio, nempè in essendo, in patiendo, & in agendo. Associatio in essendo dupliciter, absolutè, vel respectiuè. Si absolutè, in substantiali, in quali, in quanto. Associatio in substantiali est identitas, in quali similitudo, in quanto, æqualitas, &c. Procedit deindè Albertus non indoctè ad declarationem prædictorum, & aliorum terminorum, quam apud illum legas. Interim verba Bernardi ab eo in fine capitis relata hic afferenda sunt; ait autem in hunc modum. Sed cum ita sit cum omnibus sanctis spiritualiter; tamen cum Maria vtiq; tanta ei consensio fuit, vt illius non solum voluntatem, sed etiam sibi carnem coniungeret, & de sua, Virginisq; substantia vnum Christum efficeret, vel potius vnus Christus fieret, qui, etsi nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis esset, nec duo tñ filij, sed vnus vtriusq; filius. Ait itaq.: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Nec tantum Dominus filius tecum, quem carne tua induis; sed Dominus Spiritus Sanctus, de quo concipis; & Dominus Pater, qui genuit, quem concipis. Pater, inquam, tecum, qui suum *filium* facit & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum miro modo, & sibi reserat genitale secretum, & tibi seruat virginale signaculum. Spiritus Sanctus tecum, qui cum Patre, & filio tuum sanctificat vterum.

S. Bernard.

Deus fuit cum B. Virgine in via, & in diuersorio.

FVIT etiam Deus cum Deipara non solum in suo conclaui, seu cubiculo per carnis assumptionem; sed etiam in via, seu in diuersorio nascendo ex ea. Vbi ex Chrysostomo, & Alberto sciendum est, Ioseph, & Mariam propter multos, qui ad profitendum in Bethleem conuenerant, hospitium in ea habere non potuisse; sed in via tectum quoddam fuisse super duos muros expansum, ad quod propter intemperiem feruoris, vel tempestatis aliquando pauperes cum suis animalibus diuertebant, propter quòd etiam diuersorium vocabatur; habens duas aperturas, ante, & post; quia non habuit nisi duos muros; & habebat vtrumq, ad murum coniunctum stabulum, & præsepia coniuncta muro, in quod diuertit Ioseph, eo quòd in Ciuitate non fuit hospitio receptus.

Tres rationes cur Christus in uia nasci uoluit

CVR autem Christus in via nasci voluerit, rectè ab Alberto exponitur in cap. 2. Lucæ, tres huius rei afferendo rationes, nimirum, vt se viam demonstraret, vt mundum contemnere doceret, vt semper patriam inquirere exemplo suo probaret. Quare rectè Sanctus Chrysostomus in oratione in Natalem Domini ait, inter cætera. Supra Thronus eius Seraphin sunt, infra præsepe & spelunca eius domicilium sunt.

CA-

CAPVT VIGESIMVM.

Quænam persona Sanctissimæ Trinitatis denotetur in his verbis: Dominus tecum.

SANCTVS Augustinus existimat loco proximè citato, hanc vocem, *Dominus*, propriè hic significare secundam personam, quæ carnem ex Virgine suscepit: licèt enim Pater, & Spiritus Sanctus per gratiam, & auxilium, protectionem, & operationem fuerint in Virgine; filius tamẽ solus ꝑ carnis susceptionẽ ex ea, & in ea fuit. Albertus Magnus super cap. 1. Lucæ quinq; in hoc verbo, *Dominus*, adnotat. Primum est, cur dicat, *Dominus tecum*, & non potius, Deus tecũ. Secundũ, cum Deus sit vbiq; & in omnibus, qua ratione dicatur esse cũ Virgine. Tertiũ, quare non dicitur, ipsam esse cum Domino. Quartum, quid sui, vel de suo in hoc opere Incarnationis habuerit. Quintũ, quid principalitatis, & excellentiæ conferatur Virgini per hoc, quod dicitur, *Dominus tecum*. De persona filij id explicatur S. August.

CIRCA primum respondendum est, Angelum non dixisse, Deus tecũ sed *Dominus tecũ*, ob tres causas. Primò, vt significaret Virgini, sibi omninò, licèt spontè, ac liberè, consentiẽdum esse angelico nuntio à Deo misso. Nomen enim Domini auctoritatem, & imperium quoddam importat, vt ei homo obtẽperare teneatur. Vt ostenderet igitur, Virginis consensum necessariũ esse ad filij Incarnationem, nec Virgini fas esse dissentire ei, cui summa obedientia debebatur, dixit, *Dominus tecum*. Atq; huic sensui respondent postrema Virginis verba, quæ cum Angelo habuit, nimirum; *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum*: ac si diceret. Cum Dominus sit, eius voluntati, imperio, ac iussibus non repugno, libenter, ac promptè assentior. Nec id nouum est in scripturis, sed frequentissimè vsurpatur, vt cum vox, *Dominus*, ponitur, omnimoda, atq; absolutissima obedientia exigatur. Ita 1. Reg. 3. dicitur: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat*. Et Exod. 20. Deus legem daturus dixit: *Ego Dominus Deus tuus*. Et in Deut. sæpè. *Non facias tibi sculptile, ego Dominus, &c.* Tres causæ, cur non dixit Angelus, Deus, sed Dominus tecũ. 1. Reg. 3. Exod. 20.

SECVNDO, vt indicaret Angelus, se non propria voluntate accessisse, sed à Domino iussum, & missum, atq; eius auctoritate & nomine loqui, & nuntiare magnum illud diuini Verbi incarnationis mysterium.

TERTIO, quia homo per peccatum in miserrimum humilitatis, paupertatis, & infirmitatis statum inciderat, & ex his tribus releuari, & eripi à Deo non poterat, nisi prout Dominus est. Hæc enim vox, *Dominus*, tria importat, vt notat Sanctus Dionysius lib. de diuinis nominibus, nempè, maiestatis altitudinem, à qua homo de puluere, & stercore, vt sedeat cum principibus, eleuatur. Diuitiarum item splendorem, & effluentiam, à quibus nostra paupertas ditatur. Postremò virtutem seu fortitudinem inconcussam, atque constantem, per quam infirmitas nostra sanatur, atque in bono vsq; in finem conseruatur. Congruè igitur Angelus dixit: *Dominus tecum*, vt sic significaret in Virgine humilitatis statum in regiæ maiestatis altitudinem permutatum esse. Paupertatis item statum in repletionem omniũm bonorum cõmutatum fuisse. At deniq; omnem humanæ naturæ infirmitatem à Deipara diuino priuilegio pulsam, ac fugatam fuisse. Quapropter hæc omnia beneficia altissima mente repetens Virgo in primo carmine sui Cantici, Deum, Dominum appellauit, dicens. *Magnificat anima mea Dominum*. In Voce, Dominus, tria cõnnẽtur ex S. Dion.

virtutes, dona, & fructus Spiritus sancti, atque beatitudines: quam secundum partes non essentiales, quæ reddunt hominem perfectum in ordine ad alium, & non præcipuè propter propriam, sed propter aliorum vtilitatem dantur, vt donum linguarum, & prophetię, virtus miraculorum, gratia sanitatum, interpretatio sermonum, & illa omnia, quæ dicuntur gratiæ gratis datæ. Hæc est enim gratię prima differentia, seu diuisio, vt docet S. Thom. 1.2.q. 111. art. 1. & 3. par. quęst. 7. art. 7. ad 1. & ante illum S. Paulus 1. ad Corinth. 12. diuisionem gratiarum ponens, quas omnes Deus non singulis hominibus confert, sed pro suo beneplacito singulis earum partem distribuit.

S. Thomas.

AT verò Deiparæ omnes gratiæ partes, diuisiones, membra, & species contulit, & in ea locupletissimè coadunauit, vt verè, tum quantùm ad gratiam gratis datã, tum etiam quantùm ad gratiam gratum facientem, super omnes Sanctos, Angelos, & iustos homines gratia plena sit. De hac plenitudine locutus est S. Athanas. serm. citat. de Deipara sic scribens. Ita quoque Spiritus sanctus descendit in Virginem cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi per rationem principatus diuini adsunt, imbuens eam in gratia, vt in omnibus gratiosa esset: atque idcirco gratia plena cognominata est, eo quòd adimpletione Spiritus sancti omnibus gratijs abundaret. Hæc ille. Et Hieronymus, seù Sophronius serm. de Assumpt. B. Marię: *Aue*, inquit, *gratia plena*, & benè plena, quia cæteris per partes præstatur, Mariæ uerò simul se tota infudit plenitudo gratię. Hoc quippe est, quod Dauid canit: Descendet sicut pluuia in vellus. Et inferius. Hinc & Maria cunctis tantò venerabilior, quantò gratiosior, & quantò virtute altissimi extollitur ad sublimia, tantò clarior resultat in gloria. Plena siquidem gratia, plena Deo, plena virtutibus, nõ potest non possidere plenè gloriam claritatis ęternę, quam plenissimè accepit, vt mater fieret Saluatoris. Quam viderunt omnes filiæ Sion, & beatissimam prędicauerunt, ac Reginæ laudauerunt eam; quoniam tantam eam viderunt, quantam nullus narrando explicet mortalium; quantò magis Deum, qui talem, ac tantam fecit eam, vt ipse fieret per eam. Vnde Dauid Psal. 86. Et homo, inquit, natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. Hactenus ille: lege S. Thomam 3. par. q. 27. art. 5. in corpore, & ad 3. vbi reddit rationem à priori huius dicti, quoniam, inquit, erat propinquissima Christo secundum humanitatem, qui est principium omnis gratię.

S. Athan.

S. Hieron.

B. Virgo plena gratia ex parte subiecti.

SECVNDO dicimus, B. Virginẽ ex parte subiecti fuisse plenam gratia; indiuiduum. n. hominis, seù compositum duas principales habet partes, animã, & corpus, & vnaquęq; earum suas potentias, intellectum, & uoluntatem, memoriam, sensus interiores, & exteriores, fomitem, legem carnis, & similia, iuxtà illud Pauli ad Rom. 7. *Video legem in membris meis, repugnãtem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati*, & paulò post. *Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati*. Hanc autem plenitudinem non omnes sancti, vel iusti recipiunt à Deo; Paulus enim legem membrorum sensit, repugnantem legi mentis suæ; & quamuis in sanctis peccatum non regnauit, in multis tamen inhabitauit. At in Deipara nec regnauit, nec inhabitauit vllo vnquam tempore, vel minimo eius momento peccatum; nec fomitem, etiam ante conceptionem filij sensit, cùm in ea antequam Christus nasceretur, extinctus fuerit, & in ipsa sua conceptione in Annæ vtero gratiam cum hoc priuilegio. i. extinctione fomitis, à Deo acceperit; vt doctè asserit Leo Papa serm. 2. de Natiuit. illis verbis: Immaculata Virginitas concupiscentiam nesciuit. Et ex eodem tempore, quo fuit Virgo, hoc est ab initio suæ conceptionis, & natiuitatis, rebelliones concupiscentiæ fomitis, seu legis carnis ignorauit; quocirca semper, & à ventre matris omni peccato veniali caruit. Quod argumentum fuit, perpetuò illam à fomite, & concupiscentia carnis immunem fuisse, ex quo

Ad Rom. 7.

S. Leo Papa.

ex quo fit, vt omnes potentias, sensus, facultates, & partes, tàm animæ, quàm corporis rectas, ac Deo subiectas, & integrè subordinatas habuerit.

TERTIA plenitudo fuit ex parte eorum, quæ contraria sunt ipsi gratiæ, & charitati: tantam enim habuit copiam gratiæ, vt illius plenitudo omne peccatum, nempè originale, mortale, & veniale remoueret, & expelleret a Virgine. Nec solum peccata ipsa, sed etiam ea, quę vel directè, vel indirectè; proximè, vel remotè ad peccatum disponunt, vt hębetudo mentis, repugnātia affectus, rerum spiritualium ignorantia, & alia huiusmodi: immò nec reliquiæ peccatorum in ea fuere, vel debilitas, seù difficultas ad benè operandum: lege S. Chrysostom. hom. 10. super epist. ad Heb. vbi declarans illa verba Psalmi 31. *Dum configitur spina*, inquit: Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Non enim simpliciter penetrat, sed infigitur; & si parum peccati remaneat, & non totum euellamus, ipsum parum facit dolorem. Sed quid dico, ipsum parum? etiam postquam eximitur, per multum tempus plagæ dolor relinquitur, & opus est curatione multa, & medicina, vt tandem à dolore liberemur. Non enim tantum sufficit expellere peccata, sed etiam curare locum, qui percussus est. Hæc ille. Theodoretus in eūdem locum ait: iuste affligor à Deo, quia causa meorum malorum peccatum, & quod tanquam vuam dulcem produxi, pungor autem semper ab ipsa. Spinam peccatum nominauit, tamquam inutile germen, & ad pungendum aptum. Hactenus ex Theodoreto. Fuit autem Deipara sicut lilium, vel rosa inter spinas, quoniam inter homines peccatores ipsa sola à spinis, atque ab earum punctura immunis fuit, atque etiam consequenter ab omni plaga, & foramine, hoc est, reliquijs peccatorum, quæ à spinis pungentibus, hoc est, peccatis relinqui solent.

Maria plena gratia, quia caruit omni peccato.

S. Chrysost.

Theodoret.

QVARTA plenitudo fuit ex parte operationum, & actionum Deiparæ, sicut enim habuit gratiā, & dona Spiritus sancti in summo; ità omnes eius actus fidei, spei, charitatis, patientiæ, orationis, modestiæ, grauitatis, temperantiæ, castitatis, virginitatis, cogitationum, sermonum, & operationum rectissimi, ac sanctissimi fuere. Adde quòd habuit abundantem gratiam ad actus, & operationes heroicas, & excellentes virtutum, eratque per gratiam à Deo acceptam taliter præparata, vt ad quoscunque actus virtutum eminentes, & arduos exercendos promptissimè esset disposita, & accincta.

Maria plena gratia ex parte omnium operationum.

QVINTA plenitudo, quoniam in Deipara emicabant in summo omnes, & singulæ virtutes collectiuè, & coniunctim, quæ in alijs sanctis diuisim reperiuntur. Vnde à Gregorio in libris Regum, vt sæpè diximus, appellatur mons sublimis super alios montes constitutus. Quare de ea dicitur Psalm. 86. *Fundamenta eius in montibus sanctis*. Incepit enim Deipara à maiori gratia, quàm fuerit in quocunque alio sancto, etiam in statu perfectionis constituto. Lege Sanctum Thomam 3. parte quæst. 89. artic. 2. ad quartum, & quamuis amplior gratia collata fuisset homini ante peccatum, quàm post; vt docet Sanctus Thomas parte 1. quæst. 95. artic. 4. tamen Deipara superat illos in gratia, qui ante peccatum fuerunt, & præterea maior illi gratia collata fuit, quam omnibus alijs, qui fuerunt, vel futuri sunt, etiam post peccatum.

Maria plena gratia, quia habuit omnes virtutes.

SEXTA plenitudo fuit ex parte sufficientiæ, & dignitatis, seu ex parte habētis gratiam. S. Thomas 3. p. q. 7. art. 10. & opusc. 60. cap. 3. docet, plenitudinem gratiæ dupliciter considerari posse, vel ex parte ipsius gratiæ, quando quis attingit ad summum bonum, quantum ad essentiam, & quantum ad virtutem, cum habeat gratiam in maxima excellentia, qua haberi potest, & præsertim extensiuè ad omnes effectus gratiæ; & talis gratiæ plenitudo est propria Christo, vt homo est: vel ex parte habentis gratiam, scilicet, quando aliquis habet

Maria plena gratia propter summam dignitatem quā habuit.

bet gratiam secundum suam conditionem, vel intensionem vsque ad terminũ ei præfixum à Deo, quoad omnia, quæ pertinent ad suum statum, vel officium; & talis plenitudo gratiæ communicatur alijs per Christum. Maria tamen dicta est plena gratia, non ex parte ipsius gratiæ, quia non habuit gratiam in summa excellentia, qua post haberi, nec quoad omnes effectus gratiæ; sed dicitur fuisse plena gratia, in ordine ad se ipsam, quia habebat gratiam sufficientem ad statum, ad quem erat electa, vt scilicet esset mater Dei. Hanc dignitatis plenitudinem agnoscit Ecclesia, dum in Collecta dicit. *Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus, & animam, vt dignum filij tui habitaculũ effici mereretur, Spiritu sancto cooperante, præparasti*, & alibi canit, *quia quem meruisti portare, resurrexit sicut dixit*. S. August. lib. de Natura, & gratia cap. 36. & serm. 14. de Nat. meritum hoc confirmat, non quòd vllus mereri potuerit, vt Deus homo fieret; sed postquam gratis voluit Deus nostram carnem sumere, sic disposuit B. Virginem, vt dignè ex ea conciperetur, adeò quòd ipsa quadam ratione meriti supra omnes mereretur effici Dei mater. Et Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 7. affirmat, hanc dignitatis, & sufficientiæ plenitudinem Angelum innuisse, dum dixit; *Aue gratia plena*; spiritualem, inquit, vtiq; in ea declarãs gratiam, quòd in ea Spiritus sanctus superueniret, ut plenum gratiæ uterum uerbo esset habitura cœlesti.

S. August.

S. Ambr.

SEPTIMA plenitudo est acceptationis: Iusti enim per gratiam Deo accepti, & grati sunt. At Deipara dilectissima, & acceptissima Deo fuit, & est post Christum, nullum enim hominem diligit Deus æquè, ac matrem: *Diligit enim Dominus partas Sion super omnia tabernacula Iacob*. Etenim sicut ob arcam in tabernaculo contentam eam Ciuitatem Deus vnicè diligebat, in qua huiusmodi tabernaculum commorabatur; sic Virginem præ cæteris diligit, in qua *Verbum caro factum est*: lege Ethymium super Psal. 86.

Maria plena gratia, qa Deo grata super omnes iustos.

ADDENDA est hoc loco octaua plenitudo gratiæ, quam Deipara viuens habitu quidem, & potentia habuit, post mortem vero re ipsa, actu, atq; effectibus, nempè gratia miraculorum. Vbi enim laguncula terrea fracta est, quę latebat intus, sua claritate refulgens lampas apparuit. Iudic. 7. sic mortua Deipara innumeris miraculis effulsit, atque ad finem sæculi effulgebit. Cur autem dum viueret in terris, miracula non fecit, reddit rationem S. Th. 3. par. q. 27. art. 5. ad vltimum, quem omninò legas.

Maria plena gratia propter miraculorum multitudinem, quib' post mortem enituit.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Quòd diuerso modo Christus, Deipara, Stephanus, atque alij dicantur pleni gratia.

HOC commune dubium ob loca diuersa scripturæ est hoc capite enucleandum. Dicitur Christus Ioa. 1. plenus gratia, & Act. 6. Stephanus, & Apostoli Act. 2. *Repleti sũt omnes Spiritu sancto*. Petrus quoq; Act. 4. item Elisabeth, & Zacharias, Lucæ 1. Septem quoque Diaconi, qui primi electi fuere, Act. 6. necnon Paulus Act. 9. & 13. & Barnabas Act. 11. atque omnes Apostolorum discipuli, Act. 13. Quæritur igitur an eadem mensura gratiæ hi omnes pleni fuerint, & quæ differentia inter illos statuenda sit.

S. Bona-

S. Bonauentura in 3.sentent.quæst.3.ponit triplex genus plenitudinis. Alia, inquit, est plenitudo superabundantiæ, alia prærogatiuæ, alia sufficientiæ. Hæc postrema est communis omnibus sanctis. Secunda est propria Deiparę. Prima Christi, quæ plenitudo alijs non communicatur. Nonnulli alij Doctores quatuor genera plenitudinum ponunt. Primam sufficientiæ, quæ datur omnibus electis, & hanc habuit Stephanus. Secundam abundantiæ, quam habuerunt Apostoli, qui præ cęteris Sanctis Spiritum sanctum in maiori abundantia receperunt. Act. 2. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto*. Tertia est excellentiæ, quam habuit B. Virgo, & ita intelligitur salutatio Angelica, in qua dicitur, *Aue gratia plena*. Ipsa enim excellentissimè super omnes Apostolos, & sanctos Spiritum sanctum recepit, iuxta illud Prouerb. vlt. *Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu vero supergressa es vniuersas*. Cæteræ enim habuerunt mensuram gratiæ, Maria autem fontem gratiarum. Cæteræ habuerunt virtutes, & gratias particulariter: Maria verò habuit omnes vniuersaliter. Quarta est plenitudo effluentiæ, quam habuit Christus. Vnde de ipso dicitur Ioann. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia*. Poterunt Concionatores primam illam copiam, quę sanctis datur, assimilare plenitudini vasis; vas enim habet plenitudinem mensuratam secundum suam proportionem, sic & Deus secundum quod homo disponit vas animę, dat illi mensuram gratię, iuxta illud ad Ephes. 4. *Vnicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi*. Secunda comparari poterit plenitudini riuuli decurrentis. Apostoli enim riuos doctrinarum suarum effundentes, ipsum mundum infecundum germinare fecerunt, iuxta illud Psal. 64. *Riuos eius inebria, multiplica genimina eius, &c.* Vbi Euthymius explicans illa verba Psalm. 45. *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei*, ait. Ab hoc flumine riuuli quidam defluxerunt, sancti nimirum Apostoli, qui vniuersam postmodum terram irrigarunt. Vnde Isa. 33. *Locus fluuiorum riui latissimi, & patentes*. Poterit deinde tertia plenitudo assimilari plenitudini fontis. Vnde Deipara dicitur fons hortorũ, & puteus aquarũ, quæ magno fluunt impetu ex libano. Postremò quarta illa plenitudo Christi assimulanda est plenitudini fluminis, qui à nullo alio flumine incepit, sed à mari procedit, & semper fluit. Vnde eodem Psalm. dicitur, *Flumen Dei repletum est aquis*; hæc & similia optimè amplificabunt Concionatores; sicut enim non est eadem mensura gratiæ, quæ hominibus communicatur, ità nec eadem ratio plenitudinis. Solet autem in scripturis plenitudo copiam, & abundantiam significare, quæ incomparabiliter super omnes alios sanctos in Virgine fuit. Nec per illam semper significatur certa aliqua dignitas, vel excellentia gratiæ, sed solum in vniuersum magna sanctitatis, vel perfectionis abundantia, vt illud ad Eph. 3. *vt impleamini ira omnem plenitudinem Dei*; sicut etiam dicitur aliquis ira, aut malitia repletus, Luc. 4. *Repleti sunt omnes in Synagoga ira hæc audientes*, & cap. 6. *Repleti sunt insipientia*, Roman. 1. *Repletus omni iniquitate*. De hac re lege Bernardum ser. de Natiuit. Marię, vbi dicit Christum fuisse plenũ, vt fontem, Mariam, vt aquæductum, alios Sanctos, vt riuulos; sed hæc tamquam communia, & valde nota relinquamus.

Triplex gratiæ plenitudo ex S. Bonauent.

Alij quadruplicem gratiæ plenitudinem faciunt.

Act. 2.

Ioann. 1.

Ad Ephes. 4.

Psalm. 64.

Euthym.

Ad Ephes. 3.

Luc. 4. & 6.

Ad Roman. 1.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

An diuinæ gratiæ plenitudo in Deipara acceperit incrementum post Angeli annuntiationem.

Gratia B. Virginis in tota eius vita semper aucta fuit.

T respondendum est, non solum in ipsa filij conceptione, sed etiam post illam vsque ad finem vitæ incrementum recepisse. Fuit enim viatrix, & meritum eius in dies etiã, atque etiam augebatur, vt sæpè dictum est. Hæc est enim, vt inquit Anselm. in lib. de excellentia Virginis, differentia inter Christum, & Mariam: quòd ille ab *instanti suę conceptionis omnes plenitudines gratię, & virtutum simul*, & semel, vt inquiunt, in summo ex se ipso habuit, ita ut augmentum nullum intrinsecum accipere posset; fuit enim soli humanitati Christi collata plenitudo gratię ex parte ipsius gratię, ut docet S. Thom. 3. p. quęst. 7. art. 10. Et soli animę Christi data est plenitudo gratię simpliciter, ut optimè scribunt S. Thom. cęterique Theologi in 3. distinct. 13. ut *Paludanus* quęst. 1. Richardus art. 1. q. 3. Alensis 3. par. quęst. 12. memb. 3. Atque id in fide certissimum est, cum euidenter colligatur ex illis uerbis Ioann. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Hęc enim uerba connexionem, & relationem habent ad illa, *Verbum caro factum est*: & non ad testimonium Ioannis, ut malè Caietanus, & Erasmus censuere: gręcum enim nomen πλήρης, quod est nomen masculinum, & nominatiui casus, non cum sequentibus, sed cum antecedentibus uerbis construendum est, nempè cum λόγος cętera uerò per parenthesim legi debent; licèt Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 17. & Chrysost. hom. 11. in Ioann. & Origen. hom. 2. in Matth. circa finem, in accusatiuo casu legant, & tunc sine parenthesi appositiuè legendum est, *plenum gratiæ, & veritatis*. De qua Christi plenitudine statim Euangelista subnectit: *De plenitudine eius nos omnes accepimus*. Quæ quidem verba licèt alij de plenitudine diuinitatis, quæ in carne apparuit, & per illã mira opa patrauit, vt Cyrill. & Origen. & Athanasius in Epistola de Synodo Arimin. non longè à fine, & lib. de humana natura suscepta, propè à principio, intelligant; Chrysostomus verò ad opera gratiæ, & miraculorum referat; & August. 13. de Ciuit. Dei cap. 19. ad ipsam vnionem, & tract. 3. in Ioann. ad ipsam redemptionem, & mortẽ Christi promissam, & exhibitam: Nihilominus de plenitudine gratiæ Christi habitualis, quæ illi data est ratione vnionis, intelligenda esse, temerarium, & erroneum esset negare, vt vniuersalis consensus totius Ecclesię, omnesque antiqui Patres, immò contextus verborum Ioannis, apertissimè docent. Quod etiam Paul. ad Coloss. 1. expressis verbis dixit. *In eo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, vt sit ipse in omnibus primatum tenens*. Qua ratione S. Lucas scribit c. 3. quòd singulariter Christus à Patre dilectus dicitur, qm̃ in illo singulariter plenitudo gratiæ, & veritatis habitauit, tùm ratione coniunctæ humanitatis ad Verbum, vt dictum est; tùm etiam ratione redundantiæ, secundum quam, tamquam caput, gratiam, Dei dona, & virtutes affluenter membris eius, hoc est, fidelibus communicauit. Quapropter intrepidè, concludendum est, gratiam animę Christi summè esse intensam, quantum ex natura gratiæ esse potest, nec intrà limites suæ naturæ, seu in statu sibi naturali augeri posse, quamquam Deus per potentiam extraordinariam, & extrinsecam illam augere potuisset, vt post alios doctè Suarez scribit, ex sententia Sancti Thomæ in 3. par. quæst. 7.

S. Anselm.

S. Thom.

Ioann. 1.

Plenitudo gratiæ habitualis ĩ Christo, ex Euang. Ioã. c. 1. colligitur.

Ad Coloss. 1.

Luc. 3.

Virtus

Virtus enim diuina, vt docet S.Thomas eadem quæst.art. 1.ad 2.potest quidem facere aliquid maius, & melius, quam sit habitualis gratia Christi; non tamen potest facere, vt ordinaretur ad aliquid maius, vel melius, quàm sit ipsa vnio personalis ad Verbum Dei.

DEIPARÆ verò ita ab initio cōcessa fuit plenitudo gratiæ, vt incrementum in dies recipere posset; neq; enim habuit plenitudinem gratiæ ex parte ipsius gratiæ, cum non habuerit gratiam in summa excellentia, qua potest haberi; nec ad omnes effectus gratiæ, vt docet S.Thom.3.p. q.7. art. 10. ad 1. sed dicitur, illam fuisse plenam gratia, quoniam habuit gratiam sufficientem ad illum statum, ad quem erat electa à Deo, nempè ad statum maternitatis diuinæ. Hæc autem gratiæ plenitudo incrementum recipere potest, neq; illi augmentum repugnat; licèt enim tempore conceptionis filij habuerit quicquid pro temporis opportunitate ei conueniebat, & dignitatem matris Dei decebat; semper tamen etiam atq; etiam, magisq; ac magis gratia impleri potuit, cum id & eius dignitati congrueret, & eius meritis deberetur: fuit autem gratia Virginis consumata in conceptione filij quantum ad confirmationem in bono, ità vt amplius peccare non posset, vt optimè inquit S.Thomas 3.p. q.2. art.5. ad 2. Quare Eusebius Emissenus Hom.super Missus est, in feriam 4. Dominicæ 4. Aduentus: Cum gratia, inquit, plena sit, priusquam concipiat, post conceptionem quanta abundauit? Et Albertus Magnus lib.de laudibus Virg. c.69. & S. Thomas opusc.60. art.3. triplicem plenitudinem gratiæ constituunt in Virgine: vnam sufficientiæ, quæ fuit in Deipara à principio suæ conceptionis; alteram abundantiæ, quam obtinuit in ipsa filij Conceptione; tertiam singularis excellentiæ, quam toto tempore, quo vixit, consequuta est. Fuit item alia gratiæ plenitudo in Deipara, quoniam omne genus fœminarum ad se venientium, tamquam noua Eua, restaurauit: vnde singulariter benedicta inter mulieres appellatur. Hoc argumentum egregiè prosequitur S. Fulgentius ser.de laudibus Mariæ ex partu Saluatoris: sic autem, inquit. Venite Virgines ad Virginem, & lætamini; ponite maledictionem præuaricationis, & benedictionem restaurationis assumite. Proijcite dolores, quos Eua per serpentem accepit, & quos per Angelum Maria suscepit honores, assumite. Pellite tristitiam concipientes, gemitus parturientes abijcite, vt solus vobis iste Virginis filius dominetur. Venite Virgines ad Virginem; venite concipientes ad cōcipientem, venite parturientes ad parturientem, venite matres ad matrem; venite lactantes ad lactantem, venite iuuenculæ ad iuuenculam. Ideo omnes istos cursus naturæ Virgo Maria in Domino nostro Iesu Christo suscepit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret, & sic restauraret omne genus fœminarum ad se venientium, noua Eua seruando virginitatem; sicut omne genus virorum Adam nouus recuperat Dominus Iesus Christus, qui cum Patre, & Spiritu Sancto, viuit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. Hactenus ille. Quocirca insignia incrementa gratiæ in singulis statibus recepit, nimirum tempore conceptionis, tempore partus, tempore lactationis, tempore viduitatis, tempore adolescentiæ, tempore iuuentutis, tempore senectutis, vt omnibus hominibus in diuersis statibus positis exempla virtutum, & adiumenta salutis præberet. Adde, etiam tempore matrimonij, de quo signanter dicitur Ecclesiastici 7. *Trade filiam, & grande opus feceris, & homini sensato da illam.* Fuit sanè grande opus Mariæ matrimonium, cum & virgo, & desponsata simul esset; cum ita matrimonio consenserit, vt perpetuæ virginitati præiudicium non afferret; cum sensato, & cordato homini, hoc est Iosepho, tradita fuerit; cum deniq; in eo statu eximia virtutum omnium exempla imitanda præbuerit. Omne .n. mysterium Virginis est opus grande, tam ex parte Dei, quàm ex parte ipsius Virginis, & Iosephi coniugis.

Qua ratione gratia B. Virginis augeri potuerit.

S.Thomas.

Emissenus.

Alb. Mag.

Triplex gratiæ plenitudo in B. Virgine.

Alia itē plenitudo gratiæ ex S. Fulg.

Quando habuerit incrementa B. Virginis gratia.

Eccles. 7.

CA-

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Vtrum hoc donum plenitudinis gratiæ temporarium, an verò æternum à parte post in Virgine ponendum sit.

Gratiæ plenitudo in B. Virgine æterna.

SANCTVS Athanasius in Euangelio de Sanctissima Deipara, æternum vtiq; esse docet, sic scribens: Neq; .n. id temporariũ in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse, quemadmodum, & nunc in pręsentia, & in æternum vsq, habet hæc Virgo sibi obumbrantem virtutem Altissimi, & superuentum *Spiritus Sancti*, & virtutem Altissimi, vt sit gratia plena. Hæc *ille*. *Id* quoq; attestantur voces Angelorum, & Archangelorum proclamantium in æternum, *Gratia plena, benedicta tu inter mulieres*. Laudant enim in Virgine dona, quæ sine pœnitentia Deus in ea collocauit; laudãt gratiam consummatam, atque perfectam, quam Deipara ad dexteram filij sedens in gloria obtinet. Quod enim gratia semel facit, perpetuò manet, *in homine*, quantum est ex parte gratiæ, vt docet S. Tho. 3. p. q. 88. art. 1. ad 4. nec enim alias gloria Deiparæ in Patria integra, & perfecta esset. Constat autem ex S. Thom. in c. 54. Isaiæ, quòd sanctorum gloria quinq; modis magna dicitur, iuxta tamen gradum, & mensuram cuiusq; sancti. Debet enim esse intensa, extensa, æterna, perfecta, & integra. Et cum Deipara in patria non desinat esse mater Dei, omnia dona ei concessa, inter quæ præcipuum est plenitudo gratiæ, perpetuò, & in æternum possidere fatendum est. Expressit autem Angelus in his verbis, *Gratia plena*, idoneitatem, & aptitudinem supernaturalem Virginis ad concipiendum Deum, vt docet S. Thom. 3. p. q. 30. art. 4. Quocirca sicut rectè salutationem inchoauit ab eius laude, vt ibidem S. Doctor ad 1. sic perpetuò, & in æternum similiter eandem laudare absq; vlla hæsitatione credendum est, eò quòd fundamentum huiusmodi laudis in ea semper perseueret. Proclamant .n. Angelorum Chori in Cœlis dicentes Deiparæ, *Gratia plena*, attestantes *in hoc* laudandi genere, maiorem esse plenitudinem gratiæ, & gloriæ in ea, quàm in quolibet Angelo.

S. Thomas.

Quinq: modis magna dicitur gloria Sanctorum.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

De Nomine Μαριάμ.

Ecclesia addidit Marię nomẽ angelicæ salutationi.



NON legimus, vt dictum est, ab Euangelista narrari salutatam ab Angelo proprio nomine Virginem; est enim eius nomen etiam Angelis præ reuerentia quodammodo ineffabile; sed catholica Ecclesia sicut orationi huic salutationis Angelicæ dulcissimum inseruit nomen Iesu, ita & nomen Mariæ, vt omnibus eam recitantibus Christi fidelibus suauior, ac venerabilior redderetur. Cęterum hoc nomen hebraicum est, & pronuntiandum esset *Miriàm*, vt ait Augustinus Eugubinus in Exod. cap. 16. & Arias Montanus in nominum interpretationibus: sed ad minuendam vocis asperitatem, profertur, *Mariàm*: & est nomen indeclinabile, vt Adam, Abraham. Neque verò caret myste-

Mariæ nomen hebræum, & indeclinabile hebraicè.

mysterio, quòd solis Mariæ Moysi sorori, & Mariæ matri Domini huiusmodi nomen Μαριάμ inditum sit; cæteris verò Μαρία. Id enim ex singulari quodam priuilegio factum est, & ad indicādam Beatissimæ Virginis excellētiam singularem. Terminatio quippe illa in, *am*, propria est apud hebræos eorum nominum, quæ ad mares pertinent; quamobrem & ipsum nomen, Μαριάμ vt aduertit Arias, viri proprium ponitur 1. Paral. 4 vbi dicitur, *Genuitq;* Mariam, *& Sammai, & Iesba patrem Esthamo.* Qua ex re ostenditur Mariæ matris Domini præstantia, fœmineum sexum longe superans, imò etiam ad diuinam naturam propiùs accedens, licèt illam non attingat: idcirco enim ex varijs nominibus, quæ nos cap. 9. lib. 2. in Magnificat, adnotauimus Deo tribui solere, nullum est (quod viri doctissimi animaduertunt) fœminei sexus terminationem habens; quin etiam numero literarum certum est, Mariæ nomen apud hebræos cum diuino tetragrammato concordare, & ipsum quoq; esse tetragrammaton; vocales enim quibus legitur, neq; apud hebræos, neq; apud Syros literæ sunt, sed quædam puncta, siuè notulæ, quæ vicem vocalium subeunt. Porrò quòd idem nomen Moysis etiam sorori concessum sit, id non tam factum est propter illius fœminæ excellentiam (quamquam & ipsa Prophetissa fuit, & Deum solemni cantico laudauit, Exod. 15.) quàm quòd Mariam matrem Domini aliqua ex parte figuraret. Præterea, sicut omnes Grammatici dicunt, literarum elementa, tam apud hebræos, quàm apud Græcos, & Latinos esse indeclinabilia, quia scilicet simplicia, & stabilia illa esse æquum est, cum omnis doctrinæ fundamentum immobile esse debeat: sic dicere & nobis licebit, indeclinabile esse matris Dei nomen, quia ipsa post Deum immobile est pietatis nostræ, & religionis Christianæ fundamentum, licèt Matthæi interpres græcus, & Sanctus ipse Lucas tùm in Euangelio, tùm in Actis, & græcus textus S. Marci habeant Mariæ nomen declinabile, nimirum in obliquis casibus Μαρίας, Μαρία, quod ab illis factum est, vt græcæ linguæ idiotismum, ac terminationem sequerentur, in recto verò casu omnes proferunt Μαριάμ. In Sancti Ioannis Euangelio nunquā reperitur Domini mater proprio nomine appellata, sed semper dicitur communiori sexus vocabulo, mulier, vel mater Iesu.

Mariæ præstantia ex ipso nomine.

Mariæ nomen tetragrāmaton.

EX Græcis nihil habemus, quod de Mariæ nomine dicamus, nisi quòd fortè & in græca lingua factū est, vt Μαραίνειν significet vexari, & perpeti; nimirum quia & ipsum Mariæ nomen ab amaritudine, & molestijs hebræi, vt pleriq; autumant, deriuarint.

MVLTA alia de hoc sanctissimo, & arcano nomine vide in Cōmēt. nostris in Magnificat, & in Tabula, quæ post finē huius libri collocabitur, & quæ scripsit Hieron. Natalis in lib. de Laudibus Deiparæ Virginis, S. Ad lucē Euangelij.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Exponuntur verba sequentia: Dominus tecum.

DVPLEX horum verborum cum præcedentibus connexio afferri potest. Prima est S. Thomæ opusc. citato affirmantis, Angelum in his verbis Virgini declarasse secundam causam, ob quam ei reuerentiam, ac venerationem, licèt ipsa homo esset, exhiberet. Nec enim solum in plenitudine gratiæ B. Virgo Angelos excessit, sed etiam in familiaritate diuina. Ante Virginem enim nil Deo familiarius, nil intimius, nil propius, quàm angelica natura, iuxta illud Daniel. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assi-*

Familiaritas Virginis cum Deo ex S. Tho.

Dan. 7.

assistebant ei. Et nil à Deo remotius, & magis extraneum, & elongatum ab eo; quam homo per peccatum, dicente Dauid Psal. 40. *Ecce elongaui fugiens*, & pater in filio prodigo, qui abijt in regionem longinquam. Lucę 15. & Psal. 72. *Qui elongant se à te, peribunt*. At B. Virgo in mundum veniens, omnes Angelos in Dei familiaritate, contubernio, & conuersatione excessit. Nihil enim Deo intimius, propinquius, coniunctius, familiarius, ac magis domesticum, quàm Deipara. Vt igitur Angelus hoc designaret, dixit: *Dominus tecum*, quasi dicat; ideo exhibeo tibi reuerentiam, quia tu familiarior es Deo, quàm ego sim, nam Dominus est tecum eminentiori modo quam in alijs.

Psal. 40. & 72.

Secunda causa gaudendi in B. Virgine fuit Dei consortiũ.

ALTERA connexio est aliorum, vt Iansenij, Toleti, & recentiorum, qui dicunt, Angelum secundam attulisse causam gaudij B. Virginis; non solum enim auere, & gaudere iussa est, quia gratia plena, sed etiam quia Dominus secum. Et hoc secundum, tamquam eius causa, cum primo connectendum est, quasi diceret Angelus; Auere te oportet, quia gratia plena es; & ideo gratia plena es, quia obtinuisti, vt Dominus tecum sit. Atq; id paulò post Angelus expressius significauit, dicens: *Inuenisti gratiam apud Deum: ecce concipies, & paries filium; & vocabis, &c*: ita vt illud, *Inuenisti gratiam*, referatur ad illud. *Gratia plena*, hoc autem, *Ecce concipies*, ad, *Dominus tecum*: & hæc connexio est magis literalis.

Variç expositiones horũ verborum: Dominus tecum.

EST autem horum verborum varia inter Doctores expositio. Nonnulli referunt hæc verba ad Christi conceptionem iam iam futuram, vt Ambrosius, Augustinus, Sophronius, Chrysologus, Beda, Rupertus, & Euthymius, quos sequuntur Caietanus, & Toletus, quod idem fecit S. Thom. 3. p. q. 30. art. 4. sequutus eundem August. serm. 18. de tempore, & in serm. 4. de Natali Domini, quod enim idem dicit S. Thomas, quòd Angelus dicendo *Dominus tecum*, expressit conceptum, declarat Suarez, id est Dominum ex Virgine concipiendum, & posuit, ait, participium illud, *conceptum*, loco nominis, ac si diceret esse electam, vt Deum conciperet. Verùm hæc declaratio non erat necessaria, cum S. Thom. non posuerit participium, sed nomen in casu accusatiuo, sicut paulo ante posuerat: *in salutatione*, inquit, Angelus præmisit idoneitatem eius ad conceptũ in hoc, quod dixit, *Gratia plena*; expressit conceptum in hoc quod dixit *Dominus tecum*; & prænuntiauit honorem sequentem, cum dixit, *Benedicta tu in mulieribus*. Vtrobiq; accipit conceptum in accusandi casu: sed hæc obiter. Alij putant, hæc verba esse secundum hebræam phrasim prolata, secundum quam familiare est hebræis aggredientibus quemquam, sic eum compellare, & salutare. Ita Angelus Gedeoni Iudic. 6. dixit: *Dominus tecum virorum fortissime*, & Ruth. 2. Booz messoribus suis ait: *Dominus vobiscum*; & 2. Reg. 7. dixit Nathan Dauidi: *Quidquid in corde tuo est, vade, age, & perfice illud: tecum enim Dominus est*: ita Iansenius in concord. & Echius Hom. 3. de Annunt. & hoc loco similiter à Gabriele Virgini dictum fuisse affirmant, *Dominus tecum*; quasi illi significare voluerit, Dominum cum ea esse, quòd ei faueret, eamq; spiritualiter inhabitaret. Maxima tamen intercedit differentia inter alios homines sub hac forma salutatos, & Virginem. Illis enim precatoriè dictum fuit, *Dominus tecum*, seu, *Dominus vobiscum*; eis videlicet salutem, & Domini præsentiam precando: at Deiparæ affirmatiuè, & enuntiando, non precando dixit Angelus: *Dominus tecum*; licèt Caietanus singularissimo modo precatoriè hæc verba, salutantis more, dicta esse censeat. Verùm prior expositio est melior, cum hæc omnia tria affirmatiuè ab Angelo enuntientur. Vndè Augustinus serm. de tempore 18. *Aue*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum*. Dominus, inquit, tecum, sed plusquam mecum. In me enim licèt sit Dominus, memetipsum creauit Dominus; per te autem genitus est Dominus. Ità est Dominus tecum, vt sit in corde tuo, sit in vtero tuo, adimpleat

S. August.

S. Petr. Chryso.

impleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam. Petrus Chrysologus serm. 143. sic scribit: Missus est Angelus à Deo, & quid dicit? Dominus tecum; ergo erat cum Virgine, qui ad Virginem miserat. Præcessit nuntium suum Deus, sed à Deo non recessit; teneri locis non potest, qui omnibus habetur in locis, & totus vbique est, sine quo nihil est totum. At verò certum mihi est, Angelum non vulgari modo salutasse Virginem, sed altiori, & eminentiori; nec solum significasse, Dominum spiritualiter tunc in Virgine habitasse, sed etiam, quòd in carne, & ventre suo erat conceptura Deum; vtramq; enim expositionem amplectitur S. August. locis iam citatis, & in Enchyridion cap. 37.

BEATVS Gregorius Neocęsariensis in serm. de Annunt. explanans hæc verba Angeli, *Dominus tecum*. Tecum, inquit, non terrenus sponsus, sed ipse Dominus sanctificationis, pater castitatis, auctor immortalitatis, dator libertatis, salutis procurator, & veræ pacis conseruator, & distributor; qui ex terra virgine fecit hominem, & ex eius costa Euam. Hic Dominus tecum. Satis apertè hic auctor alludit ad Christi generationem ex Virgine. Vndè rursus id clarius explanauit dicens, ex te, tecum; cum pulchra pulcher, & speciosus præ filijs hominum; cum impolluta: qui sanctificat omnia, tecum Deus, & ex te Deus, & perfectus homo.

CAPVT DECIMVM NONVM.

Quibus modis Deus cum Virgine esse dicatur.

QVINQVE præcipuè modis legimus in scripturis, Deum nobiscum esse. Et primò per auxilium, protectionem, & defensionem; sic Gedeoni verba illa Angelus dixit indicatiuè, *Dominus tecum, virorum fortissime*, idest Dominus auxiliator, & protector tuus est. Sic quoq; Esa. 41. dicitur: *Ne timeas, quia ego tecum sum, & eruam te.* Secundò per gratiam inhabitantem in homine, ratione cuius Deus vnitur cum homine, & in eo habitat: Sap. 9. *Mitte sapientiam de Cælis sanctis tuis, & de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret.* Et Paulus ad Gal. 2. *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus.* Tertiò per coniunctionem diuinæ naturæ cum humana assumpta in vnitatem diuini suppositioni, secundùm quam dicitur, Deum in terris cum hominibus conuersatum fuisse. Baruch. 3. & Matth. 1. *Vocabitur nomen eius Emanuel, quod est, nobiscum Deus.* Quartò per coniunctionem in vtero, & gestationem in ventre. Hier. 31. *Mulier circundabit virum.* Matth. 1. *Ecce virgo in vtero habebit.* Quintò per identitatem naturæ, quo sensu in diuinis dicitur Ioan. 10. *Ego, & Pater vnum sumus*, & de natura humana Christi Matth. 1. *de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* In nulla autẽ alia creatura fuit Deus coniunctim omnibus hic quinq; modis, nisi in B. Virgine; etenim cũ ea fuit non tãtum per auxilium, & protectionem; nec solum per gratiam singularem; sed etiam per carnis susceptionem, ac singularem quandam coniunctionem; cum in ea, & ex ea natus sit, & in eius vtero per nouem menses portatus. Qua ratione solus filius Dei cum ea fuit, licèt tota Trinitas ad operandum effectiuè mysterium Incarnationis cum ea fuerit. Pater quidem, quia eius virtus illam obumbrauit. Spiritus Sanctus quia in ea superuenit. Filius autem, quia in eius vtero, & ex eius substantia factus est homo. Vnde S. Aug. ser. 18. de Sanctis id innuens sic scripsit. Dominus tecum; tecum in corde, tecum in mente, tecum in auxilio, tecum in ventre: & Bernardus ser. 3. super

Omnib' modis quibus Deus est cum hominibus, fuit cũ B. Virgine, & multò excellentius. Isa. 41.

Sap. 9.

Ad Gal. 2.

Ierem. 31.

S. Aug. S. Bern.

CAPVT VIGESIMVM.

Quænam persona Sanctissimæ Trinitatis denotetur in his verbis: Dominus tecum.



ANCTVS Augustinus existimat loco proximè citato, hanc vocem, *Dominus*, propriè hic significare secundam personam, quæ carnem ex Virgine suscepit: licèt enim Pater, & Spiritus Sanctus per gratiam, & auxilium, protectionem, & operationem fuerint in Virgine; filius tamē solus ꝑ carnis susceptionē ex ea, & in ea fuit. Albertus Magnus super cap. 1. Lucæ quinq; in hoc verbo, *Dominus*, adnotat. Primum est, cur dicat, *Dominus tecum*, & non potius, Deus tecū. Secundū, cum Deus sit vbiq; & in omnibus, qua ratione dicatur esse cū Virgine. Tertiū, quare non dicitur, ipsam esse cum Domino. Quartum, quid sui, vel de suo in hoc opere Incarnationis habuerit. Quintū, quid principalitatis, & excellentiæ conferatur Virgini per hoc, quod dicitur, *Dominus tecum*.

De persona filij id explicatur S. August.

CIRCA primum respondendum est, Angelum non dixisse, Deus tecū sed *Dominus tecū*, ob tres causas. Primò, vt significaret Virgini, sibi omninò, licèt spontè, ac liberè, consentiēdum esse angelico nuntio à Deo misso. Nomen enim Domini auctoritatem, & imperium quoddam importat, vt ei homo obtēperare teneatur. Vt ostenderet igitur, Virginis consensum necessariū esse ad filij Incarnationem, nec Virgini fas esse dissentire ei, cui summa obedientia debebatur, dixit, *Dominus tecum*. Atq; huic sensui respondent postrema Virginis verba, quæ cum Angelo habuit, nimirum; *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum*: ac si diceret. Cum Dominus sit, eius voluntati, imperio, ac iussibus non repugno, libenter, ac promptè assentior. Nec id nouum est in scripturis, sed frequentissimè vsurpatur, vt cum vox, *Dominus*, ponitur, omnimoda, atq; absolutissima obedientia exigatur. Ita 1. Reg. 3. dicitur: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat*. Et Exod. 20. Deus legem daturus dixit: *Ego Dominus Deus tuus*. Et in Deut. sæpè. *Non facias tibi sculptile, ego Dominus, &c.*

Tres causæ, cur non dixit Angelus, Deus, sed Dominus tecū.

1. Reg. 3. Exod. 20.

SECVNDO, vt indicaret Angelus, se non propria voluntate accessisse, sed à Domino iussum, & missum, atq; eius auctoritate & nomine loqui, & nuntiare magnum illud diuini Verbi incarnationis mysterium.

TERTIO, quia homo per peccatum in miserrimum humilitatis, paupertatis, & infirmitatis statum inciderat, & ex his tribus releuari, & eripi à Deo non poterat, nisi prout Dominus est. Hæc enim vox, *Dominus*, tria importat, vt notat Sanctus Dionysius lib. de diuinis nominibus, nempè, maiestatis altitudinem, à qua homo de puluere, & stercore, vt sedeat cum principibus, eleuatur. Diuitiarum item splendorem, & effluentiam, à quibus nostra paupertas ditatur. Postremò virtutem seu fortitudinem inconcussam, atque constantem, per quam infirmitas nostra sanatur, atque in bono vsq; in finem conseruatur. Congruè igitur Angelus dixit: *Dominus tecum*, vt sic significaret in Virgine humilitatis statum in regiæ maiestatis altitudinem permutatum esse. Paupertatis item statum in repletionem omniūm bonorum cōmutatum fuisse. At deniq; omnem humanæ naturæ infirmitatem à Deipara diuino priuilegio pulsam, ac fugatam fuisse. Quapropter hæc omnia beneficia altissima mente repetens Virgo in primo carmine sui Cantici, Deum, Dominum appellauit, dicens. *Magnificat anima mea Dominum*.

In Voce, Dominus, tria cōnnētur ex S. Dion.

Deus semper exaudit Mariã.

QVOAD secundum rectè dicitur, Dominum esse cum Deipara, plusquam cum alijs; cum Dominus votis eius, orationibus, & operibus semper consenserit. Orauit enim, vt Patres affirmant, vt Deus redemptionem Israel, imò totius mundi dignaretur celeriter operari; & ipse Dominus exaudiuit orationẽ eius, faciens eandem redemptionem per humilitatem susceptæ carnis in ipsa. In cuius rei figuram dicitur 2. Reg. 7. vt superius diximus; *Omne, quod est in corde tuo, vade, & fac, quoniam Dominus tecũ est.* Præ alijs verò votis eius huic consensit Dominus, quia ita eam sibi attraxit, vt visceribus eius se se infunderet, & Emanuelis in ipsa nomen acciperet.

2. Reg. 7.

Cur B. Virgo nõ dicatur esse cum Domino, sed Dominus cum ipsa.

QVOAD tertium, cur nempè B. Virgo non dicatur esse cum Domino, sed Dominus cum illa; dicimus ideo ipsam esse cũ Domino, quia Dominus secum est; atq; hoc huiusmodi associationis causa existit, iuxtà illud Io. 17. *Volo Pater, vt quos dedisti mihi, vbi ego sum, ipsi sint & mecum, vt videant claritatem meam.*

Io. 7.

Quatuor posuit B. Virgo in incarnatione Verbi.

QVOAD quartum, B. Virgo in opere Incarnationis quatuor posuit; consensum, videlicet humilis charitatis, fidem indubitatam veritatis promissæ: quæ duo significantur in illo psal. 44. *Audi filia, & vide, inclina aurem tuam*; vt notauit Athan. in epist. ad Marcellinum. Deindè, materiam ad conceptionem corporis Christi exhibuit. Ac postremò ipsum Dei filium concepit, & generauit. Vndè Bernardus hom. 3. de B. Virgine ait, specialiter cum Maria Deũ esse, plusquam cũ creaturis, & Sanctis alijs, cũ qua dumtaxat ei tanta fuerit cõsensio, vt illius non solum volũtatem, sed etiã carnem sibi cõiungeret, ac sic de sua, Virginisq; substãtia vnum Christum efficeret, vel potius vnus Christus fieret, vt supra diximus. Et serm. 2. de Incarnat. Verbi: Ipsa est, inquit, Virginis nostræ gloria singularis, & excellens prærogatiua Mariæ, quòd filium vnum, eundemq; cum Deo Patre meruit habere communem. Et rursus, serm. ex verbis Apocal. signum magnum. Quòd verum Deum, & Dei filium genuit, vt idem ipse Dei, atque hominis filius, vnus omninò Deus, & homo prodiret ex Maria, abyssus est luminis; nec facilè dixerim, quod vel Angelicus oculus ad huius fulgoris vehementiã non caliget. Idem hom. 4. de B. Virgine, ait, Deiparam solam esse, quę in se fœlicissime meruerit experiri mysterium, quod sola per se Trinitas in ipsa, sola, & cum sola voluit operari.

Psal. 44.

S. Bern.

Duæ prærogatiuæ B. Virgini concessæ per illa verba; Dominus tecum.

QVOAD quintum, affirmandum est, duas prærogatiuas, & eminentias præcipuè Deiparæ concessas fuisse per hoc, quod dicitur, *Dominus tecũ*: asserũt enim Sophistæ, ꝙ cum vnus dicitur esse cũ aliò; principalitas notatur esse in re ablatiui, cui deseruit præpositio cum: sicut dicitur, miles esse cum Rege, & non è conuerso, Rex cum milite. Aliquid igitur principale notatur in Virgine, dum dicitur, quòd Dominus secum sit. Id autem fuit honoris, & subiectionis dignitas: voluit enim, qui de honorandis parentibus legem tulit, natus ex muliere, illi semper honorem exhibere; atq; eidem subiectus esse. Luc. 2.

BEATVS Athanasius serm. contrà omnes hæreses, ferè in principio, scribit, Angelũ non dixisse, Deus tecum, sed *Dominus tecum*, vt significaret, se communẽ habere Dominum cum B. Virgine: est .n. Deus, Angelorum, & hominum Dominus, & cõmercium seruitutis in his verbis Virgini significasse. Verùm per excellentiam, Gabrielem Virgini dixisse, *Dominus tecum*, existimandum est, cum Dei mater mox futura stupendum etiam in cœlis, imò & ipsis Angelis miraculum sit. Vndè Epiphanius in serm. latinè conuerso à Ioanne Pico Canonico Parisiensi sic scribit: O Virgo Sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti. Stupendum enim est miraculum in cœlis, mulier amicta sole. Stupendum miraculum in cœlis, mulier gestans lucem in vlnis. Stupendum miraculum in cœlis, alter thronus Cherubicus. Stupendum miraculum in cœlis, mulieris filius, qui & ipsius, & sæculorum est pater.

S. Epiphan.

Stupen-

stupendum miraculum in cœlis, thalamus Virginis habens filium Dei, Deum sponsum Christum. Hactenus ibi.

IDEM Athanasius ad Marcellinum de interpretatione psalmorum, accommodat B. Virgini illud psalmi 44. *Audi filia, & vide, inclina aurem tuam, & obliuiscere populi tui, & domicilij patris tui, quoniam desiderauit Rex formam tuam; quandoquidem ipse est Dominus tuus*. Atque hæc verba simillima esse his, quæ Gabriel dixit Mariæ, Salue gratiosa Dominus tecum; ita vt illud, *Quia concupiuit Rex speciem tuam*, seu, Desiderauit Rex formam tuam; sit idem, quod *gratia plena*. Illud autem, *Quoniam ipse est Dominus tuus*, sit idem, quod *Dominus tecum*, estq; ingeniosa explicatio, & concionatoribus valde accommodata. S. Athan. Psalm. 44.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

Hæreticorum errores circa hæc verba: Dominus tecum; refelluntur.

IMPEGERVNT Hæretici in sensu, & intelligentia horum verborum; quæ etsi luce meridiana clariora sint, illis tamen obscurissima, & causa, seu occasio ruinæ fueræ. Solent enim hæretici in meridie quasi in tenebris ambulare, palpare sicut cæci parietem; & quasi absque oculis attrectare; expectare lucem, & ecce tenebræ; splendorem, & in tenebris versari, rugire quasi vrsi omnes, & quasi columbæ meditantes gemere; expectare iudicium, & non est, salutem, & elongata est ab eis. Sic apposite Isaias hæreticorum mores describit cap. 59. Hæreticorum cæcitas.

REFERT B. Athanasius serm. citato de Deipara, quosdam suo tempore fuisse hæreticos existimantes, hæc verba salutationis, *Aue, gratia plena, Dominus tecum*, fuisse ipsam filij Dei, & Verbi æterni hypostasim, & substantiam; & hanc Angeli vocem ingressam fuisse virginis vterum, & carne indutam esse. Reijcitur eorum error ab Athanasio, quoniam vox illa Gabrielis non fuit substantia, sed sonus quidam verborum in aere formatus, & ab Angelo articulatus, sicut humanæ voces ab hominibus formantur, & deficiunt cum ipso sono; sicut etiam vox illa Angelica defecit ipso Angelo recedente, seu finita salutatione; licèt species salutationis remanserint in sensibus interioribus Deiparæ, & species rei significatæ in eius mēte. Adde, quòd vox illa Angelica erat creatura; at Verbum est Creator, nō autem creatura; nec hypostasis est quid creatū, sed increatū. Vox Angeli nō fuit substantia Verbi diuini.

FVERVNT nonnulli alij, vt Petrus Episcopus Alexandriæ, & Martyr, cuius mentio fit in Concilio Ephesino tom. 2. cap. 7. & in Concilio Chalcedonensi sess. 1. & Nicephorus lib. 1. Histor. cap. 8. affirmantes, ad ipsius vocis Angelicæ salutationem, & prolationem horum verborum, *Dominus tecum*, Verbum carnem in vtero Virginis suscepisse. Hunc autem errorem verba illa Virginis, *Quomodo fiet istud, &c.* prolata postquam Angelus dixit; *Dominus tecum*, apertè redarguunt. Dixit enim Deipara; *Quomodo fiet istud?* quasi nondū factū, & Angelus de futuro, postquam protulit, *Dominus tecum*, dixit, *Ecce concipies, & Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit*. At deniq; conclusio Virginis, *Fiat mihi secundum verbum tuum*; conuincit, his prolatis verbis, & non antea factam fuisse Incarnationem Verbi in eius vtero; licèt Athanasius affirmet, factam statim post Angeli discessum; cuius sententia fortiùs errorem præfatum redarguit. Origenes tomo secundo in Ioan. similem errorem Non fuit facta incarnatio Verbi diuini in illis verbis: Dominus tecum. Origenis error

huic docuit, existimans, Angelos quosdam ad exemplum & imitationem Christi incarnatos fuisse, & humanum corpus, & animam assumpsisse: sed id adeo absurdum est, vt non indigeat refutatione.

BEATVS Augustinus serm. 18. de Sanctis. Noli, inquit, morari Virgo, nuntio responde festinanter verbum, & suscipe filium, da fidem, & senti virtutem. Damascenus lib. 3. de fide cap. 2. & Gregorius lib. 18. Moral. cap. 27. alijque Patres docēt, post Deiparæ consensum, Verbum carnem mox indutum fuisse; & re vera ex textu Euangelij cognoscitur, statim prolatis verbis consensus Deiparæ, ante Angeli discessum, factam fuisse incarnationem. Sic .n. ex textu deprehenditur, & ex verbis Lucæ. *Et discessit ab illa Angelus*; quasi completis omnibus, ad quæ missus fuerat. Quare S. Bernard. Hom. 4. in Missus est, ad Augustini verba alludens, Responde, inquit, verbum, & suscipe Verbum, profer tuum, & suscipe diuinum, emitte transitorium, & amplectere sempiternum. Athanas. in oratione de S. Deipara, animaduertit, rectè Euangelistam significasse, statim Angelum à Virgine discessisse, ne quis putaret, non Verbum Dei, sed Angelum ex ea carnē sumpsisse, vel Angeli opere, non S. Spiritus superuentione id factum esse. Vnde interpres Syriacus similiter sic vertit. Ait Mariàm. Ecce ego sum ancilla Domini, fiat mihi secundū Verbum tuum, & abijt Angelus ab ea.

S. Damasc. S. Greg. S. Bern. S. Athan.

SED quæres, quo abijt? in Cœlum vtique, vnde venerat. De Angelis, qui Pastoribus annuntiarunt Natiuitatem Verbi incarnati, expressè dixit Lucas c. 2. *Discesserunt ab eis Angeli in Cœlum:* At nihil scripsit de Gabriele in Cœlum reuertente, quod tamen necessario est subintelligendum, vt optimè notauit Albertus: quia officio legationis expleto, non erat cur visibiliter moraretur cum Virgine: imò tempus erat, vt iam reuerteretur ad eum, qui illum miserat. *Discessus* autem Angeli nihil aliud fuit, nisi quod visui humano se subduxit, ad Cœlum properans. Ex quo sequitur, id quod meditatus est Hieronymus Natalis, vt superius retulimus, nimirùm Angelum in suo discessu a Virgine, ad Limbum Patrum descēdisse, vt incarnationem Christi illis nuntiaret, non esse admodum verisimile, & consequenter nec asserendum, cum id à Deo Gabriel in mādatis non acceperit, nec ab illis aliquid circa suam legationem expectandum esset. *Discessit* igitur Angelus à Virgine, depositis pennis, alis, & corpore, quod assumpserat: qua in re lapsus videtur Sannazarius, qui Angelum in Cœlum redeuntem alatum sic describit.

An Gabriel statim in Cœlū redierit.

Sannazarius.

Hos inter medios Cœli, terræque fragores
Aequatis properans volucer pulcherrimus alis,
Omnia dum trepidant, discesserat, altaq; nabat
Per loca, cum Virgo celsis in nubibus illum
Alternantem humeros videt, atq; immensa secantem
Ventorum spatia, & iam versicolore per auras
Fulgentem pluma, ac Cœli conuexa petentem. Hæc ille. Qui tamen

licentia, & more poetico scribendi excusandus est.

POST hunc Angeli discessum non legitur in scripturis, Gabrielem ad Virginem missum, nec ei apparuisse, nec cum ea loquutum fuisse, sed Iosepho, vt Matth. 2. licèt duos habuerit B. Virgo Angelos Custodes, vnum tamquam persona priuata, primum nempè ex infimo ordine Angelorum; alterum tamquam persona publica, ex qua dependebat bonum commune humanæ salutis, mediante Christo, & hic fuit Gabriel, qui hoc munus custodiæ exercuit à Conceptione Christi vsq; ad passionem eius. Remansit autem primi Angeli custodia vsq; ad mortem Deiparæ. Vide Abulen. in c. 28. Matth. q. 60. & 61.

B. Virgini post annuntiationē nunquā apparuit Gabriel: ipsa tamen duos habuit Angelos custodes.

SED iterum quæres, cur Angelus salutando Virginem, & loquendo cū ea non declarauerit, se esse Gabrielem, vt fecit loquens Zachariæ Lucæ 1. Certè, vt

Angelus cur nō se manifestauit Mariæ sicut Zachariæ.

Zacha-

Zachariæ incredulitatem detestaretur, huiusmodi declaratio necessaria fuit, nimirum; *Ego sum Gabriel, &c.* At Deipara credidit, & ideo beata, Lucæ 1. eumque statim ab exordio salutationis agnouit; nec salutantem existimauit esse hominem, vt nonnulli Patres censent; cum enim esset in suo cubiculo clausa, nocturnoque & intempestiuo tempore etiam fores domus clausæ essent, quando Angelus ad illam est ingressus, non erat cur existimaret, illum esse hominem; licèt in forma viri appareret, præsertim cum solita esset Angelorum colloquiis præcipuè in ea hora vti: effigies verò assumpti corporis ab Angelo eam cogitationem omnino excludebat, cum adeò lucida, & pulchra esset, vt naturalem hominum pulchritudinem longè superaret, vt testatur S. Augustinus serm. 14. de Natiu. Domini. Et licèt in primo aspectu eius, cum à nullo viro vsq; ad illam horam salutata fuisset, teste S. Hieron. in epist. ad Eustochium de custodia Virginitatis, turbata fuisset; audito tamen nuntio, & Gabrielis vocem recognoscens; quæ hominem formidabat, cum Angelo fabulabatur intrepida, vt loquitur Hieron. Quod etiam S. Ambrosius docuit lib. 2. de Virginibus dicens: quasi viri specie mota trepidauit, quasi non incognitum, audito nomine recognouit: & in exhortat. ad Virgines: Peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in Angelo, hoc est, speciem viri insolitam timuit, quæ solitum Angeli colloquium non expauit. lege Bedam in Lucam, hoc loco: Quòd si Zacharias Angelum à principio nouit, Dei tamen gratia, ac munere singulari, vt tradit Origenes Homil. 3. in Lucam, eumq; bonum Angelum fuisse, licèt quis Angelus esset adhuc non cognosceret; cur non & Deipara? Adde, quòd etiam tunc in principio salutationis vidit eius essentiam ex Dei priuilegio singulari, teste Sancto Athanasio quæst. 12. ad Antiochum, & Alberto de laudibus Virginis cap. 149. licèt S. Thomas id neget 3. p. q. 30. art. 3. ad 1. sed diuino priuilegio posito, quis iure negare poterit?

HABVIT autem Deipara non solum duos Angelos custodes, vt dictum est, sed etiam duos viros ad sui custodiam, & tutelam deputatos, successiuè tamen, Ioseph scilicet, ac post eius obitum Euangelistam Ioannem, ita vt Virgo semper à Virginibus custodiretur. Quòd si throno Salomonis duo leones astabant, vnus à dextris, alter à sinistris; cur non throno, ac tabernaculo Verbi Dei increati, & incarnati duplicati aderunt, tàm Angeli, quàm homines? lege Petrum Damianum in orat. 1. de Natiuit. Virginis. Adijciendum est, non solum habuisse Virginem duos Angelos Custodes, sed etiam plurimas habuisse legiones Angelorum ad custodiam & protectionem suam, vt rectè S. Bernardinus Senen. dixit in serm. 51. art. 3. cap. 2. tomo 2. & S. Bernardus Hom. 2. super missus est.

Duo viri insignes ad B. Virginis custodiã deputati.

S. Pet. Dam.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

Exponuntur verba: Benedicta tu in mulieribus.

DVPLEX horum verborum interpretatio, & connexio cum præcedentibus inuenitur apud Doctores. Nonnulli enim putant, hæc verba precatoriè dicta esse, quasi Angelus precetur, vt à Deo Virgo benedicatur: eamq; faciũt cum præcedentibus connexionem, vt sicut Angelus illi gratiæ plenitudinem, ac Domini præsentiam precatus fuit, ità quoq; vt à Deo benedicatur. Quæ expositio nobis non probatur, cum Angelus non in futurũ benedicendam, sed iam à Deo benedictam Deiparam declaret.

Angelus in his uerbis non tantum benè precatur Virgini, sed eã à Deo benedictam nuntiat

CAIETANVS hanc priorem expositionẽ sequitur. Significatur, inquit, quòd laudata erit supra omnes mulieres. Quod implendum esse ex conceptione fili Dei, ipsamet B. Virgo posteà explicauit, dicens: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Alij verò existimant, esse verba laudatoria, & per modum laudis, & honoris annuntiata, & repetita fuisse ab Angelo dona, & beneficia, quæ ei Deus omnipotens contulerat: fuit igitur benedicta in mulieribus, quia sola inter illas apud Dominum inuenit gratiam, vt conciperet Deum, ita exponente Angelo, *Ecce concipies, &c.* statim post quam dixerat, *Benedicta tu in mulieribus*. Et hæc videtur absq; dubio germana horũ verborũ expositio.

Discrimen inter benedictionem Dei, & hominum.

EST autem animaduertendum, Angelum dixisse, & intellexisse Virginem benedictam esse non ab hominibus, sed à Deo. Diuerso enim modo Deus, & homo benedicit: Deum enim benedicere, nil aliud est, quàm benefacere homini: sic Abrahæ, & Isaac Deus benedixit, multiplicando eorum semen. Homo verò & Deum, & alios homines benedicit, eos quidem laudando, nil tamen eis conferẽdo. Sic in hebræo habetur, *Beruchà*, idest, benedicta, quæ dicto donũ, vel beneficium, vel munus propriè significat, vt ex varijs scripturæ locis non obscurè cognoscitur, vt 1. Reg. 25. Abigail Dauidi offerens benedictionem, hoc est ducentos panes, & duos vini vterculos, & quinq; arietes, plurimasq; res alias, dixit: *Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit tibi ancilla tua domino meo:* & Genes. 27. de benedictione Isaac, & Iacob idem habetur. Illa enim benedictio nil aliud erat, quam translatio primogenituræ, & substantiæ, quæ sub nomine benedictionis significabatur. Idem Genes. 33. innuitur illis verbis à Iacob dictis Esau redeunti de Mesopotania; *Esto mihi propitius, & suscipe benedictionem, quam attuli tibi*; maximis enim beneficijs illum affecit. Præterea 4. Reg. 5. Naaman Syrus offerens munera Elisæo ait: *Obsecro, vt accipias benedictionem à seruo tuo.* Idem habes Gen. 39. & Deuter. 16. & Iob 42. & Iudic. 3. Collatio igitur multorum donorum, quæ Deiparæ à Deo donata sunt, eius benedictio nuncupatur, & hæc est tertia causa gaudij, & lætitiæ, ob quam iussit Angelus, Mariam gaudere.

1. Reg. 25.

Gen. 33.

4. Reg. 5.

Collatio multorum donorum fuit benedictio B. Virginis.

Matth. 23.

ET licèt hebraicum participium, vt notauit Maldonatus, *Benedictus*, pro futuro, aut pro imperatiuo accipi soleat, vt est illud Matth. 23. *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, idest, benedicatur, vel benedicendus est: tamen hoc loco intelligentia præteritorum verborum exigit, vt non pro futuro, sed pro præterito *benedicta* intelligatur. Angelus enim de re præterita dixit: *Aue gratia plena, & Dominus tecum*, & consequenter dicendum est de re præterita dicere, *Benedicta tu in mulieribus*.

Duæ mulieres in lege veteri figurabant hanc B. Virginis benedictionem. Iudith 13. & 15

LEGIMVS autem in scripturis veteris testamenti, in typum huius benedictionis duas mulieres hac forma salutationis salutatas fuisse, Iudith, nempè, & Iahel. Ozias enim laudauit Iudith, vt habetur Iudith 13. his verbis: *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.* Et iterum in eodem lib. cap. 15. *Ideo erit benedicta in æternum.* Iudic. 5. de Iahel cecinit Debora, & Barac: *Benedicta inter mulieres Iahel vxor Habel Cinæi, & benedicatur in tabernaculo suo.* Verũ hæ fęminæ ab hominibus benedictionẽ receperũt: at Deipara à solo Deo, vt Angelus è cęlo veniẽs, & à Deo solo missus significauit.

Deipara quatuor præcipuè benedictiones habuit sup omnes mulieres. S. Bernardinus.

AT verò quamuis supra omnes creaturas benedicta fuerit Deipara, tamquam omnium Regina, & Imperatrix; nihilominus speciali quadam ratione dicitur, *in mulieribus*, seu inter mulieres benedicta; quoniam omnes gratias, omnia dona, ac beneficia, quæ fœminæ conferri possunt, Deiparæ collata fuere. Hæc autem præcipuè quatuor sunt, vt ex S. Bernardino colligitur in cap. 1. expositionis Angelicæ art. 2.

PRIMVM, vt esset Virgo, & Mater simul. Multæ quidẽ fęminæ Virgines

sunt,

ſunt, pleræque matres, ſed nulla mater, & virgo, niſi Deipara: quemadmodum autem Dei filius, & homo eſt, & Deus, & diuinitatem humanitati coniunxit in ſuo ſuppoſito; ſic Deipara, & vt eſſet Virgo, & Mater in ſua perſona copulauit. Vnde S. Auguſt. ſer. 18. in Natali Domini: enarra obſecro mihi quomodo meruiſti dici mater Dei, & ſponſa, hoc eſt, Virgo filio Dei.

SECVNDVM, quoniam multæ mulieres deſponſatæ concipiunt, & pariunt filios, ſed illos cum corruptione concipiunt, cum grauedine portant, & parturiunt cum dolore: Deipara incorrupta concepit, ſine onere portauit, & ſine dolore peperit. Quare egregiè ibidem Auguſt. O Mira, & laudabilis inter fœminas, in qua ab Angelo ſalutatur virginitas, ſola impregnata, nec vitiata, exonerata, nec euacuata; quia ſic eſt ab Angelo ſalutata. *Aue gratia plena, Dominus tecum.*

TERTIVM, quia vniuerſæ mulieres, non niſi hominem peccatorem, & in iniquitatibus conceptum parturiunt; at Deipara filium à natiuitate, & ex natiuitate ſanctum, immò & à conceptu.

QVARTVM, opprobrium humanæ naturæ, & præcipuè fœminarum ex muliere ortum habuit, quod per vnam mulierem, nempè Mariam ablatum, & amotum fuit; cum illa humanæ generationis Saluatorem, & auctorem ſalutis pepererit. Fuit deinde Deipara benedicta ſuper omnes viros, & ſuper omnes Angelos. De qua re inferius.

SOLET in ſcripturis, benedicere, ſumi pro eo, quod eſt, prolem dare, vt Pſalm. 127. *Vxor tua, ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: Filij tui, ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ: Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum,* & Pſal. 44. *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Et Geneſ. 22. & alibi ſæpè. Et in hoc ſenſu quoque benedicta fuit Deipara ſupra, & inter omnes mulieres; quo etiam ſenſu dixit Eliſabeth: *Benedictus fructus ventris tui,* quoniam genuit, & Virgo ſemper manſit; per partū enim eius virginitas ampliata eſt potius, quam fugata, vt dixit rectè D. Fulgen. in ſerm. de laudibus Mariæ ex partu Saluatoris, & S. Auguſt. ſerm. 18. in Natali Domini. Benedictio item in ſcripturis ſignificat copiam, & vbertatē Gen. 27. *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus,* 2. Corinth. 9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus,* ideſt copioſè, *de benedictionibus & metet:* & hoc loco, *Benedicta tu in mulieribus,* ideſt fœcundiſſima, vno partu fœcundior, quàm cæteræ multis. Quæ omnes interpretationes mirificè ad ſenſum literalem faciunt.

Benedicere, quatenus ſignificat fœcundare, cōuenit etiā Virgini. Pſ. 44. & 127.

ALBERTVS Magnus in cap. 1. Lucæ animaduertit, quòd in hac Angelica ſalutatione quatuor dicuntur, quæ innuunt quatuor Virginis perfectiones. *Aue,* enim debetur innocentię Virginis. *Gratia plena,* tamquam donorum Dei plenitudo debetur vacuitati humilitatis eius. *Dominus tecum,* debetur ſummæ eius cum Deo familiaritati, quæ maximam Virginis puritatem, & charitatem ad Deum complectitur. *Benedicta tu,* excellentiam eius caſtitatis denotat. Ita vt in his omnibus Euæ qualitatibus opponatur. De qua re lege Irenæum lib. 3. c. 33. & lib. 5. cap. 19. Tertull. lib. de carne Chriſti, S. Aug. ſerm. 15. de tempore, Nyſſenum orat. de ſancta Chriſti Natiuitate, & Theophylactum in Lucam.

S. Petrus Chryſologus ſerm. 143. exponens hæc verba, *Benedicta tu inter mulieres,* ſic ſcribit. Verè benedicta Virgo, quæ & Virginitatis poſſidet decus, matris & pertulit dignitatem. Verè benedicta, quæ & superni conceptus meruit gratiam, & ſuſtulit integritatis coronam. Verè benedicta, quæ & diuini germinis ſuſcepit gloriam, & Regina totius extitit caſtitatis. Verè benedicta, quæ fuit maior Cœlo, fortior terra, orbe latior: nam Deum, quem mundus non capit, ſola cepit. Portauit eum, qui portat orbem: genuit genitorem ſuum,

nutriuit

nutriuit omnium viuentium nutritorem.

S. Augustinus serm. 13. præclara scribit de hac benedictione Deiparæ: *O sacrum, & cœleste mysterium in natiuitate Domini. Concepit Virgo antequam sponsum haberet, parit antequam nubat, & quod ad laudem pertinet nominis Domini, & mater, & Virgo cœpit esse post partum. Virgo enim concepit, virgo peperit, virgo post partum illibata permansit. Quem cum portaret timuit, cum pareret adorauit, quem cum peperisset, minor erat mater, quàm filius. Grande nobis mysterium Diuina Maiestas in Adæ figura præmisit. Sicut enim Deus noster, cum primum Adam facere vellet, non ex coniunctione viri, aut mulieris hominem, vt esset effecit, sed accipiens terram, inde hominem diuina quadam arte formauit: ità sine viri coniunctione Deum in virginali aluo incorporari dispensauit. Ergo si tunc licuit hominem sine homine nasci, cur non licuit hominem sine homine per Mariam Virginem procreari? Quoniam sicut Adam ex terra virgine figuratus est, ita & Christus ex Virgine natus agnoscitur. Ibi tunc flatus Dei de terra viuum hominem surgere fecit ad vitã: hic mundum Spiritus Sanctus de Maria Virgine Christum hominem figurauit, in quo Deus ad reparationem hominis habitaret. Adam enim ibi tunc nascitur, hic renouatur, & resuscitatur in Christo. Fuit similis reparatio, quomodo fuit & hominis creatio. Denique sicut tunc in aluo terræ Saluator Adæ membra composuit, sic etiam nunc in Virginis aluo Christus sua membra composuit.* Et plura alia in hanc sententiam: & in serm. 2. de Annuntiat. inquit: *Benedicta tu in mulieribus*, quæ vitam, & viris, & mulieribus peperisti. Mater generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem attulit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur.

ETHNICVS Poeta Claudianus sic de Maria, & Gabriele cecinit, in carmine de Christi miraculis, vt etiam alibi diximus.

Angelus alloquitur Mariam, quo præscia verbo
Concipiat salua Virginitate Deum.

MVLTA ex Sibyllis hoc in loco de laudibus, & benedictionibus Deiparæ afferri possent, immò etiam de Gabrielis legatione, partuque virgineo, sed hæc in lib. 8. oracul. legantur, ea dumtaxat, quæ Tiburtina dixit, referamus.

Sibylla Tiburtina.

Verax ipse Deus dedit hæc mihi numina fandi,
Carmine quod sanctam potui monstrare puellam,
Concipiet quæ Nazareis in finibus illum:
Quem sub carne Deũ Bethlemitica rura uidebũt,
O nimium fœlix, cœlo dignissima mater,
Quæ tantam sacro lactabit ab vbere prolem.

Eodem lib. 8. ponuntur verba Angeli ad Mariam.

Accipe Virgo Deũ gremio intemerato pudico, &c.
. . . . Verbumque volauit in aluum,
Idq; suo factum, atque animatum tempore, corpus
Mortali facie cretum est. Puer inde creatus
Virgineo partu. Mira est mortalibus hæc res;
Sed res nulla Deo patri, natoque stupenda.

CHRYSIPPVS Presbyter Hierosolymitanus in sermo. de S. Maria Deipara sic scribit. *Sumamus initium à verbis, quæ Gabriel apud eam fecit, Aue gratia plena, Dominus te cum. Aue* inquit, tuum enim est re vera auere, & gaudere: tuum est verissime audire istud, *Gratia plena*, quia tecum est vniuersus lætitiæ thesaurus, totius lætitiæ, & gratiæ Rex cum ancilla: cum speciosa

inter

inter mulieres, speciosus forma præ filijs hominum: cum puella impolluta, is qui sanctificat omnia. Tecum est conditor omnium, tecum inquam, vt ex te gignatur, tecum conceptione, vt ex partu tuo generetur, tecum velut Deus, vt ex te sit Deus, & homo. Hactenus Gabriel verbis salutationis finem imponit. Et paulò post subdit: Surge Domine in requiem tuam, tua enim requies, inquit, est Virgo, & vterus tua requies, quia tibi cubile efficietur, & habitatio. Surge Domine; nam nisi tu exurgas è sinu paterno, inquit, genus nostrum quondam lapsum non resurget. Surge Domine, quia etiam si exurgas, non separaberis à gloria paterna, & versans in terra, non relinques Cęlos, & licèt appareas in carne, non imminues potestatem, quam habes ante secula. Tu, & arca sanctificationis tuæ. Cum enim tu inde surrexeris, sigillabis arcam sanctificationis tuæ, tùmque arca cum omnibus exurget à lapsu, in quo vel illam constituit Euæ cognatio: (intellige ex vi naturæ, & naturalis propagationis) Talia præclamabat, & exorabat illius gratia, quæ ex eo germinare debebat; immò verò totius generis humani nomine. Age verò alteram etiam recolite Psalmorum cantionem, quę illustriorem hymnis præseferat honorem. Audisti, quæ fuerint hymnorum, iam audi, quæ sint odæ verba. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum, quia ipse est Dominus tuus, & adorabis eum. Tractemus igitur quantum licet etiam in his latentem sensum. Audi, inquit, filia, hoc est, de cætero sermo meus dirigitur ad te, quæ à me ortum accepisti, sermo, inquam, ad te, per quem eadem etiam euangelizo Ecclesiæ gentium. Sermo meus ad te, quæ despõsanda es Regi magno: sermo est ad te, quæ Deum Verbum, prout ipse nouit, cõceptura es. Audi filia, & vide; adeò diligenter ausculta, vt etiam ipsis notitiæ oculis intuearis effectum: Audi etiã hæc me cũ inclinatione prædicentem, atq; Gabrielem eadem tibi indicaturũ. Audi filia, & vide, & inclina aurẽ tuam, hoc enim faustum nuncium est de redemptione mundi. Inclina aurem tuam, & ausculatio diriget cor tuum, & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui, populus enim, à quo cognationem contraxisti, nequam est, ignominiã tibi affert. Populus imprudens tibi irreprehensæ natura propagini familiaritate iunctus est, & cultura spinarum ferax rosam tuam producit, obliuiscere autem vnà cum populo, etiam ipsam domum paternam. Audi paulisper dignitatem, quam adeptura es è conceptione indicibili. Etenim Propheta, & Rex sum ego, qui tibi semen suppeditando, tu verò declarabere Mater Regis, qui Dominus est sceptrorum non terrenorum, at cœlestium, & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui. Ne posthac attendas animum huic inferiori cognationi, quoniam in Reginam transmutaberis. Et audi, inquit, quanto te amore prosequetur is, qui & conditor omnium est, & potestatem habet. Concupiscet enim ait, Rex decorẽ tuum. Ipse Pater te sibi ipsi desponsabit, Spiritus sanctus coefficiet ea, quæ ad desponsationem pertinent, & Filius ipsum templi tui decorem assumet. Itaque ne existimaueris te parituram infantem humanum, quoniam ipse est Dominus tuus, & adorabis eum. Ipse formator tui, ipse etiam infans, ipsum concipies, & cum cæteris adorabis, vt Dominum: & plura alia pulchra, quę apud illum legas. Hactenus Chrysippus, qui nonnulla ex his, quæ scripsit, mutuatus est à S. Athanasio, vt ex his, quæ ante diximus manifestum est.

S. Petrus Chrysologus exponens hæc verba: *Benedicta tu in mulieribus*, atque etiam alia, quæ ad salutationem spectant, sic scribit. Missus est Angelus ad Virginem desponsatam. Ad Virginem Deus aligerum portitorem mittit, nam dat arrham, dotem suscipit, qui fert gratiam; fidem refert, & tradit munera virtutis, qui mox Virgini consensu resoluit sponsionem. Peruolat ad sponsam festinus interpres, vt à Dei sponsa humanæ desponsationis arceat, & suspẽ-

dat

dat affectum; neque auferat ab Ioseph Virginem, sed reddat Christo, cui est in vtero pignorata cum fieret. Christus ergo suam sponsam recipit, non praeripit alienam; nec separationem facit, quando suam sibi totam iungit in vno corpore creaturam. Sed quid egerit Angelus, audiamus. Ingressus ad eam dicit: *Aue gratia plena: Dominus tecum.* In hac voce oblatio est, oblatio muneris, non simplex salutationis officium. *Aue*, hoc est, accipe gratiam. Ne trepides; ne sis sollicita de natura. *Gratia plena*, quia in alijs gratia, in te tota gratiæ pariter veniet plenitudo. *Dominus tecum*. Quid est in te Dominus? quia ad te non visitandi studio venit, sed in te nouo nascendi illabitur sacramento. Adiecit congrue; *Benedicta tu in mulieribus.* Quia in quibus Eua maledicta puniebat viscera, nũc in illis gaudet, honoratur, suspicitur Maria benedicta. Et facta est verè nũc mater viuentium per gratiam, quæ mater extitit morientium per naturam. Et in serm. 142. exponens illa verba; *Inuenisti gratiam*, ait: apud quem? Apud Deum. Beata, quæ inter homines audire sola meruit pro omnibus. *Inuenisti gratiam*. Quantam? quantam superius dixerat. *Plenam*. Et verè plenam, quæ largo imbre totam funderet, & infunderet creaturam. *Inuenisti enim gratiam apud Deũ.* Hæc cum dicit, & ipse Angelus miratur, aut fœminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per fœminam: stupet Angelus totum Deum venire intrà virginalis vteri angustias, cui tota simul angusta est creatura. Hactenus Chrysologus. Habuit deinde Deipara benedictiones vberum, & vuluæ; vberum quidem, nam cum sit præter naturam, Virginem lactè impleri, sanctissima tamen eius mater, cum Virgo esset, eum lactauit: quocirca Ecclesia canit: *Virgo nesciens virum, sine dolore genuit filium, sola Virgo lactabat, vbere de Cœlo pleno.* Vuluæ verò, quia sine semine viri genuit, & sine dolore peperit, & sine molestia gestauit in vtero filium Dei, vt sæpè dictum est.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

Quid excellentiæ in illa voce, Tu, denotetur.

Discretio, & singularis excellentia B. Virginis.



BENEDICTA tu. In hoc pronomine *Tu*, discretio quædam excellentiæ, & singularitatis prænotatur, vt eleganter Albertus loco citato animaduertit. Discretio quidem, quoniam benedicta est singulariter, & inter omnes creaturas electa, & segregata ad hoc, vt digna esset mater Dei; singularis autem excellẽtia, quoniã hæc dignitas maternitatis diuinæ infinitatem quandam ponit in persona Deiparæ, vt optimè S. Thomas 1. p. q. 7. art. 10. docet. Vnde S. Hieronymus serm. de Assumpt. Virgin. Cæteris, inquit, virginibus præstatur gratia per partes: Mariæ verò tota se infudit plenitudo gratiæ. Et Anselm. de Concept. Virgin. ait: Nihil tibi Domina est æquale, nihil comparabile. Omne enim, quod est, aut supra te est, aut infra te est. Quod supra te est, solus Deus est: quod infra te est, omne, quod Deus non est. Vnde Deuter. 33. de hac singulari benedictione dicitur: *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem Nazaræi inter fratres suos.* Qui enim in rubo apparuit, Virginem incombustam per concupiscentiam designauit desponsatam Ioseph, cuius Iacob Patriarcha figura fuit. Et hoc super verticem Nazaræi eius, hoc est, Sãcti Sanctorum Christi, descendit, & per ipsum in matrem. Signanter igitur Angelus dixit: *Benedicta tu,*

S. Thomas.
S. Hieronym.
S. Anselm.
Deuter. 33.

Et tu, in cuius figura Iudic. 15. dictum fuit: *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri*.

IANSENIVS annotat, pronomina apud hebræos vsurpari loco verbi substantiui præsentis temporis, ac proinde idem esse, ac si Angelus dixisset, Benedicta es inter mulieres; magnamque emphasim agnoscit in hoc pronomine, *Tu*, & in præpositione, *In*, vel, *Inter*. Maius enim est dicere, *Benedicta in mulieribus*, vel *inter mulieres*, quàm benedicta prę mulieribus, vt dictum fuit Iudith.

S. Petrus Chrysologus ser. 142. exponens illa verba: *Ecce concipies in vtero*, multa scribit, quæ ad rem nostram egregiè faciunt. Quis, inquit, ante ad fructũ peruenit, quam terrę laborem sentiat, & sudorem? Quis ante poma carpit, quam plantæ suam tribuat, & impendat industriam? Quis præter viam ad vllam peruenit mansionem? Quis præter naturam naturæ suscipit incrementum? Beata ergo, & verè beata Maria, quę præter generandi curas, præter materni doloris fastidia, tãtam germinis peruenit ad gloriam; beata, quæ diuinum pignus sic suo suscepit, & seruauit in pectore, vt illud tota corporis externa nesciret. Beata, quæ quod de supernis Angelo referente susceperat, sic menti suæ solæ commisit, & credidit. Intrà domum Virginis negocium cœleste sic geritur, vt manentibus claustris, ipsa domus septa non sentiant. Concipies, & paries filium. Quis ingreditur, & egreditur, & introitus sui, & exitus nulla vestigia relinquit? diuinus habitator est, non humanus; & qui conceptu suo Virginem seruat, & ortu suo relinquit Virginem, non terrenus homo est, sed cœlestis. Nostræ ergo carnis ordo secedat, hic sibi natura nil vendicet, vbi ad diuinam progeniem cœlestis ordo diuinam instituitur in naturam. Conceptus, & partus sermo audientis animũ non fugiat, nec leuiter sensum moueat Christiani, vbi ad cœlestem progeniem virtutis Dei diuina peraguntur insignia. Concipies, & paries filium. Non dixit tibi, dixit tuum: Quare? Quia sanctum vocabitur filius Dei. Virgo te gratia matrẽ præstitit, non natura: genitricem te dici pietas voluit, quam non sinebat integritas: in tuo conceptu, in tuo partu creuit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, est solidata Virginitas, omnes perseuerauere virtutes. Virgo si tibi salua sunt omnia, quid dedisti? Si Virgo, quomodo mater? Si sponsa, genitrix quomodo? Ille, quo tibi aucta sunt omnia, nil minuit Virgo. Virgo concipitur ex te auctor tuus, tua ex te oritur origo, in tuo germine est genitor tuus, in tua carne est Deus tuus, & ipse lucem mundi per te cepit, qui lucem mundo dedit. Sic Petrus Chrysolog.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

Refutatur Hæreticorum error, malè interpretantium hæc verba: Benedicta tu; quæ etiam vberius ad eorum confusionem declarantur.

Maria excellentiori modo suꝑ fœminas benedicta, contra hæreticos.

NON cessant Hæretici omnem mouere lapidem, omnemq; occasionem apprehendere, vt dignitati Deiparæ, & consequenter Christi eius filij derogent. Voluntq; hoc loco, non aliam significari benedictionem, quam quæ cunctis electis, & prędestinatis cõmunis est, nimirum, quòd Christi fidẽ recipiãt. At verba Angeli illos acriter redarguunt, neq; enim hęc communi ratione præ cęteris mulieribus, seu inter oẽs mulieres singulariter benedicta esset: *Multæ quidem filiæ*, inquit Salomon Prouerb. cap. 31. *congregauerunt sibi diuitias, tu supergressa*

tam magna gratiæ plenitudine nouum, & insolitum præcipuè fuit, vt Virgo talem se apud Dominum gratiam inuenisse cognosceret, qualem nulla alia inuenerit creatura, vt scilicet nunquam vel ab initio suæ conceptionis illa caruerit: immò cum totius gratiæ thesaurum, vt Gregorius Neocæsariensis loquitur, semper in se reconditum habuerit, nullis naturæ lapsæ, ac mortis legibus, nulla peccati etiam originalis labe teneri, aut constringi poterat; ipsa enim totius gratiæ Auctoris mater futura erat, ideoque nunquam sine gratia, immò numquam sine maxima gratiæ plenitudine esse debuit. Quando autem Angelus illa verba addidit, *Dominus tecum*; profectò in admirationem, & stuporem Beata Virgo adducta non esset, nisi eam Angeli locutionem intellexisset de Domini præsentia modo aliquo singulari, & inconsueto per gratiam iustificantem, ita vt in eius corde, & animo Deus fuerit semper, ipsa verò numquam fuerit à Deo auersa, sed ipsi semper grata, & amica super omnes alias creaturas ab exordio suæ creationis. Si enim Ioannes Baptista propter solum præcursoris munus per Christi præsentiam sanctificatus fuit in vtero matris, multò maiorem profectò gratiam, & maiorem cum Deo coniunctionem Beatam Virginem assecutam esse fatendum est; cum maternitatis diuinæ dignitas infinitè superet dignitatem præcursoris, & consequenter Christi præsentiam longè superioris, & altioris ordinis requirat: & hoc indicauit Angelus illo singulari verbo, *Dominus tecum*, idest, ita est tecum, vt nunquam à te absens ne vllo quidem temporis momento fuerit, præseruando te à culpa, etiam originali, quæ cæteros omnes mortales in conceptione à Deo alienare solet, vt optimè indicauit Suarez 3. p. loco supra citato. Denique ex eo, quod dixit Angelus: *Benedicta tu in mulieribus*, idem non obscurè colligitur: non enim Beata Virgo benedicta pronuntiatur communi, & ordinaria benedictione, quæ consistit in remissione peccatorum per nouæ gratiæ infusionem; sed benedictione quadam sublimi, atque cœlesti, quæ nullum omninò peccatum præsupponit, aut depellit; & quæ ex Christi Passione, & meritis vim habuit non solum delendi, & remittendi peccata actualia, si fuissent; sed etiam præseruandi à peccato originali, quod alioquin Beata Virgo contractura erat, si talis benedictio non obstitisset, quæ ipsi soli inter omnes mortales concessa fuit; & ideò iure optimo in suo Cantico cecinit; *fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius*. Angeli quidem videntur simili benedictione à Deo donati, quia in gratia creati fuerunt; sed tamen diuersa ratione hoc illis donum collatum est: nam Beata Virgo non solum accepit gratiam in prima animæ suæ creatione, vel infusione, sed præterea et in ipsa gratia statim confirmata fuit, ita vt ab illa nunquam excidere potuerit; & ab omni peccato, siue peccandi periculo præseruata sit: Angeli verò nequaquam hoc dono præseruationis in eorum creationis articulo præditi fuerunt, sed tantum diuinam gratiam acceperunt, quam qui amplexati fuerunt, beati; qui verò reiecerunt, damnati fuere. Hęc autem omnia confirmat Turrianus ex Regula Grammaticę apud gręcos, apud quos participium sine articulo secundum sermonis illorum proprietatem, ex obseruatione Apollonij vetustissimi grammatici, qui ante annos mille quadringentos floruit, lib. 1. cap. 27. & 28. aliquid peculiare, ac singulare significat: & ideò cum Sanctus Lucas græci sermonis proprietatem probè intelligens, illi participio κεχαριτωμένη, articulum non apposuerit, cum scripsit, *Gratia plena*, *Dominus tecum*, *Benedicta tu in mulieribus*; necessariò sequitur, significare voluisse Angelum in illis verbis, solam Mariam esse gratia plenam, cum illa sola esse Dominum, & denique ipsam solam in mulieribus benedictam nuntiasse; nempè modo quodam singularissimo ipsi

Angeli creati fuerunt in gratia, sed non habuerũt donum præseruationis eo modo, quo B. Virgo.

tamquam Dei matri tantum communicato per supradictam à peccato originali preseruationem. Quare meritò Sanctus Anselmus in libro de excellentia Virginis cap. 7. ait, illam accepisse certam reuelationem suæ prædestinationis, & exaltationis super omnes choros Angelorum ea hora, qua filium concepit: hæc autem Virginis prædestinatio non solum ad diuinam maternitatem, sed etiam ad perpetuam sanctitatem, & innocentiam, quæ illam decebat, facta fuit, præsertim iuxta probabilem illorum sententiam, qui asserunt, Deum ante præuisum originale peccatum prædestinasse beatam Virginem. Vnde Sanctus Gregorius Neocæsariensis in sermon. & expositione salutationis Angelicæ rectè dixit, solam Virginem fuisse sanctam, & prorsus impollutam corpore, & spiritu. Quòd si, vt rectè infert Turrianus, sola fuit sancta corpore, & spiritu, ergo sola nunquam fuit in peccato originali. Etenim si aliquando in eo fuisset, non iam sola, vt paulò ante dixi, sancta corpore, & spiritu fuisset. *Siquidem* Apostolus commune esse hoc omnium Virginum vult, cum ait: *Mulier innupta, & Virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu*. Quare si sola Virgo mater fuit sancta corpore, & spiritu, necesse est, vt sanctitas in corpore, & spiritu eius solius, & singularis semper fuisset, & non vt in alijs Virginibus, quæ prius fuerunt omnes peccato pollutæ, & posteà sanctificatæ. Ac rursus si sola hæc Virgo fuit sancta corpore, & spiritu, vt hic magnus Auctor scripturam secutus affirmat; ergo sola hæc Virgo fuit benedicta, & sola gratia plena; siquidem propter benedictionem, qua sola fuit benedicta, & propter gratiam, qua sola fuit plena, factum est, vt sola fuerit sancta corpore, & spiritu. Idcirco eleganter dixit Chrysipp. Hierosolym. Presbyter in serm. de Sancta Maria. *Aue* solis ortus, qui nullum ferre potest occasum: & Damascenus orat. 2. de Natiuit. Mariæ Virginis; ad hunc, inquit, Paradisum serpens aditum non habuit: Et Laurentius Iustinianus sermone de Annuntiatione. Ab ipsa, inquit, conceptione in benedictionibus est præuenta dulcedinis, & à damnationis alienæ chyrographo prius est sanctificata, quàm nata: quod clarius explicat *in lib.* de casto connubio Verbi, & animæ cap. 7. circa medium, dicens: quotquot ex ipsa nati sunt propagine, exceptis dumtaxat mediatore Christo Iesu, & eius Matre, sub hac peccati lege sunt conditi. lege eundem in lib. de gradibus perfectionis cap. 1. vbi post medium disertè inquit: ab originali delicto *nullus* excipitur, præter illam, quæ genuit mundi Saluatorem. Beatus Vincentius Ferrerius licèt interdum subobscurè loquatur, in hanc tamen sententiam planè inclinat in serm. 1. de Natiuit. ait enim, Virginem eadem die, & eadem hora conceptionis sine dilatione fuisse sanctificatam: & subdit. Quando corpus beatæ Virginis fuit perfectè organizatum, & anima illi coniuncta per creationem, tunc altissimus sanctificauit tabernaculum suum: & serm. 2. de Natiuit. Virgini ad illius conceptionem accommodat verba illa; *fiat lux*, & addit. Non credatis, quia fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur: sed statim ac anima fuit creata, fuit sanctificata, ac statim Angeli in Cœlo celebrauerunt festum Conceptionis. Sanctus Cyprianus lib. de Cardinalib. Christ. operib. ca. de Nati. Christi, de B. Virgine sic loquitur. Non sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus lassaretur iniurijs, quoniam plurimum à cæteris differẽs, natura communicabat, non culpa: & infrà; Matri plenitudo gratię debebatur, & Virgini abundantior gloria, quà carnis, & mentis integritate esset insignis. S. Ambr. ser. 22. in Ps. 118. circa illa verba. *Quære seruum tuum Domine*; inquit. Suscipe me, non ex Eua, sed Maria, vt incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati. Et lib. de inst. Virg. c. 5. Non de terra, sed de Cœlo vas sibi hoc, per quod descenderet, Christus elegit, & sacrauit templum

S. Anselm.

S. Greg. Neoc.

Chrys. Hieros.

Damascen.

S. Vinc. Ferer.

S. Cypr.

S. Ambros.

pudo-

pudoris. Fulbertus Carnotensis, vt Canis. refert lib. 1. c. 7. sic Virginem salutat. Aue Maria electa, quæ immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras creatorem totius sanctitatis. Denique Hesychius concione 2. de B. Vir. tom. 7. Biblioth. Sanct. inter alia, vocat eam, præclarum nostræ naturæ ornamentum, gloriam luti nostri, quæ Euam pudore, Adamum comminatione liberauit, audaciam dæmonis contriuit, quam concupiscentiæ fumus non attigit, neque vermis voluptatis læsit. Multa alia Patrum testimonia circa hanc rem adduci possent, sed illa legantur apud eos, qui hanc rem ex professo tractãt: illa verò sola ratio omninò id persuadet, quòd mensura donorum, quæ cæteris sanctis cõmunicãtur, est Dei clementia, & misericordia; donorum verò B. Virginis est Dei omnipotentia, dicente Angelo: *Non erit impossibile apud Deum omne Verbum.* Diuersa enim debet esse mensura diuini sanctuarij, à vulgari. Leuit. 5. & 27. eam. n. adiuuauit Deus mane diluculo. Psalm. 45. idest in sua conceptione; festinauit. n. Deus illam à casu & impetu eripere, & sibi reseruare; in cuius rei figuram legitur Esther. 5. *Rex assuerus festinus exiliuit de solio, & sustentauit Esther vlnis suis.* Fulb. Carnot. Isychius.

CVM autem Gabriel tam honorificis Verbis Deiparam Virginem salutauerit, meritò placuit nobis hoc loco hymnum Sannazarij in ipsum Angelum Gabrielem conscriptum proferre. Sic autem cecinit. Sannazarius.

Iam cœli reserat fores
Aurato thalamo exiens
Mater Memnonis, & diem
Læto prouocat ore.
Nos te maximè maximi
Minister canimus patris:
Quo nullus qui hominum genus
Tam præsens iuuet, vsquam est.
Tu nostras celer ad preces,
Aures protinus ad Deum has
Defers: nec tenues sinis
Euanescere in auras.
Tu, dum fers noua nuntia
Virgini æterno patri
Dilectæ, quibus indicas
Magni vota tonantis.
Nobis fers noua nuntia:
Queis è faucibus impij
Erepti hostis, in aurea
Cœli templa vocamur.
Adsis bone: & in dies
Semper nos propius iuua:
Nec patrocinio tuo
Vnquam mitte tueri.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

An Gabriel fuerit immediatè à Deo missus ad Virginem salutandam, vel potius medio aliquo Angelo superiori.

VIVS dubitationis sensus est: An superiores Angeli incarnationis nuntium à Deo immediatè acceperint, & deinde Gabrieli deferendum ad Virginem tradiderint. Et quidem hac in re difficultatem aliquam facere videtur id, quod ait S. Dionys. Areopagita lib. de cęlesti Hierarch. ca. 3. vbi loquens de Angelis in vniuersum, sic scribit. Neque alicui fas est operari, nisi quod officij sui diuina sanxit institutio. Hæc autem huiusmodi est, vt idem Auctor declarat cap. 9. eiusdem libri, vt quæ Deus Angelis vltimæ Hierarchiæ mandat facięda in terris, non immediatè per se ipsum patefaciat, ac manifestet, sed per Angelos superioris ordinis, seu hierarchiæ, per quos illuminat inferiores Angelos, & suam illis explicat voluntatem. Et cap. 8. ait: *Est in hierarchijs* diuina lege hic ordo, vt inferiores Angeli à superioribus illuminętur, perficiantur, & purgentur, vt per prima secundis diuini fulgoris radius influat. Sic Dan. 8. legimus Gabrielem per Michaelem, vt Iudæi teste S. Hieronymo autumāt, missum fuisse ad Danielem, eiq; mandatum fuisse, vt Danieli visionem exponeret: *Clamauit*, inquit textus, *& ait; Gabriel fac istum intelligere visionem*. Iuxtà quam doctrinam arbitrantur nonnulli, Gabrielem ita à Deo ad Virginem missum fuisse, vt ab eo non acceperit immediatè legationis præceptum, & ea quæ Virgini erat dicturus; sed à superioribus angelicis spiritibus ad hoc munus præstandum à Deo electis, ipsius Dei voluntatem, & mandatum, nec non legationis verba illi intimata fuisse, & manifestata: quemadmodum etiam in scripturis sępè legimus, per Prophetas, per Apostolos, & deniq; per alios intermedios Deum hominibus locutum fuisse, vt ad Hebr. 1. *Multipharíam multisq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio*. Atque ex hoc inferunt, mysterium Incarnationis prius innotuisse quibusdam, videlicet vni aut pluribus Angelis primæ hierarchiæ, & deinde per hos manifestatum fuisse alijs inferioribus, secundæ nimirum vni, aut pluribus; deniq; per hos vltimæ hierarchiæ, in qua est chorus Archāgelorum, quorum vnus ex præcipuis est Gabriel, qui Dei iussa intellexit, & promptissimo gratissimoq; animo excepit, & de Cœlis ad terras descendens venit in Ciuitatem Nazareth: ita Toletus in cap. 1. Luc. annot. 47.

S. Dionys.

Aliqui opinantur, Gabrielem non immediatè à Deo accepisse legationem, sed per Angelos superiores.

Ad Hebr. 1.

Card. Tolet.

VERVM huic sententiæ aduersantur nonnulli Patres, & in primis Sāctus Chrysostom. homil. 2. in Matth. ita scribens. Audi ad Gabriel loquentem Dominum: Vade ad Virginem desponsatam viro, cui nomen Ioseph ex domo, & familia Dauid. Et in orat. de Annuntiat. apud Metaphrastem, Dei sermonem ad Gabrielem conuertens, inter alia sic inquit. Placet, vt virtutes, quæ in Cęlo sunt, mysterium hoc lateat, & tibi soli sit manifestum. Ex quibus verbis colligitur, Sanctum Chrysostomum sensisse, Deum immediatè Gabrieli, ac per seipsum legationem demandasse, & summum diuinæ Incarnationis mysterium reuelasse.

Refellitur prædicta opinio ex Patribus. S. Chrysost.

S. Bern. ēt apertissimis verbis hāc eandem Chrys. sentētiā amplectitur hom. 1. in Euang. Missus est: vbi docet, Gabrielem præter communē consuetudinē, & vsitatum ordinem, ab ipso Deo nullius alterius Angeli interuentu Incarnationis

S. Bern.

Verbi

Verbi legationem accepisse, & nuntium ad Virginem destinatum fuisse. Non ab alio, inquit, forte excellentiori se, vt assolet, spiritu, sed ab ipso Deo mitti Gabriel perhibetur. Propter hoc ergò positum est, à Deo: Et addit, ideo dictum esse ab Euangelista, missum Gabrielem à Deo, ne cui vel beatorum spirituum suum Deus antequam Virgini reuelasse putetur consilium, excepto dumtaxat Archangelo Gabriele. Idem sentit Clicthouæus in lib. de Annunt.

ALBERTVS Magnus in cap. 1. Luc. exponens verbum illud, *A Deo*; bis vel ter repetit, Gabrielem non ab alio, sed ab ipso Deo missum fuisse ad Virginē. Cum .n. inquit, magnus Rex puellam pauperem ad nuptias suas vocat, nuntio, quem mittit, ipsemet Rex legationem iniungit, & non alius paruus vel magnus de curia: sic ergo desponsaturus naturam nostram Rex cœlestis per seipsum legationem iniunxit Sap. 8. Quæsiui mihi eam sponsam assumere, & amator factus sum formæ illius. Hoc idem expresse tenet Io. Echius in serm. 1. de Annunt. & S. Petrus Chrysologus idipsum videtur innuere serm. 140. & 149. Et re vera hæc tot, & tantorum Patrum sententia nobis maximè probatur, & ab omnibus merito amplectanda est; cum non decuerit, alios Angelos ante Virginem hæc tam inusitata Annuntiationis, & Incarnationis mysteria sigillatim & quoad rationes & circunstantias particulares cognoscere: & hanc eandem sententiam tenet Suarez in 3. p. S. Thom. to. 2. disp. 9. sect. 1.

Gabriel à Deo immediatè accepit suam legationem.

SANCTVS Petrus Damianus in serm. de Annuntiatione, Hieron. Natalis in locum citatum Lucæ, & Barradius tomo 1. lib. 7. cap. 6. licèt hic variè de hac re loquatur; putant potius asserendum, omnibus Angelis simul conuocatis magna cum lætitia tam lætam, & iucūdam legationem fuisse patefactam: quod etiam sentit Simon Cassianus in suis Com. Euang. sic scribens. Mirantur omnes hierarchiæ cęlestes, quòd ad huiusmodi legationem nuntius cęlestis egreditur, suspenduntur eorum altis considerationibus mentes, &c.

Simon Cassian.

SED eorum sententia nobis non placet, quoniam sicut multi Angeli mitti non debebant ad Virginem salutandam; ita neq; multis reuelandum erat antequam Virgini summum Incarnationis mysterium; multitudo enim arcani huius mysterij patefactioni potius repugnabat, quàm eidem celando opportuna videri posset, cum gloria Dei sit cęlare verbum, vt ait Salomon Prou. 25. nulla enim ratione absconditum atq; arcanum dici potest, quod multis notum est ac manifestum. Nec est familiariter & amicabiliter intimatum, quod prius est multitudini reuelatum, vt inquit Albertus lib. de laudibus Virginis cap. 19. & ideo S. Paul. ad Coloss. 1. Sacramentum Incarnationis appellat mysterium, quod absconditum fuit à sæculis, & generationibus; nunc autem manifestum est sanctis eius. Quamuis enim S. August. lib. 5. super Gen. ad literam cap. 19. dicat, hoc mysterium ita fuisse absconditum à sæculis in Deo, vt tamen innotesceret Principibus, & potestatibus cælestibus: hoc tamen exponit S. Tho. 1. p. q. 57. art. 5. ad 1. de omnibus Angelis in generali, seu communiter à principio beatitudinis ipsorum, cum Incarnatio Verbi sit finis omnium ministeriorum, quæ illi administrabant propter eos, qui per Christum hereditatem capiunt salutis, ad hæbr. 1. & ideo idem Apostolus 1. Thim. 3. dixit magnum hoc pietatis sacramentum Angelis apparuisse, nempè mysterium Incarnationis: nemini tamen ipsorum Angelorum reuelatæ fuerunt circunstantiæ speciales & conditiones Incarnationis, & annuntiationis, præterquam Gabrieli Archangelo; a quo deinde cæteri omnes Angeli post reditum à salutatione Virginis in Cœlum illas didicerunt; quod absurdum, aut incredibile videri non debet, siquidem Sanctus Dionys. vbi supra cap. 7. asserit, etiam superiores Angelos mysteria gratiæ interdum addiscere.

Solus Gabriel ante omnes alios Angelos reuelationē Incarnationis habuit

Alb. Mag.

S. August.

S. Thomas.

NEQVE legimus in scripturis, cum Deus aliquod opus faciendum aggreditur,

Deus in suis operibus Angelorum consiliũ non requirit. Gen. 1.

ditur, prius illud cum Angelis communicare, neq; hoc vnquam fecisse, *ita vt* illorum auxilium, vel consilium expectare videatur. Verba enim illa, ***Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram***, Gen. 1. non ad Angelos referenda sunt, vt voluit Phylo lib. de opificio sex dierum, & in lib. de profugis, secutus Platonem in Timæo. Neq; ad ipsam terram, quasi Deus cum illa, tamquam cum altero hominis principio loqueretur, vt Hebræi stultissimè somniarunt, sed ad ipsas sanctissimæ Trinitatis personas. Vide S. August. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 6. S. Ambr. lib. 6. Hexameron cap. 7. S. Cyrill. lib. 1. aduersus Iulianum, S. Basil. hom. 9. in Gen. & alios in locum cit. Similiter alia quatuor loca scripturæ diuinæ, in quibus Deus de seipso pluraliter loquitur, non de Angelis, sed de ipsis tribus diuinis personis accipienda sunt, vt Gen. 2. *Faciamus Adæ adiutorium simile sibi.* Et cap. 3. *Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis.* Et Isai. 6. *Audiui vocem Domini dicentis, quem mittam, & quis ibit nobis?* deniq; Io. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Vnus tamen reperitur locus, in quo Deus cum Angelis loquitur Gen. 11. dicens. *Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum*. Non enim placet illorum expositio, qui hæc etiam verba ad Sãctissimæ Trinitatis personas referunt, moti verbis illis in plurali numero prolatis: *Venite, descendamus, & confundamus*, vt interpretatur Glossa quædam græca in hunc locum, Rabanus, & Glossa interlin. ibidem, & Ruper. Abbas lib. 4. Com. in Gen. cap. 42. vbi sic scribit. Hoc tam admirandæ vindictæ incommodum, quo maximè homines à semetipsis diuiduntur, solus facere potuit Deus. Proindè cum dixit pluraliter; venite, descendamus, & confundamus: non Angelorum multitudines ad auxilium cohortatur, sed ad feriendam superbiam se adesse testatur tota Trinitas, vnus Deus. Sed melior & verior nobis videtur expositio S. Augustini lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 5. & 6. & S. Greg. lib. 2. moral. qui asserunt, verba illa ad Angelos referenda esse: quod maximè suadetur ex verbo illo, *Venite*; quod significat imperium & mandatum Dei datum Angelis, vel potius certam quandam eorum determinationem seu applicationem ad vnum aliquod magis quàm ad aliud agendum. Illa autem confusio linguæ à Deo profecta est, non modo vt iubente & imperante, sed etiam vt efficiente: quia tamen non à solo Deo effectus ille cõfusionis linguarum proueniebat, sed ab Angelis quoq; cum ipso cooperantibus, eiq; ministrantibus; propterea pluraliter dictum est; confundamus. Verba S. August. loco cit. cap. 5. sunt hæc. Venite, & descendamus, & confundamus ibi linguam eorum: recapitulatio fit, demonstrãs quemadmodum factum sit quod dictum fuerat, descendit Dominus; si enim iam descenderat, quid sibi vult; Venite descendentes, confundamus ibi linguam eorum, quod intelligitur Angelis dictum; nisi quia per Angelos descendebat, qui in Angelis descendentibus erat: & bene non ait, Venite, & descendentes confundite, sed confundamus ibi linguam eorum, ostendens ita se operari per ministros suos, vt sint etiam ipsi cooperatores Dei, sicut Apostolus dicit; *Dei enim sumus cooperarij*. Sic Augustinus. Eadem fere verba repetit Caietanus in locum prædictum Genesis. Quoniam ministerio Angelorum, inquit, Deus operatur, ideo pluraliter loquitur: & quia sic per Angelos operatur, vt magis ipse operetur, & vt ipse non procul absit, quemadmodum Philosophi pingunt, sed præsens sit Angelis operantibus circa hæc infima, tamquam præcipuus operans, ideo dixit, descendamus, & confundamus. Et descendere quidem conuenit Deo secundum similitudinem effectus; confundere autem propriè ei conuenit. Vtitur autem Deus ad multas res perficiendas ministerio Angelorum, non propter indigentiam alieni auxilij, cum sibi ipse plenissimè sufficiens sit; sed propter decentem, ac suauem prouidentiæ atq; gubernationis suæ rationem, quæ poscit vt terrena per cælestia, corporea per incorporea, & inferiora per superiora moueãtur,

Scriptura Deũ loquentem pluraliter narrans, de tribus diuinis personis intelligitur, excepto uno loco. Gen. 11.

Rupert.

S. August.

Caiet.

atque

atque gubernentur. Accedit præterea Angelicæ naturę magna quædam nobilitatis excellentia, dum adhibentur ipsi Angeli diuinæ prouidentiæ,& gubernationis administri in regendo,gubernando,& mouendo hoc mundo corporeo.

EX quibus manifestum fit, Sacramentum Incarnationis Verbi occultum fuisse, quoad eius particulares circumstantias, etiam ipsis Angelis in Cœlo: at vbi venit plenitudo temporis,primum Gabrieli Archangelo, mox Virgini Deiparæ, deinde cæteris Angelis reuelatũ fuit;tum Ioanni Baptistæ in vtero matris, postea Elisabeth,ac deniq; S.Iosepho Matth.1. quando volens dimittere sponsam audiuit: *Quod in ea natum est,de Spiritu Sancto est.* Neq; communis ordo in hac re manifestãda seruari debuit,ob insignem ac singularem tanti mysterij magnitudinem, atq; excellentiam; quod maxime arcanum atq; secretum esse decebat; & ob admirandam Beatissimæ Virginis Matris Dei dignitatem. Sicut enim post resurrectionẽ suam Christus Dominus apparere voluit prius B.Virgini, quã Apostolis,cæterisq; alijs, vt ex Patribus manifestũ est,& legi potest in simili Medin.3.p.q.55.art.2. ita etiã idem in hoc sacratissimo mysterio factum fuisse existimandum est, vt.s. Verbum diuinum suas ineffabiles nuptias in sanctissimo illo virginali thalamo celebrandas cum humana natura,prius per nuntium destinatum Virgini significaret, quàm vlli alteri creaturæ innotesceret. Et quidem Deus opera iustitiæ, iræ, ac vindictæ per Angelos bonos vel malos exercere solet, eorumq; in ijs exequendis vtitur ministerio, vt notissimum est; at verò misericordiæ ac pietatis opera per seipsum immediatè, ac sine vllo Angelorum interuentu efficere delectatur, & in eis quasi in propria sibi ac peculiari exercitatione versari solet,vt patet in remissione peccatorum,in infusione gratiæ, in creatione animæ rationalis, & similibus: licèt interdum etiam per solos Angelos bonos quædam miserationis opera perficiat, vt constat in multis curationibus multorum, & in diuersis consolationibus hominum à Deo per bonos Angelos prouenientibus. Quare Incarnationis mysterium, vt pote maximum diuinæ misericordiæ & charitatis opus, per ipsum Deum immediate fieri,& vnius tantum Gabrielis Archangeli tanquam internuntij ministerio soli Virgini, eiq, prius quàm vlli creaturæ significari, quam maximè decuit; vt sic euidentius ipsius Dei erga homines ineffabilis amor, & infinita charitas eluceret. An autem Gabriel præcisam & determinatum diuinæ Incarnationis horam ante B. Virginem cognouerit, in sequenti capite explicabimus.

Incarnatio quoad suas particulares circũstantias est Angelis abscondita.

Matth.1.

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

An Gabriel distinctè nouerit horam determinatam Incarnationis Verbi prius quàm B. Virgo.

BEATVS Dionys. Areopag. lib. de cælesti Hierar. c.4. exponens locum Lucæ de missione Gabrielis Archangeli ad Virginem,affirmat, Gabrielẽ nouisse præfatam horam prius quàm B.Virgo: & licèt de illa hora nihil præcisè, & expresè locutus fuerit cum ipsa Virgine, vt ex Euangelij contextu patet, optima tamen ratione suadetur, huiusmodi horam fuisse illi ex diuina reuelatione cognitam, quia id pertinere videbatur ad mysterium Incarnationis, quod nuntiabat. Præterea cum ipsemet Gabriel Danieli tempus Incarnationis Christi nuntiauerit Dan.9. per illud hebdomadarum spatium; quis negare, poterit, finem ac terminum earum hebdomadarum

Gabriel cognouit ipsam horã Incarnationis Verbi, & alias eius circunstantias.

quoque ærea insuperabile robur, & inuictam fortitudinem Angeli significabant, ad conterendas omnes aduersarias potestates; & vim incredibilem quam habebat ad omnia contraria frangenda, & destruenda: quæ omnia optimè congruebant, & accomodata erant fini, propter quem illa Gabrielis apparitio fiebat Danieli. At verò quando B. Virgini apparuit, assumptionem nostræ carnis, & mortalitatis ab eo faciendam, qui mitis, & humilis corde futurus erat, annuntiabat; ac proinde non terribili, sed miti aspectu, ac blanda specie ad Virginem ingressus est; & blando motu, affectu pio Virginem salutauit, vt Chrysol. ait ser. 140. & profectò talis habitus, atq; aspectus omninò adhibendus erat, congruè nimirum, & satis accommodate ad rem, de qua agebatur; ipse enim hoc modo Verbum diuinum humanam carnem, non æneam, aut ex corpore cælesti desumptam; sed mollem, teneram, mortalem, atq; passibilem assumpturum optimè significabat; vt ex eo intelligi posset, non bellum, aut iram Dei, sed benignitatem, misericordiam, & gaudium cæleste Virgini Deiparæ, & humano generi vniuerso se nuntiare: hæc enim Gabrielis Archangeli salutatio est expressa quædam atq; dilucida summæ charitatis, atque diuini & æterni gaudij significatio.

Duo Deus ab æterno decreuit, in quibus maximè gauderet.

QVA in re cum Hieronymo Natali lib. de laud. Deip. meditandum est, Deum Patrem ab æterno duo præcipuè constituisse, in quibus summoperè gauderet: Filium nempe suum Christum Iesum, & matrem illius ad totius mundi salutem, & reparationem perficiendam. Voluit autem initio reparationis humanæ Mariam huius gaudij esse participem, antequam esset re ipsa mater, & hoc per Gabrielem Archangelum effecit, quando illam salutauit dicens, *Aue*, & gaude; ac si nomine æterni Patris dixisset. Gaudeo ego infinito & æterno gaudio de filij mei, & tua electione, & hoc meum gaudium tibi communico per Angelum; totam enim te feci gratiosam, & gratia plenam plenitudine incomparabili, nec non diuinitatis meæ excellenter participem: Benedixi etiam tibi plusquam reliquis omnibus mulieribus. Quo circà rectè Ephræm, vt iam superius diximus in orat. de annuntiat. hanc Gabrielis salutationem appellat melos angelicum celebratissimum his verbis. Imple os meum (loquitur ad Deiparam) gratia dulcedinis tuæ; illumina mentem ò gratia plena, moue linguam meam, & labia ad laudes tibi alacri, & læto animo canendas, & præcipue melos illud angelicum, quod Gabriel in Nazareth seruili habitu ad te Virginem, & matrem Dei mei integerrimam clamans cecinit; salutationem maximè congruam, & condignissimam, mundi salutem, cunctarumque animatum tutelam. Et infra, appellat ipsam Deiparam Canticum Cherubim, & hymnum Angelorum, idest obiectiue; humani generis lætitiam, Patriarcharum præconium, Prophetarum decus, martyrum pulchritudinem, & coronam Sanctorum omnium.

S Ephrem.

Cur potius Gabriel quã alius Angelus ad B. Virginem missus fit.

HAC autem præcipuè ratione Gabriel inter omnes cælestes Spiritus fuit à Deo electus nuntius ad Virginem, quia eius nominis interpretatio Virum Deum significat, ad denotandum se nuntiare illum, qui futurus erat Vir Deus, & Verbum caro; vt Theophilact. in Luc. & Proclus in Hom. de Nat. quæ habetur in Actis Concilij Ephesini cap. 7. vbi dicitur, Gabrielem missum esse nuntium, quia eius nomen idem significat, quod homo Deus, vel potius Vir Deus; vt indicaretur, Christum futurum quidem hominem, quantum ad naturam humanam, atque ætatis & corporis augmentum; sed tamen quantum ad animam & intelligentiam vsumq; rationis semper fuisse virum perfectum, vt prædictum fuerat Ierem. 31. *Fœmina circundabit virum.* Annuntiauitautem illum venturum in suo primo aduentu non, vt Iudicem, sed vt saluatorem benignissimum: vndè Paulus ad Heb. 4. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati* Ad Hæbr. 4.

infirmitatibus nostris: & ideo non solum assimilatur in sacris literis agno, oui, & similibus animantibus mansuetis, ac mitibus; sed etiam gallinæ, quæ propter affectum feruentissimum, & vehementissimum erga pullos suos, vt eos nutriat, alat, & foueat, super ipsis infirmatur, & vitã suã ad ipsos tuendos exponit.

Arma, quibus Christus præliaturus erat, qualia fuerint. Isai. 8.

TERTVLLIANVS in illud Isai. cap. 8. *Antequam sciat puer vocare patrem, & matrem, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ:* ait in suo lib. cont. Iud. cap. 9. arma & fortitudinem, quibus Christus bellaturus erat, & ablaturus fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ fuisse ipsiusmet Christi infantis admirabilem pulchritudinem, benignitatem, & mansuetudinem: & ad hanc rem confirmandam adducit locum ex Psal. 44. vbi Dauid agens de fortitudine Christi ait. *Accingere gladio tuo super fæmur tuum potentissimè:* & deinde explicans quisnam esset ensis, & gladius, quo præcingi deberet, subdit. *Specie tua, & pulchritudine tua, intende, prosperè procede, & regna; propter veritatem, & mansuetudinem, &c.* vbi ex sententia Tertull. Messiæ decor, & pulchritudo, eius gladius esse describitur, & ideo ait Dauidem, antequam eum ense, & gladio accingendum prædicaret, præmisisse eius decorem, & pulchritudinem illis verbis; *Speciosus forma præ filijs hominum:* vbi Tertull. non legit *Speciosus forma*, vt nos habemus in vulgata editione, sed, Tempestiuus decore: Christus enim verè fuit tempestiuus decore, cum in ipso suæ vitæ exordio, & ab incunabulis tanta effulserit pulchritudine ac venustate, vt ab extremis Orientis regionibus Magos ad suum præsepe conquirendum & adorandum pertraxerit: quæ pulchritudo cum eius benignitate, ac mansuetudine coniuncta benè gladius & ensis, quo accingeretur, dici potuit; tunc enim Christus fortissimus ac potentissimus apparuit, cum suo decore, ac suauitate & mansuetudine mirabili mortalium omnium corda dulcissimè simul ac iucundissimè deuinxit, sibique vniuersum orbem subiecit; vnde Apostoli sermonum illius ac morum suauitate mirificè attracti ac deliniti dicebant, *Domine quo ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Ioan. 6. & Dauid Psalm. 92. *Dominus regnauit decorem indutus est.* Et Cant. 5. dicitur de pulchritudine capitis illius. *Coma eius sicut elatæ Palmarum,* quasi diceret. tanta est forma, decor, pulchritudo, benignitas, mansuetudo & suauitas Messiæ, vt vel in ipsis crinibus videatur potentissimus atq; fortissimus ad omnes homines sibi suauissimè conciliandos, ita vt quot habet in capite crines, tot quasi gerat palmas, & signa triumphorum, & victoriarum de orbe deuicto, sibiq; mansuetudine in primis atq; humilitate subiecto. Quare meritò Gabriel, qui eius aduentum ad huiusmodi præclara facinora præstanda nuntiabat, non terribili ac formidabili specie; sed benigno, mitiq; ac suaui aspectu, summoq; decore ornatus B. Virgini apparere debuit.

Psal. 44. — Ioan. 6. Psal. 92. Cant. 5.

SVNT nonnulli, qui putant, non fuisse eundem Angelum, qui Danieli, & Virgini apparuit, licèt vterq; Gabriel nominatus fuerit; ex identitate enim nominis non arguitur, quòd eadem persona fuerit, cum interdum diuersæ personæ Angelicæ eodem nomine vocentur, vt scripsit Abulen. in 23. cap. Exod. quæst. 81. & in 13. cap. Iudicum quæst. 35. & id propter officij, seu ministerij similitudinem. Sed errant, vt benè notauit Suarez tom. 2. in tertiam partem Sancti Thomæ disputat. 9. sect. 1. nec enim diuersitas personarum Angelicarum sub eodem nomine sine sufficienti fundamento introducenda est, cum ambiguitatem in sacra scriptura gignere valeat.

CA-

CAPVT VIGESIMVM NONVM.

In quo exponuntur verba: Et benedictus fructus ventris tui.



NON incongruè Ecclesia admiscet,& connectit hęc verba Elisabeth cum salutatione Angeli ad B. Virginem; id .n. agit, vt ab vtroq; choro, Angelorum scilicet,& hominum veneranda,& salutanda gloriosa Virgo demonstretur. Sicut enim vterus Virginis beatus, & benedictus fuit, quia portauit Dei filium; sic eo magis fructus ventris eius benedictus est,à quo huiusmodi venter benedictionem accepit,iuxta illud ad Hebr. 6. *Terra super se venientē sæpè bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo.* Hoc est enim germen Domini, quod est in magnificētia,& gloria,& fructus terræ sublimis. Esa. 14. Hic autem fructus ventris Deiparæ est Dei filius, factus homo, & ex ea conceptus & natus, & super omnes Angelos,& homines benedictus.

Optimè Ecclesia cōiunxit verba Elisabeth cū salutatione Gabrielis.

BEATVS Augustinus Epist. 57. ad Dardanum legit. Beata tu inter mulieres,& beatus fructus ventris tui;quod idem est,quantum ad sensum, ac benedictus. Singulariter aūt dicitur. *Et benedictus fructus ventris tui*; quoniā omnis fructus,qui ex ventre cuiuscumq; mulieris antea productus erat,& post Deiparam producetur, maledictus est,cum in peccato oēs concipiamur; ac proinde solus Christus ex natura benedictus fuit, quoniam naturaliter sanctus, & ex Spiritu Sancto conceptus. Quæ benedictio propria, & singularis est ipsius Christi, qui non solum ratione humanitatis,secundum quam conceptus de Virgine dicitur; sed etiam propter nos,cum ab illo,& per ipsum omnem benedictionem spiritualem accipiamus,benedictus iure optimo appellatur.

Cur dicatur benedictus fructus ventris Mariæ.

EX hoc autem,quòd Christus, *fructus ventris tui*,i. Virginis nūcupatur, non apparentem,sed veram,& naturalem carnem ex Virgine assumpsisse declaratur, atq; ēt ad vtilitatem humani generis filium Dei carnē suscepisse ostenditur. Hac enim ratione dicitur fructus ventris Deiparæ,quoniam nobis,& in nostram vtilitatem cū carne in mundo apparuit, iuxta illud Dauid psal. 131. *De fructu ventris tui ponā super sedem tuā.* Vndè Christus rectè dicitur fructus Virgæ Iessæ, Esa. 11. Lege Tertullianum lib. de carne Christi cap. 21. lib. 3. contra Marcionem c. 17. & lib. 4. c. 1. & Ephræm Syrum orat. de matris Dei laudib. Ioan. Damasc. orat. 1. & 2. de Natiu. Mariæ, Leonem Magnū ser. de Natiu. Domini, Chrysost. in psal. 22. ad illa verba, *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*, Isidor. ad sororem Florentiam, S. Bernardum serm. 2. de Aduentu,& Hom. 2. super Missus est, & ser. 2. in Annuntiat. Dominica, & alios.

Christus ueram ex Maria carnē suscepit.

Psal. 131.

PVLCHRE B. Bernardus verba hæc, *Benedictus fructus*, explanat Hom. 3. super Missus est, dicens. Benedictus talis fructus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie, idest in pulchritudine. Huius fructus odor animā trahit, sapor nutrit. Bonus fructus, qui animarum esurientiū,& sitientiū iustitiā,& esca,& potus est. Pulchritudo oblectat, si enim fructus ille mortis non solum suauis fuit ad vescendum; sed etiam delectabilis aspectū. Quantò magis huius vitalis fructus viuificum decorem debemus inquirere, in quem desiderant Angeli prospicere. Sic Bernardus.

QVÆRET aliquis, cur Ecclesia inseruerit hoc in loco nomen, *Iesus*. Re-

Optimè ab Ecclesia adhibitũ fuit nomen, IESVS.
S. Thom.

spondendum est, optimo iure id fecisse, cum etiam Angelus in colloquio, quod habuit cum Virgine, idem nomen protulerit. *Et vocabis nomen eius Iesum.* Christus.n. Dominus disposuit totum genus humanum ad gratiã tripliciter, vt docet S.Tho.in 3.dist.13.q.2.art.1.ad 3. Primò per nostrã operationẽ credendo, Iesum Christũ esse Deum, & hominem. Secundò per eius operationẽ, orando, merendo nobis, & satisfaciendo pro nobis. Tertiò affinitate Christi ad nos, quia ex hoc, quod incarnatus est, humana natura est Deo magis accepta. Beda in 1. lib. Cõm.in Luc. explicat Sibyllinum carmen de nomine *Iesu*, facta supputatione literarũ eiusdẽ nominis. B.Petrus Chrysol.ser.144.de nomine *Iesus* sic scribit. In hoc nomine deitatis tota adoratur maiestas: omnes qui cõmorantur in cęlis, vniuersi, qui habitant terrã, cuncti, qui in profundo tenentur inferni, huic prosternuntur nomini, hoc adorant. Audi Apostolũ dicentem. *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cęlestiũ, terrestrium, & infernorũ.* Hoc nomen, quod dedit cęcis visum, auditũ surdis, claudis cursum, sermonẽ mutis, vitã mortuis, totamq; diaboli potestatem de obsessis corporibus virtus huius nominis effugauit. Et si nomen tantum est, quanta potestas? Sed quis est iste, qui vocatur hoc nomine? Iã dicat Angelus. *Et filius altissimi vocabitur.* Videtis, quia quod concipiet Virgo, non terrenũ germen est, sed cęleste. Virgo peperit, sed Deus suscepit filium. Ergo qui de hac natiuitate humano modo disputat, ad omnem tendit tanti genitoris iniuriam. Hactenus Chrysologus.

S.Beda.
S.Pet.Chrysol.

CAPVT TRIGESIMVM.

Quando ab Ecclesia reliqua verba in oratione Angelica adiecta fuerint.

Cęlestino Pontifice addita sũt illa verba, & cur.
Baron.

EA, quæ sequuntur, nimirum; *Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostra. Amen*; addidit Ecclesia sub anno Christi 431. tẽpore Cęlestini Papæ, vt refert Baron.to.5.Annal. Habuit.n. Pontifex ille insignem gloriam de damnata hæresi Nestoriana; imò, vt Prosper refert, contra collatorem, circa finẽ, per hunc virum, Cęlestinũ videlicet, oẽs, orientales Ecclesiæ gemina peste purgatę sunt, qñ Cyrillo Alexandriæ vrbis Antistiti, gloriosissimo fidei Catholicæ defensori, ad execrandã Nestorianã impietatẽ apostolico auxiliatus est gladio; quo ẽt Pelagiani, dum cognatis cõfederantur erroribus, iterũ prosternerẽtur. Hæc ille. Summã de hac victoria Patres primæ Ephesinæ Synodi concepere lætitiã, quam Ecclesiæ Romanæ cõmunicantes legatos Ioannẽ Presbyterum, & Epitectum Diaconũ ad Cęlestinũ Romanum Põtificẽ miserunt, eidem congratulantes de debellato Nestorio, eiusq; hæresi profligata, quibus ipso die Natalis Dñi Romã peruenientibus, Pontifex Deo gratias immortales de tanto beneficio agens, vbiq; locorũ matrem Dei Mariã laudandam, & prædicandam esse sanciuit, & declarauit. Vndè proclamatum fuit. *Sancta Maria mater Dei ora pro nobis, &c.* Quod iàm in ore omniũ fidelium, ẽt puerorum, versatur. Cur aũt Ecclesia tam crebrò hac angelica salutatione in precibus, ẽt publicis vtatur, superius exposuimus. Quibus nũc addimus, nõ solũ apud Syros, sed ẽt apud græcos in Lyturgijs solitũ esse vltrà alias preces, adhibere ẽt salutationẽ angelicã, vt videre est in Lyturgia B.Chrysost. & B.Iacobi: licèt Ecclesia Romana hunc morẽ non habeat in Missa; sœpius tñ in die illam vsurpat, ac reperit ob plures rationes. Primò ad cõmemorandum beneficiũ Incarnationis, quod per consensũ Virginis impletũ fuit. Secundò, in gratiarũ actionẽ, quòd se exhibuerit ancillã prõptã ad tantũ mysteriũ exequẽdũ. Tertiò, ad cõgratulãdum illi,

Cur tã frequenter Ecclesia, ẽt eodem die, vtatur hac angelica Salutatione.

illi, quòd dignissima Dei mater effecta sit. Quartò, ad quandam laudis acclamationem, in qua eam beatam dicimus, & iterum, atq; iterum benedictam, atque beatam proclamamus. Quintò, vt eam pijssimo affectu revereamur, tamquā Reginam, ac Dominā nostrā. Sextò, ad materiam perennē contemplationis, & meditationis, in qua eius dignitatem sanctitatem, & perfectionem intueamur. Septimò, ad implorandū eius auxilium, & intercessionem. Nos Laureti id sœpius agimus in cubiculo, seu Camera B. Virginis, ad recolendum mysterinm angelicæ salutationis in eodem cubiculo peractū, in quo Maria Dei mater facta est. Quod etiam in hac vltima operis nostri parte, vt eam nostram Reginam, & Heram recognoscamus, eiusq; auxilio hanc nostram elucubrationem nos perfecisse, & absoluisse liberè fateamur, rursus repetendo pronuntiamus: *Aue*, inquam, ò *Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Iesus. Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ. Amen*. Sic .n. terminanda est ista salutatio, non aūt eorum more, qui dicunt, nunc, & semper, vel aliter. Est enim patrociniū Deiparæ præcipuè inuocandum, ac implorandum in mortis articulo. Vndè etiam sœpissimè illud à fidelibus repetendum est, *Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ. Tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.*

HOC loco prætereundum nō est, maximū lucrum esse sœpè Virginem salutare: mutuis enim officijs, imò etiam beneficijs Deipara cum homine certat, sicut fecit cum Iustiniano Seniori, qui cum B. Virgini, dum catholicus esset, quamplures erexisset Ecclesias, ingentia munera ab ea recepit; imperio enim potitus est, & vniuersam Aphricam facillimo negocio subiecit, vt ex Procopio Baronius tom.7. refert. Imò diuersas Prouincias, vt Italiam, aliasq; multas Romano restituit imperio, vt patet ex Euagrio lib. 4. Histor. cap. 16. & sequentibus; licèt deindè defecerit in salutari. Hæreticus enim factus, dū edictum proponit, de sua hæresi recipienda, mox repentina morte à Christo, & eius matre percutitur, & Ecclesia à magnis calamitatibus liberatur, vt idem Euagr. refert lib. 4. c. vltimo.

Quàm vtile sit crebrò Mariæ salutare.

Card. Baron.

Euagr.

PROPHANVS & impius Caluinus vsum pijssimū, ac religiosissimū Catholicorum repetendi sæpius hanc salutationem angelicam superstitiosum nuncupat, imò planè ridiculum, & magicū exorcismum. O insignē B. Virginis hostē, ò impurum, & sathanicum os! Certè eandē superstitionē Beatis Angelis impingere debet, qui nō cessant quotidiè in Cœlis clamare, & benedicere Virginē, dicentes, *Aue gratia plena, Dominus tecū, benedicta tu in mulieribus*. Ita docet S. Athanasius loco bis, vel ter superius à nobis citato; cuinā quæso potius credendū erit, Caluino nè Diaboli ministro, an B. Athanas. Ecclesiæ Christi Doctori sapientissimò? sed quid? eius nugas, & garrulitates iterum audiamus. Angelus, inquit, his verbis Mariam non inuocauit, nec illam orauit, dicendo, Aue gratia plena; igitur qua apta ratione nos Catholici hanc eandem sententiam in precationem, & orationem conuertimus? Addit, & ineptè quidem: Angelus sic salutando Virginem, suo functus est officio, quomodo nos non erubescimus alienum officium vsurpare? hoc enim soli Gabrieli Deus iniunxit. Angelus præterea, semel illa verba protulit; nos multiloquij vitio ea sæpius inculcando, contrà Christi præceptum Matt. 6. non caremus. Angelus item præsentem, nos absentem personā incogruè salutamus. In salutatione hac Catholici idololatriam committunt, & Mariam idolum faciunt, cū ex creatura illam Deam efficiant, diuinitatē illi adscribentes. Hac salutatione vtūtur Catholici ad expiāda peccata, & tantum illam valere existimant, quantum valet passio Christi, & toties illam repetunt, vt Dominicæ orationi nullus penè locus relinquatur: arbitrantur item, eam Ciuitatem peritura, in qua non singulis diebus hæc salutatio campanæ pulsu repetatur, & commendetur. His leuissimis argumentis student

Blasphemia & impietas Caluini in angelicā salutationem.

S. Athan.

hæretici, plebem Christianã seducere, & illis vsum salutationis Angelicæ,præsertim in recitatione Coronæ, vel Rosarij tamquam inutilem,& superstitiosum interdicere, vel saltem suspectum, & odiosum reddere. Sed veritas Domini manet in æternum,& quæ summoperè gauisa est, dum ab Angelo salutabatur,gaudet quoque quotidiè in hæreticorum interemptione in vniuerso mundo; illis enim inuitis,& repugnantibus, ab Ecclesia Catholica gaudet summopere,& frequentissimè salutari, præsertim huius precationis sæpius iterata repetitione.

Soluuntur falsa Caluini argumenta.

AD primum igitur argumentum dicimus,esto Angelum non dixisse Mariæ verba illa; *Aue gratia plena*, precatoriè, quasi aliquid orando peteret pro se ab illa, vel supplicando illam, sicut etiam Elisabeth dicēdo; *benedictus fructus ventris tui*; affirmamus tñ,laudatoriè verba illa protulisse,vt phrasim magni Athanasij imitemur, laudibus nempè celebrando Virginem, & significando Deum omnium cęlestiũ donorũ muneribus internè,& externè illã cumulasse:est autem hæc laus à fidelibus prolata quędã gratiarum actio ipsi Patri luminum directa, cum ab eo omne datum optimũ,& bona cuncta procedant, & consequenter est pars,seu species illa orationis,quæ eodē ipso nomine gratiarũ actio à Paulo dicitur ad Ephes.5.& 1. ad Thim.4.& ad Philipp.4.*in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deũ*,& quod dixit Esa. 51.de Sion,*Gaudiũ, & lætitia inuenietur in ea, gratiarũ actio, & vox laudis*:rectè salutationi angelicæ applicari potest,in qua tàm ex parte Angeli, quàm ex parte eorum, qui illam frequentant, nil aliud reperitur, nisi gaudium, & lætitia, vox laudis, & gratiarum actio. Repetuntur sane à nobis verba salutationis per modum laudis, & congratulationis B. Virgini,cum insinuatione tamen nostræ infirmitatis, & humanæ miseriæ, & sic etiam in illis præcisè sumptis, verè, ac propriè oramus Deum, eiusq; Matrem etiam nihil expresse petentes, cuius tacitæ petitionis formulæ frequentes sunt in scripturis, vt Ioan. 11. *Ecce, quem amas, infirmatur*, & Matth. 8. dum potentiam Christi laudat leprosus, suam infirmitatem illi manifestat, à qua etiam sanatur; & Hæmorroissa Matth. 9. confidens in tactu vestimentorum Christi, quid aliud fecit illum laudando, nisi tacitè sanationem fluxus sanguinis postulare? Verum etiam in sola laude absque alia insinuatione, vim precationis inesse abundè declarat David in suis psalmis, quorum plerique, & si solam gratiarum actionem contineant, vim tamen præcationis habent, & ad orationem ecclesiasticam pertinent, vt in Psalm. 45.102. & alijs. Ratione igitur nostræ indigentiæ, & infirmitatis, dum Deum laudamus,aliquid tacitè ab eo petimus. Adde, quòd etiam formalis petitio in ea parte salutationis cõtinetur, *Sancta Maria mater Dei, &c.* Recta igitur ratione fideles salutationē Angelicam repetunt, cum septies in die cadat iustus,& semper,ac omni momento Deiparæ patrocinio indigeamus.

Ad Philip.4.

Isai.51.

Ioan. 11.

Deum laudare est illum rogare.

AD secundum argumentum, cum S. Athanasio responsum est, orthodoxos alienum officium non vsurpare, nec Angelum sua functione spoliare, nec illius officium impedire, dum proferunt, *Aue gratia plena*; sed Gabrielem imitari, eiusque exemplo, seu eo duce audacter Mariam matrem Dei salutare, qua interè & matri Dei, & Gabrieli nuntio congratulantur de beneficio redemptionis, media eius legatione, & Mariæ consensu accepto. Nec soli Gabrieli iniunctum fuit, vt pronunciaret, *Aue*; ita vt nefas sit idem ab alijs proferri, sed ita illi à Deo id commissum, vt nobis exemplum relinqueret eisdem verbis laudandi Virginem, & gratias Deo agendi. Licet in ea legatione id peculiariter ei iniunctum fuerit, vt almã puellam de futuro mysterio instrueret,& eius consensum exquireret. Sanè id expressè docet S. Athan.dũ scribit,oẽs cęlestes Hierarchias splendidissimum hunc hymnum incessanter in Cœlo canere, & B.Virginem celebrare: & addit, terrestres Hierarchias,hoc est, fideles in terra

rectè

rectè eodem modo collaudare Virginem, ad imitationem cœlestiũ Hierarchiarum; nec vlla Gabrieli fit iniuria, ficut etiam nec Elifabeth, dum repetimus, *benedictus fructus ventris tui*, vel militiæ cœleſtis exercitus, quæ in Natiuitate Domini apparuit, dum quotidie canit Eccleſia; *Gloria in excelſis Deo, &c.* Quocirca rectè Heſychius Presbyter Hieroſolymitanus hom. 2. de Deipara dixit, iure proculdubio omnis grati animi lingua ſalutat Virginem, & Deiparam, ac pro viribus Gabrielem Angelorum Principem imitatur. Et Sergius Hierapolita in ſerm. de feſto Natiuit. Mariæ: quotquot hic ad ſumus fideles, inquit, cum Gabriele acclamemus Virgini, *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Et Andreas Cretenſis vetuſtiſſimus ſcriptor in oratione de Aſſumpt. Virginis: Omnis lingua, inquit, choros ducat, & Deiparæ occinat, *Aue.* Hoc Gabriel prius ſumpſit exordium myſterij. Et paulò poſt: Illi enim poſt exceſſum conuenit dicere χαῖρε. Sola enim nobis introducto gaudio expulit dolorem primæ parentis.

AD tertium dicimus, Virginem ſemper vniuerſæ Eccleſiæ, ac ſingulis fidelibus ſpiritu præſentem eſſe, licèt corpore abſens ſit; quemadmodum quoq; Paulus dicebat 1. ad Cor. 5. *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui, vt præſens eum, qui hoc operatus eſt, &c.* Sic & Eliſæus Giezi dicit 4. Reg. 5. *Nonne cor meum in præſenti erat? &c.* Et quomodo idem Eliſæus indicauit Regi Iſrael omnia uerba, quæ locutus erat Rex Syriæ in conclaui ſuo 4. Reg. 6. niſi præſens ſpiritu fuiſſet? Beatorum ſpiritus non ſunt mortui, vt Caluinus docet, ſed cum pijs viuentibus tale commercium habent, vt illorum actiones cognoſcant, preceſq; exaudiant, vel Deo reuelante, vel quia in Deo omnia vidẽt; cum ſint æquales Angelis Dei, Matth. 22. qui omnia noſtra cognoſcũt; alioquin circa nos ſua miniſteria exercere non poſſent. lege S. Aug. lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 31. & in ſoliloqu. cap. 27. & in Pſal. 62. & Hilarium in Pſalm. 29. Quocircà præclarè Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſer. 11. de Virgin. Aſſumpt, ſic ſcribit. Spiritus tuus, ô Maria, viuit in æternum, & caro tua in ſepulchro corruptionem non ſuſtinuit: omnia obſeruas, omnia contueris, & inſpectio tua ad omnes ſe porrigit. Quamobrem, licèt oculi noſtri impediantur, ne te videre queant, tu tamen ſanctiſſima Virgo te ipſam patefacis. Caro enim tua ſpiritus tui virtutem, & efficacitatem nihil quicquam remoratur. Nec enim cæca, vel ſurda Maria in Cœlis fingenda eſt, vt Hæretici iudicio carnis obcæcati ponunt, cum S. Bern. in ſer. 1. tracta. ſuper *Salue Regina*, eos acriter his verbis redarguat. Oportet, vt nobis præſentem eſſe diſcamus, quã præſentem ſalutamus: Et vt totam animæ noſtræ Trinitatem in eam dirigamus, quàm tàm deuotiſſimis precibus exoramus. Agnoſcit certè, & diligit diligentes ſe, & propè eſt in veritate inuocantibus ſe, præſertim his, quos videt ſibi conformes factos in caſtitate, & humilitate: ſic Bernardus. Eſt igitur Deipara nobis ſpiritu, & mẽte præſens, atq; ideò congruè ad illam, licèt corpore abſentem, preces dirigimus. Hac ratione apparuit Maria Damaſceno oranti, & dexteram illi reſtituit, ſicut rogauerat, nec non S. Ildephonſo Epiſcopo veſtem ei donando; atque etiam S. Martino Turonenſi, Gregorio Taumathurgo, Muſæ puellæ, Cyrillo Alexãdrino, Silueſtro Abbati, & ante hos omnes S. Iacobo Apoſtolo in Hiſpania, de quibus alibi fuſius dictum eſt à nobis. Vnde optimè S. Aug. ſer. 18. in Natali Domini ait. Audite fratres, audite Mariam nobiſcum loquentem, carne abſentem, ſpiritu præſentem.

AD quartum dicimus, quòd frequens oratio, ſeu repetitio ſalutationis Angelicæ non eſt multiloquium, ſed continuatio quædam pia ſanctæ orationis: nec multiloquium intercedit, vbi eſt magna deuotio: ſic Chriſtus ter in horto eundem ſermonem orando repetijt Luc. 10. Et ideò aliud eſt multiloquium, aliud verò multum precari, vt docet S. Auguſt. epiſt. 121. ad Probam viduam, vbi ſic loqui-

Marginalia: 1. Cor. 5. — 4. Reg. 5. — Germ. Cõſtan. — S. Auguſt.

loquitur. Absit ab oratione multa locutio,sed non desit multa precatio,si feruēs perseuerat intentio; multū loqui est in orando rem necessariam superfluis verbis agere. Lactātius lib.4.cap.28. de eiusdem sacræ orationis repetitione agens, eleganter sic scribit.Quid enim mihi affert causæ, cur precari pro salute filiorū semel religiosi,& idem decies facere,superstitiosi esse hominis arbitretur? Si enim semel facere optimum est,quantò magis sepius? Si hora prima, ergo & tota die: si vna hostia placabilis, placabiliores vtique hostiæ plures: quia multiplicata obsequia demerentur potius, quàm offendunt; non enim nobis odiosi videntur ij famuli, qui assidui, & frequentes ad obsequium fuerint, sed magis cari.Cur igitur sit in culpa,& nomen reprehensibile suscipiat, qui aut filios suos magis diligit,aut Deos satis honorat; laudetur autem qui minus? Quod argumentum etiam è contrario valet. Si enim totos dies precari criminis est, ergo & semel: & alia in hanc sententiam.

Lactantius.

AD quintum;in hac salutatione angelica Mariam Ecclesia Catholica confitetur non Deam, sed Matrem Dei; non primam gratiæ causam, sed secundam,tamquam mediatricem,& interpellatricem pro nobis peccatoribus; nimirum,vt impetret nobis à filio donum pœnitentiæ,& conuersionem à peccatis,vt sic dispositi, & aptati gratiam iustificantem à Deo obtineamus, qui solus dat gratiam, & gloriam. Immò errarunt quoque Manichæi existimantes, *Deiparam* fuisse Angelum,vt scribit S.Tho.in 3.dist.4.q.2.

AD sextum: nemini dubium esse potest, passionem Christi plus valere, quàm recitationem salutationis angelicæ,per illam enim meritoriè, & effectiuè ex parte Christi consequimur salutem,& remissionem peccatorum;per hanc verò rogamus Virginem, vt intercedat ad filium pro nobis, ad fructum eiusdem passionis consequendum,& applicandum nobis dono Dei,& nostra cooperatione interueniente. Nec repetitio huius salutationis orationem Dominicam excludit, vel postponit,sed eam subsequitur,& adeò illi coniuncta est,vt sœpissimè Ecclesia catholica post orationem Dominicam illam recitari iubeat; quoniā post missę sacrificium,sacramentorum ritus,& orationem dominicam, in Ecclesia non reperitur excellentior,& eminentior precatio, quàm angelica salutatio, ex Euangelio ipso desumpta,tot sæculis ab Ecclesia latina, & græca vsitata, à populis Christianis pleno ore dulcissimè frequentata, & à Patribus in eorum scriptis summoperè commendata. Quocirca iure optime omnis Ciuitas, omnis plebs Christiana, omne oppidum,omnis familia hāc inuocationem Mariæ quotidiè repetit,& desiderat,curatque,vt eius patrocinio, & tutelæ omnes se se committant, quippe quæ apud Deum est potentissima,& humano generi maximè propitia,& amicissima aduocata.

AT verò non solum à SS. Patribus vsuque Ecclesiæ Catholicæ Caluinus remanet iugulatus, sed etiam à nonnullis suæ classis professoribus,à quibus talis vsus defenditur,fructus huiusmodi salutationis commendatur, Caluini doctrina, vt falsa euertitur,atque ita veritas etiam in tenebris emicat,atque resplendet, & ab ipsis quoque inimicis vi ipsius veritatis conuictis confirmatur, & accipit testimonium: eorum igitur dicta proferamus in medium, vt clarius Caluini appareat iniqua,& maligna præsumptio.

Hęreticorum testimonia cōtra Caluinum.

IOANNES Spangerbergius in postilla in die Annuntiationis Marię hūc in modum scripsit. Hæc est salutatio, qua Sancta Trinitas Virginem Mariam dignata est alloqui, ideò & nos non detractemus eam eiusdem verbis salutare. Ipsa canit in suo Cantico. Humilitatem ancillæ suæ respexit; Ecce ex hoc tempore beatam me prędicabunt omnes generationes. Si hæc verba sunt implēda, necesse est profectò esse homines,qui eam laudibus vehāt,ac ornent. Elisabeth incepit Luc.1.dicens,*Beata,quæ credidisti*. Similiter, & mulier Luc. 11. *Beatus venter,*

venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. Quis eam nunc beatam prædicabit? Iudæi, Turcæ, Gentes, Hypocritæ, & Pseudo Christiani procul dubio non faciũt, sed summa ignominia, & blasphemia eam afficiunt. Proindè nostri erit officij, qui Christi Euãgelium profitemur. Quare peruersè agunt, qui pro nimia sapientia, & sanctimonia ferre non possunt, vt hæc salutatio recitetur. Addit: verum est non esse orationem, nihil enim in ea precamur, (quod tamen falsum est) sed est, inquit, salutatio, qua Sancta Trinitas Mariam salutari voluit. Si ergo placuit sanctæ Triadi, cur non item nobis placeat? Et paulò post ait: Trifariam hac salutatione vti licebit. Primum discimus initium nostræ salutis, & redemptionis. Secundo videmus, quantam gratiam Deus Mariæ largitus sit. Tertio tam gratuitis Dei beneficijs in operibus accendimur, & adducimur ad orandũ Deum, vt & nobis, vel scintillam diuinæ impertiat gratiæ. Hæc ille. Vides iuxtà Spangenbergium hanc salutationem vsui nobis esse debere, licèt secundum ipsum non sit oratio: eò magis igitur vsui esse debebit, si sit oratio, vt reuera est.

BRENTIVS hom. 6. in cap. 1. Luc. docet, non solum Angelicam salutationem esse recitandam, sed etiam sæpius recensendam: eius verba, iniquo licèt animo prolata, sic se habent. Si absit, inquit, superstitio, & impia opinio, non solum licebit, verum etiam valdè vtile est hanc salutandi formam sæpè recensere. Et iterum, quasi ad eam recitandã adhortans; Quia, inquit, Angelus ornat Mariam in salutatione sua magnis laudibus, commemoremus salutationem, non ad superstitionem, sed ad pietatem. Quomodo autem piè recitanda sit salutatio, his verbis docet. Primum, inquit, cum recitamus Mariam gratia plenam, & benedictam inter mulieres, cogitemus, hæc verba significare, Mariã præ omnibus mulieribus electam, vt sit Mater benedicti seminis Abrahæ, veri Messiæ, & excitemur ad gratiarum actionem, quòd quæ Dominus tot retrò seculis de mittendo Messia in orbem terrarum promisit, ea per Mariam Virginem impleuerit. Deinde confirmemus fidem nostram, non solum hoc nomine, quod ex hac salutatione certificamur, Christum iamdudum in hunc mundum natum, nec alium expectandum esse; sed etiam hoc nomine, quod & si Maria fuerit mulier in hoc sæculo contempta, & abiecta, (sic ille cum Luthero in hac re malè loquitur, dum deprimit statum, & conditionem Mariæ) elegit tamen Deus ipsam in Matrem filij sui. Cum igitur Deus sit tantæ clementiæ, quod respiciat humilia, fiduciam concipimus, Deum nos etiam in humilitate nostra respecturum, & seruaturum.

LVTHERVS in explicat. salutat. Angel. probat illam, si duplici modo tractetur. Primum quidem, vt eam tamquam piam aliquam meditationem accipiamus, in qua donorum, quæ à Deo accepit Maria, fiat enumeratio. Deinde verò, vt ceù votum addamus, & precemur omnes, vt sentiant, & cognoscant, eam talem esse, qualis hic prædicatur.

VRBANVS Rhegius in minore Cathechismo sic scribit: Iure & nos hanc Virginem benedictam cum Angelo, & beatã appellamus cum Elisabeth, quæ beatitudinis, & verę salutis auctorem Christum immaculata peperit, vt impleatur Prophetia benedictæ Virginis, quæ saluatorem nostrum in vtero gestãs virgineo, cecinit; *Beatam me dicent omnes generationes.* Quærit deinde, cur Christiani hanc salutationem Angelicam quotidie recitent. Et respondet, ad renouandam assiduè memoriam maximi illius mysterij, quod Deus homo factus est in plenitudine temporis ante M D X L. annos, & quòd promissiones Abrahæ, & Patribus factæ exhibitæ sint. Et infra. Quoties salutationem repetis Angelicam, gratias agito ex toto corde misericordi, & veraci Deo, qui sic dilexit nos, vt filium suum vnigenitum miserit in hunc mundum, vt homo factus, homines ab omni malo liberaret.

BVLLINGERVS in serm. de Beata Virgine sic etiam scribit. Si Maria

ria benedicta est inter omnes mulieres, & ab omnibus beata prædicanda nationibus, infœlices certè sunt Iudæi, qui ipsam numquam conuitijs incessere desinunt: infœlices sunt Pseudochristiani, qui Iudæis nihilo meliores, sua laude ipsam spoliant. Præclarum & illud. Excellentissima sunt in Maria omnia, & hoc splendidiora, quò proficiscebantur ex fide sinceriore, & flagrãtiore Dei dilectione. Æquè luculentum est illud: oportuit singulari, & perpetua virginitate, & puritate omnium selectissima, illustrem esse, & permanere, quæ singulariter electa à Deo in sacrosanctum filij sui thalamum, & templum, mater erat omnium sanctissimi partus, filij vtique Dei æterni futura. Hæc ille. Vtinam catholico spiritu hæc omnia protulisset.

ADDVCTA sunt hæc pauca, quò impugnantes pijssimum, ac religiosissimum vsum salutationis Angelicæ sciant, se ab ipsismet hæreticis condemnari; & superbum Goliath suo gladio occidi; sicut etiam scimus, gentes *ipsorum Ethnicorum* scriptis à Paulò redargui, ac conuinci, Holofernemque suo pugione iugulari. Benedicta igitur es tu filia Dauid, ò Maria, à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram, immò præ omnibus sanctis Angelis, cæterisque Beatis in Cœlo. Quocirca nos finem huic tractatui imponentes cum Gabriele dicamus.

Auctoris paraphrasis angelicę salutationis, valde pia, & elegans.

AVE gratia plena, quæ es porta Cœlorum, porta, inquam, clausa, per quã nullus ingressus, vel egressus est, præterquam Dominus Deus solus. *Aue gratia plena*, quæ es splendidissimum Cœlum. *Aue gratia plena*, quæ habes radium de Cœlo lucidis facibus corruscantem, nempè, solem Christum; ità Epiphanius in serm. de Deipara. *Aue* fenestra Cœli, per quam Deus verum fudit sæculis lumen. *Aue* scala cœlestis, per quam Deus descendit ad terras, vt per ipsam homines ascendere mererentur ad Cœlos. Fulgentius de laud. Virgin.

DOMINVS tecum, tecum in mente, tecum in ventre, tecum in thalamo, tecum in præsidio, Dominus verbum tecum, Dominus verbum in vtero tuo caro factum est; Dominus verbum habitauit in medio tui, cum concepisti, *gestasti*, peperisti, lactasti, educasti, & vsque ad Crucem, & mortem associasti.

BENEDICTA tu in mulieribus, beata sponsa Trinitatis indiuiduæ, beata tu inter mulieres, quæ Deum, & hominem omnium Creatorem, velut infantem in terra peperisti, beata tu inter mulieres, quæ sola in terra Deum *cœlestem* concepisti; beata tu inter mulieres, cuius vbera suxit is, qui alit vniuersa, beata tu inter mulieres, quæ genuisti eũ, qui olim in Paradiso formauit Adã è luto.

BENEDICTVS fructus ventris tui, in quo tribus terræ, & Hierarchiæ Angelicæ in æternum benedicuntur, atque sanctificantur: fructus, inquam, Iesus Christus, quem tu sola communem cum Deo Patre habes filium, & perdito mundo exhibes Redemptorem. O vterum impollutum habentem circulum cœlorum, qui Deum incomprehensum, in te verò comprehensum portasti. O vterum Cœlo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti. O vterum, qui Cœlum es septem circulis constans, & capacior illis existis. O vterum septem Cœlis sublimiorem, atq; latiorẽ. O vterum, qui es octauum Cœlum septem firmamentis celsiorem. O vterum habentem inextinguibile lumen septies lucentis gratiæ.

SANCTA Maria Mater Dei, trahe me post te, vt curram in odorem vnguentorum tuorum. Trahe me post te, quia retinet me peccatorum ponderositas. Trahe me post te, quia me colligat carnalis cõcupiscentiæ voluptas. Trahe me post te, quia decipit me hostium peruersorum maligna calliditas. Trahe me post te, vt perueniendi ad te augeatur mihi celeritas. Sicut enim nemo venit ad tuum filium superbenedictum, nisi pater traxerit eum; sic etiam quodammodo ausim dicere, quod nemo venit ad filium tuum gloriosissimum, nisi tuis sanctissimis subsidijs traxeris eum. Trahe igitur me torpentem, vt me reddas currentem.

tem. Trahe me peccantem, vt me reddas pœnitentem. Trahe me ignorantem, vt me reddas scientem, vt curram in odorem vnguentorum tuorum; idest in fragrantiam sanctarum virtutum tuarum, quæ velut vnguenta redolent, & fragrant, dolores mitigant, & vulnera sanant.

ORA pro nobis peccatoribus: vt nobis impetres gratiam, cum Aduocata sis miserorum, & honorantibus te gloriam promittis, quia thesauraria gratiarum existis. Impetra tuis assiduis postulationibus, vt te laudem, te glorificem, te benedicam, tuas virtutes enarrem, tua mirabilia nuntiem, tuam exemplarem, & sanctissimam vitam prædicem; scripta de te elucidem, vt habeam in laudibus tuis vitam æternam; immò in vita æterna laudes tuas, & superbenedicti filij tui concinam, quia scriptum est; *qui elucidant me, vitam æternam habebunt;* quòd si de tuo filio, qui est Dei sapientia, id dictum est, de te etiam, quæ es eius superexaltata, & superbenedicta mater, id negandum non est. lege Idiotam de Virgine Maria cap. 1.

NVNC, & in hora mortis nostræ. Amen. Huiusmodi enim tam copiosissimas gratias, Beata Virgo non tantum propter te habuisti, sed etiam propter nos, vt multipliciter nos adiuuares. Et ideò adiuua in præsenti vita, & bonos, & malos: Bonos, eos in gratia conseruando; vndè de te canimus, *Maria mater gratiæ.* Malos, eos ad misericordiam reducendo, & ideò dicitur, *Mater misericordiæ.* Adiuua etiam in morte ab insidijs diaboli protegendo; vnde subditur, *Tu nos ab hoste protege:* Adiuua quoque post mortem, animas suscipiendo, & eas in Cœlum deducendo, & ideò subditur: *Et hora mortis suscipe.* Adiuua tribulatos, dando eis patientiam, tentatos dando eis victoriam, & in Dei amore famelicos, dando eis refectionem internam.

ADIVVA me ergo clementissima Maria Virgo, & tuis precibus impetra mihi veniam peccatorum, victoriam in tentationibus, patientiam in tribulationibus, & in toto vitæ meæ cursu perseuerantiæ donum, quo tandem in futuro sæculo diuinæ essentiæ, & sanctissimæ Trinitatis fruar aspectu; nec non sacrosanctæ filij tui humanitatis, & beatissimi ventris tui, qui eundem Iesum Christum filium tuum in terris portauit. Cui tamquam Cœli & terræ Regina, in vestitu deaurato summo, ac fulgentissimo lumine gloriæ amicta, & aureolarum multiplici varietate circundata in Cœlo à dextris assistis eum laudando, ac benedicendo in sæcula sæculorum. Amen.

Laus Deo, & Beatæ Virgini eius Matri.

TABVLA SIVE SERIES MARIAE VIRGINIS LAVDVM.

Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei. Psalm. 86.

Memoria mea in generatione sæculorum. Eccles. 24.

TANTA est dignitas huius Virginis, vt sub eius laudibus fatiscant, & deficiant viri fortissimi, se se prorsus impares tanto oneri proclamantes. Hieronymus quippe de ea se indignum loqui profitetur; Augustinus se ingenio pauperem; Bernardus subterritum; Anselmus deficientem. Eniendum tamen nobis est, & ipsius Virginis auxilio fretis pauca dicenda. Fuit igitur Virgo sanctissima.

Præuisa, & præoptata.
- Deo. Dominus possedit me in initio viarum suarum. Ab æterno ordinata sum. Prouerb. 8. & alibi tanquam mater Redemptoris, & coadiutrix redemptionis.
- Angelis. Veni in hortum meum. Sonet vox tua in auribus Cantic. 2. tanquam eorum ruinæ reparatrix.
- Patribus veteris testamenti. Egredietur virga. Isa. 11. tanquam Dei erga humanum genus irati reconciliatrix.
- Vatibus gentium, vt Iob, Balaam, Sibyllis. Orietur stella ex Iacob. Num. 24. æterni solis prænuntia, & genitrix.
- Irrationabilibus, quæ per eam reformanda, & ex parte, vt ait Dionysius Carthusianus, releuanda erant.

Factis, & operibus sex dierum: Ipsa. n. est
- Cælum, quia cælestem vitam duxit, & altissima fuit dignitate, & purissima virginitate.
- Terra, quia terrestrem vitam duxit, infima fuit humilitate, & fœcundissima natura, Mater & Virgo.
- Lux, quia de ea sol egressus est Christus.
- Firmamentum in medio aquarum, propter stabilitatem fidei, & virtutum ornatum, mediatrix hominum, & Dei.
- Mare, propter inundantiam gratiarum.
- Sol, quia sole vestita.
- Luna, eam sub pedibus tenens.
- Piscis, quia natat in medio aquarum tribulationis.
- Auis, quia volat super pennas ventorum in cælo contemplationis.
- Homo sexta die conditus perfectus, quia perfectissima & ipsa condita est.
- Paradisus voluptatis, eius enim vterus genuit nobis veræ vitæ lignum: irrigat totam superficiem terræ, idest Ecclesiæ Sanctæ: in quo Deus Pater posuit hominem Christum in die Dominicæ Incarnationis.

In signis, & actibus, vt in
- Arca
  - Noe, propter communem per eam obtentam salutem.
  - Testimonij, quam Salomon fieri iussit propter omnimodam perfectionem.
  - Fœderis, & Iride: propter peccatorum reconciliationem.
- Salomonis
  - Templo, propter Dei inhabitationem.
  - Throno, propter operis magnificentiam, & filij Dei veri Salomonis in eius vtero sessionem.
- Tabernaculo Moysi, propter multiplicem virtutum ornatum.
- Propitiatorio ex auro purissimo, propter charitatis illius perfectissimæ præstantiam.
- Turri Dauid, quia in ea fideles refugium inueniunt; cum propugnaculis, quia adiutorium habet a Patre, Filio, & Spiritu sancto; mille clypei pendent ex ea, idest omnium Angelorum tutela, & defensio erga eos, qui ad illam confugiunt; omnis armatura fortium, idest sanctorum.
- Vase æneo, quod in templo propè altare ad victimas abluendas ante sacrificium positum erat, 3. Reg. 7. nemo enim ad altare, idest Christum in Ecclesia catholica accedit, nisi prius perfusus, & madefactus aquis misericordiarum Mariæ, seu misericordiarum Dei, & Christi per Mariam: Vide Commēt. nostra in Magnificat lib. 1. c. 18.
- Vase seu labro æneo speculorum, cuius basis de speculis mulierum, quæ in ostio Tabernaculi excubabant, conflata erat. Exod. 38. omnes insignes atque illustres mulieres Veteris Testamenti Mariæ tamquam Reginæ, ac Dominæ famulabantur, atque de eius splendore, illustratione, claritate, & fulgore propter eius misericordiam, & bonitatem participes erant. Vide eundem locum.
- Altero ostio sanctuarij: vtrumque autem ostium dicitur fuisse ex lignis oliuarum 3. Reg. 6. horum enim altero Christus, altero Maria significatur, per quos tanquam

Qq per

Præfigurata

per ostia in Cælum ingredimur. Et quoniam sunt ostia misericordiæ, rectè per ligna oliuarum designantur. Vide ibidem.
Altero templi Cherubino: duos enim Rex Salomon de lignis oliuarum fabrefactos, & auro tectos in templo collocauit 2. Paral. 3. quorum alter Christum, Mariam alter repræsentat, qui templum Ecclesiæ Dei exornant, & locupletant. Vide ibidem.
Porticu Solij, in qua Salomō tribunal fecit 3. Reg. 7. in Maria quippe tanquā in Ecclesiæ porticu est tribunal Dei ad misericordiam consequendam. Ibidem.
Instrumentis tabernaculi testimonij. Exod. 38. Maria enim adhibetur ad misericordiā Dei eliciendam, comparandam, exhibendam, suscipiendam, prouocandam. Ibid.
Naui institoris de longè panem portante. Prouerb. 31. ipsa namque de Cælis in terras detulit panem vitæ, & misericordiæ. Ibidem.
Lecytho olei non imminuto 3. Reg. 17. propter non deficientem misericordiam.
Canali, vel aquæductu Regis Nehem. 2. de Paradiso exeunte Eccl. 24. per Mariā quippe defluunt cælitùs aquæ diuinarum miserationum ad nos refocillandos. Ibidem.
Cellario Dei Cantic. 1. quia in Maria diuina bonitas ordinauit nobis charitatē. Ibid.
Cella aromatum, & apotheca suppellectilis Regiæ. Isai. 39. in Maria nempè odoramēta diuinarum misericordiarum collocata sunt, & vniuersa, quæ in thesauris diuinæ bonitatis existunt, reperiuntur. Ibidem.
Lenticula olei ad inungendos Reges 1. Reg. 10. & 4. Reg. 9. per Mariam enim effundit Deus oleum gratiæ super caput iustorum, qui cum Christo regnaturi sunt. Ibid.
Flumine Siloè, cuius impetus lætificat, tum militantem, tum triumphantem Ciuitatem Dei. Psal. 45. Ibidem.
Vase nouo, in quo sal sapientiæ Christus positus omnem sterilitatem, & mortem; omnem denique austeritatem, & amaritudinem ab aquis populorum in ipsum credentium abstulit 4. Reg. 2.

In visis, & imaginibus, ipsa namq; est

Scala Iacob, cui Dominus innixus. Genes. 28.
Rubus Moysi, perpetua virginitate incombustus. Exo. 3.
Gedeonis vellus, Spiritus sancti rore infusum. Iudic. 6.
Fons paruus humilitate, qui creuit in flumen magnum donorum omnium Spiritus sancti, & gratiarum tum corporalium, tum spiritualium affluentia. Esther. 2.
mons, de quo lapis Christus præcisus est sine manibus. Dan. 2.
Arbor illa magna, in cuius ramis volucres Cæli .i. Angeli quiescebant, & sub cuius vmbra viuebant animalia, & bestiæ, idest homines in hac vita mortali inter animalia, & bestias degentes. Dan. 4.

In multis mulieribus, vt in

Eua prima muliere: Maria enim verè virago fuit, & Eua secunda, (sicut Christus fuit Adam secundus) serpentis caput contritura, & viro Christo in adiutorium simile sibi data.
Sara, propter Domini principatum, de qua risus humanæ, & Angelicæ lætitiæ exortus.
Rebecca, propter benedictionem filijs impetratam.
Rachel propter speciem, & singularem pulchritudinem.
Lia, propter ineffabilem fœcunditatem.
Martha, & Maria, propter actionis, & contemplationis instantiam.
Muliere denique omni bona, & forti propter laudabilē virtutē, & insignem probitatē.

Tempore { Naturæ, Legis, Gratiæ } ipsa enim temporis {
Naturæ obscuritatem suo iubare profligauit.
Legis īportabile onus suo filio Christo leue reddidit.
Gratiæ sæcula suo partu pleno gratiæ, & veritatis cū omni plenitudine perfecit. }

Prænuntiata

Omnibus Prophetis, nam

Si Ismael, Isaac, Samson, Iudith, Iosias, Iacob, & Esau, Ieremias, & Ioannes Baptista fuerunt prænuntiati; multò magis hoc debuit fieri de Maria.
Si Deus Angelos præmisit pro minoribus negotijs; multò magis mitti debuerunt ad hanc Virginem prænuntiandam.
Si Deus non facit verbum, vt dicitur Hamos 3. nisi prius ad seruos suos Prophetas reuelauerit secretum; absque dubio Maria ab omnibus est prophetata.
Adam vix cognouit vxorē, & mox in longinquū de Maria prophetabat: Hoc nunc os ex ossibus meis. Gen. 2. designans Christum ex Virgine incarnatū, & Ecclesię copulatū.
Abraham etiam, dum seruum sub fœmore iurare compellens pro Rebecca misit.
Et sic de singulis, vsque ad Ioannem Euangelistam, qui multa de Maria Virgine nuntiauit in lib. Apocalypsis, vt facilè constat ex Patribus illū exponentibus.

Vatibus gentiū

Alienigenis. Tyrus, & populus Aethiopum hi fuerunt illic. Psalm. 86. & vaticinati sunt de ea.
Iob c. 28. Terra, de qua oriebatur panis, &c. vbi etiam plura alia habentur de Maria.
Balaam, qui stellam orituram prædixit, & hominem surrecturum, quē comparat Rhinoceroti, eo quòd à Virgine capiendus. Num. 24.
Gentili quodam, in cuius sepulchro repertum fuit. Christus nascetur de V. Maria.
Virgilio Poeta Mantuano, & Ouidio Sulmonēsi, quos de hac Virgine aliqua scripsisse, multi sunt, qui affirmant; quamuis etiam multi negent. Vide Eclog. 4. Virg.

Mulieribus, vt

Decem Sibyllis, quas allegat S. Hieronymus, & Lactantius. Vide S. August. lib. 18. de Ciuit. Dei, & Comment. nostrum in Magnificat lib. 1. cap. 2.
Vndecima Sibylla, quæ Augusto Virginem hanc demonstrauit.

Astrologis. { Albumazar, Hermete Trismegisto } Vide S. August. lib. 8. de Ciuit. Dei, & Petrum de Aliaco.

tantum

Assimilatur, et habētibus esse.
- tantum, vt sunt Cælum, Firmamentum, Sol, Luna, Sidus, Orizon, Lucifer, Aurora diluculum, mane, dies, lux. Vide Comment nostrum in Magnificat lib. 1. cap. 18.
- & viuere, vt plantis, herbis, floribus, arboribus.
- viuere, & sentire, vt columbæ, turturi, & alijs animalibus.
- viuere, sentire, & intelligere, vt hominibus, & Angelis; quibus omnibus comparata, omnes virtute, gratia, & gloria superat, atque transcendit.

De laudibus Deiparæ Virginis, quæ in Angelica salutatione continentur.

Salutatio Virginis est noua, non enim sic ad alios fiebat: cōplectitur tamē genera omnia salutationum, quæ in Scriptura Sacra reperiūtur, per
- Aue, Salutationem Thobiæ. Gaudium tibi semper. Thob. 5.
- Gratia plena, Salutationem Apostolicam. Gratia vobis, & pax. Rom. 1.
- Dominus tecum, salutationem Gedeonis. Dominus tecum virorum fortissime. Iudic. 6. & Booz. Dominus vobiscum. Ruth. 2.
- Benedicta tu, salutationem Iudith, & Ruth, quibus dictum fuit. Benedicta tu filia. Ruth. 3. & Iudith. 13.

Hæc salutatio est impetratio vitæ, salutis, gaudij, benedictionis, & gratiæ. Est valde digna, & commendabilis, & post orationem Dominicam nulla est ipsa dignior: in summo quippe fuit sanctissimæ Trinitatis consistorio dictata, ab Archāgelo delata, ab Ecclesia acceptata, innumeris mysterijs, & sententiarum ponderibus grauida. Est Virgini placita, reuerentialis, grauis, adoratoria, status salutaris impetratoria, de ineffabili nouitate admiratoria, de magnitudine dignitatis congratulatoria, Virgineæ perfectionis expressiua. Vide Comment. nostrum in Magnificat lib. 1. cap. 16.

Salutate Mariam, quæ multum laborauit in nobis. Rom. 16.

D. Bernardus super Missus est. Sub tenebris nostris respicienda, & inuocanda est splendida stella maris, vt illa, quæ fuit totius salutis exordium, nostræ etiam sit excitationis initium.

Idem. Quid est quod offerre paras? Mariæ commendare memento, vt eodem alueo ad largitorem gratia redeat, quo influxit. Forte manus tuæ sanguine plenæ sunt, aut infectæ muneribus; ideò totum, quod offerre desideras, gratissimis illis, & omnium dignissimis Mariæ manibus offerenda tradere cura, si non vis sustinere repulsam: nil fit sine Maria; totius enim boni plenitudinem Deus in Maria posuit, & nihil nos habere voluit, quod per manus eius non transiret.

Salutationis Angelicæ Paraphrasis.

Aue Maria	Deum magnificando	In filio exultando	Eo dulciter fruendo
Gratia plena	Copia sapientiæ	Diuitijs meritorum	Forma speciosa
Dominus tecum	Sicut Pater cum filia	Peregrinus cum hospite	Sponsus cum Virgine
Benedicta tu in mulieribus	Cum actu mirifico	Singulari matrimonio	Sublimi maternitate
Et bñdictus fructus vētris tui Iesus.	Quem cū sanctitate concepisti	Læta peperisti	Dulcissimè pauisti
Sancta Maria mater Dei	A quo tam amaris	In quo plenè delectaris	A quo semp exaudiris
ora pro nobis peccatoribus	Qui ignoranter cadimus	Fragiliter delinquimus	malitiose offendimus
Nunc, & in hora mortis nostræ.	Dæmones fugando	Tentationes depellendo	Gratiā Dei impetrādo
Amen.	In creatoris gloriam	Mariæ reuerentiam.	Nostrā salutē æternā.

Sed iam ad singula verba Salutationis huius accuratius perpendenda descendamus. Congruè primò inchoatur Angelica Salutatio per Aue: Virgo enim quæ salutatur, nos suo partu liberauit ab omni Væ, immutando nomen Euæ. Nos quoque dicentes Aue, congratulamur Virgini, quòd libera fuerit ab omni Væ; indefinita enim oratio æquipollet vniuersali. Fuit autem B. Virgo Maria.

Libera à væ
- Culpæ
  - originalis, sine qua concepta, & nata est
  - Actualis
    - mortalis
    - venialis
    - cordis — Infirmitatis
    - oris — Ignorantiæ
    - operis — Malitiæ
- Pœnæ
  - Gehennæ
  - Purgatorij
  - Pœnitentiæ, vt est pœna peccati licèt alioqui multū passa sit
    - vt p multas tribulationes in magnā gloriā ītraret
    - vt exēplū nobis, & cōsolationē in passionibus daret.
- Sathanæ
  - à regno s. & dominatione bestiæ, cuius tentationibus ad consensum, nunquam impulsa est, neque intrinsecè, aut extrinsecè permota.
  - quoad sensum, cum etiam in morte ab eo nihil territa fuerit.
- Matrū. s. sine tactu pudoris inuēta est mater Saluatoris
  - Damnificantiæ quia perdunt
    - in conceptu virginitatem irrecuperabilem
    - post conceptum venustatem, & sanitatem
    - in partu hominis societatem.
  - Indigentiæ, quia
    - ad concipiendum indigent compare
    - post conceptum quiete
    - in partu obstetricatione.
  - Afficientiæ, quia afficiuntur
    - in conceptu libidine
    - in portando fœtu grauedine
    - in pariendo maximo dolore.
- Mulierum. s.
  - in Virginibus sterilitatis
  - in coniugatis subiectionis, & corruptionis
  - in viduis desolationis.

Distem-

- Corporis .s.
  - Distemperatione, naturaliumque appetituum inordinatione.
  - Ante mortem, ad animam repugnantia.
  - Post mortem, incineratione.
- Mentis .s.
  - Errore in rationali, eligendo, seu discernendo, & exequendo.
  - Dolore in concupiscibili, de præterito, præsenti, futuro, & impendenti.
  - Pudore in irascibili, pudet. n. nos de { Essendo / Agendo / Patiēdo } quia { Turpes sumus, & ideò Adā nudus erubuit. / Turpia fecimus. / Turpia sustinuimus. }
- Mundi .s.
  - Concupiscentiæ { carnis, / oculorū. }
  - Superbię vitæ.

Aue, quia { abstulisti maledictionem Euæ / euasisti damnationis væ / reddidisti nos vitæ innocentis Euæ. }

Porta salutis Aue, per quam patet exitus à Væ;
Venit ab Eua Væ; Væ quia tollis, Aue.

MARIA.

Mariæ nomen

- Dignissimum, post filij nomen, cui omne genu flectatur. Isaiæ 40. In memetipso iuraui, quia tibi curuabitur omne genu.
- Singularissimum, proprium, & nouum nulli communicatum; licèt enim multæ dicantur Mariæ, cæterarum tamen nomen semper desinit in A in græca lingua, vt Maria Iacobi: at Matris Domini nomen in am terminatur, etiam in casu recto, vt Luc. 1. Nomen Virginis Mariam. Et quid mirum? Si enim præcursor Christi vocatur nomine nouo, quale nullius in sua cognatione fuerat, cur non etiam Domini ipsius Mater?
- Præfiguratum in Maria sorore Moysi.
- Optimum, melius inquàm, quàm diuitiæ multæ Prou. 22. & quàm vnguenta pretiosa Eccl. 7.
- Vtile { Angelis / Defunctis / Viuis } dans eis in { Cælo lætitiam / Purgatorio refrigerium / Mundo impletum desiderium }
- Venerabilissimum, est quippè nomen potentissimæ Reginę, ditissimæ thesaurariæ, virtutū omnium plenissimæ Dominæ.
- Dulcissimum, dignè oleo comparatum; non sicut alia nomina terribilia, atque ipso sono metuenda, de quibus Ouidius.

  Nomina sunt ipso penè timenda sono, & alibi.
  Nomine in Hectoreo pallida semper eram.

- Conuenientissimum, & congruè impositum; & hoc propter multiplex mysterium, nimirum ad designandum ipsius.
  - puritatem, & perfectionem
  - diuinæ prolis generationem
  - officij meditationem.
- Sicut enim stella maris, quam interpretatione Mariæ nomen recipit.
  - non est peregrinæ qualitatis susceptiua; sic Maria sine vllius vitij impressione fuit perfecta, lucida, & pura.
  - sine sui corruptione emittit radium; sic Maria sine violatione filium.
  - in summo poli residens illuminat mare, & nautas dirigit; sic Maria in summo cælo residens illuminat, & dirigit mundum istum, per meditationem officij.
- interpretatur etiam
  - Tu Domina .s. { Cælestium, i. Angelorum in Cælo. / Terrestrium, i. Hominum in mundo. / Infernorum, i. dæmonū in barathro. } vide Commē. nostrū in Magnificat lib. 1. c. 18.
  - Illuminata .i. à
    - Patre luminum, cuius tot habuit in se radiosa luminaria, quot exercitia virtutum.
    - Filio iustitiæ sole, quo circumamicta, & vere lucifera, quia veræ lucis porta.
    - Spiritu sancto, cuius donis irradiata. Et terra illuminata est à gloria eius. Apocal. 18.
  - Illuminatrix .s. Ecclesię
    - Triumphantis. Ego feci vt in cælis orietur lumen indeficiens. Eccles. 24.
    - Militātis: Cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias: & quæ lumen æternū mundo effudit Iesum Christum dominum nostrum.
  - Mare { gratia affluendo / amara filio compatiendo / amarum diabolum subiugando. } Secundum Sanctum Bonauenturam.
- Est ergo stella maris hominibus conuersis.
  Dominans creaturis vniuersis.
  Illuminata virtutum donis diuersis.
  Illuminatrix Angelis non auersis.
  Amarum mare Dæmonibus peruersis.
- Ethymologias quoque nonnullas pulcherrimas recipit à sui ipsius literis quinque, & tribus syllabis deductas, quas non erit iniucundum hic apponere; nam

M. i. Ma-

Ethymologizatur Mariæ nomen

- per litteras
  - M. i. Mater Dei, & hominis, & cunctorum viuentium figurata per Euam Gen. 2.
    - & hoc ratione
      - Vniuersalis geniturae, quia vnũ genuit, in quo oẽs regenerauerit.
      - Curæ, quia nostri sollicitissima fuit, in vno donans quicquid erat nobis necessarium.
      - Dignitatis, quia primogenita ante omnẽ creaturã in mente Dei.
      - Prioritatis, quia in initio viarum à Domino possessa.
      - vide nostrũ Com. i Mag. l. 1. c. 18
  - A. i. amans, & præcipue amorosa, amatrix, in sũmo.n. habuit erga filiũ, & omnes homines dilectionem naturalem, acquisitam, & gratuitam; adeò quod amor cuiuscunque huius collatione est velut tepor subsolanus respectu meridiani, & feruentis solis.
  - R. i. Regina propter
    - in Regina Saba præfigurationem
    - regiæ stirpis ortum, & generationem
    - spiritalis gratiæ vnctionem
    - æterni Regis dispensationem
    - regni vniuersalis dotationem
    - potentialem iurisdictionem
    - Vide Comm. nostrum in Mag. lib. 1. c. 18.
  - I. i. inimica serpentis, cui dictũ fuit ab initio: Inimicitias ponam inter te, & mulierem. Gen. 3. de qua inimicitia sapiens ait. Non est ira super iram mulieris. Eccl. 15.
  - A. i. ancilla indiuiduæ Trinitatis filij Dei, & hominum propter Deum.
  - secundum quinque pretiosorũ lapidum proprietates. i.
    - M. Margarita puritatis, & confortationis cordis.
    - A. Adamas reconciliationis amoris.
    - R. Rubinus lætitiæ & illuminationis
    - I. Iaspis tutelæ, & securitatis
    - A. Alectorius bonæ fortunæ, gloriæ, & honoris.
  - secundum quinque illustres fœminas veteris testamenti. i.
    - M. Michol. i. pietas: placuit Dauid. 1. Reg. 19.
    - A. Abigail, vxor fuit Nabal, deinde etiam Dauid. 1. Reg. 25.
    - R. Rachel, genuit Ioseph, qui interpretatur Saluator. Gen. 33.
    - I. Iudith, quæ virtute castitatis occidit Holofernem. Iudith. 13.
    - A. Abisag 3. Re. 1. i habitatione sãcta corã ipso ministraui. Ec. 24
  - secundum quinque beneficia. i.
    - M. Mediatrix contra Patris offensionẽ, quã incurrerat homo pp (peccatũ.
    - A. Auxiliatrix contra interni languoris vexationẽ
    - R. Restauratrix contra spiritualium iurium defectionem.
    - I. Illuminatrix contra mentis, & cordis vexationem.
    - A. Aduocatrix contra hostium infestationem.
  - secũdum ipsius perfectiones. i.
    - M. Misericordia pietatis.
    - A. Altitudo contemplationis.
    - R. Religiositas deuotionis.
    - I. Innocentia puritatis.
    - A. Affluentia virtutis.
- per syllabas
  - MA RI A. quæ notant
    - Maternum affectum ergà fideles.
    - Rigorem ad dæmones.
    - Acceptionem ad Angelos.

GRATIA PLENA.

De Priuilegijs singularibus Mariæ.

Fuit

- Nobilissima ex
  - Causa, & origine: putà de Sãctorum Patriarcharum, Prophetarum, Pontificum, & Regum alto sanguine orta.
  - Substãtia, & possessione; quippe q̃ in donis naturæ, & charismatibus primatum tenuit.
  - Efficiẽtia, & actione, de q̃bus nulla lingua vnquã satis dicere pôt, & exprimere tot ma- (gnalia.
  - Conditione liberrima, & probitate præstantissima.
  - Corporis pulchritudine, pulcherrima mulierũ, habens omnia requisita ad decorem.
- A peccato immunis, in gratia firmata, à pronitate omnino remota.
- Semper in continuo merito. Vide Albertum lib. de laudibus Virginis.
- Altissima in puritate: vnde Virgo Virginũ dicta; & Anselmus dicit, ea puritate nituisse, quæ sub Deo maior nequit intelligi, erat enim
  - Virgo
    - carne
    - mente
    - professione
    - sanctitudine
    - Voto.
    - ante, in, post
      - conceptum, &
      - Partum
    - vide Comm, nostrũ in Magnif. lib. 1. c. 7. & 23.
- Eminentissima maioritate, nempè filio maior, vt ait Henricus, cum ex lege mater sit supra filium dignitate prælationis, vt filius eam honoret, & illi obediat. Luc. 2. Erat subditus illis.
- Potẽtia, (si ita loqui licet) suprà diuinã, nã vt ait S. Bern B Virgo potuit facere de Deo, q̃ non potuit ipse Deus, quædã.n. contraria, & cõtradictoria per Virginẽ cõcordata sunt: putà nõ poterat Deus generare.
  - nisi
    - Deum de se, & tamen Virgo Deum fecit hominem.
    - Infinitum, immortalem, æternum, inuisibilem, insensibilem, sub forma Dei: sed B. Virgo fecit eũ finitum, mortalem, temporalem, visibilem, sensibilem, sub forma serui.
- Omni scientia, & omnibus scibilibus plena; gestabat enim illum, in quo reconditi erant omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Vide Comment. nostrum in Magnif. lib. 1. cap. 8. & 11.
- Cooperata in nostra redemptione, & quasi in adiutorium simile Adæ data; sic enim decuit fieri redemptionem, sicut perditio facta fuerat, nempe per virum, & mulierem. Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum, dixit, vir, vt mulierem non excluderet Isaiæ 33.
- Præ cæteris in multis assimulata, & comparata, vt supra
- Mirabilissimè denominata, nam dicitur Regina Cœli, Mater misericordiæ, Mater Dei, &c. Vide Commen. (nostrũ in Mag. lib. 1. c. 18.
- Plena omni bono, libera ab omni malo.

De alijs priuilegijs specialibus Mariæ.

Fuit

- Quoad vitæ ingressum, & ortum
  - Præfigurata
  - Prophetizata
  - Annuntiata
  - Miraculose concepta
  - In vtero præseruata
  - Virginum primiceria ab Angelo salutata
  - Sine corruptione fœcundata Spiritu sancto, non ab homine fœcundata.
  - Sine grauamine grauida, filio Dei onusta
  - Sine dolore puerpera, Virgo, & Mater Dei.
- In vita, & conuersatione
  - A Deo valde amata.
  - Præ omnibus electa
  - Cum Deo conuersata.
- Quoad mortem, & vitæ egressum
  - Præscia mortis suæ
  - A filio vocata
  - Ab omni dolore, & visu horribilis Diaboli liberata.
  - Mox in Cælum euecta
  - Mirabiliter, & dignè sepulta.
- Post mortem
  - animo, & corpore assumpta
  - super omnes Angelos exaltata
  - in sede Maiestatis prope filium collocata.

Fuit plena gratia

- Habuit per modũ patriæ, sed secundũ statum viæ
  - Gratias omnes communes, scilicet virtutes theologicas in summo, & cardinales. Vide Comm. in Mag. lib. 1. c. 24.
  - Dona spiritus sancti, & eius fructus. Galat, 5. fructusque cẽtesimos Matth. 13. Vide Comm. nostrum ibidem.
  - Gratias Sacramentales, s. Baptismalem, Confirmationis, & Eucharistiæ.
  - Dignitatem, potestatem, & administrationem in Ecclesia, alterius tamen ordinis ab ea, quam habuerunt Apostoli, & eorum successores.
  - Octo Beatitudines.
  - Perfectionem vitæ
    - Actiuæ
    - Contemplatiuæ
  - Omnes gratias gratis datas, quas 1. Cor. 12. ad Eph. 4. enumerat Apostolus.
  - Gratiam
    - Verissimam
    - eminentissimam
    - multiplicissimam
    - vtilissimam.
    - eamdemque
      - bonorum
      - labiorum
      - præmiorum
- Maiorem gratiam habere non potuit, nisi gratiam vnionis, hoc est, vt ipsa Deus esset; cui tamen proxime accessit, vt S. Bona. in 1. dist. 44. declarat. Fuitigitur gratia plena.
- ...estar
  - Canalis, cuius plenitudo est receptiua, datiua, & non retentiua; nam omnes gratiæ per eius manum transeunt, & nihil reseruat incommunicatum: vnde Eccl. 24. Ego quasi aquæductus exiui de Paradiso. S. Bernardus. Diu defecerunt fluenta gratiarum, quia non venerat is aquæductus.
  - Vasis, cuius plenitudo est receptiua, & retentiua, sed non datiua: sic Maria omnes gratias creatas secundum speciem habuit, & non amisit, sicut vas negans vacuitatem, & magis capere non potest, quãquam miraculosè, quem Cæli capere non poterant, tenuit: ideo rectè dicitur Eccl. 48. Vas admirabile, opus excelsi. Vide Comm. nostrum in Mag. lib. 1. cap. 24.
  - Fontis, cuius plenitudo est receptiua, & datiua; nam sicut fons plenus manet, & effluit; sic Maria in se plena manet, licèt in nos effluat. Hinc Esther 10. Fons, idest Maria propter gratiarum abundantiam, paruus propter humilitatis excellentiam, creuit in fluuium, quando peperit Christum; & in aquas plurimas redundauit, cum nobis eius bona communicauit.
  - Domus, vel Ciuitatis, quę dicitur plena hominib⁹, vel animalibus; ipsa enim est Ciuitas Dei, de qua dicta sunt gloriosa, facta omnium lætantium habitatio, Psal. 86. Vrbs fortitudinis nostræ, in qua Saluator positus est murus, & antemurale Isai. 26. Et de hac plenitudine ipsa dicit, & in plenitudine Sanctorum detentio mea. Eccl. 24.
  - Horti, qui dicitur plenus fructibus, vel
  - Prati pleni floribus: vnde plena est sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus Genes. 27. aromatizans, vt balsamum, & cinnamomum Eccl. 24. Dilecto suo seruans omnia poma noua, & vetera. Cant. 7.
- Totaliter nempè habuit
  - corpus plenum gratia pulchritudinis naturalis.
  - Ventrem plenum gratia Diuinitatis.
  - cor gratia charitatis.
  - os gratia assiduitatis.
  - manus gratia misericordiæ, & largitatis.
  - gressus gratia grauissimæ maturitatis,
  - vultum gratia pudicissimæ puritatis.
  - intellectum prudentia.
  - cogitatum munditia.
  - auditum modestia.
  - affectum temperantia.
  - aspectum verecundia.
  - sensus, & gestus virtutum relucentia.
- Peramanter, quia optimam partem elegit, quam non amisit.
- Supereffluenter, de cuius plenitudine omnes accipiunt.

nimirum

Nimirum
- Tristes consolationem.
- Peccatores veniam.
- Iusti perfectionem.
- Angeli lætitiam.
- Dei filius humanæ carnis substantiam.
- Trinitas sacratissima honorem, & gloriam.

DOMINVS TECVM.

Fuit cū illa Dominus

- essentialiter
  - Pater qui filium suum fecit, & Virginis, ostendens in illa summam potentiam; vnde dicitur Patris sponsa.
  - Filius, qui Virginis reserauit genitale secretum, seruās illi integrum virginale signaculum, suam in ea ostendens sapientiam; vnde est filij Mater.
  - Spiritus sanctus, qui cum vtroque Virginis sanctificat vterum, operans illud grande sacramentum, summā in eo gratiam ostendens; vnde dicitur Spiritus sācti thesauraria.
  - Dominās { Orbi vniuerso, gñaliter; Hominibus, specialiter; Tibi, singulariter } ideq; { Potentissimus, pijssimus. Sapiētissimus, iustissimus. Opulētissimus, certissimus. Indeficiētissim⁹ nominatissim⁹ } cui vir go est { Filia. Mater. Spōsa. ācilla. }
- omnibus esse di modis
  - Substantiali, quia in vna quodāmodo humanitate; fuit.n. verus homo, de homine vero.
  - Quali, quia erat similitudo, & conformitas in voluntate.
  - Quāto, quia erat æqualis potētiæ in genere, eiusdem Regni Regina, cuius & ipse Rex.
- omni vnione
  - Naturali, qualis est arboris ad fructum, matrisque ad filium.
  - Spirituali, qualis est Dei ad animā. Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cū eo. 1. Cor. 6.
  - Sacramētali, qualis est spōsi ad spōsā. Dilectus meus mihi, & ad me cōuersio eius. Cā. 7.
- Per { essentiam; præsentiam; potentiam; inhabitantem gratiam; corporalem assistentiam. } Vide Comm. nostrum in Magnif. lib. 1. cap. 18.
- sicut { Sol cum Aurora; Flos cum virga; Rex cum Regina } ipsum { præueniente; producente; vitæ consortem, & Regni participem habente. }
- omni tempore { propriæ humiliationis; alienæ persecutionis; Filij passionis; Gaudiosæ consolationis } vt { In Purificatione; Quando fugit in Aegyptum; Quando stabat iuxta Crucem; In Resurrectione, & Assumptione. }
- in omni loco { naturali; pœnali; supernaturali; habitabili } vt in { Vtero; exilio; Regni cœlestis solio: Astat enim Regina à dextris. Psal. 44.; Domo sicut frater cū sorore, & in mēsa, sicut filius cū matre. }
- in omni actu, quo homines communicari solent ad inuicem, vt sunt { contrahentes; generantes; adiuuantes } sic enim ipsa cum Deo cōmunicat { contractu matrimonij hominis, & Dei.; generatione eius filij.; adiutorio generis humani. }

BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS.

Benedicta super omnes mulieres, quia

- Sola omnes euasit maledictiones mulierum, vt supra, loco quarum habuit benedictiones oppositas.
- Fœcunditate exaltata ex parte,
  - Agentis, qui fuit Deus. { Pater; Filius; Spiritus sanctus }
  - Geniti, qui fuit vir, { perfectus in naturalibus; sanctus, gratia, & virtutibus plenus; sanctissimus, & summus Deus. }
  - Generantis, quia virgo { concepit; peperit; lactauit }
  - } Benedixit eis: Crescite, & multiplicamini. Gen. 1.
- Singulari gratia dotata; dicitur .n. benedictio singularis gratiæ collatio, vt Genes. 12. Benedixit Deus Abraham. Fuit enim
  - caput, & principium omnium fœminarū secundū dignitatem, quia habuit { quæcunque bona in fœminis fuerunt.; quodlibet illorum in summo.; quod numquam in alia }
  - Mater singularissima { Vnius Hominis.; omnium hominū.; cūctarum Virginū } per { generationem; regeneratione; imitationem } vide Cō. nostrū in Mag. l. 1. c. 11 & 18
  - Domina vniuersorū: fit enim quis Dominus rei per
    - operationem, quia rē operatus ē, & pduxit ad esse; sic Maria dña creaturarū putā mater Creatoris.
    - Emptionem, sic domina omnium redemptorum, vt adiutrix Redemptoris.
    - Electionē, vt Prælati; sic Maria Regina omnium.
- Omnis benedictio in scripturis posita ei decentissimē conuenit, vt Patriarcharum, Prophetarum, &c.
- Ab omnibus congratulanter collaudata, ab { Angelis; Hominibus; Creaturis vniuersis. } quia illis genuit { Restaurationē; Redemptionē; Renouationē } ideò { Beatā eā dicunt oēs generationes cæli, & terræ. Luc 1. Benedicūt eā oēs, vna voce dicētes: Tu gloria Hierusalem. Iudith. 15. }
- Non tātū benedicta simpliciter, sed in benedictis benedicta magis, iuxtā illud Eccl. 24. In multitudine electorū habebit laudem, & inter benedictos benedicetur.

BENE-

Fuit benedictus fruct⁹ Virginis

- Benedictione
  - Caussali, & actiua, quæ est omnium benedictionem caussa: in quo iuxta diuinũ promissũ. Gen. 22 benedicentur omnes gentes, & sunt benedictæ, iuxta quod desiderauit Dauid Psal. 66. Benedicat nos Deus. Benedictæ autem sunt per hunc fructũ gentes.
    - in esse { naturæ / gratiæ / gloriæ } vnde habuerunt { esse simpliciter / bene esse / optimum esse.
  - Corporali / Spirituali / Cælesti. } vt ait Apost. Ephes. 1. quia ei conuenerunt omnes benedictiones scriptæ, tanquam figurarum veritati.
  - Passiua, cũctis, & hoc { corde / ore / opere } vt
    - Benedic anima mea Domino, & omnia quę intra me sunt. Psalm. 102.
    - Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Psal. 33.
    - Benedicam Domino in vita mea. Psal. 103.
- Quia
  - maledicto caruit, in quod homo inciderat. i. in { infestationem fomitis. / laborem inueniendæ veritatis. / necessitatem incinerationis.
  - omne bonũ, & benedictionis possessionẽ tenuit, naturę. s. { diuinæ / humanæ } q̃a perfectus { Deus. / Homo.
- Quantum ad partes integrales benedictionis. i. in
  - Origine, quam habuit benedictam. s. { Trinitatem / Matrem / Patrem } quoad { creationem / natiuitatem / Deitatis generationem.
  - esse vt in
    - odore, implens cognoscitiuã. Gen. 27. Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.
    - sapore reficiens affectiuã. Ps. 33. Gustate, & videte, q̃a suauis ẽ Dñs.
    - decore, beatificãs cõpletiuã. Ps. 44. Speciosus forma p̃ filijs hominũ.
    - valore, valens in omnem vsum. 1. Cor. 6. empti estis pretio magno.

Fructus hic assimilatur tritico, quia fuit

- satus, in eius conceptione in Mariæ vtero, velut in horto deliciarum, & horto concluso, vbi surculus Deitatis insitus est in trunco nostræ humanitatis.
- ortus in eius natiuitate, quando mundum visibiliter est ingressus, tunc enim germinauit radix Iesse, & terra nostra dedit fructum suum.
- collectus ab horticolis, qñ a Matre pãnis inuolutus, & a pastoribus, & Regibus inquisitus, inuẽtus, & adoratus, & velut verus panis Io. 6. i. domo panis (sic n. interpretatur Bethleẽ) cordibus fideliũ collectus.
- allatus in domum Domini cum gaudio, quando in templo cum suorum iubilo est æterno Patri, magno Patrifamilias velut decima, aut primitiæ præsentatus.
- Excussus, & ventilatus, quando fuit a militibus acerrime correptus, & flagellatus, vt excuteretur palea nostri peccati.
- molitus in reliqua passione, vbi adeò fuit attritus propter scelera nostra, & propter peccata populi percussus, vt a planta pedis, vsque ad verticem non esset in eo sanitas. Isa. 1.
- purgatus, quando a Patre in Resurrectione est exaltatus: tunc enim Iesus, qui antea sordidus stabat, dum ei aduersaretur Sathan Zac. 3. decorem induit, fortitudinemque se præcinxit.
- oblatus regali mensæ in Cæli curia in Ascensione, quando filius se Patri pro nobis in cælesti illo sanctuario obtulit, & Angelis humanitatem suam contemplandam inuexit.
- incisus, diuisus, & manitus, quando post Spiritus sancti missionem fuit per orbem prædicatus, & diuulgatus; Spiritus enim Sanctus Apostolis dentes intelligentiæ, & sapientiæ dedit; libri signacula reserauit, vt fructus huius mysteria dignoscerent, arctius amarent, & vbique diuulgarent, & quasi per quosdam bolos i. fidei articulos apponerent.
- Vtrique Ecclesiæ ad comedendum appositus. i. in
  - Via, in Ecclesia militante comeditur per fidem in velamine Eucharistiæ; vnde in consecratione dicitur mysterium fidei.
  - Patria, in Ecclesia triumphante comeditur per claram visionem sub specie, & forma propria; panis hominum, & Angelorum.

Fructus hic excedit omnes alios in conditionibus, quia est

- Sapore dulcissimus affectui. Fructus eius dulcis gutturi meo. Cant. 2. Fructus quantò altior, tãto dulcior, ait S. Bernardus, sed hic est altissimus, quare & dulcissimus Psal. 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua. Si eloquia de hoc fructu tam dulcia, quid dicendum de ipso fructu. i. de essentia illius.
- Odore aromaticus. Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Cant. 4 adeò enim fragrantia famæ, & opinionis creuit, vt ad eius odorem currant adolescentulæ: itaque B. Virgo dicere potest de fructu suo. Ego sicut vitis fructificaui suauitatem odoris. Eccl. 24.
- Specie amœnus, & colore iucundus; candidus nempè, & rubicundus. Cant 5.
- Opere, & effectu mirabilis Magnificauit Dominus sanctum suum. Psal 4 & hoc in
  - ortu, quando fœmina circumdedit virum. Ierem 31 & ex porta clausa est egressus. Ezech. 44.
  - progressu, quia nunquam sic locutus est homo; miraculis, & prodigijs clarificatus.
  - egressu, quando tam mirabiliter tanta pro talibus passus mirificè resurrexit.
- virtute admirabilis, nam ex S. Bonauent. valet ad { perditorum saluationem. / saluandorum multiplicationem. / multiplicatorum conseruationem.
- Duratione æternus, & incorruptibilis: Ezech. 47. Non deficiet fructus eius: Psal. 15. Non dabit sanctum suum videre corruptionem. Ad Rom 6. Resurgens ex mortuis iam non moritur.
- Vtilis, quia
  - sanatiuus & medicinalis, sanans omnium languores. Caro medici, inquit S. Aug. facta est medicina ægroti. Ex succo enim aquę, & sanguinis virtus exiens sanabat omnes.
  - confortatiuus debilium, & languidorum confortans omnes in se sperantes.
  - recreatiuus mœstorum, & desolatorum, dans oleum gaudij pro pallio mœroris.
  - saturatiuus esurientium: Esurientes enim impleuit bonis. Luc. 1. De fructu eius satiabitur terra. Psal. 103.

Expiatio

INDEX.
RERVM SELECTARVM
QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

CHRISTIANVS.

CIVITAS, COMMVNITAS.

CLERICVS CLERICI.

CONCILIVM.

CAELVM.

CONTEMNERE, VEL contemptus.

CORPVS.

CYRVS.

DAVID.

ESSE.

EVCHARISTIA.

ESAV, ENOS.

ETHNICI.

EVA.

EXCOMMVNICATVS.

FESTA.

FIDES.

tum

IMPIVS, INFIDELIS.

INCARNATIO.

IOSEPH.

IMMVNITAS.

IV.

IVRISDICTIO, SEV IVS.

INNOCENTIÆ.

status.

INTELLECTVS.

IVSIVRANDVM.

seu iuramentum.

Iusiu-

agit

Cla.

POTESTAS.

pote-

PRINCIPES, SEV Principatus.

PROCESSIONES.

PERSONA.

 tates,

per

Pon-

Aistul-

ad

Deipar

SCRIPTVRA SACRA.

SINAGOGA.

SPIRITVS, ET spiritualia.

Spi-

Laus DEO, & B. Virgini Lauretanæ. Finis.

ERRATA CORRIGENDA,

minuenda, & addenda.

fol.45. linea 28. dicitur, adde, inquit.
fol.61. in margine, Amor Dei erga homines duplex.
fol.91. in fine Suarez, adde, ex Tom.2. in eandem tertiam partem Disp.12. sect.1.
fol.105. linea 25. taxato, taxata.
fol.111. linea 16. multudo, multitudo.
fol.169. in margine triplex, &c. sic corrige; triplex annus in scripturis; Et tertius optimè B. Mariæ accommodatur, ex S. Bernardo.
fol.187. linea 33. perducunt, adde, vel abducunt.
fol.203. versus finem monitio, motio.
fol.209. linea 35. viribus, iuribus.
fol.230. Deuteronom 19.17. idem in margine.
fol.233. versus finem, abiecisse, abiecisse.
fol.236. linea 36. dominari, adde, competit.
Ibid. linea penultima, & à maioribus suis, corrige, Iamdudum tempore maiorum suorum.
fol.321. Cunon, alias Conon.
fol.326. ad Quartum dicimus, & iterum dicimus.
Ibidem ad Quintum, corrige ad Quartum.
fol.338. aliter seruit Deo, aliter seruit Rex Deo, adde quia homo est, aliter quia etiam Rex est, quia homo est, &c.
fol.345. DECIMAQVINTE, DECIMAQVINTA.
Reliqua leuiora prudentiæ, & sapientiæ Lectoris committimus.

REGISTRVM.

✠ ✠✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt.

Omnes sunt terniones, præter Hh Qq Rr Sſ Tt *quæ sunt folia simplicia.*

a b c d e *Omnes sunt duerniones.*

RECINETI,

APVD PETRVM SALVIONVM. MDCXII.

Superiorum Permissu.

Digitized by Google